TYROCINIUM ISAGOGICUM SACRAE SCRIPTURAE. NON SOLUM...

Gerónimo Xavierre

TYROCINIVM ISAGOGICVM SACRÆ SCRIPTVRÆ.

NON SOLVM SACRORVM BIBLIORVM PROFESSORIBVS, ET CANDIDATIS, DIVINIQVE Verbi Contionatoribus, verum etiam ad quemvis Sacri voluminis locum enucleandum cuivis per quam vtile, & necessum.

AVCTORE


R. A. P. M. Fr. HIERONYMO XAVIERRE, Iaccensi, in Cæsaraugustana Academia Sacræ Theologiæ Doctore, Sancti Thomæ Cathedræ diu moderatore, & Sacræ Paginæ Professore emerito, Archiepiscopatus Synodali Examinatore, & Regij Prædicatorum Conventus quondam Priore, & postmodum Studiorum Gymnasiarcha, & Regente.

REV^{MO}. PATRI NOSTRO Fr. IOANNI THOMÆ DE ROCABERTI, ORDINIS PRAEDICATORVM GENERALI MAGISTRO, ET ARCHIPARENTI.

REGIVS PRÆDICATORVM CÆSARAVGVSTANVS Conventus, sacrat, D. C. Q.

Opus nunc primum in lucem prodit posthumo exortu cum tribus Indicibus: 1. Paragraphorum, & Sectionum: 2. locorum S. Scripturæ: 3. verborum, & rerum.

Cum licentia, Cæsaraugustæ, apud hæredes Petri Lanaja, & Lamarca, Regni Aragonum, & Vniversitatis Typ. Anno M. DC. LXXV.



REVER.^{MO} P. NOSTRO Fr.

IOANNI THOMÆ DE ROCABERTI,

MAGISTRO GENERALI ORDINIS

PRÆDICATORVM.

IN PVBLICVM AMORIS, ET OBSEQVELÆ monumentum animo libenti ad hilares almæ gratitudinis aras votum in tabella pendit.

REGIVS PRÆDICATORVM

CÆSARAVGVSTANVS

CONVENTVS.

QVIS

1. Corinthior. 9. QVIS pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? *Pater Reverendissime; si ergo hac Sacra Pagina litteram, sensumque adhumbrat legis teste Origine, caliculus hic lacteus mentis palatum demulcens iure tibi debetur optimo, cuius amygdalinus vigil caduceus* docet, & erudit quasi Pastor gregem suum. *Nobile huius additamentum Cœnobij R.A.P.Mag.Fr. Hieronymus Xavierre, pietatis, & doctrinæ columen tutissimum posthuma editione sua, & ductu nostro tuas exambit manus; probat namque ipse vita functus, quod facere non est ausus vita fruens; erat illud tempus modestiæ, qua & crisis tuæ maiestatem reverebatur, & verebatur suas academiarum in ore laudes.* Sicut virgula fumi *ex favilla cinerisque pyra famæ suave olentiam in Theosophos Sacræ Paginæ Interpretes eiaculatur omnes, ut sit* memoria ipsius in compositionem odoris facta opus pigmentarij, & ossa eius pullulent de loco suo.

Origen. sup. Genes. hom. 17.

Ecclesiast. 18. 13.

Cant. 3. 6.

Ecclesiast. 49.

Ecclesiast. 46.

Persius satyra 1.

—— Nunc non è tumulo fortunataque favilla
Nascentur violæ?

Eminentissimi D. D. Hieronymi Xavierre, S. R. E. purpurati Principis, alter Hieronymus Xavierre foliorum volumine, ceu florum fasciculo ævo nostro ex funere suscitat odoramentum: ambo Cæsar-Augustam, ambo eius academiam, Cathedras, Diœcesis curiam, & hoc Cœnobium decoravere, amboque Romam; ille cardineo adscriptus choro, iste Sacræ Paginæ Deique Templum metiens calamo. Orietur ergo tibi viror calami [illegible] *accipies de manu nostra* calamum suave olentem de terra longinqua. *Primus Hieronymus noster filius, & noster parens sacra muricis Toga Ecclesiæ apicem ornavit; secundus Ecclesiam ædificavit architectura sapientiæ ex una surgens;* nam qui prophetat Ecclesiam Dei ædificat, *ut ait Paulus;* Prophetas autem Interpretes dicit Scripturarum, *ex mente Ambrosij:*

Esaiæ 35. 8.

Ieremiæ 6. 20.

1. Corinth. 14.

brosij:

brosij. Si ergo ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetaverunt. Post funera mollitus est Ecclesiam, vt famæ Pantheon sibi construat. Tripartitum opus de sensibus, clavibus, & nominibus lucem accipit, vt præstet lucem; cuius argumenti vbertas copiosam sacris messoribus segetem profundit, haud vulgaris eruditio ingeniorum sylvas oblectat, varietas sensuum nauseantis animi fastidium abstergit, vt reconditi sacri Codicis sensus veluti in succino inclusi iucundius pelluceant, afficiant suavius, vehementius moveant, incitent acrius, pium denique legentium assensum mollius eblandiantur. Ennascenti libro non minus, ac homini opus est Custode Angelo, cum liber humanæ mentis partus à Clemente Alexandrino nuncupetur; olimque moris fuisse meminimus apud veteres scripta sacra legesque publicas in templorum adytis, locisque tutissimis velut sub Deorum tutella recondere; nec id ævis nostris, aut priscis tantum ethnicorū vsitatum sæculis, sed ea quoque Moysi Israelitarum Duci cura fuit, vt idem ipse divinæ legis codex in latere arcæ fœderis reponeretur, qui postea Iosiæ Regis tēpestate templi Sartatecta instaurantis ab Helcia Sacerdote magno ruderibus obrutus inventus est: Hinc nos etiam paterna tua viscera pro arca, sacrarioque habentes has Sacræ Paginæ lucubrationes, pias, doctas, expetitas, eruditione refertas penes te deponimus, vt à Zoilorum cavillationibus & Momorum dente securo asyloque tuo immunes fruantur sinu; etenim, quod de pisce qui Plutarcho Anthias est, referunt, qui eo loci vbi degit omnem veneni suspicionem tollit, id de te, & verius, & vtilius, quam quondam Ibis Sacerdotibus Ægyptijs maximo Iridis monastici bono, Provinciarum commoda, clientumque subsidio indicas; neque enim alio nomine, nullum, & omne fultum decoratū, & fælix auras opus aspicere fas erat. Arbores fructi-

bus

Ambros. in epist. Pauli 1. ad Corinth. 14.

Clemēs Alexand. 1. Stromatum.

Deuteron. 31.26

4. Regum 22. 8.

Plutarchus in libello an terrenæ bestiæ, &c.
Gesnerus de aquatilibus lib. 4.
Plinius lib. 10. cap. 28.

bus gravidæ inclinant ramos, & demittunt, velati fœcunditatis frugum matrici victimam libantes, nosque
Levitici 23. 40. fructus arboris pulcherrimæ, (nam laborum glorio-
Sapientiæ 3. 15. sus est fructus) *typis decerpentes Religionis Matri, Prædicatorum Cereri in animi oblectamentum lita-*
Ezechiel. 2. 9. *mus. Misteriorum labyrinthus Ezequiel de se loquẽs:* Ecce manus missa est ad me, in qua erat involutus liber, & expandit illum coram me *vates huius nostri*
S.Gregor. lib.1. in Ezech.hom.9. *evasit offerumenti; nam ex Gregorio:* Sicut per Prophetam Prædicatorum ordo, sic per librum Scriptu-
Ieremiæ 51. 63. ræ Sacræ Paginæ designatur; *Ieremiæ rursus indictũ est:* Cumque compleveris legere librum istum ligabis ad eum lapidem, & proijcies illum in medium
S.Bernard. ser.1. de S.Andrea Ap. Euphratem; *& si Bernardi lancibus res libretur,* fluvius est Prædicatorum ordo: *Ergo tibi velut fluminis Euphratis medio librum lydio lapidi sirpatum coniunctis offerimus animis; tibi, inquam, quem natura tot præclaræ sobolis dotibus locupletavit; ars tanto studio perpolivit; sapientia excoluit; Suprema demum rerum omnium moderatrix Pronœa suis numeris absolvit, ac in dignitatis apud Prædicatores fastigio collocavit: Quod de magno Antonio Nitriæ & Thebaidos Mo-*
Ennodius in Panegyri. *nachorum archiparente magnus Ennodius modulatus est, tibi adscribere nos ingenti spiritus congratulatione arridet:* Fulgorem stirpis præcipuè morum radijs obumbrasti, vincens decorem sanguinis ingenij claritate, dum coruscantem germinis tui lampadem actuum serenitate transcẽdis; & factus es stemmatis victor tui, per quod plerosque mortalium nascendo superasti. *Nec sanctimoniæ nobilitatisque tuæ iubar splendidissimum anagrammatis arcana subterfugiunt, nam:*

Frater Ioannes Thomas de Rocaberti, Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, *anagrammatismi lege sonat:*

Hic

Hic Pater Sol est de fronte Gusmana Dominicis
Romæ girat irradians orbes terræ.

Magnorum fluminum ortus navigabiles sunt, *vetustior parœmia testatur, & de te dictum remur*: Nulli parvum licuit te Nile videre; *nam hæres ex asse Dei gratia Comitum de Peralada, paternis relictis Penatibus Cœnobiticæ aditum vitæ deligens magnus evasisti; Maior in Valentini Cathedrarum Lycæi moderatu; Maximus in Prædicatoria Familiæ Monarchia: nam medium illud, & tutissimum iter, non nisi Licurgo, Pompilio, & Soloni pervium, quo inter rigida suavitatis, & remissæ mansuetudinis extrema pede non errante deccurritur, fælix verè, beatusque tenuisti; vt divinæ Providentiæ rationem, virtutem, scientiam, auctoritatem, & alia, quæ regiminis clavuum decent, quæque miris elucent in te modis clarius quam in illa celebri Theodosij tabula legant cuncti, & agnoscant. Vnus fluviorum Nilus nullas ex se auras exalat, nihilque à te hoc indignitatis culmine, aut influxit, aut efluxit, quod elationis auram suboleat: Davidem affectaris, qui ex parva Hebron, sive Iuda Provincia ad Israel Imperium Dan, & Bersabee terminos complectens, assumptus, æqua mansuetudine, & benignitate floruit. Sed quid hæc de domesticis laudibus balbutimus? Moysis virga è Iethro, sive Raguelis viridario avulsa in duodecim Tribuum Israel ductricem annuentibus superis electa est; te autem, virgam ordinis viridario designatam (Ita apud FF. Prædicadores typicè appellatur Aragonia Provincia) totius ordinis ab Ægypto vsque ad Iordanem dominatricem virgam Comitiorum Generalium calcula famæ panegyri selegerunt, die vigesima quarta Maij, qua die Otho tertius Imperator Romæ à Gregorio V. Pontifice Maximo solemniter coronatus est, & qua die apud primævi sæculi Romanos vesperum colebatur, solemne conse-*

Lucanus lib. 5. Pharſ.

3. Reg. 5.

Exod. 4. Abulenſ. ibidem.

Aventinus in Theatro Zuingeri tom. 24. lib. 1.

cra-

crationis ædes Fortuna Publica, teste Ovidio. Tiberis auspicium erat; te eadie Prædicatorÿ Ordinis Publica Fortunæ, vtilitati, & decori meritorum suffragÿs exoriundum fore. Fruere igitur tua in nos benevolentia mnemosyno tessera, & symbolo, quemque Authori consueuisti, eundem eius soboli benignus favorem impendito. Ex vmbra ad Solem, ex fumo ad lumen, ex angulo ad forum prodit liber tua fissus ope. Si Idiographus ante funera librum descripsit, post funera eius tuis nos congenulati aris libum sacramus.

Ovidius apud Dempsterum lib. 4. cap. 8.

Hieronymi vnius manu elaboratum Cædrino repositorio dignum, Hieronymus alter de Funes Archicœnobites noster, & Parens, cordis nostri hilaritudine annutuque volumen Sacræ Tabulæ explanatoribus eruit, & expromit: munusculum sanè tua perquirit viscera, re exile, sed voto magnum; leve, si tuam perpendas magnitudinem, sed propitium, si argumenti præmediteris dignitatem. Faxit vtinam Deus, vt in longissimum ævum communi Prædicatorÿ gregis incolumitati te incolumem servet, te, qui natus es homo, Princeps fratrum, Firmamentum gentis, Rector fratrum, Stabilimentum populi. *Bonumque tui regiminis eventum largiantur è Cælo superi, vti nos quotquot in hoc agimus Cœnobio votis omnibus comprecamur.*

Ecclesiast. 49.

Reverendissimæ P.ti V.træ

Perennem exoptat fœlicitatem.

Humillimus, obsequentissimus, & fidissimus.

Regius Cæsaraugustanus Præd. Conventus.

LICENTIA ORDINIS.

NOS Fr. Thomas à Vallgornera, Sanctæ Theologiæ Magister, ac totius Provinciæ Aragoniæ Sacri Ordinis Prædicatorum humilis Prior Provincialis, & servus: Thenore præsentium, nostrique Officij authoritate, libenter concedimus facultatem Ad. R. P. Fr. Hieronymo Xavierre, Magistro nostri Regalis Conventus Prædicatorum Cæsaraugustani, & in Vniversitate eiusdem Civitatis Cathedratico Sacræ Paginæ Iubilato; vt typis mandet, & in lucem edat *Tyrocinium Isagogicum Sacræ Scripturæ*, de sensibus, clavibus, & nominibus Dei, Christi, Domini, & Spiritus Sancti.

Cum fidele testimonium fecerint nobis Reverendi Admodum PP. Magistri Fr. Dominicus Puyo, in rebus Fidei Censor; & Fr. Ioannes de Maya, esse opus vndequaque Catholicum è Medullis SS. PP. descerptum, Ecclesiæ vtile, & studiosis Sacræ Scripturæ per necessarium. Barcinonæ in nostro Conventu Sanctæ Catherinæ virginis, & martyris. Calendis Augusti, anni Domini 1674.

Fr. Thomas à Vallgornera,
Prior Provincialis.

A. R. P. M. Fr. DOMINICI PVYO; Sanctæ Inquisitionis Regni Aragoniæ in rebus Fidei Censoris, Regalis Collegij Sancti Dominici, & Georgij, Durtusensis Rectoris, ac illius Vniversitatis Cancellarij.

ADm. R. P. M. Fr. Thomæ de Vallgornera, Provinciæ nostræ Aragoniæ meritissimi Præsulis, mandato, & obedientia ad legendum librum hunc adstrictus sum, à cuius lectione sola me vis obedientiæ abstraxisset. Basil. ep. 39. *Accepi enim librum, & summopere delectatus sum propterea quod densus est, simul, & refertus sententijs.* Sed heu! fortiori iugo præmit animum imperatrix hæc, & iudicium extorquet de opere quod inspexi; præceptum profectò arduum; nam si aliquando, certe nunc Hieronym. de Volusiano Commét. *periculosum est de egregij viri opusculis iudicare.* Quis namque in hunc induci posset sensum, vt opus hoc bilanci trutina vellet probare, quod vndequaque elogia postulat non censuram, commendationem exposcit non iudicium, non limam, sed præconijs se celebrantem linguam promeretur. Author eius est A. R. P. M. Fr. Hieronymus Xavierre, de quo si nihil præter suum nomen dico, omnia me dixisse arbitror, quippê qui omnium cordibus, omnium mentibus, omnium linguis, gestatur, celebratur, nominatur, Scientiarum domicilium, Musarum sedes, possessor spirituum, Greg. Nazianz. de S. Basil. M. vtpotê qui *sic omnes doctrinas edidicit, vt vni tantum vacasse eum credidisses*: hoc etsi illi molestium sit audire, at mihi piaculum tacuisse, quæ cuncti, & sciunt, & cum admiratione loquuntur. Loquitur, & Tomus hic: (aliorum vtinam prodromus) in quo inter ingenij instrumenta Divini Thesauri re-

pe-

peries claves, inter perlucida verba arcanæ paginæ reconditos intelliges sensus, inter exquisita nomina, vix nominandi audies nomina Dei, de quo, si meum valet, iudicium hoc est: *Præter omnes divina narrare dignus est, & ut dignus in agro Dominico operarius in sacro eloquio gratiam, ac lumen ex Deo, ac spiritu ipsius invenit.* Nihil in eo non Orthodoxum, nihil non sanam eruditionem redolens, æternitati omnia, cedro, & prælo transmittenda, cuncta veritatis alumnorum laminis cordium insculpenda, ac reservanda. *Nullum enim verbum in vanum exit, & sine sensu prodit.* Ita censeo. In Collegio Dertusensi, die 12. Maij 1675.

Greg. Nazianz. in vita Bas. M.

Fr. Dominicus Pujo Magister.

APPRO-

APPROBATIO
A. R. P. M. Fr. IOANNIS DE MAYA, Collegij Cæsaraugustani Sancti Vincentij Ferrarij Rectoris.

A Dm. R. P. N. Fr. Thomæ de Vallgornera, Sacræ Theologiæ Magistri, Provinciæ Aragoniæ Ordinis Prædicatorum Vicarij Generalis, & Provincialis, electi commissu, & mandato, hunc tractatum de sensibus Sacræ Scripturæ, á R. A. P. M. Fr. Hieronymo Xavierre, eiusdem Ordinis, & in Vniversitate Cæsaraugust. Cathedræ Sacræ Scripturæ iam emerito, compositum, avidissime oculis vtriusque hominis inspexi: Nihil in eo inveni contra Fidem, aut bonos mores, quod iudicari, vllavè censura reprehendi, aut notari posit; quinimo cuncta singulari quadam, & exquisita eruditione referta sunt; vbi veritatis amator inveniet quod iam olim desideraverat B. Petrus Celensis, ijs verbis: *Fructum enim in ficulnea, non follia tantummodo quæro.* Absit enim vt vmbram solum, & non escam præberent arbores culturæ nostræ. Omnes quidem de litteris benemeritos tractatus huius lectione alliciendos esse minimê dubito. Quare ne proventu hoc careat Ecclesia, privêtur docti, ac nostra ne orbetur Religio, typis mandandum, ad idque Authorem esse restringendum censeo. Cæsaraugustæ, in Collegio Sancti Vincentij Ferrarij Ordinis Prædicatorum, die 27. Maij, anni 1674.

Lib.8.PP.tom.8. fol.942.

Fr. Ioannes de Maya, Magister, & Rector.

Censura R. P. Fr. Iosephi Nuño, Sacri Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, & in Cæsaraugustano Cœnobio Sacræ Theologiæ Lectoris.

VOlumen inscriptione dotatum: *De sensibus Sacræ Scripturæ*, à R.A.P.M.Fr.Hieronymo Xavierre, Sacræ Scripturæ Cathedræ in Cæsaraugustana Academia Iubilato moderatore, Familiæ Illustrissimæ Dominicanæ Filio editum: Iussa D.D.Lazari Romeo, huius Metropolitanæ Sedis Vicarij Generalis exequendo, conspectavi; & licet non sit mihi admiratione dignũ, & quibus præcellentia Authoris pignora patefiunt, hos fœtus suum subtile ingenium germinare, cum spiritum, & doctrinam auxerit Christiano Salomoni, Ecclesiæ luminari, Divo Thomæ de Aquino Protoparenti meo, laboris assiduitate, studiorum remis incumbendo; attamen vt omnes sibi invicem gratulentur eius se doctrina solida perfrui, & eloquentia, opinor, hoc ex libro cunctos commodum reportaturos, & omnes delectatione imbuendos. Licet vt D. Hieronymus aît: *Difficile, imò impossibile est placere omnibus, nec tanta vultum, quanta sententiarũ diversitas est.* Attamen hoc opus Hieronymi reor futurum Magnetem intellectuum attractorem; nam si ex æquo perpendatur, cuncti, & singuli tractatus, capita, & dubia, demonstrant lectori, quod Cassiodorus effatur: *Habent hæc sigillatim distributa præconium, coniuncta miraculum.* Cum ergo opus hoc sit laudis potius, quam censuræ obiectum, in eam nequit incidere, atque adeò à Censoris munere ad Panegyristæ absque nota possem transire; nam vt scripsit Pius Secundus ad Panormitanum, Antonium librum adstruentem, quo Alphonsi Neapolitani gesta magnanima referebat: *Qui novit Alphonsum nemo te Antonij dixerit adulatum.* Sic in me nullatenus cadere posset suspicio adulationis, licet longo calamo prorumperem, Authorem elogijs, & præconijs cumulando, quia qui noscunt merito proclamarent: *Qui novit Hieronymum, nemo te Ioseph dixerit adulatum.* Sed me præceptum inviolabile, ex R.A.P. Magistri honestatis decore, & humilitatis amore propagatum, ac promulgatum cogit, vt mea vox faucibus adhærescat. Optimè potest V. Dominatio licentiam petitam, vt typis mandetur, exhibere; nam Prædicatores possunt in eo sua cordis, & corporis lumina delectare, mirari curiosi, & præcellentissima, ac nobilissima Dominicana Familia tali prole novo decore prælucere. Sic sentio, Salvo meliori, & subscripsi nomine meo, in hoc Cœnobio Cæsaraugustano Minimorum Sanctæ Mariæ de Victoria, die 27. Aprilis, anno 1675.

Hierony. lib. 12. in Isai in Proem.

Fr. Iosephus Nuño.

Imprimatur.

Doct. Lazarus Romeo, Vic. Generalis.

Cen-

Censura R. P. Fr. Ioannis Vaquero, Sacri Ordinis Regalis, ac Militaris B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, & in Collegio Cæsaraugustano S. Petri Nolasco Sacræ Theologiæ Lectoris.

OBediens præcepto D. D. Gregorij Xulve, apud Serenissimum Regem nostrum Carolum meritissimi Consiliarij, & Regni Aragonum Regentis Cancellariam, &c. Diligenter evolvi hoc præclarum volumen tripartitum in Tractatus; quorum vnus est de Sacra Scriptura, & eius sensibus; alter versatur circa claves, & regulas, ad rectè intelligendam Sacram Scripturam; tertius tandem evadit locupletior ex nominibus Dei, Christi Domini, & Spiritus Sancti, Authore Reverendis. necnon & sapientissimo P.M.Fr. Hieronimo Xavierre, præclarissimi Ordinis Prædicatorum, S. Theologiæ in Cæsaraugust. Academia Doctore, ac in eadé olim Angelici Præceptoris publico, & proprio Professore, nunc autem S. Scripturæ moderatore meritissimo, & totius Archiepiscopatus Examinatore. Quid igitur dicam? Nonne totum suum opus est nobilis sapientiæ, & pietatis fœtus, tanto parente dignus? Qui solida Aquinatis Solis iecit fundaméta. O veram Sapientiam! Aperiam quid sentiam? Aperiam: Opus hoc singulare Theologiæ expositivæ Scopo ita aptatú est, vt sagittam à dextro sagittante arcu dimissam, & in suo defixã termino, nemo nisi vel ignarus, vel invidus, possit negare. (: sed & hoc ei cedet in gloriam) Nihil in eo Fidei Orthodoxæ contrarium, aut bonis dissonú moribus inveni, plura potius notavi, quibus Authoris indefessus labor, fœlicitas ingenij, & dicendi facilitas clare inotescunt. Audi Hugonem: *Totum quod in te est, pulchrum est, in toto gratum, in nullo ingratũ, in toto placens, in nullo displicens, &c.* Et Platoné: *Quæ de re pro dignitate dici possunt eorũ nihil omisit, vt præter ea quæ ab eo dicta sunt nemo vnquam possit alia plura, & magis ad rem pertinētia dicere.* A laudibus abstineo, nam vt canit Symmachus: *Laudentur incogniti, vt eorũ merita in occulto sita testimonij splendor irradiet.* Laude igitur hic Magister nó eget, cuius doctrinã prædicat fama, celebrãt Scholæ, venerantur Religiones, & approbãt omnes. Atq; adeò fausto numine in lucé prodeat, Solem aspiciat, & vniversæ Christianorum Reipub. non modicam vtilitatem præbeat. O vtinam

Vivias vt æternus, totoque legatur in orbe.

Quod ego vaticinium credo complendum. Vivat Author, opus vivat, atque adeò typis mandetur. *Nonne prætermittere hunc virum esset publicum damnum?* (quam ad intentum Augustinus, loquendo de Magno Volusiano) *Ingenium, & eloquiũ tam excellens, tamque luculentum prodesse debet etiam cæteris.* Sic censeo, & subscribo, in hoc Collegio Cæsaraugustano Protoparentis Petri Nolasco, Sacri, Regalis, ac Militaris Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, die 22. Aprilis, anno 1675.

Hug. de S. Vict. serm. 9.
Plat. in Phœnic.
Symmach. ep. 88.
Mart. lib. 6. ep. 64

Fr. Ioannes Vaquero.

Imprimatur.

Gregorius Xulve, Regens Cancellariam.

SACRÆ

SACRAE PAGINAE
STVDIOSO LECTORI.

F*ACIENT mihi Sanctuarium, & habitabo in medio eorum*, indixit Dominus Moysi; sed quia vagantibus Israelitis, non ædem permanentem, sed mobilem parari expediebat, vt in ea victimæ, litamina, & holocaustomata Deo sacrarentur; mobile Tabernaculum, quod ædis Regiæ, sivê Prætorij in Castris vsum daret mense Nissan apud Hebræos primo erectum est. In tres partes divisa erat Tabernaculi structura. Prima, fuit Tabernaculi atrium, in quo labrum æneum de speculis mulierum conflatura elaboratum est. Secunda, vocabatur *Sancta*, in qua ad latus Australe collocatum est septiceps candelabrum ductile. Tertia, fuit *Sancta Sanctorum*, in cuius secretiori adyto inter Propitiatorij, & Cherubim pennigeram vmbram superna exaudiebantur oracula. Has ergo partes in Tabernaculi Sacræ Paginæ opificio Author meditatus, in tres præcipuos de sensibus, clavibus, & nominibus discecat voluminis Tractatus. Primus, de sensibus in labro æneo speculari perspectiva efficto adhumbratus est; quod innuit Rupertus 2. super. Levit. 3. Secundus, de clavibus septem â Tichonio adinventis in Candelabro septem lucernarum fulgore ardescente figuratus evasit; teste namque D. Thoma 1. 2. quæst. 102. art. 4. septem candelabri lucernæ arcana Divinæ Sapientiæ encausto designant. Tertius, de nominibus Dei, Christi, & Spiritus Sancti, in fœderis arcæ tabulis, manna, & virga typicê expressus fuit; nam virgam potentiæ, tabulas sapientiæ, manna bonitatis, & amoris sacra esse simbola cuivis Sacrorum Bibliorum Tyroni compertum est. Ergo in tria hæc Sacræ Sapientiæ penetralia operis argumentum, sive mysticum Author discindit Tabernaculum; vt Sacri Codicis sensibus aquam mysteriorum è labro æneo perbibas lustralem; clavibus, & regulis arcana litteræ, & spiritus menti recludas; nominibusque Sacris abdita Symmystes oracula resignes. Nec vitio adscribas, Lector huma-

nis-

nisſime, quod præter ius à Sectionum, & Tractatuum argumento expetitum per digreſsiones, & excurſus aliarum quæſtionum ſtylus aberret; nam Sapientia *adimplet quaſi Euphrates ſenſum*, qui aliquando extra aluei crepidinem per valles proximas, veluti Nilus exundans meſsis copiam in Meſopotamia auſpicatur aquarum digreſsione. Menda quæ typis irrepſerunt, non lictoris ſeveritate, ſed Lectoris benignitate emmenda; liber hic ſub prælo ceu è prælio emerſit: è prælio autem nec miles ſine vulnere, nec volumen è prælo ſine errore; ſub prælo namque Authoris orbationem gemuit, & vagitibus typorum mendicula planxit: fieri autem non potuit quavis temporis iactura, vt terſior hic tibi liber promereretur, atque correctior. Nœvoſus eſt, ne dicam ſaucius, ſed parce, candifica, & lenitatis oleo inunge. Poſthumum Authoris ſimulacrum, & ſi opificinæ in lucem prodat incurias, ne opicê carpas, ſed cole, & ſile; nam vt ait Seneca epiſt. 29. *Sagitarius non aliquando ferire debet, ſed aliquando deerrare.* Hæc ſint igitur noſtra compretatoria præludia, quæ te ad Sacras Paginas ſedulo evoluendas emmoveant, ad illarum indagationem accendant, ad prolegomenam Sacræ Tabulæ enucleationem pungant; teſte enim Eccleſiaſte 12. *Verba ſapientum ſunt tamquam ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi.* Vale, fruere, & fave.

TRAC.

TRACTATVS PRIMVS
DE SACRA SCRIPTVRA, ET EIVS SENSIBVS.

CVM de sensibus Sacræ Scripturæ sit nobis ex professo agendum, præcissum videtur fuisse, de ipsa Sacra Scriptura, cuius sensus enucleare intendimus, breviter aliqua præfari. Quod vt clarius faciliusque præstemus, triplici methodo, quam tradit Sixtus Senensis lib. 3. Bibliothecæ Sanctæ, vtendum venit. Prima dicitur diffinitiva, in qua de existentia, essentia, & sensibus Sacræ Scripturæ erit sermo. In secunda, quæ inventiva vocatur, regulas tam litteralis, quam mystici sensus adducemus. Denique in tertia scilicet dispositiva, ordinem, & formam in his observandam proponemus.

Et tandem Aristotelis doctrinam imitantes, qui de qualibet re quatuor inquiri posse adstruxit, scilicet an sit? quid sit? qualis sit? & propter quid sit? eadem de Sacra expendemus Scriptura, præsentem tractatum, claritatis gratia, in duas sectiones dividentes.

SECTIO PRIMA.

DE SACRA DOCTRINA, VEL SCRIPTVRA, & de eius parte diffinitiva.

CAPVT PRIMVM.

De existentia Sacræ Scripturæ.

DVBIVM PRIMVM.

An detur Sacra Doctrina, vel Scriptura?

DOgmaticam concernit præsens dubium doctrinam; magnumque nobis contra hæreticos ineundum esset certamen, si pro rei dignitate discutiendum susciperetur. Cum plures illorum in Sacram Scripturam diabolico furore perciti conspiraverint. Totam aliqui reijcientes, vt hæretici (certè per antiphrasim) dicti illuminati. Alij vocati cœlestes (& melius scœlesti) & antiquitus quidam dictus Celsus (sed proprius infimus) vetus Testamentum abijciunt Cerdoniani, Manes, Faustus, Adimantius. Imò à malo Deo fuisse, dicunt Simon Magus, Basilides, Gnostici, & Albanenses.

Penthateucum reijciunt Nazaræi ex D. Epiphanio lib. 1. hæres. & Ptholomeytæ, hæresi 33. Apelles, Iulianus, Porphirius, & Faustus, ex D. Augustino lib. 23. cap. 2. & ex recentibus Lutherus, & Calvinus, ex Gravina tom. 2. pag. 36. Historiales excludunt Samaritani, solum Penthateucum recipientes. Paralipomenon reijcit Theodorus Mousp. ex Leontio lib. 3. & Lutherus, dubium dixit. Iob Thalmudistæ cõfictum asserunt, & etiam Anabaptistæ, ex Senensi lib. 8. hæres. 10. Psalterium Nicolaitæ, & Samosetanus explodunt. Prophetas, Manichæi, & Faustus. Sapientiam, & Ecclesiasticum Lutherani. Thobiam, Esther, & Iudith, alij.

Iudæi totum denegant novum testamentum: alij ex parte, asserentes, nec à Christo, nec ab Apostolis, sed longa

post tempora scriptum. Alij denique non omnia, sed gravia solùm Sacram esse contendunt Scripturam. Horum omnium impugnationem non vacat, modo præstare; sed alibi, quomodo contra Gentiles, Iudæos, & Hæreticos, Sacræ Scripturæ existentia probanda, & adstruenda veniat, dicemus. Videri possunt D. Augustinus lib. de Hæresibus, de vtilitate credendi, & contra Faustum. Sixtus Senensis lib. 7. & 8. Bibliothecæ Sanctæ. Bellarminus lib. 1. de verbo Scripto. Stapletonius controvers. 1. Tena lib. 1. Isag. sect. 1. dif. 1. Gravina tom. 2. tract. 1. Benavides disput. 1. & novissimè Antonius à Matre Dei, præludio 1. dub. 5.

Nobis ergo sit conclusio certa de fide; dari scilicet Sacram Scripturam, cuius essentiam in sequentibus explicabimus. Probari hoc poterat pluribus ipsius Sacræ Scripturæ auctoritatibus, Concilijs, & Sãctis Patribus, apud Bellarm. & Gravinam videndis. Sed quia hæc omnia, vt domestica, non admittunt adversarij, ideò rationibus, & congruentijs, non ad convincendum, & demonstrandum (cum res sit de fide) sed ad persuadendum, vtendum nobis venit.

Prima ergo ratio sit contra negantes omnem Sacram Scripturam in hunc modum. Tota Christi Ecclesia tenet, semperque tenuit, Sacram existere Scripturam, ergo ita credendum. Antecedens patet, quia ita habetur in Constitutionibus Apostolorum Can. 84. In Concilio Laodicensi confirmato in 6. Synodo generali Can. 60. ex Concilio Carthagin. 3. ex epistola Innocentij I. ad Exuperium, ex Gelasio cum 70. Episcopis, & ex Trid. sess. 4. cap. 1. vbi post ennumeratos Sacros Codices ita affatur. Siquis libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, provt in Ecclesia Catholica legi consueverunt: & in veteri, vulgata Latina editione habentur, pro Sacris, & Canonicis nõ susceperint, anathema sit: Consequentia suadetur, & probatur: Ideò Ethnici, & Gentiles probant, & defendunt extare libros Philosophorum, & Historicorum, vel suorum Legislatorum, quia sic à maioribus scripto, vel traditione acceperũt: sed etiam nos à maioribus nostris accepimus, vt patet in antecedenti, ergo.

Si autem insaniens respondeat Hæreticus, maiores ipsorum maiore pollere auctoritate, esseque fidedigniores quam nostros. Contra hoc militant omnia quæ adducuntur à Theologis in materia de fide, ad ostendendum evidentiam credibilitatis erga fidei nostra mysteria, scilicet coelestis maiestas, & dignitas, consensio, & concordia, miracula, antiquitas, veritas, prædictionum, pœnæ contemptorum ipsius, Apostolorum, Martyrumque constantia, Pontificum succelsio, Doctorum sanctitas, & sapientia, quæ omnia in alijs non reperiuntur, vt constat.

Septem congruentias affert M. Benavides disp. 2. dub. 4. quæ ad hanc summam reducuntur. Prima, ex materia librorum, quæ digna est Deo Auctore, de quo infra. Secunda, ex causa efficienti, scilicet instrumentali, de quibus dicemus etiam. Tertia, concordia rerum in tot tantisque sæculis conscriptarum, cui illarum adiungenda efficacitas ex 1. Cor. 2. Quarta, plures circunstantiæ, præcipua, quod per illam totus subiugatus mundus, & summi Oratores convicti. Quinta, præstantia super alias scientias, & doctrinas, de quo D. Thom. 1. p. q. 1. ar. 5. Sexta, testes, & testimonia, quibus approbantur, & laudantur, & plura miracula quibus confirmata fuere. Vltima, ex inimicorum commendatione, quia Iudæi vetus testamentum. Mahometani ex parte, vtrumque: Hæretici licet illas detorqueant in sensus depravatos: ac denique Gentiles, quia ex illis plura suffurati sunt, amplexantur.

Iam secunda accedat ratio contra negantes vetus testamentum, quia scilicet non à verò Deo, sed à malo dictatum contendunt. Quis enim non irrideat hoc assertum? Cum plura in medium possent afferri testimonia novi testamenti, quæ vtriusque eundem adstruunt auctorem. Celebris locus Hebræo. 1. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: novissimè loquutus est nobis in filio.* Et Actuum c. 3. *Deus qui præ-*

prænuntiavit per os Prophetarum pati Christum suum, &c. Ex quibus sic argumentor: Moysaica lex condita est, vt cultores suos ad Christum, vti ad finem legis duceret, ex Paulo Galat. 3. *Finis legis Christus.* Modo sic. Quomodo stare potest, vt malus ille Manichæorum Deus, perpetuus Christi hostis legem, vel testamentum promulgaverit, per quam, & in qua sectatores illius adducerentur ad Christi cultum, per quem ille malus Deus de Regno suo exturbandus eijciendusque erat, dicente ipso Christo, Ioan. 12. *Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras.* Imò neque vetus testamentum sic vocari posset: quia hoc respectum dicit ad eundem testatorem, qui prius vetus instituit testamentũ, quod postea per novum revocavit, quod fit morte testatoris ad Hebræ. 9.

Tertia sit ratio contra eos qui aliquem, vel aliquos admittentes codices, alios negant. Modo sic: Ideò hunc admittitis codicem, quia à Deo revelatus, & dictatus, & vt talis ab Ecclesia proponitur, & in Cathalogo Canonicorum collocatur: sed etiã alij à te reprobati sunt huiusmodi, ergo. Respondet Faustus, apud D. Augustinum lib. 11. contra eundem cap. 2. cui alij subscribunt Hæretici: Ideò vnum esse Canonicum, qua hoc pro me sonat, & illud non, quia contra me. Sed ita eum refellit D. Augustinus: tu es ergo regula veritatis? quia quicquid contra te fuerit non est verum. Quod maximè irridendum venit.

Vltima ratio, potest desumi ex D. Thoma 1. p. q. 1. ar. 1. & 2. 2. q. 2. ar. 4. & 1. contra g. c. 4. Quia homini necessarium est ad suam salutem præcognoscere finem, ad quem omnes actiones debet ordinare: talis autem finis est Deus, excedens omnem nostram cognitionem naturalem; ergo aliqua doctrina revelata fuit necessaria, vt talis finis scilicet Deus cognosceretur. Licet enim aliqua de Deo Auctore naturali, lumine etiam naturali percipi posśint; sed hæc cum labore, post multum temporis, & cum plurium errorum admixtione assequuta fuere: ergo vt hæc evitarétur, doctrina revelata oportuit esse, & simpliciter necessaria ad Deum, vt Auctorem supernaturalem cognoscendum.

Modo sic: sed talis doctrina revalata à Deo, licet per traditionem opotuerit aliquo modo conservari, sed non ita benè sicut si amandetur scripturæ vt patet, ergo: minor probatur; quia si ante Moysen non extitit scriptura aliqua (de quo statim) ideò fuit, quia prior ætas propinquior mundi creationi; & quia pauca, & facilia antea revelata, & sic facilè memoriæ poterant commendari. Cum autem postea plures notitiæ, & mysteria in hominum remedium revelata, & tradita fuerint: Deus qui in necessarijs non deficit, vt hæc memoria non exciderent scripturæ revelatæ auxilio hominibus succurrere debebat.

Plura in hac insinuantur ratione, quæ ad longum præmit Antonius à Matre Dei prælud. 1. du. 5. quæ nos breviter, vt ad rem, attingemus. Primò, quia Deus poterat singulis hominibus inspirando scripturam supplere. Secundo, quia cum mundus vsque ad Moysen sine aliqua Sacra extiterit Scriptura, etiam id posset, vsque ad illius finem.

Sed his facilè est obviam ire. Primæ si dicamus cursum rerum peragi à Deo secundum ordinariam potentiam, non extraordinariam, & absolutam, iuxta istam enim convincit obiectio, at Dei suavis providentia vnicuique adest, vt illius competit naturæ, iuxta quam sola interna revelatio, & particularis, obnoxia posset esse varijs erroribus: tum ex diaboli malitia in Angelum lucis sæpius se transfigurantis: cum quia quilibet suæ inixus revelationi, dubitare posset de illius veritate, male illam percipere, & alteri non credere &c. quæ omnia vt evitentur, communi regula scilicet Sacra Scriptura, & Ecclesiæ propositione necessum fuit vti, vt homines commodius agenda, credendaque cognoscerent.

Maius negotium facesśit secunda obiectio, in qua inseritur dubium; an vsque ad Moysis tempora mundus Sacra caruerit Scriptura? Supposito iam ex antecedenti solutione scripturam non simpliciter, sed

ad melius, & secundum quid vtilem necessariamque extitisse: restat examinare, an de facto ita evenerit, quod ante Moysen per 2514. annos nulla Sacra præcesserit Scriptura? de quo infra cum de Scriptoribus librorum fiat sermo ex professo tractabitur: nunc breviter dicimus, quod D. Thomas 1. 2. q. 98. ar. 6. supponere videtur nullam extitisse scripturã. Congruentemque assignat rationem, vt sic hominis retunderetur superbia. Alij verò aliquam non improbabiliter extitisse contendunt, vti Abul. & à Lapide cap. 21. ita loquentes de libro bellorum Domini, aliquando in Biblia citato, & etiam liber Enoch, cuius mentionem fecit D. Iudas in sua epistola, num. 14.

Sed circa hæc duo breviter occurunt dicenda. Primum dato quod ante Moysen aliqua præcesserit scriptura, cum ista fuerit particularis, non satis per illam provissum toti videtur communitati. Secundum (quia vt infra) non convenit apud omnes an tales libri fuerint Canonici, vel non: & sic dicunt aliqui de Enoch, Verbis prophetasse non scripto, vnde nil contra nos. Maneat ergo dari Sacram Scripturam: vt enim scribebat D. Augustinus lib. 3. de Trin. Nisi hoc fundamentum fidelis ieceris, quicquid in Theologia superstruxeris corruet. Corruetque adeò illa Dei Civitas, cuius fundamenta in montibus sanctis, & scripturis populorum, quæ fuerunt in ea, quarum scripturarum Auctor non homo, sed Deus est.

CONTRA SVPERIORA.

VT veritas ita firma elucescat magis: obijcio primo, nomine S. Scripturæ intelliguntur volumina illa, quæ proprijs manibus Spiritu S. dictante sacri condidere Scriptores: sed hæc non existunt vt patet: ergo neque Sacra Scriptura.

Resp. concessa maiori distinguẽdo min. non existunt in se ipsis, concedo min. non existunt in suis transumptis, nego: de quo postea. Vt ergo scriptura aliqua etiam prophana dicatur existere apud quamcũque gentem, sufficit quod existat transumptum aliquod ex originali fideliter, & iuxta vtriusque iuris regulas deductũ: quod neque Ethnicus, neque Hæreticus negabit. Vulgatam autem editionem, Canonicum, & fidele S. Scripturæ esse transumptum, Ecclesia attestatur Catholica.

Secundo arg. si aliqua existeret S. Scriptura; maximè in vulgata latina editione, sed non in illa, ergo: Probatur min. nam vulgata latina editio desumpta est, ex D. Hieronymi versione, qui non fuit sacer, & canonicus Scriptor, cum sæpè retractaverit, quod antea fuerat interpretatus.

Resp. 1. Probabile esse non omnem vulgatam editionem latinam esse D. Hieronymi (de quo Beuter, Scalante, & alij) sed aliquam illius partem. At quia respectu illius partis vrget argumentum: alij dicũt vulgatam nõ esse D. Hieronymi, sed aliam antiquam, quæ Itala vocabatur: sed quia adversus istam etiam procedit obiectio. Resp. 2. negando minorem: ad hoc enim vt scriptura sit canonica, non requiritur, quod Interpres scribat dictãte Spiritu S. cum eadem sit scriptura etiam in diversum idioma conversa. Sicut idem censetur Aristoteles Græcus, & Latinus. Ita videtur sentire idem Hieronymus, qui præfatione in Genesim sic affatur. Aliud est esse vatem, & aliud Interpretem; ibi spiritus futura prædicit; hic eruditio, & verborum copia, ea quæ intelligit transfert. De quo infra. Videatur Scalante lib. 1. cap. 23.

Tertio arg. ex inconvenientibus, quæ deducunt Hæretici ex veteri testamento. Primum, quod vetus testamentum, non ad Christianos, sed ad solos Iudæos pertineat. Secundum, quod vetus testamentum confictis fabulis, & narrationibus à Iudæis contaminatum sit. Tertium, vetus testamentum inutile esse ad fidei confirmationem, & morum instructionem. Quartum, quod vetus testamentum per singula cum novo pugnare videtur.

Sed hæc omnia facilè evincuntur. Primum, quia si vetus testamentum ordinatur ad Christum vt dicemus, quomodo ad Christianos non attinet? Secundum, quomodo Christus misisset Legisperitos, vt veteres consulerẽt scripturas, si istæ conta-

taminatæ reperirentur. Nec tertium, quia si ad nostræ fidei non conducederent cófirmationé, frustra Christus dixisset. Ioan. 5. *Si Moysi crederetis, & mihi crederetis, qui de me scripsit*, pluraque nostram cóternentia institutionem continent. Nec quartum, quia repugnantias, si quæ aliquibus in locis apparent, vsque ad satietatem Doctores, & Expositores conciliant.

Magnificant Hæretici verba illa 2. Cor. 3. *Littera occidit; spiritus autem vivificat*: Sacra autem Scriptura vitam debet inspirare iuxta illud, Eccl. 4. Sapientia filijs suis vitam inspirat. Sed facilè. Resp. 1. quod loquatur Apostolus de littera male intellecta, & discordante á Dei spiritu. Secundo, quia lex vetus vocatur littera occidens, quia prohibebat malum, & non dabat gratiam ad illud evitandum. Quod tamen ex Augustino præstat lex nova. Tertio, ex Caietano: describit Apostolus differentiam inter vtrumque testamentum, quod vetus occidebat augendo concupiscentiam, quæ in vetitum magis nititur. Lex autem nova iustificat, quia defert gratiam, domat concupiscentiam in nobis, & dat meritoriè operari ad vitam æternam. Vel quarto, cum D. Thoma, littera occidit occasionaliter, quia solum dabat cognitionem peccati, & sic augebat culpam iuxta illud, Luc. 12. Servus sciens voluntatem Domini &c. & sic frangitur lex naturalis, & scripta: lex autem nova dat vires, & vitam, Ioan. 6. Spiritus est qui vivificat, de quo 1. 2. q. 107.

Quarto arguitur, pro negantibus novum testamentum. Hoc enim non erat scribendum in membranis, sed in cordibus hominũ, Ierem. 31. *Dabo legem meã in visceribus eorum: & in corde ipsorum scribam eam*. Cui testimonio subscripsit Paulus Hebr. 10. intelligiturque ab omnibus de novo testamento; ergo hoc quod nunc apparet, non Spiritu S. scriptum, & sic non canonicum.

Resp. 1. cum D. Thoma 1. 2. q. 106. ar. 1. quod locus Ieremiæ intelligendus venit de novo testamento ab ipso Christo tradito, qui non per scripturã, sed verbo tenus illud tradidit. Quod sic expedire docuit idem D. Thomas 3. p. q. 44. ar. 4. hoc autem non tollit, vt ab ipsis Apostolis fuerit postmodum per scripturam tradendũ, vt cum eodem S. Doctore Expositores docent, & etiam explicando verba Ieremiæ. Vel 2. resp. cum D. Thoma cit. quod quia principalius in nova lege erat gratia Spiritus Sancti, & alia erant dispositiva, ideò dicitur lex non scripta: vetus verò cum non daret gratiam, solum lex dicitur scripta.

Denique contra totam S. Scripturam obijci potest argumentum, quod latè expendit Antonius à Matre Dei cit. §. 4. Quia illius materia videtur continere poetarũ, & Gentilium fabulas: scil. de turri Babel, Genes. 11. quod de Gigantibus in Iovem expugnandum tradit Ovidius lib. 5. fastorum. Luciferi casum è cœlo Isai. 14. Apoc. 12. Athys fabulam ab Olympo eiecti ex Homero illiada 9. Historiã diluvij, Genes. 7. Deucalionis, & Pyrrhæ commentũ. De Sampsonis fortitudine in capillis, Iudicum 14. Megarensium Regis fabula Ovidius l. 8. metaphor. Sampsonis Vulpes Iudic. 15. in combustione Vulpium in ludis cerealibus, Ovidius 4. fasto. Denique vt plura alia omittam: Ionam in mare eiectũ, Andromedæ fabulam præsefert: quæ si ita essent, indignum videretur, vt talis existeret scriptura à Poetis, & gentibus deprompta.

Huic argumento vt satisfieret, plura evolvenda veniebant. Sed breviter respódetur, aliud esse scripta in S. Scriptura esse fabulosa; & aliud poetarum fabulis similitudinem præseferre: negatur primum, sed secundum conceditur, in hoc tamen sensu; quia Gentiles ex S. Scriptura, & non è contra, talia desumpserunt ex Tertuliano in Apologetico cap. 47. aqua enim limpidissima S. Scripturæ in vasa lutea, & Obscœna transvecta, inquinata est.

2. Resp. explicando, & confirmando supradicta: quia vt communiter tradunt Auctores, ex sacris libris, Gentiles suas deprompsere fabulas, & figmenta. Primo, quia Orpheus omniũ Poetarum antiquior incidit in tempora Gedeonis, & à morte Moysis annis 250. ex Eusebio lib. 9. Præpar.

par. Evang. cap. 4. & consequenter Manethon, Pitagoras, Hecatæus, Herodotus, Berosus, Homerus, Aristoteles, & præcipuè Plato ex Sacris litteris plura acceperunt, & sufurati, cum istæ omnibus illis antiquiores extiterint. Sed qua ratione ad Gentiles pervenerit illarum notitia? aliqui quia Iudæi captivi sæpè adducti, secum sacras adsportaverint litteras, inde Gentiles aliqua, licet pluribus erroribus conspersa, acceperunt. Alij quia ante editionem 70. alia præcessit, vt Clemens Alexand. lib. 1. Strom. cap. 13. & illam Plato præcessit 60. annis, Herodotus centum, Pitagoras 300. Hecatæus 200. Orphæus fere 1000. annis. Ex qua versione potuerunt plura cognoscere; vel denique ex traditione, vel confabulatione cum Iudæis, vt qui negotiationi, & mercaturæ dediti, semper varias peragrabant regiones. Quod mihi aperte colligi videtur ex 1. Machab. 3. vbi dicitur: *Quod Iudas Machabæus cum militibus venerunt in Maspha: & post ieiunia, cilicia, & orationes*, (superadditur) *& expanderunt libros legis, de quibus scrutabantur gentes similitudinem simulachrorum suorum, &c.* Ecce evidens testimonium, quod fabulæ, & similitudines positæ à Gentilibus in libris suis, ex libris legis deprompta perhibentur. Vnde si vt certum est, libri Moysis antiquitate præstabant, inde illas transferabant, vel ad Dei contumeliam, vt Dei opera præclara diis suis vindicarent; vel vt sic sua exornarent scripta, vel vt nostra infamarent. Talis hominum malitia, & dæmonis versutia talis. De quo infra.

DVBIVM SECVNDVM.

An Sacra Scriptura semper extiterit, & existet?

IVxta triplicem mundi, vel temporis statum, triplici etiam sensu præsens venit dubium exagitandum. Primus si ab mundi initio vsque ad Moysen, in quo fluxerant 2514. anni. Secundus à Moyse vsque ad Christũ, in quo decurrere 1478. anni. (sed de his in Chronologia Sacra proprium feremus iudicium) Tertius à Christo D. vsque ad mundi finem, cuius duratio, & permanentia incognita, quia de illo die nemo scit.

Igitur à tertio incipientes, quia parum habet difficultatis, Dicendum, tandiu Sacram Scripturam perennaturam, quãdiu Ecclesia à Christo D. fundata duret, & cõsistat: etsi à Gentilibus, & Hæreticis vtraque varie impugnata, & impetita. Ecclesia autem permansuram semper ex multis potest demonstrari capitibus, quæ & apud Theologos 2. 2. q. 1. & apud controversistas videri possunt. Nobis vnum, vel alterũ indicasse sufficiat. Primum ex Matt. vlt. Ecce ego vobiscum sum vsque ad consumationem sæculi. Audiamus Hieronymum. Qui vsque ad cõsumationem sæculi cum discipulis esse futurum promittit, & illos ostendit semper esse victuros, & se numquam à credentibus recessurũ. Quod etiam constat ex illo Matth. 16. cum Christus Petro dixit: *Tibi dabo claves: & tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Vbi ita disserte Hieronymus. Ego portas inferi reor vitia, vel certè Hæreticorum doctrinas, quæ in Dei Ecclesiam insurgentes prævalere non poterunt: contra quas arma præcipua, scutum inexpugnabile, sagitta accutissima, & fulgurans lancea, Sacræ sine dubio existunt Scripturæ: ergo vt consistat Ecclesia munita, & defensa, Sacræ debent etiam perennare scripturæ. Videatur Bellar. Staplet. & Gravina.

Duplex ergo examinandus restat sensus, & status, in quibus dubitari posit, an Sacra semper extiterit Scriptura. Primus ob origine mundi vsque ad Moysen. Et dubium esse potest, an fuerit aliqua Scriptura Sacra? Et an talis apud Synagogam recepta fuerit, & semper permanserit? de quo iam aliqua dubio præcedenti in vltima cõclusionis probatione insinuauimus. Igitur occurrit primo Psalm. 91. qui inscribitur: Psalmus cantici in die Sabbati: & à plerisque adscribitur Adamo (videatur Cantaprat. l. 4. c. 3. & Antonius præIud. 1. du. 19.) & scripsit illum in die sexta, cui

cui diei Sabbatum succesit, & incipit Psalm. *Bonum est confiteri Domino*, in gratiarum actionem. Imò & Melchisedech dicitur composuisse Psalm. 109. Secundo occurrit prophetia Enoch, de qua Iudas in epistola nu. 14. Tertio, in libro Iob, qui multo ante tempore suam descripsit Historiam. Quarto, de multis alijs libris, qui in Sacra Historia, vt priores, & antiquiores recensetur, de quibus postea.

Si omnia ista, vt certa admitterentur, dicendum veniebat, Sacram semper ab initio mundi extitisse Scripturam. Sed quia plures hoc inficiantur, & maximè M. Benavides, qui plurima eruditione disp. 5. dub. 18. asserit, quod ars Sciptoria fuit à Deo Moysi revelata, vt Divinam Scripturam exararet, &c. quod dictum, duplicem reddere sensum potest. Primus est, quod ante Moysen mundus per tot annorum sæcula litteris caruerit; quod plures refragantur, vt videre licet apud Anium lib. 1. in Berosum. Tornielium anno 1331. Salianum anno 875. Beyerlinch verbo, inventores, Antonium prælud. 2. dub. 2. contendentes litteras Adamo fuisse coevas: incredibile enim videtur, mundum litterarum beneficio, tot privatum sæculis. Si autem secundo intendat, Moysi litteras Hebraicas quibus S. Scripturam conderet revelatas fuisse, non inficiamur, sed vt probabile admittimus, supersedentes à lõgiore tractatu: in Expositoribus videnda hæc ex professo.

Igitur vtriusque sententiæ probabilitatem sustinentes: resp. ad primam instantiam de Psal. 91. quod si teneamus omnes Psalmos à Davide compositos (de quo infra) cessat obiectio, maximè cum in titulo Psalmi de Adamo non fiat mentio, neque in Hebræo canone de illo fiat memoria. Vel tenendo plures Psalmorum fuisse Auctores, cum Hieronymo, & alijs: potest dici talem Psalmum fuisse ab Adamo compositum, imò & scriptum, & sic potuit cõservari quousque aggregatus est reliquis Psalmis, sicut alij diversorum Auctorum. Vel vt docet M. Benavides dub. 25. Psal. 89. qui incipit: *Domine refugium, &c.* pro certo ait à Moysi compositum, & postea alijs aggregatum Psalmis, ita hic. Vel ex Cayet. & Genebrardo, isti, & alij Psalmi attributi Adamo, Moysi, & alijs, fuere ab istis quantum ad materiam, sed metrum, & eorum compositio à Davide promanarunt.

De Psalm. 109. scilicet: *Dixit Dominus Domino meo, &c.* qui aliquibus Melchisedech adaptatur: vel idem dicendum. Vel melius, nil præseferre probabilitatis, cum Christus D. Matth. 22. attribuat ipsi David dicens: Quomodo ergo David vocat eum Dominum dicens: *Dixit Dominus Domino meo, &c.*

Circa secundum de prophetia Enoch, qui 1300. annis Moysen præcessisse videtur: si dicamus vocetenus fuisse prolatam, & traditione memoria conservatam, nil contra nos. Si autem scripto traditam, cum vt diximus, litteræ antiquiores extiterint ipso Enoch, asseri potest fuisse canonicam, cum Iudas in sua epistola, vt verum Prophetam illum adduxerit. Et consequenter si vt dictata est ab Enoch persisteret, & acceptata fuisset à Sinagoga in suo canone, & ab Ecclesia, & Concilijs, maximè Trid. s. 4. cit. infalibilis esset auctoritatis. Sed quia non ita res se habet, & ob nimiam antiquitatem ignoratur, an sit aliquibus mixta, & maculata erroribus; ideò non reputatur modo inter scripturas canonicas. Sed si scripta fuit, & pura aliquo tempore, & apud fideles retenta, sufficeret, vt dicamus omni tempore Sacram extitisse Scripturam.

Deveniamus iam ad tertium scilicet de libro Iob, qui per plures annos ipsum Moysen præcessisse, inter alios ostendit Bolduch in c. 1. §. 3. scilicet per 143. & probabile sit ipsum fuisse suæ vitæ, gestorumque Scriptorem, vt videtur colligi illius verbis c. 19. *Quis mihi det, vt scribantur sermones mei, &c.* quæ de vera scriptura, & propria debent intelligi, cum inde nullum sequatur absurdum: & sic ex tunc saltem iam existeret S. Scriptura. Videatur B. Albertus Magnus. Rua controversia prima exposit. Pineda cap. 3. præfationis in Iob, & alij. Sed refragatur huic sententiæ M. Benavides cit. du. 23. 24. & 25. Conten-

tendens Moysen illum scripsisse, ob populi consolationem inter tot afflictiones oppressi, sed antea Genesim. De quo cum de Auctoribus librorum agamus, iterum sermo instituetur.

Denique circa quartum scilicet de libris illis, quorum meminit scriptura, & modo non extant, infra tria dicemus. Primum, numerum eorum recensendo. Secundum, an fuerint canonici? Tertium, an omnes distincti fuerint ab his qui modo in vulgata habentur editione, vel ijdem sub alijs nominibus, & sic in istis canonicis inclusi? Liquet ergo incertũ esse, quod pro primo isto tempore, & statu vsque ad Moysen, Sacra extiterit Scriptura, vt diximus.

Remanet ergo discutiendum an à Moyse, vsque ad Christum D. semper extiterit scriptura, vel aliquando penitus interijsse, & fuisse deperditam? Prima sententia affirmat, quæ communior fuit inter antiquos; vti videre licet apud Sixtum Senen. lib. 1. Bibliot. Abulen. 2. Paral. c. 9. q. vlt. Scalan. l. 5. c. 23. Benavid. disp. 5. dub. 31. & Antonium cit. dub. 6. Sed alij id contigisse, vel in captivitate Babilonica, & quando Nabuzardan Princeps militiæ Nabuchodonosoris Templum, & Civitatem tradidit incendio, 4. Reg. 25. alij verò quando Antiochus iusit libros sacros comburi 1. Mach. 1.

Secunda sententia negat, cuius patronos invenies apud citatos Auctores, qui illam tutātur: insuper Baron. tom. 2. anno Christi 180. Bellarm. l. 2. de verbo Dei. Salianus anno 3621. & Tornielius anno 3447. Tertia sententia duas supradictas in concordiam reducere intendit dicendo cum secunda, nullum codicem integrum deperditum fuisse: sed cum prima, plurimos mutilos, deformes, & defectuosos ab incendio ereptos evasisse. Ita Antonius Perez vol. 3. pentat. du. 3. c. 4. & Benavides citat.

Supponendum autem nobis venit (vt postea ex professo dicemus) codices sacros exemplares scripturæ, ab ipsis Auctoribus exaratos de facto non extare in Ecclesia; quia nullibi reperiuntur, vt constat: neque ad Ecclesiæ vtilitatem, vel Sacræ Scripturæ auctoritatem, vel firmitatem, id fuisse necessarium, expendemus. Sed quando perierint? Nil certum de Hebræis, vt dicit Rua controversia 2. positiva, dub. 1. & Antonius cit. De Auctographis septuaginta variant Auctores, alij cum Iulius Cæsar (Alexandria occupata) Templum conflagravit Serapæum: alij quod tempore Diocletiani. Denique alij tempore Theodosij Senioris, cum Templum inflamatum est Serapæum.

Sed nil certum in hac parte consistere potest; quia vt ponderat benè Benavides disp. 8. dub. 21. cum Alexandriæ duæ constructæ fuerint Bibliothecæ, altera in bruchio maior, & minor altera in Serapio: in prima Auctographa 70. reposita sunt, & in secunda versiones Aquilæ, &c. & licet de ista constet dirutam, & combustam fuisse, secus de illa; inde incertum quando originalia 70. perierunt; vtcumque tamen res se habeat, non extare modo supponendum. Et licet Tertulianus in Apologetico cap. 19. dicat. Hodie exhibetur Bibliothecæ cum ipsis litteris Hebraicis, &c. Sed vel de transumptis, vel de alijs libris Hebraicis verificari potest. His suppositis.

Primo dicendum probabilius omnes sacros codices non omnino defecisse, ita Auctores 2. & 3. sentētiæ. Et Prob. 1. evertendo prioris sententiæ fundamentum: quia non perierunt in incendio Tēpli sub Nabuchodonosor: neque in persequutione Antiochi: ergo: consequētia patet, quia si tunc nō exciderūt inter incendia, & flamas, illæsa saltem plura permanserunt: cū Iudæi religiosores ita libros legis custodirent, vt mori potius quam legem mutari paterentur. Antecedens autem pro prima parte probatur: nam 2. Machab. 2. dicitur; cum transmigrarent in Babilonem Iudæi, dedit illis Ieremias leges (idest legis codices) ne obliviscerentur præcepta Domini: & ibidem Nehemias sub eadem Nabuchodonosoris tyrannide, sive imminēte, sive grassante, sive iam finita: fatetur quod construxerit Bibliothecam, & congregavit de regionibus libros Prophetarum, & David, & epistolas Regum, &c. ergo tunc erant libri sacri.

Pro

Pro secunda etiam parte probatur antecedens ex 1. Machab. cap. 2. vbi dicitur: *Et obtinuerunt legem de manibus gentium, & de manibus Regum.* Et c. 3. cum iam immineret bellum: *Expanderunt libros legis.* Et cap. 10. sub Ionatha dixerunt: *Solatio habentes libros sanctos, qui sunt in manibus nostris.* Et quia incredibile videtur, in particularibus conflagrationibus interisse vniversa sacra volumina, quæ in varijs regionibus, in quibus Iudei erant dispersi, conservabantur. Et quia Iudæi etsi mali legis observatores, exterius maximè legem venerabantur, & secũ ferebant, & in Sinagogis per omne Sabbatum legebant, vt habetur Actuum c. 13. & Luc. 4. & 16.

Denique probatur: quia divina providentia gratis populo tradidit scripturam: non autem minus necessaria fuit tempore præsecutionũ quam pacis, imò multo magis; ergo semper illam servavit: consequẽ. patet, quia cum per diluvium genus abolevit humanum, intra arcam illud in paucis sedulo conservavit hominibus. Item vasa Templi. Sciphos, Cultros, & alia non permisit à Villissimo tyrãno Nabuchodonosor conflagrari; sed inspiravit, vt ea in Dei sui fanũ inferret, & sic illæsa restituta sunt, cum populus in Hierusalem fuit reversus: servavit ergo Deus scripturam tanto hominibus vtiliorem, à quibus reparari non poterat.

Et quia in Babylone ex Regis consensu Iudices habebant, vt constat ex Historia Daniel. 13. de Susana; ergo vt Iudaice viventes, Iudaice iudicarent. Et etiam quia postquam decem tribus traductæ sunt in Hala, & Habor, quorum vice introducti sunt alij ex ex Babylone, & de Cutha, qui ita perverse conversati sunt, vt à Deo leonibus immisis lacerarẽtur, & coacti sunt legis legitima suscipere, & per cõsequens scripturas, quod præstitum constat 4. Reg. 17. Hierosolyma, & Iudeæ Regno pace potientibus, ergo saltem ibi remanserunt codices ab incendio liberati.

Secundo dico, verissimile esse omnes codices legis in Templo stantes combustos, & dirutos fuisse, excepto illo qui intra arcam, vel propè illam servabatur. Ita plures apud Scalante cit. qui ex alijs docet multa fuisse sacrorum volumina, ex quibus vt patet præcepit Moyses Levitis dicens: *Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri.* Alia verò exemplaria duodecim, tradita sũt duodecim Tribubus; ex quibus plura à peritis, & legis cultoribus trãscribebantur; licet ista minoris dignitatis quã prima haberentur. Igitur inter tot calamitates, & præssuras, non videtur mirum Iudæos, non curasse de exemplaribus illis custodiendis, & sic illa penitus interisse.

De illo verò codice, qui intra vel propè arcam erat, probabiliter dici, & credi potest; quod cum Ieremias arcam, & tabernaculum ex divino responso in monte Nevò, 2. Mach. 2. abscondit, etiam ipsum legis librum servandum curavit; quem Iudæis post redditum non fuisse restitutum sicut neque arcam, existimat Scalante. Alij verò tres libri, qui in Templo stabant, scilicet in porta atrij Templi, in ipso atrio, & in palatio dolato, quod quasi cancellaria habebatur ad iudicia exercenda, omnes dicunt combustos, & defecisse.

Tertio dico, Nehemias Esdræ sinchronos legis codices, qui ante Templi excidium, & à Sedeciæ tempore remanserant, refecit, & reparavit. Ita videtur expressum 2. Mach. 2. vbi de Nehemia construente Bibliothecam dicitur. Et congregavit de regionibus libros, & Prophetarum, & David, & epistolas Regum. Ergo colligitur ex S. Scriptura refectionem, & sacrorum Voluminum reparationem Nehemiæ reservatam fuisse. Cum quo tamen stat, quod Esdras circa hoc multũ laboris impẽderit, scilicet in cõferendis, & emundãdandis illis codicibus. Quod facile præstare poterat (si plurium placito credamus) scilicet omnes illos memoria tenuisse. Et consonat valde quod Esdræ 7. dicitur: Esdras autem paravit cor suum, vt investigaret legem Domini, & faceret, & doceret Israel præceptum, & iudiciũ. Ad quod Sinagoga magna congregata est, & sacrorum voluminum, canon editus est, & stabilitus. Licet Benavides citatus, non ita

de Esdræ memoria censeat, & acquiescat.

Sed circa hæc, tria observanda veniunt. Primum, quod Esdras credatur spiritu præditus prophetico; imò & aliquibus, Malachias vltimus Prophetarum existimatus. Secundum, quod in codicibus à Nehemia repertis, & inquisitis, inspiratione divina discernere potuit, quid verum, quid vel falsum contineretur. Imò addit Antonius cit. n. 114. aliqua etiam ex suo apposuisse, vt illud Deuter. 34. non surrexit vltra Propheta sicut Moyses: ad quod pronuntiandum multus temporis lapsus necessarius videtur. Tertio, quod vbi varias lectiones invenit, consultis exemplaribus, fideliorem elegit: at si dubius mansit vnam intra textum, & aliam extra illum apposuit. Ita idem Auctor.

CONTRA SVPERIORA.

Arguitur primo, contra id quod diximus in dubij initio, scilicet non defuisse S. Scripturam ab eo tempore quo Christus Ecclesiã fundavit. Etenim vt refert Baronius anno 342. exijt Diocletiani edictum de sacris comburendis scripturis, & re vera ita factum fuisse tradunt Genebrardus, Gualterus, & illis antiquior Augustinus; & deplorat D. Ambrosius dicens: per totum orbem scripturas, tunc fuisse combustas. Ergo cum Imperatores Romani dominarentur in omnibus regionibus vbi Christiani degebant, videtur totam Sacram tunc incensam Scripturam, cum vbique imperiale vrgeret edictum.

Resp. tale à Diocletiano emanasse edictum; sed contra illud invicta stetit Martyrum constantia, quos Ecclesia celebrat 4. nonas Ianuarij, qui illo spreto potius corpora tormentis, quam tradere sancta canibus maluerunt, vt ibidem refert Baronius: & licet certum sit, tunc plures sacros perijsse codices, sed omnes incredibile dicendum.

Secundo arg. contra primum dictum, ex lib. 4. Esdræ cap. 17. vbi dicitur: *Quoniam lex tua incensa est, &c.* Propter quod nemo scit, quæ à te facta sunt. Cui testimonio innixi omnes fere antiqui Patres relati à Benavides cit. primam sequuti sunt sententiam. Vrget etiam locus 1. Mach. 1. 59. vbi sic habetur: *Et libros legis Dei combuserunt, igni succēdentes eos;* & apud quoscumque inveniebantur libri testamenti Domini, secundum edictum Regis trucidabant illos.

Ad primam auctoritatem solet responderi, non multum vrgere, cum talis liber non sit canonicus vt patet. Sed non ideò contemnendus omnino, cum sæpè PP. illo vtantur, & Ecclesia aliquando in Sanctorum solemnijs. Vnde secundo resp. quod legem esse succensam, idē est, ac non servatam. Tertio, quod tantum probat aliquos libros fuisse combustos (aliquibus enim combustis verè dicitur succensa lex) non verò omnes. Imò etsi omnes diceret, adhuc dabatur locus explicandi illam auctoritatem; quia S. Scriptura, ly omnes, pro pluribus accipere solet. Vt Genes. 6. omnis quippè caro corruperat viã suam, & Psal. 52. omnes declinaverunt.

Quarto solet responderi, quod locutus sit per exagerationem: sicut Elias cum 3. Reg. 19. dixit: *Et ego relictus sum solus: Prophetas occiderunt, &c.* Qui modus loquendi frequens in Sacra reperitur Scriptura. Quæ omnia confirmantur; quia Esdræ 2. cap. 8. dicitur: Dixerunt Esdræ scribæ, vt afferret librũ legis Moysis: *Attulit ergo Esdras, &c.* Ergo iam talis saltem extabat liber. Vnde autem tanta librorum inopia? quia ex Lira: Achaz omnes legis libros comburi curavit, vt suæ imputatis testes in se non haberet. Et tunc Sacerdotes talem absconderunt librum, vel in muro, vel in ruderibus, vel in arcis, vbi Templi observabatur peccunia, & vbi repertus fuit 4. Reg. 22. Et sic aliqui cum Santio, solum talem librum superstitem existimant. Ex quibus auctoritati lib. 1. Mach. 1. remanet satisfactum, cum non omnes dicat libros fuisse combustos, & alibi plures essent, & sic Sancti PP. veniunt intelligendi.

23 Vltimo arguitur, ex 4. Reg. 25. num. 9. vbi dicitur: *Quod Nabuzardan succendit domum Dei, & domum Regis, & domos*

mos Ierusalem, omnesque domos combussit igni, & muros Ierusalem in circuitu destruxit. Ergo videtur tunc etiam omnes legis libros perijsse. Huic argumento resp. sicut ad auctoritates præcedentes. Et insuper quod si auctoritas rectè perpendatur, nulla in ea de legis librorũ combustione mentio fit, & sic ex illa nil contra nostram resolutionem.

Sed quis rectè dubitabit, qui fieri posset, vt cum ex S. Scriptura constet librum legis relictum, & repertum fuisse; quod omnes antiqui Patres, & Auctores dixerint cunctos libros legis perijsse, & illos omnes Esdram memoria retentos instaurasse, & restituisse ex Dei mandato, & inspiratione?

Huic interrogationi satisfieri potest si dicamus, quod cum tempore Esdræ omnia fere veteris testamenti conscripta, editaque essent volumina, vt constat ex annorum computatione apud Salianum, & Cornelium, & alios Auctores: & ex Sacra Scriptura solus legis codex superstes, & relictus colligatur; de reliquis verò, siue historialibus, siue Propheticis nulla fiat mentio: dici potest, quod cum lex Moysis (licet quinque libris divisa) vno tamẽ esset contenta, & inclusa volumine, cum plurima alia viderentur omissa, à maiori parte, omnia amissa possunt dici, vt ex verbis Genesis, & Psal. allatis potest comprobari: & sic verificatur loquutio Patrum, & Auctorum: & insuper quod Esdras totius antiquæ doctrinæ restaurator dicatur, maximè admittendo, quod totam illam memoriæ ammandatam habebat.

Denique sciendum, quod D. Athanasius in Synopsi docet, quod Esdras libros sacros apud se reservatos habuit, & in custodia, ne in captivitate Babylonica, & tyrannica oppressione omnino perirent. Quod etiã D. Chrisostom. indicasse videtur hom. 8. in epist. ad Hebræos: quia cum esset vir iustus, & legis fervidus zelator, hoc sibi maximè incumbere iudicavit, & tandem omni populo, vt dixi, illorum fecit copiam; & propter hanc custodiam, & diligentiam promeruit, vt illos restituisse, & dictasse diceretur.

DVBIVM TERTIVM.

Quo charactere, & litteris Sacra Scriptura semper extiterit?

PArcendum aliquando curiositati, vt illa animus allectus, ad vtilia libẽs currat, & festinet. Supposito ergo iam, quod Sacra detur Scriptura; & quod non omnes eius libri amissi fuerint, sed vel aliqui (de quo dub. sequenti) vel vt modo dicebamus ab Esdra restituti, & observati: inquirendum restabat, an semper eodem quo ab initio editi sunt charactere, ità conscripti remanserint; an verò diversa fuerint alphabeta secundum varia tempora, & sic etiam libros sacros diversos characteres litterarum obtinuerint?

In qua re fuit sententia Genebrardi, Andreæ Masij, Baronij, & aliorum asserentium ijsdem characteribus, quibus ab initio tales fuerunt libri conscripti, extitisse semper, & perseverasse. Negat secunda apud Scalante lib. 5. clyp. c. 2. Vbi tria alphabeta diversa adducit, Beyerlinch in Theatro littera T. Ruam, Gretserum, Antonium prælud. 1. dub. 6. & Benavides dubio 27. & Sixtum Senen. lib. 1.

Supponendum ex dictis cursim dub. 1. sed modo aliquando diffusius, vsum litterarum antiquissimum extitisse, vt benè Antonius prælud. 2. & certè nullus esset litterarum finis si illarum initium ex professo examinare intenderemus: cum tot reperiantur opiniones, quot nationes cõsistũt, quæ sibi litterarum originem adrrogare præsumunt. Breviter ergo dicimus: alios existimare inventorem fuisse Mercurium, quem ex Benavides dub. 18. gentes pro Moyse vsurparunt. Alij Iõ Inachi filiam: alij Abrahamum, Phænices, Babylonios, Iberos, &c. nobis autem ante hos omnes litteras extitisse videtur.

Igitur tempore etiam Adami, litteras fuisse, & illi coevas adhæsisse, docet Augustinus q. 65. in Exod. Annius lib. 1. in Berosum, Torniellius anno 1971. Salianus anno 875. Scalante lib. 5. c. 26. & Anton. cit. & quod ante Moysen littere extiterint

colligi videtur: quia vt dicitur Actu. 7. fuit eruditus omni sapientia Æpyptiorũ, quod difficulter sine litteris valet intelligi. Imò ante Diluvium litteras iam fuisse, traditur ex Ioseph. l. 1. antiq. c. 2. quod filij Seth rerum internitionem præsagientes, alteram igne, aqua alteram, duas columnas scriptas posteris reliquerunt. Idem colligitur ex libro Enoch, qui vixit ante Diluvium. Et quia litteræ, vt res memoriæ mãdentur, & vt inter absentes animorum, & rerum fiat communicatio, sint institutæ; incredibile videtur, quod per 1656. annos mundus illis Orbatus extiterit. Videantur Basilius, Rupertus, Tertulianus, Diodorus, apud Benavid. dub. 14. de litterarum necessitate, & vtilitate.

Si igitur iam ante Diluvium litteræ extabant, Deus qui Adamo Hebraicum indidit idioma, litteras etiam, & characteres, quibus illud exprimeret, & explicaret, illi demonstravit, vel arte, vel experientia invenit. Ex quo ruit figmentum illud, quod initium litteram ex volatu gruum sumptum fuerit. Quod confirmant ex D. Hieronymo epistola ad Rusticum dicente: grues viam sequuntur ordine litterato. Sed hoc non convincit, nisi quod aves figuram imittentur litterarum: & cum litteræ Hebraicæ primæ fuerint, nullius illarum imaginem suo grues imittantur volatu.

Refragatur tamen huic suppositioni Benavides dub. 18. contendens Moysen fuisse primum Scriptorem, & cui à Deo Scriptoria ars primo revelata fuerit: vt divinam Scripturam exararet, vt sic primus esset liber in orbe. Quod probat testimonijs, inditijs, congruentijs; & quia contra hoc nil efficax, & cui plura consonant, & conveniunt. Quod confirmari potest, quia ex communi consensu Moyses præcessit per plures annos omnes Philolosophos, & Poetas Gentiles; & sic (vt supra diximus) ex Sacris Libris sua desumpsere figmenta. Et quia litteræ Hebraicæ primæ omnium existunt; à quibus ceteræ dimanarunt, cum illæ solæ significativæ sint vt patet.

Ex quo infert Benavides, quod licet in Paradiso primi parentes locuti sint lingua Hebraica, ita dub. 2. Alphabetum tamen Hebraicum non ab Adamo institutum, quia plures res per tales litteras significatas postea inventas constat fuisse; scilicet quod Daleth significet portam, Zain clavam, &c. & quia si Adamus primus inventor, hoc expressisset Moyses, sicut inventores musicæ, agriculturæ, &c. & quia Ægyptij omnium occulatissimi regionũ, non litteris, sed signis vtebantur, & symbolis.

Negari quidem non potest hanc sententiam valde probabilem, tum extrinsecè, propter Auctores, tum intrinsecè ob rationes, & congruentias, evadere. Sed quia adhuc illa supposita, præsens dubiũ restat examinandum. Vt ergo contrariæ locum domus, illius rationibus occurri potest si dicamus: vel Adamum cum tale adinvenit alphabetũ etiam litterarũ novisse significationem, cum omnium rerum notitiam habuerit naturalium, ex D. Thoma 1. p. q. 94. ar. 3. Nec inconveniat dicere prophetiæ dono præditum fuisse. Neque obstat Moysis silentium; multa enim alia silentio involvit, vt Angelorum creationem, &c. & quia si Ægyptij symbolis vsi, non ideò aliæ nationes sine litteris extitisse censendæ sunt.

Hoc igitur ita probabiliter stabilito dicendum videtur, quod codices sacri non semper constiterint in illis litteris, vel characteribus, quibus à principio à suis conscripti fuere Auctoribus. Probatur primo, quia vt tradit Arias Montanus lib. de siclo, & Scalante cit. triplex nobis exhibuit alphabetum antiquitas. Primum ab Abraham vsque ad Moysen, quod etiam ante Diluvium extitisse contenditur. Secundũ fuit quo Hebræi vtebantur ante Zorobabelem, distinctum quidem, & diversum. Denique tertium fuit (quia cum Israelitæ soluta Babylonica captivitate adverterent Samaritas ijsdem vti characteribus, ne cum illis tanquam schismaticis convenirent) inventum ab Esdra, quo hodie vsque vtuntur Hebræi: & cum omnes tales litteræ sint consonantes, quasdam notulas, vel litteras, vel puncta addiderunt

vo-

vocalium vice, vt facilius textus legeretur, & intelligeretur.

Et Benavides dub. 27. conveniens in nostro asserto dicit: quod caracter Hebræus triplex reperitur. Primus priscus, & antiquus, quo Moyses legem scripsit. Secundus maior, & quadratus, qui solet dici Hebræus. Tertius, qui dicitur minor currens, & Hispanicus, aut Maschet, habẽs puncta vice vocalium, cuius litteræ conflatæ sunt ex Syriacis, & Samaritanis. Sed an ista alphabeta à tribus illis ab Scalante adductis distinguantur? periti in hac lingua, vel idiomate proprium, & certum valent proferre iudicium.

Hic autem duo discutienda se offerebant, pro intelligentia dictorum. Primum, quando litteræ Hebraicæ punctis vocaliũ vice sint affectæ, & à quo? Ad quod breviter respondetur, non esse audiendos asserentes iam à Moysis tempore talia puncta extitisse cum à Deo legem accepit: & addunt aliqui cum illis legem traditam, sed temporum decursu oblitos, quovsque supervenit Esdras. Sed sine aliquo fundamẽto. Primo, quia talium pũctorum notitia, & memoria in nullo veterum invenitur, & maximè in D. Hieronymo, licet de accentibus mentionem faciat: & quia nec hodie Iudæis licet librum in Sinagogis punctuatum habere, sed cum solis consonantibus. Horum autem inventio fuisse traditur in Sinagoga habita apud Tyberiadem (de qua Ioan. 6.) anno 476. vel 500.

Secundum, cur Moyses solis litteris scripserit consonantibus? Respondet Benavides dub. 29. plures rationes, & congruentias insinuans. Prima, quia ab initio non omnia omnino perfecta: sed cum hæc Deus infuderit, & tradiderit; parum roboris habere videtur. Secunda, vt intelligentia penderet à Sacerdotibus; sed nec convincit, cum etiam hodie litteræ sacræ scriptæ sint cum omni distinctione, & tamen earum intelligentia à Doctoribus requirenda. Sed melior videtur hoc propter S. Scripturæ excellentiam, vt vna voce, vel verbo diversis punctis appositis, plura significarentur, & inde diversitas resurgeret versionum, varios sensus subministrantium.

Prolatum ergo nostrum sic ostenditur. Talia alphabeta non sunt conficta (vel oppositum ostendatur) ergo si temporum decursu mutata fuere, credibile videtur, quod Esdras etiam libros sanctos characteribus, quibus tunc temporis vtebatur populus, illos transcripserit: alias enim magna sequeretur confusio, si duplicata littera, & ita diversa in populo reperiretur. Ex quo ruit solutio aliquorum asserentium, Esdram alijs vsum litteris pro vulgi negotijs, & alijs pro sacris codicibus conscribendis. Hoc enim voluntarie dicitur; nec in aliquo Auctore, vel memoria scriptum invenitur.

Secundo sic probatur: quia D. Hieronymus c. 9. Ezechielis dicit: quod vltima littera alphabeti antiqui Hebræorũ, quo inquit, vsque tunc vtebantur Samaritani, figuram præfert crucis, & ideò apud Ezechielem citatum, in gementium, idest Christianorum, frontibus signata est; quæ quidem littera cum Thau, quo hodie Hebræi vtuntur nil habet similitudinis, vt alphabetum inspicientibus patere potest; benè tamen cum vltima littera primi alphabeti antiquioris, & cum prima secundi alphabeti: ergo si littera ita præcipua, & mysterijs redundans immutata fuit, signum esse videtur evidens omnes etiam alias derelictas mutatasque fuisse.

CONTRA SVPERIORA.

Arguitur primo, Sacra Scriptura vt diximus semper extitit: vt quid ergo alijs transcribenda characteribus? Cõfirmatur, & est præcipuum, & difficilè sententiæ contrariæ argumentum: quia certum est, quod vbique terrarum extabant plurima volumina sacra antiquis characteribus conscripta, quomodo ergo fieri potuit, quod omnia illa perirent, & quod novo alio scriberentur charactere?

Resp. ad argum. negando consequentiam: tum quia vt cum Samaritanis, omnis alloquendi tolleretur occasio: conveniens visum fuit novis vti litteris, quibus non ita facilis existeret communicatio. Et quia postquam populus in Babylonicã du-

ductus fuit captivitatem lingua Hebraica, cum Syriaca, & Caldaica permixta remansit. Et per consequens etiam ipsæ litteræ Hebraicæ. Cui malo vt occurreret Esdras novos characteres tradendos curavit, vt vnitas in toto servaretur populo, & omnis confusio, & ambiguitas tolleretur.

Ad confirmationem quæ difficilis est resp. non esse mirum post tot sæculorum cursus nullum extare antiquorum exemplar; cum apud nos videamus facta alicuius libri impressione, etiam plusquam mille corpora excedente, post paucos annos vix aliquem reperiri, & iterum cudi, sit necessarium. Et vt ait Scalante lib. 6. c. 3. ex aliquo exemplari priori, omnia ad illos pervenerunt. Et cum Iudæi etiam magnis locorum spatijs distantes de sua lege, & negotijs frequenter epistolas, & nuntios remittant; potuit vt absentes moniti, & nacti alicuius exemplaris noviter ab Esdra editi copiam, ad illud excipiendum convenerint. Quod autem Iudæi maxima vterentur communicatione, patet: quia Sinagoga Toletana in Hispania, Iudæis Hierosolimitis scripserunt, vt quid de Christo ipsi sentirent, renuntiarent. De quo Dexter. in Chronico anno Christi 35.

Secundo arguitur, quia antiqui characteres similes sunt his, quibus nunc vtuntur Hebræi, vt patet apud Villalpandum tom. 2. in Ezech. fol. 142. & constat ex descriptione tumuli apud Saguntum. Scilicet: Hic manes iacet Adonias Salomonis legatus, & Templi præpositus: quæ dicitur scripta ijsdem quibus nunc vtimur characteribus. Et etiam probatur ex alphabetis Iacobi Bonaventuræ; quibus Deiparæ cócinit præconiá iuxta 70. linguas pro prijs vniuscuiusque characteribus, quos tradidit, & obtulit Paulo V. Etsi rectè perpendantur alphabeta Moysaica, & Enochæa vix differre videbuntur, nec etiam ab his quibus modo vtimur; ergo ficta videtur talis litterarum commutatio.

Resp. inscriptiones Cenotaphijs impositas parum authoritatis habere apud Historiographos peritos, cum vix aliquæ plene veritatem continere videantur. Sed confictæ, & ad cuiuslibet placitum fabricatæ, vt pluribus constat exemplis. Si autem vera essent, quæ in argumento adducuntur, & alia similia: dicimus inde sententiam oppositam esse probabilem, sed non posse prevalere contra D. Hieronymum, & alios. Similiter respondetur ad alia alphabeta relata, quæ licet oblata Pontifici, inde nil amplius roboris habent, quia Papa tunc non approbat, sed vnamquamque opinionem in sua relinquit probabilitate.

DVBIVM QVARTVM.

An aliqui Libri Sacræ Scripturæ sint deperditi, & amissi?

IN præsenti dubio quicquid ad Sacræ Scripturæ existentiam attinere videtur, de quo longè latè pertractant Sixtus lib. 1. Bibliot. Beuter tota annotatione 5. & Antonius prælud. 2. dubio 7. concluditur. Postquam enim statutum remansit, non omnem penitus deperijsse scripturã, restabat examinandum, an saltim aliqui illius libri interierint? pro quo dub. 2. tria examinanda promisimus. Primum, illorum numerum recensere. Secundum, an omnes illi canonici, & sacri? Tertium, an distincti ab his quos modo habemus in vulgata, ijsdem vel distinctis nominibus?

Dico primo, probabilius videtur plures sacros codices antiquitus extitisse, qui de præsenti desiderantur. Conclusio est communior cum Sixto Senen. Abulen. Exod. 17. q. 7. Bellarm. contr. 1. lib. 4. c. 4. Beuter cit. Sancio lib. 1. Reg. c. 10. & Antonio vbi supra: contra Staplet. lib. 2. & Salmeron prolog. 9. can. 4. sed Prob. 1. quia expressa D. Athanasij in Synops. Chrisostomi hom. 9. in Matt. August. lib. 15. de Civit. c. 23. & alibi. Origen. hom. 1. in cant. & Eutimij Matt. 2. Agustinus ergo lib. 18. de Civit. c. 38. sic fatur. Scripsisse quidem nonnulla divina Enoch illum septimum ab Adam negare non possumus, cum hoc in epistola canonica Iudas Apostolus dicat. Vnde impugnandus Medina lib. 5. de recta fide c. 24. asserens, illam prophetiam non esse scriptis traditam, sed tantum voce prolatam,

tam, & traditione conservatam. Quia oppositum expresse tenet Augustinus, & talem librum citari à Tertuliano, Hieronymo, & alijs constat.

Deinde probatur ratione. Quia plura olim fuisse volumina, quæ ad nostras non pervenerunt manus ostendimus infra; talia autem esse canonica probatur: quia futura prædicebant: Ergo: probatur minor; quia prædicere futura signum est divinitatis iuxta illud Isai. 12. annũtiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia dij estis vos: maior verò probatur ex cap. 21. numer. vbi dicitur in libro bellorum Domini: *Sicut Dominus in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon: scopuli torrentis inclinati sunt.* Hoc enim bellũ multo postea contigit tempore. Et Iosue 10. dicitur: *Nonne scriptum est in libro Iustorum? stetit itaque Sol in medio cæli, &c.* Ergo ante iam de hoc scriptũ erat, ergo erant sacri, & canonici, cum essent à Prophetis conscripti, & editi.

Nec obstat dicere talem non fuisse librum, sed narrationem acceptam traditione: quia nomen Hebræum, Sepher, quandam narrationem, & librum significat. Sed hoc admisso dicimus, ex vtraque significatione interpretem eligisse, librũ; ergo librum fuisse dicendum; cum vulgatæ sit standum. Nec convenienter Moyses librum illũ citasset, si proprius illius esset: cum alij sacri Scriptores alienos libros citare soleant. Videatur Scalante lib. 5. c. 5. qui ex Abulensi asserit librum bellorum Domini, & librum Iustorum eundem fuisse.

Secundo probatur ostendendo, & numerando libros, qui in S. Scriptura reperiuntur citati. Qui omnes apud Senensem, Beuter, Scalante, & Antonium expressi reperiuntur. Primus sit liber bellorum Domini, Numer. 21. Secundus liber Iustorum, Iosue 10. Tertius liber verborum, vel rerum gestarum Salomonis 3. Reg. 11. Quartus liber verborum Regum Iudà, 3. Reg. 14. Quintus liber verborum Regum Israel, ibidem 19. Sextus liber Samuelis, 1. Paralip. vlt. Septimus alius liber Samuelis, 1. Reg. 10. Octavus Nathanei, 1. Paral. 29. Nonus liber Gad Prophetæ, 2. Paral. 9. Decimus liber Ahiæ Prophetæ, ibidẽ. Vndecimus Adonis Prophetæ, ibi. Duodecimus Iehu Prophetæ, 2. Paral. 30. Tertius decimus Salomonis, tria millia parabularum, 3. Reg. 4. Quartus decimus eiusdem cantica quinquies millia. Quintus decimus, liber Enoch in epistola Iudæ. Sextus decimus epistola Eliæ 2. Paral. 21. Decimus septimus Ieremiæ descriptiones 2. Mach. 2. alij plures, isti præcipui. Videatur Beuter. & Benavides, disp. 3. du. 3.

Modo sic; non est ratio cur isti libri non sint Canonici: tũ quia Auctores sunt Prophetæ, & videntes, quos Spiritu S. inspirante locutos esse censetur. Et quia non est maior ratio, quare pars Canticorum, quæ modo extat, quam alia quæ perijt, sit Canonica. Et quia cum Scriptura Sacra ad tales nos remittat libros, vt de Historijs fidem faciant, & pleniorem accipiamus notitiam, videntur tales libri digni esse omni fide. Vndè licet, secundum aliquos, & si ex aliquo libro brevis sententia sumatur non præstet illi auctoritatem: benè tamen si ad illum pro comparanda notitia nos remittat.

De secundo dicendum, quod tales libri, licet non omnes Canonici fuerint; benè tamen aliqui quoad se; licet nõ quoad nos. Ita Antonius cit. §. 4. qui ad cognoscendũ quales Canonici, & quales non, sequẽtem dat regulam. Si aliquis liber in confirmationem adducitur, videtur quod sit Canonicus quoad se, & quo ad nos; sicut etiam si talis liber, vel Auctor videns, vel Propheta dicatur ex supra adductis: aliàs neque quoad se, neque quoad nos Canonicus cẽsendus. Sed hæc probabiliter dicta remaneant.

Causa autem quare tales interierint libri? Nulla certa. Plures apud Auctores citatos. Alij quia curiosa cõtinebant, vt libri Salomonis, quos Iosias combusit. Sed hoc intellectum de rebus vanis, & inutilibus, nefas dicere; quia Spiritus Sanctus talia nunquam dictat. Alij quia supra hominum captum res continebant. Sed contra, quia qui nunc extant etiam altissima prædicant, & annuntiant. Alij quia erant nimij in

in aliquorum laudibus; sed vt præcedentes reijcitur. Duplex ergo probabilis potest excogitari ratio. Prima, quia ea quæ in istis libris sunt scripta, illi continebant. Secunda, quia qui modo remanent, sufficiunt ad fidei confirmationem, & morum instructionem: aliam ex Bronserio sect. 7. adducit Anton. §. 4.

Vltimum autem, quod examinandum restat, an scilicet libri deperditi distincti sint à modo consistentibus? Vix aliquid certum invenitur apud Auctores. De libro Iustorum citato Iosue 10. & 2. Reg. 1. dicit Hieronymus Isai. 44. esse librum Genes. Sed ingerit difficultatem, quod 2. Regum 1. dicitur de David; quod præcepit, vt docerent filios Iuda arcum, sicut scriptum est in libro Iustorum, quod non reperitur in Genes. Sed parum vrget cum non omnia, quæ in vno scripta sunt libro, in priori reperiantur, vt patet in plagis Æpypti, ex quibus aliquæ narrantur Psal. 104. quæ non in Exodo. Liber verborum dierum Salomonis, de quo 3. Reg. 11. dicitur esse liber Paralipomenon. Sed obstat quia liber Regum tempore præcessit librum Paralipomenō. Denique omnes alij libri, qui vel de Regno Iuda, vel illius Regibus tractant, reducuntur ad libros Regum, vel Paralipomenon. Sed de his Lira latè.

Denique sciendum, quia Beuter citatus iudiciū proferens de omnibus istis libris omissis resolvit cum Abulensi 1. Paralip. vlt. q. 30. non esse canonicos, quia non faciebant ad fidē, & legem: nec erant scripti duplici spiritu, scilicet vltra narrationem eventuum, etiam mysteriorum insinuatione requisita, vt patet Genes. 21. Cum Abraham eiecit Agar, & imposuit super eius scapulas vtrem aquæ, &c. Ibi enim vltra seriem rei gestæ, insinuatur mysteriū; quod Agar repræsentat Synagogam, aqua legem, &c. Ecce, inquit, duplex spiritus, qui in illis libris non reperiebatur.

Sed hoc voluntariè dictum videtur, cū Iudas Apostolus afferat Enoch testimoniū ad diem iudicij, & Christi adventum confirmandum. Et in alijs locis, Scriptores posteriores, antiquiores libros adducant, vt fidem adstruant dictorum: vt legenti facilè constabit. Vndè probabilius dicendum tales libros, licet aliqui Canonici quoad se fuerint, non tamen quoad nos semper: tum quia perierunt: & quia prænimia vetustate aliquibus maculati erroribus: & quia non propositi ab Ecclesia in Canone, vt tales crederentur Canonici.

CONTRA SVPERIORA.

Arguitur primo, quia si loquamur de libris veteris testamenti constat ex Hebræorum Canone fuisse 22. inter quos nullus ex deperditis numeratur, alias plures fuissent. Si autem loquamur de novo testamento, videtur amissā fuisse epistolā, quam Apostolus scripsit ad Laodicenses, vt cōstat ad Collos. 4. ex quo videtur colligi Ecclesiam, non fuisse sacrorum voluminum custodem fidelem, sicut obijcitur Synagogæ.

Resp. falsum esse, non fuisse plures libros sacros, nisi in Canones Hebræo expressos. Etenim vt constat ex ipsis Hebræis, addiderunt libros Ruth, & lamentationes: & in alio Canone tres, scilicet tertium, & quartum Regum, & Nehemiam, & postea in Concilijs maximè Tridentino additi sunt Sapientia, Ecclesiasticus, & Baruch: ergo ex hoc, quod tales libri, non reperiantur in Canone Hebræo, nihil contra nos.

Ad confirmationem resp. quod tangit illam difficultatem, an aliquis liber novi testamenti deperditus sit; & ita quod Ecclesia non fuerit fidelis in custodiendis libris sibi concreditis? In qua re aliqui dicunt talem epistolam ad Laodicenses extitisse, & fuisse deperditam; nec hoc videri inconveniens, quod vnus tantum liber deperdatur, maximè antequam publicetur, & commendetur Ecclesiæ. Plures tamen dicunt non fuisse talem epistolam, sed ita intelligendum: quod Epistola illa Missa ad Paulum à Laodicensibus, legeretur coram ipsis Collosensibus. Videatur Scalante solutione ad secundum.

Secundo arguitur, quia videtur esse contra divinam providentiam, quod aliquis

quis liber sacer deperdatur: sicut contra Dei providentiam esset, si aliquod ex septem amitteretur Sacramentum. Et quia Verbum Dei manet in æternum, 1. Petr. 1. *Et Cœlum, & terra transibunt*, sed Dei verba non transibunt, Matt. 24. Etsi vnum jota, vel aper non præteribit, à fortiori, nec Sacra Scriptura.

Resp. non imputandum Spiritui Sancto, quod aliquis liber deperdatur, sed malitiæ Synagogæ, & Iudæorum, qui ædificarunt gymnasium Hierosolymis secundum leges nationum, & recesserunt à testamento sancto, ex 1. Mach. 1. Ad cõfirmationem resp. duplex esse verbum, aliud substantiale, aliud accidentale, vt sic dicamus, per quod tanquam per signum suos Deus exprimit conceptus. Et licet quoad materiale, & sonum sint trãsitoria, sed nõ quo ad rem significatam, scilicet veritatem, quæ semper, vt illis significatur, est adimpleta.

Neque valet quod obijcitur ex paritate amissionis libri, & Sacramenti; quia ex eo quod vnus liber amittatur, reliquus est qui contineat, id quod in altero continebatur. At verò gratia, quæ per vnum confertur Sacramentum, per aliud non impertitur digne suscipienti, & sic non currit argumentum, & paritas. Quid verò significent jota, vel apex: videatur Benavides disp. 5. dub. 31. Quomodo autem Synagoga potuit priori Canoni alios addere libros, & Ecclesia in Concilijs alios plures? Infra dicemus inquirentes, an Ecclesia habeat potestatem admittendi aliquem librum Canonicum novum, si denuo talis appareret, & proponentur?

Denique sciendum ex D. Chrisostomo cit. libros olim deperditos fuisse, & ex negligentia Iudæorum, vt patet quia 4. Reg. 22. legimus librum legis fuisse repertum à casu, & defossum in quodam loco incognito, & etiam perierunt propter illorũ impietatem, cũ vt dicitur 1. Machab. 1. in ritus nationum transierint, & libros legis combuserunt, licet hoc non omnes de populo, plures tamen hoc præstiterunt.

CAPVT SECVNDVM.

De Sacræ Scripturæ essentia.

Stabilita iam Sacræ Scripturæ existentia; ad ipsis rationem formalem scilicet essentiam, pergimus enucleandam; quod facilius præstabimus si per omnia genera causarum sermo noster protrahatur, vnde sit.

DVBIVM PRIMVM.

Vbi Sacra reperiatur Scriptura?

Longissimam tractationem nobis offerebat præsens dubium si de omnibus archetypis, exemplaribus, versionibus, & interpretibus agendum esset: in præsenti ergo quantum ad tyronum conducit notitiam examinabimus; reliqua in alium locum, & tempus reservantes.

Tanta est Sacræ Scripturæ dignitas, ingenuitasque vt nedum Catholici, sed etiã Hæretici quilibet integram, illæsamque retinere decantent, & præsumant. Igitur supponendum primo, dupliciter posse dici Sacram existere Scripturam, scilicet quoad se, & quoad nos: quo dicendi genere vsus fuit D. Thomas 1. p. q. 2. art. 1. dum inquirit, vtrum Deum existere sit per se notum? Inquirere ergo vbi Sacra Scriptura inveniatur, vel vbi existat quoad se? nil aliud designat, nisi vbi ab ipso Scriptore sacro sit conscripta, & edita? Inquirere verò vbi sit apud nos, est in quibus libris, vel codicibus proponitur nobis vti fidei regula, sive per Ecclesiam, sive per decretum, sive per traditionem ab ipsa Ecclesia communiter acceptam, qualiter Canonici erant libri sacri ante concilia.

Suppono etiam secundo, vt omnibus commune ex tractatu de Ecclesiæ clavibus, sacram doctrinam quoad se, & quoad nos per se primo existere in corde Ecclesiæ. Qui modus loquendi sub his terminis desumptus videtur ex M. Bañes 1. p. q. 1. art. 8. dub. 4. conclus. 5. Quem tamen

Rua controversia 2. dub. 14. fatetur se non satis percipere illius sensum. Et omisso modo explicandi aliquorũ, scilicet quod esse in Ecclesiæ corde Sacram Scripturam intelligendum est, sicut communiter dicitur cap. 1. de constitut. in 6. quod Papa habere censetur omnia iura in scrinio suæ mentis tam in se quam consilio sapientũ stipatus, sed quia talis modus metaphoricus valde videtur.

Asserendum ita esse ex D. Hieronymo adversus Hæreses c. 4. dicente: Tantæ igitur ostensionis cum sit hæc, non opportet adhuc quærere apud Catholicos aliquos veritatem, quam facilè est ab Ecclesia sumere. Cum Apostoli quasi in depositario in eam contulerint omnia quæ sunt veritatis: vt omnis qui vult sumat ex ea potũ vitæ. Et D. Augustinus contra epistolam Manich. c. 5. dicit Evangelio non crederẽ, nisi Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas. De quo late Basilius Pontius q. 4. expositiva cap. 3. Raccius prælud. 1. in M. Cano. Scalante lib. 6. cap. 1. & Antonius præludio 1. dub. 6.

Igitur S. Scriptura dicitur esse in corde Ecclesiæ hoc sensu, & est explicatio nostri asserti. Quia scilicet ibi dicendum est existere Scripturam Sacram, vbi de illa ferendum est iudicium circa quod habet potestatem: sed hæc potestas collata est Ecclesiæ in potestate clavium: Vnde omnis quæstio, quæ oritur circa Sacram Scripturam ad Ecclesiam defertur, vt definiatur (cum etiam Hæretici ad suam cõfugiant malignantem Ecclesiam) ergo Sacra Scriptura per se primo in corde existit Ecclesiæ.

Probatur etiam, quia Christus sæpè testimonia adhibebat scripturæ, vt Ioan. 5. cum dixit Pharisæis: Scrutamini scripturas; quia ipsæ sunt quæ testimonium perhibent de me, & Luc. 24. *Apperuit sensum scripturarum discipulis euntibus in Emaus*. Et Apostoli adducebant testimonia ex Psalmis, & Prophetis, & nunquam exemplaria viderant. Deinde quia si Synagoga tempore, quo in eius ore fuit veritas, habebat in corde scripturam; idest potestatem discernendi inter libros sacros, & alios vt constat: ergo à fortiori id de nostra dicendum Ecclesia, que abundantiori Spiritus Sancti gaudet influxu. Vnde Nicolaus Papa de cõsecrat. d. 1. Can. Ecclesia: definit. Inveniri credentes qui omnes simul, & collective sumpti eas totas (scilicet scripturas) in corde teneant: ita vt vnus saltem habeat vnam partem, alius aliam, ita vt nulla pars sit illarum, quæ in aliquo fideli non inveniatur.

Hinc infert Scalante cit. cap. 2. sequen. esse in Ecclesia veram, & certam intelligentiam Sacræ Scripturæ: ita vt nullus detur S. Scripturæ locus licet obscurus, & ænigmaticus, cuius apud aliquem non ininveniatur intelligẽtia vera. Vel ita quod nullus potest occurrere locus, qui interpretari non possit quoties occasio, vel necessitas se obtulerit: alias insufficienter Christus in necessarijs suæ providisset Sponsæ. Et quia inter alias gratias gratis datas, 1. Corinth. 12. Vna est interpretatio sermonum, & Apostoli certissimam toti⁹ S. Scripturæ habuere intelligentiam. Reliqui Doctores saltem probabilem in omnibus, & certam in aliquibus.

Denique infertur, quod sicut S. Scriptura formaliter, & præcipue in corde Ecclesiæ modo dicto existit, instrumentaliter verò in Biblijs Sacris reperitur. Vt enim voces, & scripta sunt instrumenta medijs, quibus animi conceptiones exprimimus ex Aris. c. 1. perier. Ita Sacræ Paginæ ordinantur ad sensum scripturæ, sicut os, & vox ex abundantia cordis Ecclesiæ declarandum. Restat ergo explicandum, in quibus codicibus hoc reperiatur.

Dico primo: libri Canonici quos sacris Scriptores Canonici proprijs manibus (vel per alios) conscripsere, non constat modo esse in Ecclesia. Imò neque necessarium est tales codices permansisse in Ecclesia: & si in aliquo deposito servarentur, nil aliud cõmoditatis afferrent quam translationes scripturarum, quæ auctoritate Ecclesiæ, & decretis Pontificum, & Conciliorum habentur. Tres partes continet conclusio: & prima probatur: quia nullibi tale depositum assignatur. Et quia Christus Dominis per se, & per Spiritum San-

Sanctum sufficientissimè providit Ecclesiæ suæ Sponsæ de sciétia, & doctrina, ac si in illa archetypa immediatè dictata à Spiritu Sancto permanerent originaliter.

Secunda pars conclusionis probatur: quia ipsimet codices originales nullā apud nos haberent auctoritatem, nisi Ecclesia illos approbaret, nobisque traderet, tanquam veros, & incorruptos. Nam vt Augustinus dicit lib. 28. contra Faustū. Scripturæ Sacræ opus habent auctoritate Ecclesiæ, vt credantur. Et vnde constaret illos esse editos, & conscriptos à Prophetis, & Apostolis, neque esse vitiatos, nisi auctoritate Ecclesiæ, & eius testimonio? & nisi ipsa Ecclesia Spiritu Sancto gubernata approbaret translationes, & editiones Sacræ Scripturæ, quæ apud nos est; ergo non maioris essent vtilitatis, & convenientiæ, & si modo consisterent.

Deinde neque illi codices originales poterant circunferri per totam Ecclesiam, sed opportebat alios codices ab illis transferri, vel in eodem idiomate, vel diverso, & per talia transumpta certiores facere fideles, & de illis instruere, quæ ad fidem pertinent, & mores. Et tunc temporis posset revocari in dubium, an essent rectè, & fideliter translati. Et absque dubio involveremur magnis difficultatibus, an hoc esset factum Ecclesiæ auctoritate, vel ex peculiari alicuius beneplacito: ergo codices originales nó afferrent maiorem vtilitatem. Et sic secunda, & tertia pars conclusionis manet probata.

Dices, si originales libri essent in Ecclesia, non fuisset tanta opinionum varietas inter Scolasticos Doctores circa varias lectiones, cum facilè ad illos possit recursus fieri. Resp. quod ijsdem involveremur difficultatibus, & quæstionibus, quandoquidem vnus reciperet istud originale, alius minimè: & vnus interpretaretur hoc modo, diverso alius, & quilibet suo abundaret iudicio; existimans Spiritum se Dei habere, nisi Ecclesia suam interponeret auctoritatem ad pacandas conscientias, & sedandos animos Doctorum, & fidelium.

Dico secundo: certum est Sacram Scripturam quo ad se, & quo ad nos existere in ijsdem voluminibus, quæ sacri Scriptores proprijs conscripsere manibus Spiritu Sancto dictante. Hoc probatione non indiget: quia si aliqua datur Scriptura Sacra, maximè talis debet censeri, vt ex definitione inferius tradéda cóstabit, & quia talis scriptura à Synagoga tunc, & postea ab Ecclesia propria auctoritate omnibus, vt credenda proposita fuit. Idem suo modo de transumptis, quæ ex illis originalibus fuere deducta venit sentiendum. Quia licet illi qui tales conscribebant copias sacri Scriptores non essent; tanta tamen solicitudine, examine, & superiorum auctoritate extrahebantur, vt de communi veritate nullus ambigendi locus relinqueretur. Et idem de 70. editione censendum erit, vt statim. Sacra ergo Scriptura existit vbicumque invenitur à sacris tradita Scriptoribus. Ex primo enim supposito, tunc propositio per se dicitur nota, cum prædicatum includitur in ratione subiecti, quod hic contingit: quia Sacra Scriptura reperitur vbi Spiritu Sancto dictante sic scripta invenitur, & sic prædicatum includitur in ratione subiecti.

Hæc vt communia ab omnibus obvijs manibus recipiuntur. Sed restat explicandum in particulari, vbi de facto talis reperiatur scriptura? Quod de triplici originali examinari potest: Hebræo scilicet: 70. Interpretum; & tandem in nostra vulgata editione, maximè post Tridentinum. In quorum elucidatione plurimum temporis, & laboris insumendum veniebat; ita vt tyronum captum excederet, & tractatus scopus impediretur; præcissa ergo, & magis conducentia breviter attingemus: exordium sumentes à nostra vulgata, quia licet tempore posterior, sed superior dignitate.

Dico ergo tertio: Sacra Scriptura existit, quoad se, & quoad nos in vulgata Latina editione, & licet vt advertit Benavides disp. 8. du. 28. à principio non omnibus arriserit, dū hic nobiscum ageret D. Hieronymus: tractu verò temporis probari, & placere omnibus constat, & in Ecclesia Latina summam adepta auctoritatem; tum ex Doctorum consensu: tum ex Ecclesiæ de-

decreto maximè in Tridentino sess. 4. vbi decernitur. Vt hæc vulgata editio, quæ in Ecclesia probata est, in publicis disputationibus, lectionibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur, & vt illam nemo reijcere quovis prætextu audeat, vel præsumat. De quo statim plura.

Hoc supposito, prima nostræ conclusionis pars probatur: quia nequit aliqua Scriptura esse Sacra quoad nos, quin supponatur esse Sacra quoad se: eo quod Ecclesia canonizans, non tribuit scripturæ sanctitatem, sed illam esse Sanctam, veram, declarat, & authenticam. Pro quo observandum, quod dupliciter aliqua scriptura authentica dicitur. Primo ipsum originale instrumentum fidem faciens esse ipsiusmet auctoris absque eo quod aliunde fidē accipiat, ita Covar. pract. qq. c. 19. ex Cicerone lib. 10. epist. 187. & sic accipitur strictè ly authenticum. Secundo dicitur, authenticum instrumentum, omne illud, quod certam, & indubitatam fidem habet: quia transumptum fideliter ex originali, & illi benè correspondens, sivè translatio fiat verbo ad verbum, sive ad sensum, & mentem originalis; & si de hoc vera, & indubitata habeatur notitia, dicitur authēticum instrumentum, qualis est nostra vulgata.

Deinde secunda pars nostræ conclusionis probatur. Ibi quoad nos existit Sacra Scriptura, vbi illa assistere designat, & decrevit Ecclesia, sed ista decrevit existere in vulgata editione, ergo licet quantūvis perfectissima alibi reperiretur, talis quoad nos non erit sacra, & authentica, sed solum vulgata: minor probabitur statim verbis evidentibus. Supponēdo quod supradicti libri Canonici in tres dividuntur clases. In prima collocantur, qui prothocanonici dicuntur, quia de illis nunquam dubium fuit in Ecclesia. In secunda illi de quibus aliquando dubitatum est, sed iam intra Canonem sunt recepti, & vocantur deuterocanonici. In tertia illi sunt, qui appellantur apochriphi. Et si hoc sit quia non certo Auctor cognoscitur, non tollitur quin sit Canonicus, si aliàs ab Ecclesia recipiatur. Si autem tales dicantur, quia obscuræ sunt, & incertæ auctoritatis, nec ab Ecclesia approbati, non dicuntur, nec sunt Canonici. De quo Senensis lib. 1. Bellarmi. to. 1. lib. 1. cap. 4. Cano lib. 2. c. 5. Scalante lib. 1. à cap. 1. Tena lib. 1. diff. 2. sect. 1. & Antonius præludio 1. dub. 18.

§. I.

De approbatione vulgatæ ex Tridentino.

CVm in Dei Ecclesia Catholica quamplurimæ circunferrerentur S. Scripturæ Latinæ versiones, ex quibus non parum confusionis dimanaret, cum vnusquisque quam vellet pro suo insequeretur captu, vt tantū evitaretur inconveniens præcissum necessariumque iudicatū fuit, vt illa terra esset labij vnius, & sermonū eorundem, vt quænam pro authentica habenda sit omnibus innotescat, ita statuit, & decrevit. Vt hæc ipsa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum vsu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur; & nemo illam reijcere quovis prætextu audeat, vel præsumat. Præmisseratque iam antea. Sacrorum librorum indicem huic decreto adscribendum censuit: & ne cui dubitatio suboriri possit, qui nā sint qui ab ipsa Synodo susciperētur. Sunt autem infrascripti (& illis enumeratis, sic concludit) Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, provt in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata latina editione habentur pro Sacris, & Canonicis non susceperit, anathema sit.

Mirum quot quantæ ex Tridentini decreto exortæ sint difficultates: septem indicat Antonius prælud. 2. dub. 12. & si vt ille benè advertit, omnes illas percurrere, præludiorum naturam excedit, à fortiori dicendum in manuali, quod breve conflari intendimus. Et omissa illa an versio nostræ vulgatæ peculiari Spiritus Sancti assistentia confecta sit? de qua infra. Claritatis

tatis gratia in hoc paragrapho circa Tridentinum decretum aliquas breviter: & in sequenti circa præfationem vulgatæ non nullas resolvemus.

Sit ergo prima difficultas: an Tridentinum vulgatam Latinam alijs præposuerit editionibus Græcæ, scilicet, & Hebraicæ? Negant aliqui cum Serario c. 19. q. 12. & Benavides dub. 29. quod colligitur ex decreto dicente: ex omnibus Latinis editionibus quæ circunferuntur: & quia non meminit illarum, & quia vel cōparatio fieret cum originali fonte, vel cū transumpto non puro, sed vitiato: non primum quia si vtrumque purum, non tolletur exequatio, quæ non tollit veritatem vtriusque, licet nostra vulgata origine posterior sit illa, si cum transumpto vitiato, non est dubium. Affirmant alij, quia sola ista proposita toti Ecclesiæ, omissis omnibus alijs, quod evidens videtur signum prælatam illam fuisse, cum de illa sola proponenda, sacrum studuerit Concilium.

Sed media incedendum via sub distinctione: quia licet Concilium non ita expresserit, quia tamen illas iam Toletanum tertium Concilium excluserat sub his verbis: Si quis dixerit alias esse Scripturas Canonicas, præter eas quas Ecclesia recipit Catholica, anathema sit. Ex quo sic arguit Tena cit. Non sunt admittendæ, vt Canonicæ aliæ scripturæ præter eas quas Catholica recipit Ecclesia; sed ista in Tridentino congregata, nec plures, nec pauciores recipit, quam ennumeratas in dicto decreto: ergo aliæ omnes sunt exclusæ supposita Concilij Toletani determinatione, & sic indirectè ad minus omnibus præposita videtur.

Secunda consurgit difficultas, quantum auctoritatis vulgata acquisierit, ex vi hui⁹ decreti? Dicūt aliqui quod solū in genere versionis manserit authenticata: scilicet, quod benè, & fideliter super omnes alias versiones transumpta fuerit ex originali, ita Benavides conclus. 3. quia decretum antecedens Concilij iam Bibliorum auctoritatem firmaverat; ergo de versionum authoritate intra genus versionis loquitur Concilium, & in illo nostram ante alias proponit. Sed melius dicendum, quod licet ex vi huius decreti solum directè, & expresè approbata fuerit intra genus versionis: indirectè tamen etiam authenticatur circa illa quæ olim vera credebantur, & hic fideliter exprimuntur.

Tertia tamen difficultas maius facessit negotium. An scilicet ex vi huius decreti, vulgatam esse authenticam de fide etiam in minimis colligatur? negant aliqui quibus subscribit Benavides ex parte. Sed distinctione vtendū, etsi loquamur de rebus ad fidem, & bonos mores pertinentibus, affirmandum est. Ita Suarez disp. 5. de fide, sect. 3. Pineda de rebus Salomon. l. 4. c. 9. Ramos in defensione vulgatæ. Alias enim si in his non fidem faceret certam, nil firmum ex illa haberetur: & quomodo Ecclesia illam fidelibus, vt certam, & infalibilem proponere posset? neque de hoc dubitandum, vt infra dicemus.

Sed dissidium vertitur inter Auctores circa res minimas, & particulas an idem tenendum? affirmant aliqui cum Auctoribus citatis. Sed plures negant cū Senens. lib. 8. Bellarm. Michaele Medin. Lindano, & alijs, & Benavides. Sed lis dirimitur si dicamus, quod nulla sit particula, vel minima contra fidem, vel mores, secus circa alia præter illam, quales sunt variæ lectiones, vel defectus, ex Typographorum incuria introducti, quæ omnia iudicio, & assensu Ecclesiæ repurganda relinquūtur, secus ex proprio captu, & beneplacito, quod communiter dicitur, à Tridentino in adducto decreto intentatum, & præceptum: & possent plura adduci exempla circa varietatem, & diversitatem repertam inter aliquas dictiones, & verba, quæ videri possunt apud Scalante, & Benavides citatos: & infra tract. 2.

Concludimus ergo, quod licet aliquando in vulgata reperiatur aliqua diversitas, secus contrarietas, vt latè DD expendūt, varia hinc, & inde inter se loca, quæ pugnare videntur, conciliantes. Vnde omnia quæ habentur in vulgata Latina, scilicet, verba, lectiones, sensus, & punctuationes (de quibus infra) sunt determinate, vel seorsim Canonicæ iuxta Ecclesiæ approba-

bationem. Quia Tridentinum approbat vulgatam Latinam, eo modo quo in Ecclesia communiter legitur, & recipitur, ergo eo modo approbavit, ac vsus habet Ecclesiæ, determinate, vel seorsim, & sic definitio Tridentini intelligenda, sed modo iam explicato.

Sed obijcies, quia ex his sequitur nostram vulgatam, non esse perfectiorem omnibus alijs versionibus: quia melius, & perfectius potuit verti, & explicari, & quia variæ reperiuntur lectiones in illa, vt constat; quod tamen videtur absurdũ: & digladiantur Auctores, an alia versio possit fieri melior, & perfectior? Circa quod dicendum. Primo, quod absolutè omnibus alijs præstantior est, quod probatur ex antiquitate, ex Auctore, ex Ecclesiæ admissione, Conciliorum approbatione, & Patrum acceptatione, neque alia ita probata exhiberi possit.

Secundo dicendum, nulli dubiũm meliorem confici posse; quia Isai. 59. non est abbreviata manus Domini; & maiorẽ interpretationis sermonum intelligentiam, & charisma conferre potest: & sic ab alio quam à D. Hieronymo, licet ita Docto, & Sancto, propter varietatem sensuum, clariori, & expresiori modo perfici posse. Vide D. Thomam 1. p. q. 15. ar. 6. An verò aliquando melior evasura? nil certum, & cum sit futurum contingens Dei seclusa revelatione temerariè aliquid affirmatur, vel negatur.

Circa varietatem lectionum, quæ non parum ingerit difficultatis. Respondet M. à Sancto Thoma 2. 2. disp. 9. ar. 1. quod si summatur ista correcta editio secundum omnia, quæ continet, & quasi collective, sic omnibus præferenda est, & qui oppositum faceret, temerarius ad minus censendus. Qui autem in particulari, & seorsim aliam lectionem sequeretur, non puto aliqua censura dignũ. Quia Clemens VIII. in præfatione dicit: hanc autem editionem omnibus modis absolutam affirmare difficile est, &c. de quo statim: ergo licet in aliquo minoris notæ ab illa discrepare sine temeritate circa varietatem lectionum.

Obijcies tamen: ergo si sint plures lectiones circa aliquem locum in particulari, & illæ probabiles, vt illæ Psal. 41. Sitivit ad Deum fortem, vel fontem, nec ab Ecclesia altera sit reprobata, iam in illo loco non habebimus certam Scripturam Canonicam. Respondet Lorca 2. 2. disp. 9. tunc solum esse certum, quod vna, vel altera sit de fide, licet non determinate, quia hoc est in corde Ecclesiæ. Secundo respondet M. Sancto Thoma cit. quod vbi sunt plures lectiones Ecclesia proponit Scripturam disiunctive. Nec deberi hoc iudicari inconveniens, quod alicubi sic proponatur vulgata: & sic quoad aliquid proponitur nobis illa regula fidei certo, & visibiliter, & quoad aliquid nondum determinate visibiliter. Sed esse in corde Ecclesiæ principia ad id determinandum; quod quidem contingit paucissimis in locis, semper tamen standum pro vulgata. Videatur Cabasutius, qui diatrivam edidit eruditam, & difusam circa hanc rem, pluribus ibi adductis, sed qui magna cautela legendi, quia parum vulgatæ patrocinantes.

Et sic idem Cabasutius refert Celestinum in Clave David lib. 3. c. 8. dicentem: Haud tamen contra decretum mentemq; Concilij, quicquam attentaret; qui aliquid clarius maiori lumine supernaturali verti potuisse asseveraret. Certè cum Hieronymus, nonnulla in sua translatione cõmendasset; rectius ea potuisse verti confessus est. Nec negandum, quia ex Hebræo, & Græco posit vulgatæ editionis textus interdum emendari, si aliunde suppetant argumenta, quibus convincatur Latinam editionem corruptam; & Hebraicam, & Græcam incorruptam.

Denique not. quod licet vterque supradictus modus explicandi, probabiliter incidat, tamen Senensl. Lorca, M. à Sancto Thoma cit. Tyrinus à Lapide, Maldonatus, Franciscus Lucas, Masius, & alij quos sequitur Antonius dub. 12. cit. duo asseverant præcipuè à Concilio intenta fuisse. Primum Hæreticos reprimere sponte, vel temere ad alias versiones recurrentes, & circa hoc definisse, nil in vulgata contra

bo-

bonos mores, vel fidem contineri. Secundum intendit corrigere facilem Catholicorum emendandi Sacram Scripturam licentiam: & sic licet non definierit esse authenticam quoad minutissima; prohibuit tamen particularibus, aliter quam in hac editione vulgata continetur, vertere vel emendare, & ad aliam authenticam recurrere: non tamen prohibuisse aliqua notare, vel corrigere minutiora, cum subiectione ad Ecclesiam. Videatur Rua cit. du. 16. & Benavides. Et infra, caput instituetur circa varietatem lectionum.

§. II.

De Præfatione apposita initio vulgatæ.

VEstibulum ante ipsum vulgatæ, quædam apposita est præfatio ad Lectorem, sine nomine Auctoris, Concilij, vel Pontificis; & ideò ea pollere auctoritate, censent aliqui, quã pij, & docti præfatoris commendatio continere solet: sed cum imprimi videamus cum vulgata, maiorem concedimus, sed non pertingentem ad Pontificiam, vel Conciliarem. Tres autem ex Benavides dub. 32. continet partes. Scilicet Præfationem ad Lectorem. Secundã, decretum de libris Canonicis. Tertiã, Clementis VIII. decretum, vel sanctionem, circa quæ plura examinanda, sed breviter aliqua insinuare sufficiat.

Primum ergo, quod dicitur est: merito à Tridentino declaratum, istam vulgatam authenticam esse; quia magis stat pro Ecclesia contra Hæreticos, vt diversitas, & confusio exemplarium relegaretur. Et vt illius authoritas ex temporum decursu, & translatorum patefieret. Secundo asserit; maximam adhibitam curam, vt à peritissimis Magistris, & Academijs revideretur, & inde Typographorum nimia cudendi licentia reprimeretur. Tertio plures Summos Pontifices hac in re maxima vigilantia studuisse, pluribus Codicibus, & viris doctissimis vndique accitis, vt ita evaderet immaculata. Quarto aliqua in illa mutata, alia non, vt non novam editionem, sed integritatem, & puritatem in illa observare innotescat, curatum fuisse.

Quinto, quod in vulgata, illa solum relicta sunt, quæ Canonica iudicantur, nil verò adscititium, extraneum, vel non Canonicum; & sic reiectos esse libros tertiũ, & quartum Machab. Manasse Regis orationem, & argumenta, vel præfationes librorum: & prohibitum, nec lectiones variæ ad marginem, vel etiam notæ, & cõcordiæ apponerentur. Sed non inhibuit, quod alio genere characteris pro studiosorum subsidio, atque vtilitate, in posterũ adijci possent. Vltimum, quod dicit est in ista vulgata editione, nil non Canonicum, extraneum, vel adscititium apponere visum est. Sed de hoc statim.

Circa ista vltima verba, & Clementis VIII. Breve, vel Decretum in præfatione insertum: poterat dubitari: an omniũ, & singulorum in præfatione, & Biblijs correctis contentorum fiat approbatiõ. Ad quod respondetur negativè: quia authoritas vulgatæ tributa à Tridentino, vt asserit Benavides dub. 29. est desumenda cum certis modificationibus, scilicet quod valdè emendata, quod nil fidei, vel bonis moribus contrarium contineat: nec occasionem administret opinioni noxiæ, & inutili, & quod sit bona in genere versionis.

Cum ergo nil amplius præfatio, & breve possint tribuere, imò multo minus, cum solum vt diximus probabili gaudeãt auctoritate: dicendum ex vi illorum, non omnia canonizari, sed illa tantum, quæ intra textum continentur: sed non alia, vt tituli librorum, præfatio threnorum Ieremiæ, tituli Psalmorũ, & litteræ Aleph, Beth, &c. & cum in illa dicatur: quod versio ista quanta fieri potest diligentia castigata: numeris tamen omnibus absolutam pro humana imbecillitate affirmare, difficile est. Ex quibus verbis inferri potest, diligentiam moralem non physicam omnino appositam; & locum suppetere, vt aliqua ad limam vlteriorem revocentur, cum dicatur aliqua mutanda consulto non fuisse mutata ob varias quas designant Auctores causas, & rationes.

Sed semper præ oculis habendum, vt quan-

quantum fieri possit vulgatæ authoritas indemnis servetur, ne ex Catholicorum sententia Hæretici ansam sumant ipsam impugnandi. Etsi aliqua corrigi, vel notari ab aliquo docto, non sit prohibitum, sed cũ subordinatione Pontificis, ad quem approbatio pertinet, cum illi auctoritas recognoscendi, approbandi, vel inserendi, non sit adempta intra textum, si convincens iudicaretur.

DVBIVM SECVNDVM.

De Codicibus Hebræis, & Græcis modo existentibus.

NE longius quam par erat præcedens protraheretur dubium, dividendum venit in hoc secundo. Et ex illo pro isto supponendum, quod triplex potest fieri consideratio, tam textus Hebræi, quam Græci. Prima, si loquamur de archetypis, vel libris quos Spiritus Sanctus inspiravit in textu Hebræo, & fuit immediatè ab ipsis Sacris Scriptoribus editus, & pariter de 72. Interpretum authographis ab ipsis Senioribus exaratis, sivè cum Spiritus Sancti influxu, sive assistentia, de quo infra, si de his loquamur, nulli dubium Sacram continere Scripturam: sed quia hodie non extant vt diximus.

Secunda consideratio, esse potest de transumptis immediatè ab illis primis deductis, quæ vsque ad Christi Domini, & Apostolorum extiterunt tempora. Et de his certius videtur ante ipsum Christum, non fuisse depravata: non enim veritatis Magister, qui de antiquis populi illius flagitijs, ita animadvertit, tam immanẽ Spiritui Sancto iniuriam illatam tulisset; at reprehendisset certè. Imò Doctores, & scripturas audiri voluit. Et ad easdem remittit Ioan. 5. quod fuit argumentum Origenis lib. 8. in Isaiam, & Hieronymi lib. 6. Accedit quod textus Hebræus, quem præ manibus habemus concordat cum antiquis, & priscis originalibus. Et quia vt diximus non perierunt, vt ad gentes incorrupta pervenire possint, & Iudæi valdè corrigi studuerunt.

Quod autem post Christi Adventum, pro aliquo tempore neque Iudæi textum maculaverint, apertè colligitur ex testimonijs, quæ Christus, & Apostoli ex veteri in novo proferunt testamento; cum eadem in his duobus statibus militet ratio. Et quod Iudæi cum essent dispersi, non ita facilè omnia possent maculare exemplaria. Imò ipsi toto nisu in Scriptura cõservanda, & ne aliquid inmutaretur, insudarunt. De quo Hieronymus cit. & Augustinus lib. 15. de Civit. cap. 13. quando autem D. Hieronymus epistola 89. & alij cum eo, dicit se proferre testimonia, quæ à Iudæis prætermissa sunt; intelligitur loquutus de Aquila, Symmacho, & Theodotione, qui in suis editionibus scripturã, vel falsarunt, vel corruperunt, sed non ipsum Hebraicum textum.

Et quæ de textu Hebraico diximus, suo modo de Græco 72. intelligendum, eadem enim vtrobique militat ratio, tam respectu primorum Codicum à 72. conscriptorum, quam de exemplaribus inde deductis: cum constet clarè plura ex illis à Christo, & Apostolis testimonia in mediũ deducta fuisse. His itaque sic communiter acceptis, restat inter Auctores concertatio magna de textu, tam Hebraico, quam Græco, qui nunc præ manibus circunfertur, & teritur, an scilicet integer incorruptusque consistat, an vitiatus, & maculatus? & primum de Hæbraico sermonem facientes.

§. I.

De textu Hebræo.

PRima sententia incorruptum omnino affirmat, & per illum omnes alias versiones examinandas venire, & licet aliquis Codex possit esse vitiatus, sed non omnes. Ita sectarij, vt sic in nostram insurgant vulgatam; & suis versionibus quasi ex fontibus puris deductis maiorem adstruant auctoritatem. Et in hac parte aliqui Catholici plus debito pro texto contẽdunt Hebræo, vti Cayetanus, Lira, Vega, Rua, & alij. Secunda sententia, negat ita sincerum, & incorruptum inveniri, sed plu-

pluribus in locis viciatum, & fœdatū esse, Iudęorū malitia. Ita Canus lib. 2. c. 12. & 13. Castro disp. de translationibus c. 53. Lorca de locis Catholicis, disp. 5. & alij Auctores.

Tertia sententia adstruit textum vitiatum, sed non ita vniversaliter, vt secunda tenet sententia: sed aliquibus in locis ex malitia masoritarum, & incuria scribentium, & typographorum. Ita Senens. lib. 8. Ribera Oseæ 2. Bellar. lib. 2. c. 2. Benavid. disp. 8. dub. 6. & Antonius prælud. 2. dub. 6. & alij. Quarta denique sententia dicit textum Hebraicum in ordine ad litteras consonantes non Iudæorum malitia, sed transcribentium negligētia, si fœdatus sit, evasisse. In ordine verò ad puncta, & vocalia post Hieronymi tempora à Iudæis aliquibus in locis depravatum fuisse, ita Scalante lib. 6. c. 3. & alij.

Dico primo, textus Hebræus, qui modo extat aliquibus in locis depravatus reperitur, non tamen in plurimis. Conclusio statuitur contra primam, & secundam sententiam. Et quoad primam partem probatur ex aliquibus locis videndis apud Auctores tertiæ sentiæ; duo celebres in medium solent adduci. Primus Psal. 21. *Foderunt manus meas*: ex verbo *caru*, ipsi verò Iudæi legunt *caari*, id est sicut Leo, ne fateri cogantur hanc de Christo prophetiam. Videatur Scalante lib. 6. c. 4. circa hanc varietatem. Et Montoya l. 2. fol. 241. qui hæc duo loca concordat. Secundus locus, solet proferri ex Amos 2. vbi nos legimus. Pro *eo quod vendiderit pro argento iustum*, ex verbo Hebræo *Sadech*: illi legunt iustitiam ex verbo *Sedech*, alia in alijs videantur.

Dico secundo, ista contrarietas, vel diversitas potest provenire, primo ex oscitantia scribentium. Secundo ex similitudine plurium litterarum Hebraicarum inter se, vt expendit Benavides dub. 6. & Anton. cit. §. 2. Tertio ex consonantia in sono. Quarto ex variatis dictionibus, vt Isaiæ 7. dicitur: *Ecce Virgo concipiet*, & pro *Bedulac*, ponitur *Gnalmal*, in Virginis odium, quæ signat impuverem sive infantem, etiam si Virgo non sit. Quinto, ex positione vnius litteræ pro alia, vel ablatione, vt Zachar. 2. *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*, antea legebatur *gneni*, nūc *gnino*, oculi sui, mutata Iod in Olem. Sexto in inversione vocalium. Primus locus Isai. 9. *Et vocabitur nomen eius admirabilis, Deus fortis &c.* ex Hebræo *Iicchare*, & illi *Iiccbra*: idest quod Deus admirabilis consiliarius vocabit eum Principē pacis. Secundus locus habetur Hierem. 23. *Et hoc est nomen, quod vocabunt eum Dominus iustus noster*: at Iudæi inversis punctis legunt: *Hoc est nomen quod vocabit eum*: apud citatos Auctores alia.

Inquirit tamen Scalan. c. 3. qui fieri potest, vt isti errores in omnes Codices irrepserint? Respondet ille, quod cum ars typographica recens sit in Europa, & Asia, cum industria Hebræorum illi Codices impresi sint, ex vitiato ab ipsis exemplari alijs punctis, quos illi apposuerunt, hinc omnes libri impressi maculati evasserunt, cum istisque vitijs ad nos pervenerunt: & cum nullus propria auctoritate sine Ecclesiæ decreto corrigere sit ausus. Ita probabiliter.

Dico tertio, textus Hebræus, quoad cōsonantes valdè consonat cū nostra vulgata: ita Scalante cit. & alij, quia plura de Christo vaticinia eodem ordine continētur in ipsis consonantibus, ac in vulgata: & si aliqua malitiosè mutassent, abstraxissent certè omnia illa quæ concernunt Iudæorum reprobationem, & Gentilium electionem, quæ de illis apertè loquuntur. Vndè si aliqua mutatio, vel contrarietas præter dictas reperiatur, ipsis Scriptoribus debet in vitium dari. Et si benè perpendatur, plura nostræ redemptionis mysteria manifestius in Hebræo, quam in nostro explicantur textu. Sit vnum exēplum, Psal. 2. dicit vulgata: *Aprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus.* Hebræus autem legit: *Osculamini filium.* Et Isai. 53. *Reputavimus eum quasi virum leprosum*: Hebræus autem legit si rectè consonantes expendantur: *Deum percusum.* Plura apud Scalante, & alios.

Sed obijcies contra istam conclusionē: quia alia loca distantia in Hebræo repeR riuntur: etenim Luc. 3. dicitur: *Et videbit*

bit omnis caro salutare Dei, ex Isai. 40. quod tamen à Iudæis ablatum, vt adventus, & passionis Christi aboleretur memoria, & Zachar. 12. dicitur *aspicient ad me, quem confixerunt*. Vbi ly, *ad me*, denotans Deum loquentem, in Hebræo omittitur, & similiter illud, Psal. 95. *regnavit à ligno Deus*, & plura.

Resp. in his, & alijs solum convinci aliquib⁹ in locis, vel Iudæorũ malitia, vel scribentium oscitantia, vel Typographorũ incuria aliquos, in Hebræo errores cõtineri, quod iã diximus. Et ad verba Lucæ. Resp. quod in Isaiæ 40. Habêtur ista: *Et videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutũ est*; & cum ex Hebræo transtulerit D. Hieronymus, censendum ibi reperiri, licet non eisdem verbis; quod sæpè contingit, cũ verba veteris testamenti in novo citantur vt patet Math. 2. dum verba Micheæ. 5. pro Christi Nativitate inducuntur, & sic de alijs, & verba Zachariæ non valdè mutant sensum cum adhuc de Christo intelligi possint. Ad verba, Psal. 95. fatetur Genebrardus deficere in Hebræo, nec mirum cum nunquam in illo fuerint, sed à 70. addita maioris explanationis gratia, sicut in alijs locis: videatur quia optimè loquitur.

§. II.

De versione septuaginta.

CVm in animo sit hæc alibi longiori prosequi styllo, breviter aliqua delibabimus, quæ dicendis tantillum offerant lucis. Igitur circa 70. versionem sciendum, quod Ptholomeus Philadelphus, alterius Ptholomei Regis Ægypti filius Bibliothecam parandam varijs librorum generibus exquisitis illam instruere diligentissimè procuravit, & certior factus à Demetrio Philærei de libris Sacris, ad Eleazarum destinavit legationẽ, vt viros lege, & doctrina pollẽtes mitteret, qui libros in Græcã verterent linguam, quia communior, vel vt sic via ad Gentiles fide imbuendos præpararetur.

Remisit illos Eleazarus in Ægyptum numero 72. licet omisso numero minori, vt moris; est Versio 70. communiter dicatur. Sex ex qualibet ex Israel tribu, quorum nomina ex Aristea recenset Sixtus Senensis lib. 4. Bibliot. & quomodo possent esse ex omnibus tribubus cum duæ tantum Hierusalem in habitarent, reliquis in captivitatem tunc adductis? pertractat Benavides dub. 15. quia scilicet aliqui remãserant ex alijs tribubus. De tempore aliqui quod anno mũdi 3775. & ante ortũ Christi 272. at Senensis, quod anno ante Christum natum 350. & in Pharo Insulam adducti, & singulis in cellulis separati, & verbis & sententijs veteris instrumenti divino Spiritu afflati 22. libros verterẽt. Licet aliqui solam legem idest Pentatheucum contendant vertisse; sed oppositum commune, vt benè probat Benavides dub. 15. & 72. dierum spatio numine adiutos, opus confecisse.

Quantam Spiritus Sancti præsentiam adepti? Digladiantur Auctores: non tanta vt Scriptores sacri communius: cum ex D. Hieronymo ad interpretis munus non requiratur; illa tamen illis concedenda, qua nil interpres disconveniat à mente Auctoris, & à lingua à qua trãsfert, in quã fit translatio, quæ ab aliquibus dicitur interpretatio sermonum, charisma à Spiritu Sancto datum 1. Corin. 12. de quo plura dicemus statim. Istam ergo versionẽ certam fuisse fidei regulam cum ex illa Christus, Apostoli, & sacri Scriptores plura protulerint testimonia. Et hoc intelligendum, quandiu in sua puritate, & integritate perduravit.

Sed desidium magnum, quando vitiata fuerint? incertum tempus, sed certa depravatio, quæ D. Hieronymum impulit, vt ex Hebræo textu novam aggrederetur versionem: quod si 70. immaculata consisteret, superfluus labor appareret. Plura dissidẽtia solent accumulari loca, sed apud Auctores citatos videnda. Quod intelligitur nedum respectu textus Hebraici, sed etiam in ordine ad plura exemplaria versionem 70. continentia, vt videre licet in codice Basiliensi, Complutensi, & Regio. His suppositis examinandũ restat de versio-

sione 70. quæ modo extat, an sincera, & incorrupta?

Dico ergo, quod ista 70. editio licet correcta, & immaculata sæpè fuerit, non tamen ita vt omninò integra, & incorrupta euaserit. Prima pars asserti constat ex versione impressa iussu Sixti V. & ex Bulla, vel decreto ipsius, in quo duo præcipiuntur, scilicet vt ab omnibus retineatur, & recipiatur; & nequis præsumat aliquid addere, mutare vel detrahere, quæ omnia illam authenticam, & integram videntur adstruere, & ita aliqui censent. Sed de hoc iam supra, & secunda nostræ conclusionis pars probatur.

Secunda ergo pars probatur cōtra Montoyam, qui egregiā navavit operā in septuaginta cum vulgata concordandis. Et etiam contra Scalante cit. à cap. 7. nisi forte in æquivoco procedamus. Nos enim cum communi fatemur 70. versionem in primis originalibus, & transcriptionibus integras fuisse, & veritatē cōtinere: diffitemur autē hoc de modo existētibus, vt plurimis in mediū allatis poterat cōprobari.

Et licet aliqui id ostendere conentur, quia aliqua contineantur in Hebræo, quæ nō in 70. & quod diverso sensu ac Hebræi codices loquantur.

Huic tamē obiectioni accurate occurrit August. lib. 18. de Civit. cap. 43. dicens: quicquid est in Hebræis codicibus, & non apud 70. Interpretes, noluit hoc per istos, sed per illos Prophetas Dei Spiritus dicere. Secundo respondet Hieronymus prologo in Genesim: ne si Ptholomæo Regi mysteria panderentur, alterum Deum Iudæi colere viderentur. Tertio respondet idem prologo in Isaiam: ne fidei sacramenta ethnicis, & canibus darent: & ità Interpretati sunt, vt Regi satisfacerent, & fideī arcana non divulgarent. Vel vt ait Sixtus Senensis: ita disponente Deo, vt omnia eius divinitatis mysteria sub exortum Evangelicæ lucis Christi splendorem pandenda reservarentur. De his videantur Aristeas cit. Philo. lib. 2. de vita Moysis. Iosephus lib. 12. antiq. Epiphanius D. Hieron. & alij.

Igitur 70. traslationem (ommisso errore in annis computandis cap. 5. 6. 7. Genesis) in alijs etiam deficere constat. Tum quia si integra esset, vt quid D. Hieronymus tantùm insumpsisset laboris in traductione veteris testamenti ex Hæbreo, superfluus enim labor, & conatus videretur; quod obstare cōstat sensui Ecclesiæ talem translationem acceptantis. Et quia quod protervia Hebræorum præstitit erga vetus testamentum; id effecit Hæreticorum malitia præcipuè in nouo, præter scribentium, & Typographorum incuriam. Vndè ad Rom. 12. vbi vulgata legit *Domino servientes*, græci codices habent; *tempori servientes*; quæ loca irreconciliabilia sunt, & idem 1. Corin. 7. & 19. Plures conciliationes videantur apud Scalante, & Montoyam cit. & ille c. 8. 9. & 10. ostendit quid faciendum cum inter 70. & textum Hebræum disonantia reperitur, videatur quia optimam, & vtilem affert doctrinam.

Sed contra nostram resolutionē videtur appertè militare Sixti V. constitutio his verbis. Curavimus græcum vetus testamentum juxta 70. interpretum emendationem ad emendatissimorum codicum fidem typis excudi, &c. Et quod hæc versio ad verbum reddita pura, & integra, & incorrupta conservetur, auctoritate Apostolica tenore præsentium districtè interdicimus, & prohibemus: quod nisi iuxta huius thenorem non imprimatur &c.

Aliqui ergo Auctores ex vi huius constitutionis, nedum talem textū incorruptum; imò esse Canonicum, & authoritatem habere ad res fidei confirmandas; cōtendunt. Tena autem licet non ità determinatè loquatur lib. 1. dif. 5. sect. 5. ita tamen affatur. Probabiliter sustineri potest editionem 70. quæ modo est non esse corruptam in omnibus exemplaribus, præter qqam in annorum supputatione, qua vulgatæ contradicit: quod non vitio 70. sed transcribentium eorum codices ex Ptholomei Bibliotheca contigisse affirmat Augustinus lib. 15. de Civ. cap. 13.

Sed primum quod isti adstruunt, scilicet esse Canonicum, communiter impugnatur; de quo statim. Secundum, quod

dicit Tena, licet difficultate non careat, non facilè probari potest, cum plures oppositiones ab Auctoribus adducantur. Et licet Montoya, Scalan. & Tena illis obviare intendant, sed aliquibus non plenè satisfieri, videtur probabilius. Ex decreto autem Sixti V. nil contra nos infertur: quia ex illo solum colligitur, curatum valdè vt talis editio iuxta antiquorum codicum fidem cuderetur: & quod ad verbum est reddita, pura, & integra: & quod non nisi iuxta illius thenoré imprimatur. Quæ omnia non concludunt nisi magnam diligentiam, editionemque esse puram iuxta antiquos codices, & quod ita imprimatur. Quod autem inferatur in omnibus exemplaribus antiquis incorruptis correspódere, ita vt sicut illa fidem faciebant, ita & ista, & possit fidei regula existere, nec per cósequentias remotas inferri potest. Neque Pontificem talè quippiam intendisse, communi calculo firmatum est.

§. III.

Corolaria inferuntur.

EX hac conclusione sequitur primo, Sacram Scripturam licet, quoad se existeret, non tamen quoad nos in exemplaribus Hebræis, & Græcis, quæ nunc existunt. Corolarium vt vidimus licet aliquibus displiceat, quia existimant talia exemplaria correctissima existere maximè in Biblia Regia, & in Cóplutensi. Sed contrarium communius: quia Ecclesiæ decretum tantum se extendit ad vulgatam: & licet huiusmodi exemplaria non reprobet, non tamen approbat. Quod adeò verum aliquibus videtur, vt etiam si existerent modo exemplaria antiqua adhuc indigerent novo decreto, quo declararentur illa esse originalia à Sacris Scriptoribus edita, & fideliter transcripta.

Sequitur secundo, non existere quoad nos (licet aliqui quoad se contendant, & affirment) Sacram Scripturam in talibus interpretationibus, vel versionibus ex quolibet originali, quales sunt Pagnini, Vatabli, Isidori Clari, Arias Montani, quantumvis perfectissimæ, & valdè elaboratæ evaserint: quia dato in se Sacram continere Scripturam, reddereque fidelissimum sensum, non tamen canonicæ habendæ ex defectu decreti, & approbationum, & sic quoad nos, vt tales non tenemur amplecti.

Sequitur tertio, non existere Sacram Scripturã, nec quoad se, nec quoad nos, in Symbolo Athanasij, nec in Nicæno, nec in Concilijs generalibus, ita Cano lib. 2. c. 1. Et præter rationem exclusivam Tridentini. Probatur: quia licet supradicta contineant fidei determinationes, non ideò sunt Sacra Scriptura: huius enim quidditas non inde mensuratur, sed ex revelationibus factis Sacris Scriptoribus immediatè, quales non fuerunt factæ Doctoribus, & Patribus, qui Concilijs interfuerunt. Non enim ideò solum, & à priori Sacra Scriptura, est Sacra, quia certam veritatem continet, sed quia Scriptoribus Sacris revelata, & ab ipsis scripta, modo infra explicando.

Infertur quarto, quod vulgata, quam Concilium approbat, & proponit vt authenticã, non est illa antiqua vtcumque, quæ à tempore D. Hieronymi, & Augustini apud antiquos Patres fuit in vsu, sed vulgata correcta; quæ modo omnes alias antecedit, & ad quam in dubijs recurrendum est. Non verò ad Hebraicum & Græcum textum: licet istos, & alias versiones non prohibuerit Tridentinum consulere ad maiorem cognitionem, & explicationem. Nec opus est alia translatione latina in eloquio elegantiori (licet hoc non deficiat vulgatæ vt ostendit Scalante lib. 5. à cap. 31. varijs exemplis): quia ex D. Ambrosio in Lucam. Nil enim distat in verbo apud me, quod non distat in sensu. Et Augustinus lib. 2. & 3. de doctrina Christiana. Decet enim Sacram Scripturam eloquentia, & ornatus, sed qualem matronæ, non meritrici proprium. De quo Scalante lib. 7. c. 24. Neque Ecclesia indiget alia translatione in ordine ad fidem, & mores, vt constat ex Concilijs maximè Tridentino, & ex communi sensu Patrum Ecclesiæ, & expositorum.

§. IV.

Dubium incidens.

SOlet autem ab aliquibus dubitari; an Sacra Scriptura, quoad nos existat in particulari aliquo libro vulgatæ editionis; an in ipsa vage sumpta? quia decretum, inquiunt, non cadit super aliquem codicem in particulari, sed supra vulgatam quasi vage, & in communi sumptam: & ita dicunt aliqui non existere Sacram Scripturam in codice illo castigatissimo, quem Ecclesia, & Romani Pontifices diligentissimè observant pro corrigẽdis erroribus, qui incuria Typographorum, & Hæreticorum malitia solent evenire. Esto enim castigatissimus sit, & quantũvis expurgatus, non tamen canonicus censendus ex defectu decreti specialis circa ipsum; & sic non quoad nos, esto quoad se, sacram contineat Scripturam.

Non negant isti auctores, quod non existit Sacra Scriptura, quoad nos in quolibet codice vulgatæ, si verè vulgata est ibi: at quia non constat hoc nisi adveniente decreto, ideò dicitur, in nullo particulari codice existere quoad nos; quia de nullo in particulari constat esse codicem vulgatæ. Sicut dicitur non esse de fide Christi Corpus esse in particulari Hostia; quia licet de fide certum sit, esse Christũ in qualibet Hostia consecrata, at de nulla Hostia consecrata constat esse consecratam, nisi ab Ecclesia proponatur vt talis; & si hoc ex particulari revelatione haberetur; at quia huic non tenemur fidem adhibere, adhuc in tali casu quoad nos, non existeret ibi scriptura, vel Christi Corpus. Sicut etiam dici solet de Papa: de fide enim est quemlibet ritè electum in particulari esse Pontificem. At quia non constat Innocentium X. esse rectè electum, hinc non est de fide esse Papam.

Et cum his Auctoribus objicitur; illa Scriptura est canonica, quæ est regula fidei, sed non vulgata vage, sed vulgatæ particulares sunt regula fidei: quia ad ferendum judicium de aliquo dogmatè, sit ne contra fidem, vel Scripturam, vel non? non recurrittur ad vulgatam vt sic, sed ad particulares vulgatas. Similiter vna particularis vulgata per aliam particularem, & non per vulgatam vt sic corrigitur. Respondent, quod sicut veritates Scripturæ non sunt canonicæ, quia continentur in hac vulgata; sic quando corrigitur vulgata per aliam, non emendatur per istam vt particularis est, sed vt vulgata est, nec recurritur ad istam, sed recurritur ad istam, vt vulgata est.

Sed quicquid sit de tota ista doctrina: videtur temerarium esse ad minùs non admittere vnumquemque codicem, tãquam cõtinentem Sacram Scripturam. Quia de fide est vulgatam editionẽ esse sacram: sed temerariè, & sine fundamento negatur hunc codicem esse vulgatæ; ergo etiam temerariè, & sine fuudamẽto negatur esse sacrum: sicut ob eandem rationem (licet non in omnibus) esset temerarium negare in particularibus Hostijs esse Christi Corpus, quia temerariè negatur esse consecratas. De quo in materia de fide. Immò dici potest, quod sicut post Ecclesiæ totius acceptationem Hæreticus esset in communi sententia, qui Innocentium X. recusaret verum esse Pontificem; ita suo modo, cum talis codices Sixti, & Clementis VIII. communiter, vt continentes vulgatã proponantur, & acceptentur, nullum datur fundamentum, vt non vt Canonici recipiantur.

Pro dubij coronidè advertimus; quod etiam si textus Hebræus, non ita integer perseveret, multas ex illo vtilitates percipi posse. In primis arma contra Hæreticos, & Iudæos ipsum acceptantes: ob hoc enim illum Deus conservavit, vt ex illo contra illos arma desumeremus: & ideò Iudæi conservati, vt nostri essent capsarij. Et quia nullus deffectus adducitur ex textu Hebræo vndè sequatur nocumentum, vel error circa Fidem, cum sint leves qui reperiuntur. Idem suo modo de textu 70. vt si quæ menda in Latinam emerserunt, & irrepserunt, emendentur, sicut præstitit D. Hieronymus. Valet etiam ad expendendam significationem vocum, & melius percipiendum sensum litteralem, & elicien-

ciendos mysticos, vt periti concionatores quotidie præstant, de quo Cano. lib. 2. c. 15.

DVBIVM TERTIVM.

De causa formali Sacræ Scripturæ.

NOmine causæ formalis aliqui ordinem, collocationem, & dispositioné intelligiunt Sacræ Scripturæ, sed nimis impropriè. ergo in præsenti essentiam ipsam Sacræ Scripturæ accipimus, & illam enucleare intendimus. Et cum rei essentia explicetur definitione, hinc ex Cicerone, & Aristotele nostræ dubitationis initium auspicandū venit. Sciendum tamen, quod duplex assignatur diffinitio, nominis scilicet, & rei; & omissa illa, quæ circa varia nomina, & laudes Sacræ Scripturæ versatur, de quo Salmeron, Serarius, Perez dub. 1. & Novarinus lib. 1. electorū, ad rei definitionem devenientes.

Mirum est quam varias, & diversas Auctores Sacræ Scripturæ assignarunt definitiones: sed sicut in homine triplex assignatur essentia, vel substantia, physica, metaphysica, & integralis: ita in Sacra Scriptura: sed in præsenti non de physica, quæ consistit in papyro, atramento, & litteris: & pro formali dicit signum ad placitum, mentem exprimens Spiritus Sancti: nec integraliter, vt est compositum resultans ex suis partibus scilicet testamento novo, & veteri; sed loquimur tantum de quidditatè, & essentia Sacræ Scripturæ metaphysica, circa quam audiamus Auctores.

Primo, Serar. q. 2. dicit esse, verbum Dei scriptum, & addit Bena vid. disp. 1. dub. 2. & dictatum à Spiritu Sancto. Secundo, Ederus lib. 1. tab. 9. ex Driedone. Eloquia divini Spiritus loquentis per Prophetas, & Apostolos, sibi invicem succedentes, quæ communi Ecclesiæ consensu in numerum, & ordinem sacri Canonis recepta sunt. Tertia est eorundem: ratio, & sermo de Deo; quæ vno nomine dicitur Theologia. Quarta, est Montoyæ lib. 1. cap. 1. ex illis verbis Sapiæ. 7. vapor virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis quædam omnipotentis Dei, &c. Sed ista sunt encomia sapientiæ genitæ, & ita non ad rem. Quinto idem postea sic: vt sit, quæ à Deo impellente, & mente Scriptoris in singulis sententijs, & verbis dirigentè, & gubernantè conscripta est. Sexta idem dicit.

Septima, est Legionensis q. 4. expos. cap. 1. est illa quæ Deo peculiariter Scriptorem, & voluntatem, & intellectum dirigentè, & verba suppeditante scribitur, nil falsi continens, &c. Octavo, Valentia 2. 2. disp. 1. q. 8. est doctrina divina revelata, à Sacris Scriptoribus scripta, dictante Spiritu Sancto. Nono, Tena lib. 1. diff. 1. quod sit illa quæ à Deo specialiter impellente non tantum ad scribendum, vel singulas sententias, sed etiam verba suggerente. Decimo, Scalant. lib. 1. cap. 2. quæ à Deo inspirantè, & mediantè aliquo Scriptore Sacro edita est. Denique Anton. à Matre Dei prælud. 1. dub. 1. ita; cuius Deus est proximus, & specialis Auctor sivè mediatè, vel immediatè, vtens ministerio Scriptoris, cui singulas sententias, & verba dictavit.

Quorsum dices omnia hæc congesta? Resp. quod sicut Deum varijs nominibus appellamus, quia vnico tota eius perfectio indicari non valet, vt tract. 3. dicemus: ita in præsenti cótingit circa Sacram Scripturam, cum verbum sit Dei, & ipsius supremæ mentis ad homines significatio, & explicatio. Circa quas definitiones omnes Actores in vno convenire debent, scilicet Sacram Scripturam necessario, & simpliciter exigere, vt Spiritu Sancto inspirante, dictante, vel assistente conscripta sit: hoc enim evidenter colligitur ex illo 2. Petr. 2. *Non enim voluntate humana, &c.* vt statim expendemus.

Pro quo notandum, quod tripliciter possumus intelligere aliquam scripturam Deo inspirante conscriptam fuisse. Primo, quod Deus Scriptori revelaverit res humana ratione occultas iuxta illud, Psal. 50. *Incerta, & occulta revelasti mihi.* Tale est Mysteriū Trinitatis, & mundi creatio, &c. Secundo, quod Deus excitaverit Scriptorem, vt ea quæ iam noverat, vel viderat transcriberet; vt cum Moyses maris rubri transitum describit. Ne tamen

in

in aliquo erraret, vel deciperetur malitia, vel ignorantia, adstitit illi sua speciali providentia. Tertio, quod nedum occulta revelaverit; & animum impulerit, tenueritque ne allucinaretur; sed etiam sententias, & singula verba inspiraverit, & quasi dictaverit, & suggesserit in particulari.

Dicendum igitur est quod ad Sacram Scripturam requiritur, vt Spiritu Sancto inspirante sit conscripta; in quo omnes convenire debent. Sed notat benè Scalant. quod verbum inspirare idem est ac insuflare, impellere, & excitare: verbum enim Græcum omnia hæc amplectitur; sed Latinus interpres contentus fuit cum verbo inspirare. Et sic probatur conclusio ex 1. Petr. 2. *Non enim voluntate humana allata est prophetia, sed Spiritu Sancto inspirante locuti sunt sancti homines Dei.* Circa quæ verba notandum, quod Sacra Scriptura vocatur prophetia, non quia secundum omnem partem futura vaticinia contineat: sed quia spiritu superno scripta, dictata, & inspirata sit. Et quia Ioan. 14. dixit Christus loquendo Discipulis de Spiritu Sancto. *Ipse vos docebit omnia:* nam sicut nullus cognovit, quæ sunt hominis, nisi spiritus eius; ita neque aliquis novit, quæ sunt Dei, & sensum eius, nisi spiritus Dei revelaverit, & docuerit.

Aliqui plurimum tempus consumunt in impugnando omnes definitiones supradictas; sed ab his abstinentes, & ex illis talis formari potest, cum Bañes. 1. p. q. 1. ar. 8. dub. 3. scilic. Scriptura infalibilis, quæ per Dei revelationem ab hominibus scripta est. Similis est quã tradit Aragon. 2. 2. q. 1. ar. 10. quæ est à Deo Auctore, sivè scribente, sivè hominem spirante, ad quas supradictæ refferri possunt: licet vt omnes amplectantur posit addi: singulas sententias, & verba dictante; sed quia hoc cadit sub disputatione vt dicemus, non opportet addere illa.

Sciendum tamen pro explicatione definitionum; quod ad Sacram Scripturam requiritur vt agat de Deo: non ea ratione communi qua de Deo agunt plures libri, & Auctores, obiective: quia hoc modo omnia fere opera Sanctorum Doctorum, & alia quam plurima fidelium, tractant de Deo, quem respiciunt quasi obiectũ primarium, vt patet in Theologia Scholastica. Requiritur ergo, quod sit effectivè à Deo, vndè consequitur quod sint scripturæ omninò certæ, vt ab Auctore veritatis specialiter prolatæ. aliæ vero compatiuntur secum varias opiniones, & aliquos interdum errores ex Auctorum ignorantia, vel malitia procedentes.

Insuper exigitur, quod talis efficientia à Deo sit specialis impulsus Spiritus Sancti vel immediatè à Deo vti tabulæ legis digito Dei conscriptæ, vel hominum ministerio, modo in notabili explicato. Scilicet, Vel revelando ea quæ scribit. Vel movendo, vt ex his quæ noverat aliàs, eligat hæc potius, quam illa scribenda. Vel assistendo ne ignorantia, vel malitia, falsum dicat, vel omittat necessarium. Vel denique singulas sententias, & verba dictando, de quo dubio seq. Ex quo sequitur, quod ad Sacram Scripturam; non sufficit esse quomodocumque à Deo sicut omne verum à quocumque dicatur à Spiritu Sancto est, ex D. Ambrosio, sed debet esse specialiori modo, quo operatur opera propria, vt miracula, ita de Sacra Scriptura, quod modo particulari debet esse à Deo movente, vel inspirante.

Ex his probatur sufficientia definitionis adductæ. Primo, convenit omni, & soli definito, quia tota scriptura est dictata à Spiritu Sancto, vt constat, & nulla alia datur scriptura sic scripta ex communi consensu, etiam decreta Conciliorum; & aliàs convertitur cum definito Traditur etiam per genus proximum, & differentiã, quod in ratione scripturæ cóvenit cum omnibus alijs scripturis: & per hoc quod sit à Spiritu Sãcto dictata differt ab omnibus alijs. Tandem traditur per paucissima verba, & sic nil superfluum continet, vt plures ex adductis definitionibus, ex quibus eius patefit sufficientia.

Sed dices talis definitio videtur diminuta: quia Sacra Scriptura, vt statim dicimus non vt cumque est dictata, sed etiam quo ad singula verba, sed hoc non exprimitur in tali definitione ergo. Et confirma

lia esse facta, vel dicta à Deo revelante: hoc enim impium est, cum Deus non revelaverit populo, quod vitulum adoraret, nec alia quam plurima à nefarijs dicta, vel facta; sensus ergo est, omnia scripta esse in Biblia Deo mandante, & revelante.

Dico primo, omnia quæ in Sacra continentur Scriptura scripta sunt Spiritu S. assistente, ne erret sacer Scriptor. In hac conclusione, vt vidimus dubio præcedenti omnes convenire debent: quia adminus vt sit Sacra Scriptura requiritur talis Spiritus Sancti assistentia, vt ab alijs scripturis discriminetur. Hoc supposito difficultas superest an omnia contenta in Sacra Scriptura sint revelata, sivè expressè, sivè mediatè.

Dico secundo, non solum magna, & præcipua, sed etiam res quæ videntur leves, & minimæ sunt per assistentiā Spiritus Sancti. Probatur primo, quia res illę, quæ non nisi per revelationem cognosci possunt, & quæ occultæ sunt, & erant Scriptori occulta, Deus revelavit; alias verò, quæ lumine possunt cognosci naturali ad illas scribendas incitavit, & impulit animum Scriptoris, & tenuit manum ne deficeret. Secundo, quia non cuilibet datum est pro suo arbitratu, & ingenio librare, vel ponderare, quæ sint res graves, vel leves in re tanti momenti; & sic vnus dicet tres personas divinas prædicari vnius substantiæ, rem esse levis momenti, & paru ad salutem conducere. Alius contemneret duas in Christo operationes voluntatis; & quod Pater, & Filius sint vnum principium Spiritus Sancti. Et quod Christus tertia die resurrexerit, pro nihilo habebit. Quis enim in sacris litteris distinguere, vel secernere poterit, quid ex Deo? Quid ex homine sit? Quid Auctor ex revelatione divina, quid ex humano spiritu prophetaverit? Fluctuaret ergo fides audientium dum ignorarent, quo spiritu hominis, an Dei, vna quælibet Sacrarum Scripturarum particula fuerit scripta? Quod si de lege Moysis dixit Christus, Matt. 5. *Quod iota vnum, aut vnus apex nō præteribit à lege*; quanto magis de Evangelica lege, quæ est ministerium spiritus, & vitæ, intelligendum est?

Dico tertio, vt aliqua Scriptura sit divina non est necessarium, vt omnia, quæ in illa continentur ex propria Dei revelatione habeantur, Ita communiter. Videatur LaHaye in apparatu cap. 3. & Benavides dub. 11. Probat. quia Moyses multa scripsit, quæ sibi evidenter erant nota, vt exitus è Ægypto, transitus maris rubri, &c. Evangelistæ multa, quæ viderunt, vt dixit Ioan. cit. Marcus, quæ à divo Petro accepit, ex Hieronymo, & Lucas ab alijs, vt ipse testatur: ergo ad hæc scribenda nō indiguerunt nova revelatione.

Dico quarto, ad hoc vt aliqua sit Sacra Scriptura necesse est, vt scribatur ita, vt Deus moveat, & impellat Scriptorem, vt scribat non quæ ipse scribere vult, & eligit, sed quæ Spiritus Sanctus, vt vellit, inspiravit. Est etiam communis. Prob. clare; ex D. Petro dicente 1. Petri c. 1. *Non enim aliquando voluntate humana allata est prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti homines Dei.* Prob. etiā ex vltimo Ioannis dicentis: *Plura alia signa fecisse Iesum*: inter quæ solum placuit Spiritui Sancto scribere ea, quæ in præsenti habemus; ergo non propria electione, sed Spiritus Sancti instinctu, & impulsu elegit Ioānes, quæ scripsit. Denique cum Sacri Scriptores plura viderint, vel audierint de illis rebus, quæ litteris mandarunt, quam ea quæ habemus; verisimilè apparet plures aliàs circunstantias in qualibet actione, & historia intervenisse; ergo, quod hoc potius quam illa scripserit, non videtur potuisse provenire ex propria electione, & instinctu.

Dico quinto, indispensabiliter tamen requiritur ad Sacram Scripturam Spiritus Sancti assistentia specialiter Scriptorē dirigēs ne in aliquo deficiat, vel erret, nec decipiatur ipse; nec alios decipere vellit. Colligitur clare ex ijs quæ Ioann. dixit 14. *Spiritus Sanctus docebit vos omnem veritatem, & suggeret vobis omnia*, & 2. Corinth. 2. *Accepimus spiritum, qui ex Deo est, & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis*, sed in doctrina spiritus. Et quia vt dicimus Sacra Scriptura nullum mendacium, vel errorem continere

E de-

debet; sed si scriberetur sine Dei assistentia, vel in rebus minutissimis, vel vitio, vel oblivione, posset scriptor discedere à vero: ergo requiritur, vt hæc evitentur, specialis Spiritus Sancti assistentia.

In his conclusionibus omnes ferè Auctores conveniunt. Sed descriminantur in hoc: an scilicet, etiam in rebus quæ Scriptores Sacri viderunt, vel audierunt antea, sit requisita specialis, & expressa revelatio modo supra explicato? Affirmant aliqui quibus favere videtur Bañes cit. dub. 3. alij absolutè negant cũ Cano lib. 2. cap. 16. Tena lib. 1. sect. 3. & Zumel 1. p. cit. & plures alij. Sed tertia sententia media nobis defendenda suscipitur, in quam Auctores secundæ inclinãt. Vndè sit.

Sexta cõclusio: Scilicet, quod respectu illarũ rerũ, quę captũ nostrũ excedunt, vel quia supernaturales, vt mysteriũ Trinitatis est. Vel quia iã præterita, vt creatio mũdi. Vel licet præsentia sed à sensib⁹ remota, vt quæ procul à nobis sũt, vel futura vt mors alicuius. Ad talium conscriptionem certam, & veram; requiritur specialis, & expressa revelatio: cæterum respectu illarum rerum, quas sensibus nostris percepimus, sufficiet impulsus, & assistentia Spiritus Sancti, vt diximus.

Prima pars conclusionis de rebus super naturalibus, probatur clare ex his, quæ tradunt Theologi 1. p. q. 32. art. 1. in quo inquiritur, an per rationem naturalem possit cognosci Trinitas personarum. Et quia cum Matt. 16. Interrogasset Christus Discipulos suos dicens: *Quem dicunt homines esse filium hominis? Vos autem quem me esse dicitis?* Cum Petrus respondisset: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Christus ad hæc: *Beatus es Simon Bar jona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi; sed Pater meus, qui in Cælis est.* Videatur ibi D. Hieronymus. Et quia cum omnis cognitio sit, vel à priori per causã, & respectu Trinitatis non detur: vel à posteriori, & ab effectu; cum omnes effectus adextra sint à Deo, vt vno, ex nullo creato potest talis cognitio haberi. Videãtur Theologi.

Altera pars de præteritis prob. Quia cum omnis cognitio fiat per species, vel infussas, vel acceptas à rebũs; si primæ nõ adsint, vt supponimus, & secundæ requirant præsentiam rerum à quibus abstrahantur, quæ iam non existunt; non poterunt tales species dari: vndè cum Moyses scripsit: *In principio creavit Deus Cælum & terram.* Dixit Gregorius. Prophetavit Moyses. Iisdem rationibus. Tertia pars prob. Et quia vt dicitur Isaiæ 12. *Annunciate nobis, quæ ventura sunt, & dicemus quia dij estis:* & quia datur specialis repugnantia in futuris, vt de illis dentur species. De quo Araujo 3. p. q. 11. art. 3. dub. 2. diffic. 3.

Iam de vltima, & præcipua conclusionis parte scilicet, de reb⁹ quas Moyses v. g. & alij Evangelistæ, & Apostoli sensibus perceperunt. Prob. Supponendo ad cognitionem alicuius rei duo requiri; & species illius: & lumen, quo potentia confortetur, & obiectum illuminetur, sic in visione beata requiritur divina essentia, vt species, & lumen gloriæ elevans, & confortans intellectum, & in visione oculorum, species rei visæ, & lux confortans potentiam, & obiectum illustrans. Igitur quæstio potest esse, vel de speciebus rerum quarum notitia ex ipsis per sensus consecuta est, vel de lumine, & revelatione requisita, vt tales cognoscantur res; vtrum vtraque debeat esse de novo, & supernaturalis, an sufficiat species naturalis, & lumen naturale, vel semper requiratur lumen supernaturale?

Dicimus ergo septimo iuxta tertiam conclusionem, quod non requiruntur novæ species præter illas quas antea habitæ sunt. Conclusio vltra dicta ibi, probatur ex ijs quæ dicuntur in materia de fide, vbi communiter testantur Theologi, quod ad mysteria supernaturalia cognoscenda non requiruntur species infusæ, sed per creatas connotativè percipiuntur, simul cum lumine supernaturali fidei: ergo idem in præsenti. Et quia ideò in rebus supernaturalibus; supernaturales requiruntur species, vt sit proportio in illarum repræsentatione cum obiectis supernaturalibus: ergo cum in nostro casu obiecta sint naturalia, sufficient species naturales,

cum

cum sic sufficiens salvetur proportio. Sed sicut D. Thomas 2.2.q.172.art.2.ait: quod in prophetia species antè habitæ divinitus ordinantur. Ita hic tales species poterunt confortari, vel ordinari, vt deserviant Sacræ Scripturæ. Vndè non semper requiruntur novæ species infusæ, vt docet Benavid. disp. 2. dub. 5.

Dicimus vltimo, nihilominus si de lumine, vel revelatione loquamur; requiritur revelatio supernaturalis modo explicato, pro lumine elevante, & confortante intellectum. Conclusio pro secunda statuitur sententia, & probatur primo, ex loco Ioan. 14. citato, *docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia*; super quæ ita D. Thomas cum D. Gregor. Spiritus Sãctus suggerere dicitur, quia ab occulto subministrat vires ad cognoscendum. Vel docebit in quantum nos facit participare sapientiã Filij. Suggerit in quantũ nos impellit provt est amor. Vel docebit omnia, quæ intelligere non potestis, & suggeret quæ memoriæ non potestis cõmendare. Quomodo enim Evangelista Ioannes post quãdraginta annos potuisset omniũ verborũ Christi, quæ postea scripsit, habere memoriam, nisi ei Spiritus Sanctus suggessisset?

Secundo probatur ratione. Si omnia quæ sunt in Sacra Scriptura revelata non essent, non esset Spiritus Sanctus auctor illius, quod est falsum, vt diximus: sequella probatur, in primis per solam inspirationẽ nequit dici auctor primarius; quia vel inspiravit, quæ scriberẽt, vel movit, & imperavit tãtũ, vt scriberẽt. Si primũ habemus intentũ de revelatione: si secundũ, ergo non est auctor: patet consequentia: quia ex eo solũ quod superior moveat, vel impellat, imò & præcipiat subditum scribere, non ideo dicitur superior auctor scripturæ à subdito scriptæ. Similiter per solam asistẽtiam nequit dici auctor primarius; quia vel per dictam asistentiam habet notitiam scribendorum, vel non; si habet, habemus intentũ, & sic asistentia, & revelatio identificatur: si non habet, ergo non est auctor; sicut neque est auctor librorum aliquorum Patrum quibus ne inscribendo errarent adfuit. Sed de hoc infra.

Dices cum Abul. quæst. 1. præfat. in Math. scriptores sacros scribere per influxum, & asistentiam Spiritus Sancti, ad eum modum quo instrumenta operantur per influxum causæ principalis illis coniunctæ per asistentiam. Contra, quia ex infra dicendis sacri Scriptores sunt instrumenta animata, & operantia per rationem; ergo debent intelligere quæ scribunt. Quod si iterum respondeas iam esse sibi nota, quæ scripturus est, vt supponimus, quia ille vidit, vt transitum maris rubri Moyses vidit, & alia Evangelistæ.

Contra, quia in actione qua instrumẽtum agit vt instrumentum, agens principale debet applicare materiam, cum illi principaliter tribuatur effectus; ergo quando scriptor, vt instrumentum, vel calamus Spiritus Sancti scribit, Spiritus Sanctus debet ministrare materiã scriptori, & illuminare mentem illius, quæ ex pluribus, quæ vidit debeat scribere, vt patet ex ijs quæ Evangelista Ioannes dicit vltimo in capite.

Denique probatur: aliqui ex Scriptoribus Sacris, tam veteris, quam novi testamenti per revelationem scripserunt: ergo & omnes, cum non sit maior ratio: antecedens probatur ex Isaiæ cap. 8. nam cum ex præcepto Domini esset paratus ad scribendum, suppeditavit illi Dominus scribenda dicens: *Scribe, velociter, spolia, detrahe, &c.* & cum Ioanni idem scribendi impositum esset præceptum illis verbis, Apocal. 14. *Audivi vocem de cælo dicentẽ mihi, scribe, &c.* Statim quid esset scribendum manifestatum est illi, scilicet: *Beati mortui*, & idem cernitur cap. 2. & 3. respectu Angeli Ephesi, & aliorum.

Cõfirmatur, eodẽ modo se gerebat Spiritus Sanctus cum Scriptoribus Sacris, ac cum Apostolis cum ad Reges, & Præsides Religionis causam ducti; fidem verbo tenus defendebant: sed illis suppeditabat quid essent dicturi ex Math. 10. *Cũ steteritis ante Reges, & Præsides nolite cogitare &c.* Ergo & illis, quod essẽt scripturi: maior probatur, ideo illis suppeditabat sententias, & verba Spiritus Sanctus, quia fidei causam agebant, quæ tanti ponderis

 est,

est, vt non debeat relinqui humano iudicio, quantumvis erudito; sed etiam Sacri Scriptores cum libros scribebant etiam fidei negotium agebant, non pro singulari aliquo Principe, vel Provincia, sed pro vniverso orbe in ævum duraturo, ergo idem Spiritus, & eodem modo vtrisque inspirabat, & revelabat.

Sed notandum, quod istæ rationes videntur multum probare, cum non solum revelationem, sed etiam species, & res ministrabat illis: quod nos in tertia conclusione negavimus. Sed resp. hoc intelligendum quando aliàs Scriptori res nó erant notæ, vel oblitus illarum, quia tunc vltra revelationem semper ad Sacram Scripturam requisitam, requiritur quod novæ species, quæ res oblitas, vel incognitas repræsentent, illi infundantur.

Ex dictis infertur. Primo, quod ad ratioñe Sacræ Scripturæ non sufficiat, quod si quis ex propria mente, & spiritu aliquod verum diceret, quod Deus postea approbaret, & verum esse testaretur. Hoc inquam non sufficeret ad Sacram Scripturam; ita Legion. q. 4. expos. cap. 1. Serlog. tom. 1. in cant. anot. 7. Lorca tract. de locis disp. 1. & alij apud Antonium prælud. 1. dub. 3. contra Bonfrerum, & alios. Ratio brevis est D. Thomæ 1. dist. 27. q. 2. cap. 2. quia scriptura est verbum Dei; verbum autem solum est proprium producentis, & proferentis illud, ergo cum talis scriptura non esset, neque prolata, neque à Deo inspirante, propriè non esset illius.

Et vt respondeamus contrariorum fundamento; dicimus, quod non valet: hoc est infalibile & verum, ergo est Sacra Scriptura. Patet hoc in decretis Conciliorum, quæ non sunt Sacra Scriptura, & tamen sunt veritatis certæ, & infalibilis. Dicimus ergo ad Sacram Scripturam duo requiri: & quod certam, & infalibilem contineat veritatem; & quod sit verbum à Deo inspiratum, & revelatum vt sæpè diximus. Et argumentum de epistola à Secretario scripta, & Rege firmata, nil convincit; quia talis solum per quandam appropriationem, & extrinsecè dicitur esse Regis: videantur Auctores citati.

Sequitur secundo, quod vt dicit Scalan. lib. 1. cap. 2. vt aliqua sit Sacra Scriptura non sufficit, quod in ea contentum sit ab aliquo Propheta divulgatum in aliqua concione ad populum, sed vltra requiritur, quod vel ipsi scribant, vel curam habeant, quod per alios ad hoc divino numine, & officio præparatos, hoc exequantur. Et sic, inquit, licet Canones Apostolorum sint ab ipsis traditi: sed quia non sunt ab ipsis, vel alijs à Deo deputati, scriptis ideò non sunt Sacra Scriptura. Vndè infert, quod si scribæ qui erant in Synagoga haberent impulsum ad scribendum, quæ à Prophetis audierant, libri illi nó Prophetis, scribis attribuerentur. Sicut D. Marc. Evangelium scripsit prout didicerat, & audierat à D. Petro, ex D. Hieronymo; & tamen non Petri sed Marci Evangelium dicimus. Et idem de D. Luca, qui etiam scripserat sicut acceperat ab illis, qui à principio viderunt ea quæ nobis tradidit in Evangelio.

Quomodò autem cohæreant hæc cum his, quæ post lib. 4. c. 44. dicit loquens de Hieremia; quod ipse condidit volumen, excipiente calamo, quæ dictabat, Baruc notario à numine deputato; & hoc nó obstante, talis prophetia non dicitur esse Baruch, sed Hieremiæ? Certè difficulter ista conciliari possunt; nisi dicamus, quod cum aliquis dicit, vel loquitur numine raptus, eo fine vt litteris ab ipso, vel alio mandentur: tunc ille dicatur Auctor, & non amanuensis, & sic contingit in Hieremia. Si autem non dicatur eo fine, sed vt suam explicent mentem, & animum, tunc si aliquis illa scribat, iste dicitur Auctor; vt patet in cãtico Zachariæ, Simeonis, B. Virginis, & Ezechielis, & tunc revelatio immediatè fit ipsi loquenti, vel proferentis amanuensi verò solum mediatè, & verbaliter cum assistentia Spiritus Sancti ne erret in aliquo, & hoc sufficiet vt sit Sacra Scriptura: ita plures.

CONTRA SVPERIORA.

Arguitur primo, contra sextam, & septimam conclusionem. Quia Ioan.

14.

14. dicitur de Spiritu Sancto: *Docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia.* Et in 2. Petr. 1. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirante, &c.* Ex contraria enim sententia sequitur, quod aliàs aliquando voluntate humana allata esset prophetia, nec doctrina diceretur divina, nec divinitus inspirata. Nam qui ad scribendum impellitur à Deo non ei assignata materia, libere scripsit, & humanam condit scripturam: sicut si quis ad docendum moveretur à Deo, non ei assignaret materiam, sed eam sibi pro libito eligeret, huius doctrina non esset, nec nominari possit divina: si verò cum impulsu etiam materia ministraretur, iam haberetur revelatio; quod loca scripturæ citata videntur insinuare, vel clare dicere.

Resp. quod nos etiam in illis rebus, quæ aliàs Scriptor noverat, requirimus duo: primum lumen supernaturale, vel revelatio explicata. Secundum, quod ex illis rebus non eligat Scriptor, quæ ipse vult, sed quæ Deus illi indicaverit, & ad quæ scribenda induxerit, vt patet ex Ioan. cap. vltimo. Cum his enim duobus requisitis salvatur quicquid requiritur ad rationem Sacræ Scripturæ, & non sequitur inconveniens, quod in argumento intenditur, vt patet. Licet Benav. dub. 11. dicat, sufficere motionem, & directionem Spiritus Sancti, etiam sine revelatione.

Secundo argumento contra vltimam, quia si ad omnia quæ sunt in Sacra Scriptura requiritur revelatio. Sequitur primo, quod Spiritus Sanctus continuo deberet esse revelans, & suggerens Scriptori, quod videtur falsum. Cum hoc sit proprium Christo Isai. 11. *Requiescet super eum spiritus Domini.* Et quia ad hoc requiritur eximia sanctitas, quæ saltem videtur Salomoni defuisse. Secundo sequitur, quod cum aliquis Scriptor sacer transcribit alia, quæ iam scripsit, vt Moyses in Deuteronomio, requiretur nova revelatio, quæ videtur superflua. Tertio sequitur, quod etiam cum Scriptores plena, & propria auctoritate scripserunt, vt Moyses, cum permisit libellum repudij, de quo Christus dixit. Math. 19. *Ad duritiam cordis vestri permisit.* Et Paulus 2. Corinth. 12. *Non loquor secundum Deum.* & cap. 7. *Dico ego non Dominus.* Et Luc. inquit: *Sicut tradiderunt nobis.* Vbi D. Hieronym. Evangelium, sicut audierat scripsit, acta verò sicut viderat: tunc indigerent revelatione, quod videtur falsum.

Resp. ad primum, quod Scriptores Sacri non indigebant continuo influxu, & assistentia Spiritus Sancti, sed solum quãdo impellebantur, vel excitabantur ad scribendum: sicut dicitur de Prophetis 2. 2. q. 171. art. 2. & patet in Esdra postulante Spiritum talem, & respondit Dominus: *Ego accendam in corde tuo lucernam intellectus &c.* Sanctitas verò non requiritur, sicut neque in Prophetis ex D. T. 2. 2. q. 172. a. 4. quia tales gratiæ non ordinantur ad propriam, sed aliorum vtilitatem. Ad secundum resp. quod licet Scriptor iam illud sciret, non tamen sciebat iterum esse scribendum, & sic necessaria est nova revelatio. Quibus addo, quod cum secundus liber non sit minus Canonicus quam primus, & sic vterque eget revelatione vt scriberetur. Non enim minus est de fide Virginem parituram, quia est in Matheo, ac quia est in Isaia. Ad tertium resp. pro nunc, illa testimonia Moysis, & Pauli dicta videri sine revelatione, non tamen scripta: vndè Christus non dixit: Moysen scripsisse, sed permisisse libellum repudij, vt scirent quid ipse, quid alij dixerint, præceperint aut consuluerint. Ad locum Lucæ dico: aliud esse scripsit quod vidit, & audivit; aliud scripsit res eo quod audivit. Primum asserit Lucas, & Hieronimus, non secundum. Videatur de his Scalante lib. 1. cap. 3. & infra dicemus ex professo.

DVBIVM QVINTVM.

An Sacræ Scripturæ quoad singula verba sint ab Spiritu Sancto dictatæ?

CElebrem in hac parte lustrandã suscipimus difficultatem, in qua quot

ca-

capita, tot evasere sententiæ. Sed pro maiori dicendorum notitia, iterum repetere necessarium videtur; quinque modis posse aliquid dici esse scriptum ex motione, & impulsu Spiritus Sancti. Primo, cum res Scriptori ignota, Spiritus Sancti illustratione illi manifestatur 2. quia Deus mentem, & animum excitavit Auctoris, vt res sive notas sive ignotas supernaturali, vel naturali notitia cognitas, scriberet. Tertio, quia Deus ex his quæ Scriptor viderat, has vel illas litteris mandare inspiravit. Quarto, quia Scriptor sacer ex his quæ naturaliter, vel supernaturaliter agnovit, fuit speciali providentia adiutus, vel inspiratus, vt aliqua scriberet. Quinto denique, quia nedum sententias, vel sensus, sed singula etiam verba dictavit, quibus conceptus mentis exprimeret, lustrando, ordinando, vel infundendo species novas, vel antiquas.

Prima ergo sententia affirmat absolutè requiri, vt omnia dictétur verba, ita Legion. 1. p. var. q. 4. expositiva. Lorca de locis lib. 1. disp. 1. Montoya contra. 3. Suarez de fide. disp. 5. sect. 3. Cano lib. 2. cap. 18. Perez de Sacra Scriptura dub. 10. cap. 6. & alij, apud Antonium prælud. 1. dub. 2. Gravinam contr. 1. art. 2. Secunda sententia negat cum Cantaprat. lib. 8. cap. 4. Sancio lib. 2. Machab. cap. vlt. Bonfrer. in prolog. c. 8. sect. 3. Benavides dub. 10. & alijs.

Tertiã sententiã tenet Scalante lib. 1. cap. 4. asserens singula verba aliquando sacro dictata Scriptori, aliquando non. Quarta sententia est M. Bañes, qui licet primam tueatur 1. p. q. 1. ar. 3. dub. 3. contrarium tamen asserentes quantum ad cõpositionem verborum, nulla censura dignos dicit. Quinta sententia defenditur à Magistro S. Tho. 2. 2. disp. 9. art. 1. scilicet, quod cum Sacra Scriptura primo à Deo tradita est Scriptoribus, etiam singula verba sunt dictata illi: atverò quando translata est, non adfuit specialis assistentia circa ipsa verba naturaliter considerata, sed solum requiri secundam, tertiam, vel quartã ex supra dictis. Denique Azor tom. 1. lib. 8. cap. 3. q. 5. inquit, quod Scriptori Sacro sententiæ, & verba suppeditavit; interpreti verò non ita. Difficilè ergò inter tot sententias erit ferre iuditium.

Supponendũ ergo ex D. Thom. q. 12. de verit. art. 9. In Prophetis duplicem reperiri actum. Primum, & principalem, visionis, de quo modo non vacat agere. Secundum, enuntiationem, vel manifestationem, de quo in præsenti: à quo munere dicebantur præfatores, quia à procul fantur, idest à remotis. 1. Corinth. 12. *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem*. Vndè prophetia secundario consistit in locutione scilicet, vt quæ ipsi noverunt, denuntient alijs. Et sic Isai. 21. *Quæ audivi à Domino Deo exercituum, annuntiavi vobis*. Et Mat. 10. *Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*. Et de Prophetis 2. Petr. 1. *Quod Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti homines Dei*; quod alij vertunt, acti, moti, impulsi: videatur D. Thom. 4. contra. g. cap. 21.

Insuper notanda venit sequens doctrina: scilicet, quod dictare nil aliud est, quã per aures, vel in imaginatione, vel intellectu imprimere, infundere, ac inijcere verba. Vndè dictare præsupponit ex parte dictantis assistentiam, & proportionatam approximationem; ipsum autem dictare præcisè nõ est formaliter assistentia qua manus scribentis tenetur, ne rẽ pro re, aut vocabulũ ponat pro vocabulo. Hoc enim patet in humanis; aliud est enim magistrũ discipulo dictare, quod scribat, & quomodo; aliud autẽ ipsum manutenere, vt fideliter scribat. Sic ergo dicimus, quod Spiritus S. dictet Scriptori sacro, nõ idem esse, ac ipsum manutenere, ac assistere, licet hæc assistentia præsuppponatur, ac committetur ipsum dictare: ex parte verò Scribentis dictare præsupponit præviam scribendi facultatem: sicut actio agentis principalis supponit virtutem propriam instrumenti, & etiam Scribentis voluntatem, & promptitudinem, vt suaviter, & sapienter cuncta contingant.

Dico primo, aliquando, & aliquibus Scriptoribus certum est Spiritũ Sanctum. Singula dictasse verba, in hoc omnes debent convenire propter evidentia Sacræ Scripturę testimonia, vt Ierem. 1. *Ecce dedi*.

di verba mea in ore suo. Ezechiel. 3. *Ecce audies de ore meo verbum, & anunciabis ex me.* Et Exod. 4. Dominus ad Moysem: *Ego ero in ore tuo, docebo te quod loquaris.* Et Ieremiæ 36. dixit Baruc primis Hebræorum: *Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos, & scribebam in volumine, atramento.* Ergo si dictabat quasi legens, igitur prius habebat in mente, inspirata à Spiritu Sancto. Et Matth. 10. *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini.* Ego enim dabo vobis os, & sapientiam. Et quia cum aliqui Prophetæ fuerint simplices, & rudes: ijs saltem etiam ipsa verba, quibus voluntatem Dei populis anunciarent, dictanda erant; & sic talis Scriptor solum erat, quasi organum, & instrumentum ad Dei placita pronuntianda.

Dico secundo absolutè tenendum est, quod omnia Sacræ Scripturæ verba sunt à Spiritu Sancto dictata. Ita pro prima sententia à qua non recedunt neq; Bañes. nec Azor, nec Magister à Sancto Thoma. Conclusio potest probari primo ex locis pro præcedenti adductis. Et specialiter ex illo Psalm. 44. *Lingua mea calamus scribæ.* Modo sic: ergo sicut calamus ab Scriptore, ad has, & non ad aliàs litteras determinatur formandas: pariter Scriptores, & Prophetæ ad hæc, & non ad alia verba proferenda. Et 2. Reg. 23. dixit David: *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam.*

Secundo prob. ex D. Gregorio cap. 2. in Proem. Moral. Auctor libri Iob, Spiritus Sanctus est; ipse igitur hæc scripsit, qui hæc scribenda dictavit. Et D. Ambros. Proemio in Lucam. Tandem D. Thom. 3. p. q. 43. art. 4. ad. 1. Itaque cum illi (loquitur de Christi Discipulis) scripserunt, quæ ille ostendit, & dixit, nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit, quando quidem membra eius, id operata sunt, quę dictante eo cognoverunt. Quicquid enim ille de suis factis, & dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tanquam suis manibus imperavit. Videatur D. Hieronymus, Zachar. 4. & Augustinus lib. 7. confessionum.

Tertio prob. ratione M. Cano. Spiritus Sanctus nonnulla dictavit Sacræ Scripturæ verba, vt iam vidimus, ergo etiam omnia: consequentia probatur, quia aliàs fluctuaret passim, & legẽtium, & audientium fides; dum ignorarent, nec facilè discernere possent, quænam spiritu hominis, quænam spiritu Dei scripta fuissent. Quod si dicas res graves, & ad fidem pertinentes Dei conscriptas spiritu, & dictatu, secus leves. Contra quia, vt iam diximus, quæ vni viderentur levia, alteri gravia, & è contra: & certè inconveniens est, fidem nostram ab humano arbitrio pendere.

Quarto prob. non minoris auctoritatis, & credibilitatis est verbum Dei scriptum, quam prædicatum: imò aliquo modo maioris, cum vt scriptum futurum esset fidei regula in perpetuum, sed verbum Dei cum prædicabatur, specialiter dictabatur, vt constat ex dictis, ergo cum scribebatur. De qua ratione videatur Montoya citatus.

Probatur etiã: quia si omnia verba non essent dictata à Spiritu Sancto, vt quid comentatores tam attente illa librarent, & expenderent. Hoc certè non alia ratione, nisi quia ex Hieronymo ad Ephes. 3. In Sacra Scriptura singuli sermones, apices, pũcta, plena sunt sensib⁹. Et Chrisostomus homil. 19. in Genes. Non enim dictionem parvam, neque syllabam in divinum librum contentam invenimus esse prætereundam. Si dicas sufficere ad hoc assistentiam intervenire Spiritus Sancti. Contra quia ex hoc solum infertur non posse in illis aliquem reperiri errorem, non verò quod verba peculiarem contineant sensum, & mysterium.

Denique omissis pluribus alijs rationibus apud Auctores citatos vidẽdis; quia vt supra insinuavimus, cum scriptura sit verbum Dei, & verbum illius tantum esse dicatur, à quo dicitur, & profertur; si scripturæ verba, non à Deo specialiter dictarentur, sed Scriptoris arbitrio relicta essent, potius istius quam Dei esse dicerentur. Et sic Paulus 1. Cor. 2. inquit: *Quæ & loquimur, non in doctis humanæ sapiẽtiæ verbis, sed in doctrina spiritus.* Vndè licet

cet librorum sacrorum verba tribui possint Apostolis, potius tamen illi, qui illos, vt hæc scriberent, excitavit dictavitque.

Solet etiam conclusio probari vulgari argumento, scilicet, quia aliàs nulla esset differentia inter Sacram Scripturam, & definitiones Conciliorum, cùm vtrisque ne errent asśistat Spiritus Sanctus: ergo aliquid amplius tribuendum Scripturæ. Sed hæc ratio nõ multum vrget, vt etiam nostræ cõclusionis defensores advertunt. Plures enim differentiæ asśignantur, ex M.Cano lib.5.cap.5.q.3. Scalat.cit.cap.6. ex Tena sect. 3. Prima, quia Sacri Scriptores ex proxima Dei revelatione scribebant, isti inquierendo, & disputando. Secundo, quia Sacris Scriptoribus asśistit Spiritus Sanctus, etiam in minimis, & singulis: istis solum in necessarijs absolutè, scilicet in substantia definitionis, non verò in ratione, vel causa asśignanda, vt patet in Cap. à quodam Iudæo, de Baptismo.

Tertio differũt, quia diffinitiones Conciliorum scribuntur à Secretario, qui talem non habet impulsum, licet si iste erraret, postea à Concilio, & Patribus emendaretur. At in Scriptore Sacro specialis reperitur asśistentia. Quarto, quia in Sacra Scriptura Scriptor agitur, ita vt non sit in potestate eius alia scribere, & dictare; secus in Concilijs sed de hoc infra. Quinta, quod verba Conciliorum solum deserviunt ad confirmandam veritatem: sed verba Sacræ Scripturæ ad signandas res, & istæ ad alios sensus significandos.

Dico tertio, licet Sacra Scriptura cum primo tradita, & edita ab Scriptore Sacro, sint omnia eius verba dictata ab Spiritu Sancto. Hoc tamen non requiritur dicere, cum ipsa Sacra Scriptura ab interpretibus postea conversa, vel exposita est. Ita Ioan. à S. Thom. & Azor. Prima pars conclusionis constat ex præcedentibus. Secunda probatur. Primo ex D.Tho. 1.p.q.1.art.10. dicente verba nõ esse propter se, sed propter sensum, & res significatas. Vndè restat, quod verba Sacræ Scripturæ, & voces non sunt infalibilis auctoritatis propter se, sed propter sensum. Huc venit, quod D. Hieronym. ad Galat. 1. ait, ne putemus in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu, non in superficie, sed medulla, non in sermonum folijs, sed in radice orationis.

Secundo probatur, quia in formis Sacramentorum, etiam si verba materialiter varientur, dummodum eundem sensum reddant, idem operantur ex D.Thom.3.p. q.60. art. 8. & D. Hieronym. de optimo genere interpretandi dicit. In translationibus non debet reddi verbum de verbo, sed sensus de sensu, & August. lib.2. de Doctrina Christiana, cap.4. dicit. In summa, si intellectui, & sensui nil detrahatur, nil impedire mutationem, & corruptionem in Scriptura.

Dices, si hæc ita se habent, quod interpreti vulgatæ non singula dictavit Spiritus Sanctus verba, currit à contrario sensu argumentum. Vt quid tanta cura, & labor in illorum explicatione? Resp. 1. quia contrarium probabilè de quo infra. Secundo, quia asśistentia Spiritus Sancti hoc promeruit. Tertio, quia cum ista verba, quæ modo habemus sint explicativa illorum, quæ specialiter Spiritus Sanctus dictavit, indè vt illorum notitia plenius habeatur, ista enodare, & enucleare oportet.

Dico vltimo, non est improbabilis modus dicendi M.Bañes, scilicet. Singula verba esse dictata ab Spiritu Sancto, sed non quantum ad compositionem; sed hoc diligentiæ, & curæ relinqui Scriptoris, sed cum asśistentia Spiritus Sancti ne erret. Probatur ab illo: quia dùm sacer Scriptor eas res quas vidit litteris mandat, videtur sufficere, vt talis Scriptura sit Sacra, & asśistentia, & impulsus Spiritus Sancti ne erret, neque ex proprio marte dicatur scribere: ergo idem impulsus sufficit ad verborum compositionem, quæ ipse sacer Scriptor proprijs viribus ad invenire & facere potest: consequentia probatur, quia non minus refert rerum gestarum memoria, quam ordo, & compositio verborum. Et quia sic salvaretur, quod in Sacra Scriptura nulla falsitas nec error posśit intervenire.

Advertit tamen Magister Bañes, quod li-

licet hoc admittatur vt probabile; sed nō cum Scriptor sacer de rebus altissimis, & supernaturalibus loquitur, vt patet in Ioānis Evangelij initio, scilicet: *In principio erat Verbum, & verbum erat apud Deū &c.* non enim videtur possibile, vt arte humana talem orationem componeret, nisi Spiritu Sancto dictante verba didicisset. Cum adhuc in illis sic compositis, erraverit Arrius, vt infra dicemus.

Cæterum contrariū tenendum, vt probabilius, cū sententia M. Bañes, quia sicut asserere omnia verba esse specialiter à Spiritu Sancto dictata, cedit in maiorem Sacræ Scripturæ excellentiam, & dignitatem, ita & compositio, & ornatus, & cultus verborum; hac enim de causa etiam illa Expositores attendunt. Vndè D. Hieronym. ad Ephes. 3. explicans illud. Cuius factus sum minister secundum donū gratiæ Dei, quæ data est mihi iuxta operationem virtutis eius: Scio, inquit, appositionem cōiunctionis *eius*, per quam dicitur, cohæredes, & concorporales, indecoram facere in latino sermone sententiam: sed quia ita habetur in Græco, & singuli sermones, apices, & puncta in divinis Scripturis plena sunt sensibus: ideò magis volumus in compositione structuraque verborum, quam intelligentia periclitari.

CONTRA SVPERIORA.

ARgum. 1. contra 2. quia in S. Scriptura reperiuntur aliqua verba, quæ diversitatem loquentiū videntur inducere, vt cum Paulus dicit 1. Corinth. 7. *His autem, qui matrimonio coniuncti sunt præcipio, nón ego, sed Dominus.* Et postea. *Cæteris ego dico, non Dominus,* & 2. Cor. 11. *Quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia.* Quod explicat D. Hieronym. dixisse, non ex humilitate, sed de conscientiæ veritate.

Resp. quod in Sacra Scriptura aliqua dicūtur, quæ possūt verificari absolutè de Deo, vt illa quæ præcipit, vel consulit, & quasi à se loquitur: alia quæ quasi de seipsis loquūtur Scriptores, & non possunt verificari de Deo, vt illud Ierem. 12. quare via impiorum prosperatur, &c. In vtroque casu semper Dei requiritur impulsus. Vel respondetur, quod alia sunt quæ viderunt Scriptores; & alia quæ divina cognoverunt revelatione, & cum de illis scribunt, vel loquūtur tunc quasi à se ipsis scribunt, & loquūtur, quando de istis, in Dei persona, sed semper Dei indigent assistentia, & directione, & revelatione, vt diximus.

Secundo arg. Quia testimonia Sacræ Scripturæ varie, & diversimodè citātur ab Auctoribus in veteri, & novo testamento, vt constat pluribus in locis: imò eadem res varijs verbis narratur ab Evangelistis: quod quidem videtur non posse stare si Spiritus Sanctus etiam singula suggerat verba: quia vel videretur oblitus priorum, vel prioribus relictis vt inutilibus, alia nova proponere magis rem explicantia, quod in Auctore primario videtur esse magnum inconveniens.

Resp. quod verba non quæruntur propter se, sed propter sensum, & propter res significatas: voces ergo & verba Sacræ Scripturæ non est intelligendum esse infalibilis veritatis solum propter se, & materialiter considerata, sed potius propter sensum quem exprimunt. Vndè si idem reddatur sensus semper remanet eadem ratio formalis veritatis, vt patet in Sacramentorum formis, & sic semper remanent eadem verba formaliter, licet non materialiter. Secundo Resp. hoc factum esse peculiari instinctu Spiritus Sancti, ne viderentur Evangelistæ inter se convenisse; si easdem res ijsdem etiam semper verbis exprimerent. Et quia cum Spiritus Sanctus sit præcipuus Auctor, potest diversis vti vocibus, ac distincto modo, & stylo ad eandem rem significandam, quia non est alligatus verbis Scriptoris.

Tertio arg. quia sequeretur quod idem esset stylus in omnibus Scriptoribus Sacris, cum idem Auctor sit, & dictans verba, quod tamen esse falsum constat ex diversitate styli scriptorum. Et quia hæc nostra vulgata non fuit ex originalibus, facta verbo ad verbum, sed ex Hieronymo, secundum sensum: ergo signum est, quod non fuit Spiritu Santo dictata: aliàs

interpres iniurius fuisset sacris originalibus.

Resp. ex illo Psalm. 44. *Lingua mea calamus, &c.* Vndè sicut scriba plures eligit calamos subtiles, vel grossos, vt diversas litteras formet; ita Spiritus Sanctus se accomodat diversis ingenijs, & hominum captibus, vt omnia suaviter, & fortiter disponat. Videatur D. Thom. 2. 2. q. 176. ar. 1. Ad alterum resp. quod interpres iuxta aliquos habuit spiritum Sacri Scriptoris, & sic ex Dei instinctu potuit taliter interpretari. Vel quod vulgata in illis locis in quibus concordat cum originali, & si interpres non habuerit talem spiritum, cótinet Sacram Scripturam, quia verba solum differunt materialiter non formaliter. Alia arguméta videantur apud Auctores citatos. Videatur Benavides disp. 8. à dub. 24. Vbi an D. Hieronymus vulgatæ fuerit Auctor? An fideliter, & diligenter? quoties versionem fecerit? Qua Spiritus Sancti assistentia, & influxu? Et resolvit non tanta quanta Scriptores Sacri, sed speciali in sermonum interpretatione 1. Corinth. 12. ne erraret à vera sententia in negotio fidei, & morum, non in alijs minoris notæ.

DVBIVM SEXTVM.

Vtrum omnia Sacræ Scripturæ puncta, & apices sint revelata?

PRæsens dubium pro ante dictorum maiori intelligétia proponitur: nec contemnendum venit, quia de rebus parvis pertractat; etenim pro minimo jota maximus Magister dixit: *Iota vnum, aut vnus apex, nō præteribit à lege.* Math. 5. & Sapiens. Prover. 30. *Tria sunt minima terræ &c.* Et qui formicam, & pulicem pro mundi ornatu non est dedignatus creare; sic pro Scripturæ necessitate puncta, minimosque apices adstruere voluit. Et quia ita necessaria, vt sine illis plurium Sacræ Scripturæ locorum veritas, & intelligentia consistere nequeat, vt tractatu 2. dicimus. Sed prius quid punctum, & quid apex? explicandum venit.

Primo ergo obsfervādum, quod in originalibus Hebræis tria sunt punctorum genera. Alia sunt quæ vocalium vice (quibus carent Hebræi) sub litteris constituuntur consonantibus. Quod præstitum dicitur à Masoretis in Concilio Tybiriade congregato, anno Christi 426. iuxta Sixtum Senensem. Verbo jota, lib. 2. anno mundi iuxta Genebrardum 3639. Alia sunt puncta deservientia pro accentibus, vbi vox acuenda, vel attenuanda sit. Denique alia sunt pro distinctione verborum, & sententiarum. Ex his aliud dicitur periodus, quod vnicum est, & claudit orationem, & figuratur sic. Aliud dicitur Colon maius, quod est punctum semicirculo iuxta istam formam; aliud est punctum geminatum vnum supra aliud, sic: aliud deservit interrogationi sic? aliud admirationi ita! aliud est parentesis, quæ digressiones in oratione occurrentes, quasi carcere claudit sub hac forma ( ) & licet horum punctorum vsus in qualibet facultate sit valdè familiaris, sed à Grammatica processisse est tenendum.

Circa apicem sciendum venit, varie apud Philosophos, Iurisperitos, & apud Sacr. Auctores vsurpari: apud Philosophos significat fastigium, & cacumen rei: & sic instituerunt in summo flaminis pileo modicam lanam esse apponendam, quam à situ apicem dixerunt. Apud Iurisconsultos, apex, pro summo iure vsurpatur, ex Vlpiano lib. 24. de mandatis: de bona inquit fide agitur, cum nō congruit de iuris apicibus disputare. Videatur etiam Plinius lib. 11. Apud nostros autem interpretes, apex, pro minima particula vsurpatur, & pro rebus quæ parvi videntur esse momenti. Et sic dixit Christus Matth. 5. *Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege*: idest minora, & leviora legis, sub modico apice denotata, sunt adimplenda, quæ locutio Christi fuit metaphorica. Videatur Abul. ibi.

Apex ergo est linea, vel virgula brevis supra litteram ducta. varia illius munera. Primum supplet litteram, vt in voce Grāmatica, vel eius vices gerit, vt cum dicimus bonū, &c. ponitur etiam pro particula,

la, quę, vt quandoq; Secundum, tollit æquivocationem, vt in his vocibus, populus, quæ significat populum, gentes, & arbores, & cum virgula significat arborem. Tertium, mutat significationem, vt in voce sana, si addatur, fit sanna, idest iracundia. Quartum, vocabula abreviat, vt cum scribimus Dñs Xps. Denique est minima signare, & sic Christus dixit, vnum apicem non esse prætereundum, quin adimpleatur.

Considerandum etiam venit, quod si loquamur de punctis, quæ apud Hebræos vicem obtinent vocalium, si ab Scriptoribus Sacris sint affixa, absque dubio sunt à Spiritu Sancto dictata, & summæ auctoritatis, vtpotè partes Scripturæ. At Genebrardus prologo in Psalmos de his punctis, quæ vicem obtinent vocalium, ita fatur. Non vident Hebræi moderni hoc esse inventum humanum, & post 478. annos à Christo; contra Christum, & christianam pietatem esse inventa. Et figmentum deridet dicentium, talia puncta simul cum lege esse data in monte Sinai. Cum tamen nec 70. nec Origines, nec Hieronymus illa viderint. Imò cum Iudæi modo Sabbatis legem legunt, hoc fit sine punctis, vt nil humanum ad mixtum habeant: quod probabilius videtur.

Denique sciendum, nostram vulgatam etiam vti punctis distinguentibus (quæ etiam deserviunt pro accentibus) vt Hieronymus testatur in proleg. ad Isaiam sic. Quod in Demosthene, & Tulio fieri solet, vt per cola scribantur, & commata, nos quoque vtilitati legentium providentes interpretationem novam, novo scribendi genere distinximus. Ex quo patet, vulgatã, quæ Hieronymũ præcessit, huiusmodi punctorũ notatione caruisse. Quod etiam confirmat Casiod. lib. 1. institut. cap. 12. Quod ergo in præsenti dubitatur est, an huiusmodi puncta, & apices, sivè distinguentia rationem, sivè significationẽ vocis variantia, sivè accentuum, sint à Deo dictata, & revelata Scriptoribus originalibus, & interpretibus vulgatæ?

Ratio dubitandi est, quia si alicui essent revelata maximè Sacris Scriptoribus; sed his non: quia ipsi absque huiusmodi punctis scripserunt, vt omnis fatetur antiquitas; ergo: minor probatur, quia vt Elias in masoreth scribit, vniversa lex fuit vnũ pasuch, sivè vnicus versus, vnica sentẽtia, & periodus, absque aliqua librorũ, & capitulorum distinctione; sicq; duravit vsque ad captivitatem solutam, quando per Esdram reparati sunt sacri Codices: tunc enim ipse, & viri Synagogæ seu Synodi magnæ afflati divino spiritu, scripturas in versus distinxerunt, ergo &c.

Dico primo, vniversa puncta, & apices quæ sunt in originalibus, sunt à Deo dictata, & revelata, sivè Sacro Scriptori, sivè cuilibet alteri, qui illa apposuit. Ita Hieronymus in epist. ad Ephesios per hæc verba: Singuli sermones, syllabæ, apices, & puncta in divinis Scripturis plena sunt sensibus. Videatur Salmeron in proleg. cap. 8. adstipulatur Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana cap. 1. Chrisostomus homil. 21. in Genes. & Petrus Martinus tract. de clavibus præcogn. 2. & alij.

Probat conclusio ratione; Hæc punctorum, & apicum appositio facta fuit ex decreto Concilij congregati tempore Esdræ, cui præfuit summus Sacerdos Iesus filius Iosedech, & interfuerũt iuxta aliquos, Daniel, tres socij eius, & alij eximiæ sanctitatis viri, vt testatur Genebradus anno 3658. ergo sicut canon in illa Synodo (vtpote legitima) creditur à Deo revelatus, ita & alia decreta, quæ circa illud edixerunt: quorum vnum fuit distinctio Sacræ Scripturæ in versus, sententias, & varios pesuchim. Vndè prædictus Auctor ait, quod viri afflati divino spiritu distinxerunt scripturas.

Conf. Esdras divino afflatus spiritu restauravit omnes libros sacros veteres; sed hoc fuit, quia ad meliorem formam reduxit, distinguendo sententias per incisiones & commata: ergo hæc distinctio, & punctorum appositio facta fuit divino afflante spiritu: minor, & consequentia patet: & maior est expressa Rabani de institut. Clericorum cap. 54. & communis; probatur, quia non poterat Esdras huiusmodi apponere pũcta, nisi assequeretur omnes scrip-

turæ sensus perfectissimè: sed hoc non poterat sine speciali illustratione Spiritus Sancti ergo; maior patet, quia ex situ, & collocatione punctorũ dignoscitur, quid senserit spiritus, & quid non senserit quando scribebat Esdras: ergo vt illa apponeret vtrumque debuit cognoscere, quod hominis captum naturalem excedit.

Denique confirmatur licet à posteriori satis efficaciter. Illa pũcta, & apices erant canonica quando apposita sunt, vt cõstat, ergo revelata: patet consequentia, quia fides necessario innititur revelationi: antecedens autem prob. quia ex illorum appositione pendet canonicus sensus Spiritus Sancti, vt de vulgata in sequenti conclusione dicam.

Dico secundo, omnia puncta, & apices quæ sunt in vulgata latina sunt revelata, & Spiritu Sancto dictante apposita; ita omnes qui primam secuti sunt conclusionem. Præcipuè Casiod. cit. cap. 12. dicens: Meminisse debemus prædictum Hieronymum omnem translationem suam in auctorite divina, sicut ipse testatur, propter simplicitatem fratrum colis, & commatibus ordinasse, vt qui distinctiones secularium comprehendere minimè potuerunt, hoc remedio sufulti inculpabiliter pronuntiarent Scripturas Sacras.

Deinde probatur ratione. Veritates catholicæ in Sacra Scriptura contentę stare non possunt nec constare, sine appositione punctorum; ergo sicut ipsæ veritates sunt revelatæ, ita puncta dictata: patet consequentia, quia eo ipso quod Spiritus Sanctus veritates revelabat vt cognoscerentur; suppeditare debebat omnia ad illa requisita: antecedens autem sic ostenditur. Nam Manichæi errorem de Deo iniquo malorum Auctore stabiliebant in illis verbis Iudæ: *Subintroierunt homines impij, Dei nostri transferentes in luxuriã.* Qui error processit, quia comma apponendum post ly impij, apponatur post ly homines. Similiter Hæresis Arriana Verbo divino deitatem tollens, fulcitur testimonio Ioannis dicentis: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.* Hæresis autem processit ex eo quod punctum apposuerunt, post ly Deus erat, quod tamen erat apponendum ante ly, hoc erat, dicendo *Verbum. Hoc erat.* Alia plura exempla poterant adduci; sed hæc relinquimus ad tractatum secundum de clavibus ex professo tractanda.

Secundo prob. nam Sanctissimus Papa Vrbanus VIII. in emendatione Brebiarij Romani, æquali cura restituit puncta vulgatæ ac verba, & eadem pœna prohibuit mutationem illorum ac istorum: ergo sentit Pontifex vtraque pariter fuisse à Spiritu Sancto revelata. Confirmatur huiusmodi puncta, & apices sunt de fide, & canonica, ergo sunt revelata: antecedens probatur, quia quantumvis minimæ, sunt partes vulgatæ; Tridentinum autem decernit vulgatam esse canonicam cum omnibus suis partibus: consequẽtia probatur, quia fides innititur revelationi.

Dices fortè ex his tantum concludi revelationem factam Concilio, vt puncta de fide decernerentur, non verò factam revelationem appingendi illa puncta. Contra, quia Concilium non canonizat vulgatam, sed declarat esse vulgatam, & à Spiritu Sancto emanatam: ergo sentit Concilium, quod ante eius decretum iam vulgata cum omnibus suis partibus esset revelata illi, qui illam condidit. Ex quo sequitur non posse stare (si perfectè perpendatur vis, & efficacia huius replicæ) oppositam sententiam cum decreto Concilij, nõ canonizantis vulgatam, sed declarantis esse canonicam.

Ad rationem dubitandi, iam patet, esse puncta revelata, sive Scriptoribus, sive quibuscumque alijs, qui illa apposuerunt, ex officio, vel ministerio ad hoc deputatis; vtpotè partes integrantes ipsius Sacræ Scripturæ; eiusdem autem est creare, & perficere, licet non pro eodem tempore; Condidit ergo Spiritus Sanctus Sacram Scripturam, & posteà suo tempore Esdras perfecit.

Contra secundã conclusionẽ potest esse argumentum, quia in pluribus vulgatæ locis, non est apposita punctuatio; imò ignoratur, & est sub opinione quomodò

sit

sit pūctuanda iuxta Spiritus Sancti mentem, vt videri potest apud Interpretes; ergo signum est punctuationē, quæ reperitur, non Spiritu Sancto dictante, sed humana industria ex antecedentibus, & consequentibus deducente sensum, vel à fide dictante, quisnam esset sensus, talem punctuationem esse appositam.

Resp. negando consequentiam, nam illa punctuatio non vtcumque est certa, sed vt de fide tenenda: hanc autem certitudinem præstare non potest humana auctoritas quantacumque industria, & solertia polleat. Cum autem est dubium (dicendū sicut supra) esse certam sub disiunctione, & in Ecclesia esse auctoritatem discernendi determinatam, & certam punctuationem.

DVBIVM SEPTIMVM.

De qualitate Sacræ Scripturæ scilicet, de eius veritate.

AD cuiuslibet rei essentiam cōsequutur proprietates, sicut ad rationale esse admirativum, & risibile: & explicata iam Sacræ Scripturæ essentia de eius proprietabibus sermo habendus: & licet multiplices, & variæ soleant à Doctoribus assignari, aliquas breviter attingemus, vt ad præcipuam inter omnes scilicet. Veritatem enucleandam transitum faciamus.

Primo ergo in scriptura eminet, quod si dictata à Spiritu Sancto, etiam vt Auctore speciali, de quo iam aliqua diximus, & dicemus. Secundo, quia in ea continentur vaticinia, & oracula contingentia, quæ à solo Deo certè prævideri, vel ab illo quem Deus inspiraverit, possunt, ex illo Isa. 41. *Annuntiate quæ vētura sunt in futurū, & dicemus quia dij estis vos*: de quo Theologi 1. p. q. 57. art. 3. Tertia, maxima concordia scripturarum, sine aliqua vera cōtrarietate, vt latè expendunt expositores. Quarta, auctoritas, & sanctitas scribentium, de quibus nihil falsum dixisse præsumi potest. Quinta, rationabilitas contentorum in illa, quia nihil incredibile de Deo affirmat; & ad morum honestatem pertinentia proponit. Sexta, perpetuitas, & stabilitas per tot sæcula, & vsque in finem permansura.

Septima, multitudo miraculorum, quæ in eius comprobationem, & contestationem patrata referuntur. Octava, testimonia exterorum, scilicet Gentilium, & Sybillarum ipsam cōfirmantium. Nona, plures per illarum lectionem conversi, & quanta pro illorum amore pertulerunt. Insuper vocatur Prophetia, Testamentum, cibus, Epistola Dei ad creaturas, favus mellis, fons aquarū viventium, & puteus, ager, & vinea, vena argenti, argentum, Regnum Cœlorum, mercatus spiritualis, aqua refectionis, templum gloriæ Dei, oleum, ostium, & alia quam plurima, apud Hieronymum prologo in Psalmos. Et August. 3. de Doct. Christ. cap. 16. Quibus sic breviter transcursis, vt ad præcipuum scilicet veritatem accedamus.

Dico, ita Sacra Scriptura continet veritatem, vt repugnet omnino falsum aliquod in illa reperiri. Vt hoc radicitus explicemus præcissum videtur recurrere ad doctrinam, quæ traditur 2. 2. q. 1. art. 3. in quo inquiritur vtrum fidei possit subesse falsum? Vbi ex professo exagitāt expositores, latissimè probantes; quod quia fides divina innititur revelationi, & est à Deo, qui est prima veritas, non potest fides inclinare in falsum, sicut nec Deū mentiri per se, neque per Ministrum de potentia absoluta, in communi sententia, quæ ibi videnda remitto, & breviter, sic propono. Sacra Scriptura est à Deo vt diximus, sed Rom. 3. *est autem Deus verax*, & ipsa summa veritas; ergo cum se ipsum negare non possit, nec per se, nec per alium potest mentiri, aut falsum dicere.

Et quia sicut Deo competit immutabilitas, ita veracitas, sed absolutè Deus mutari non potest, ergo nec à veritate recedere: & quia de ratione primæ veritatis sunt duo scilicet, quod sit sapiens, & bonus; ergo si quia summè bonus neminem potest fallere; etiam quia summè sapiens non potest, nec per ignorantiam, nec per nescientiam aliquid asserere falsi, & quia con-

conditio instrumenti magis attribuitur principali agenti quam instrumento, ergo si Deus moveret aliquem ad decipiendum, hæc actio ita Deo, quam instrumento attribueretur.

Probatur etiam nostra conclusio eadem ratione, sic disposita. Principalis, & primarius Sacræ Scripturæ Auctor est Deus: ipsoque impellente, manutente, revelante, & dictante scriptum est quidquid in ea continetur: sed Deus adhuc de potentia absoluta, nequit fallere, aut falli, nec esse causam falsitatis, aut erroris, ergo Sacra Scriptura incapax est omnis falsitatis, & erroris quantumvis minimi: maior probata manet: & minor supponitur, vt certa apud omnes cum D. Th. 2. 2. cit. consequentia verò patet, nam si regula artis manum, & penicillum duceret artificis, nil posset Artifex depingere alienum ab arte: ergo si Deus, qui est prima veritas omninò movet Scriptoris calamum, implicat hunc aliquod scribere mendacium.

Denique à posteriori ostenditur. Si Sacra Scriptura aliquod contineret mendacium quantumvis levissimum, non posset in iudicium proferri pro re aliqua, sivè gravi, sivè levis sed hoc non, ergo: sequella probatur ex Augustin. lib. 32. contra Faustum cap. 16. & epist. 9. ad Hieron. vt refert Gratianus in decreto C. si ad sacram, sic asserente. Si enim ad Scripturas Sacras, veluti admissa fuerint officiosa mendacia; quid in eis remanserit auctoritatis? Quæ tandem de scripturis illis proferetur sententia? Cuius pondere, contentione falsitatis obruitur improvitas; statim enim, vt protuleris, si aliquid sapit quod contranititur, dicit illud quod prolatum fuerit, honesto aliquo officio Scriptorē fuisse mentitum. Ita Augustinus.

Cui subscribunt iura canonica loco cit. & glossa ibidem, quod in eis dist. 9. & pluribus in locis Iurisperiti docentes, quod si instrumenta, vel attestationes pro parte inveniantur falsa, in totum reprobantur: & in forensibus causis, si falsitas sit circa substantiam instrumenti, videlicet in die, vel indictione, vel circa substātiam negotij, corruet totū instrumentū, ita vt in iudicio admitti non debeat, & Actor illud inducēs repulsam merito patiatur ex infidelitate instrumenti: sed veritas Sacræ Scripturæ est illi substantialis, ergo si mēdacium quantumvis leve ipsa contineat, non poterit in iudicium profferri propter suspicionem vniversæ falsitatis; qui enim in vno decipitur, & potuit in omnibus alijs. Videatur Abulens. q. 4. prolog. in Matth. Ex quo sequitur nulla reperiri in Sacra Scriptura loca inter se repugnantia, nec posse reperiri; aliàs vnum ex illis esset necessario falsum, & per consequens falsitas in Sacra reperiretur Scriptura.

§. I.

Expenditur locus ex 3. Reg. cap. 16. & 2. Paralip. 19. de morte Iehù filij Hanani Prophetæ.

Contra veritatem Sacræ Scripturæ licet ita certa, & inconcusa sit, tot tantaque obijciunt Hæretici, vt illam obtenebrent, sed etiam Catholici, vt eam lustrent, atque apparentes dissolvant contrarietatum nebulas, vt vix ad numerum & classes reduci possent. Laborarunt valdè hac in re Seraphinus Cumiranus libro integro. Sixtus Senens. lib. 7. & 8. Bibliothecæ. Scalant. varijs capitibus sui Clepei. Tena in Isagoge, Auctores Biibliæ Magnæ in prologomenis, & qui, non ex opposito rebus? Plura Cano in libris de locis. Gravina, & Benavides disp. 2. dub. 14. Difficiliora oriuntur ex temporum discordantia frequenti in Sacra Scriptura, de qua tract. 2. regula de temporibus longe latè quæ dicemus: nunc pro tyronū exercitio circa duo celebriora loca fusius longiusque sermonem protrahemus.

Primus ergo, lib. 3. Reg. cap. 16. Ibi dicitur, *quod Iehù Propheta filius Hanani occissus à Rege Baasa, quia contra illum Prophetavit, &c.* Et tamen de isto Iehù dicitur 2. Paral. 19. *quod locutus fuit cum Iosaphath Rege Iudà*, quod fuit anno quo mortus fuit Achab Rex Israel, qui tamen regnavit post mortem Baasa: ergo non potuit esse occissus à Baasa cum post

eius

eius mortem dicatur loquutus cum Iosaphath Rege Iudà.

Vix alius locus ita difficilis in tota Sacra Scriptura occurrit, & sic in eius expositione non est vir cum viro. Vt ergo aliquam lucem illi afferamus, tria præstabimus. Primo, adducetur textus. Secundo, variæ sententiæ referentur. Tertio, resolutionem proponemus. Textus ergo ita habet 3.Reg.16. *Cum autem in manu Iehù filij Hanani Prophetæ Verbum Domini factum esset contra Baasa, & domum eius, &c. ob hanc causam occidit eum, hoc est, Iehù filium Hanani.* In 2.autem Paralip. cap.19. Ita habetur: *Reversus est autem Iosaphath Rex Iudà in Hierusalem pacificè, cui occurrit Iehù filius Hanani, videns, & ait ad eum.* Modo sic. In lib.3. Reg.16. dicitur occissus Iehù a Baasa: in 2.Paral. 19. dicitur locutus cum Iosaphath, eo anno quo mortuus est Rex Achab in prælio: ergo cum Rex Baasa, qui occidit Iehù præcesserit multo tempore annum in quo mortuus est Rex Achab scil. 30. vel pluribus annis post eius mortem cum reverteretur Iosaphat, Iehù filius Hanani increpavit Regem: quomodò ergo hoc potest verificari si iam tot annis ante erat mortuus Iehù, quia increpavit Regem Baasa? En difficultatem.

Ad secundum deveniendo, quid Auctores senserint iam videamus. Supponentes textum litteræ vulgatæ integrum, sartum, & tectum servari debere, maximè post decretum Tridentini, sess.4. Liranus dicit post alia; illa verba vulgatæ hoc est Iehù filium Hanani Prophetam, non haberi in textu Hebræo; sed appositum à translatore, vel impressore, & post textui scripturæ insertum. Idem videtur tenere Abul. q.4. & Cayet. non habetur in Hebraica veritate. Sed hoc vt diximus iam subsistere non potest post vulgatam correctam, & impressam.

Hugo Cardin. dicit, quod occissus fuit Hanani pater Iehù. Sed hoc videtur apertè repugnare textui. Dionysius verò Cathusianus duo dicit. Primo, quod forte fuerunt duo eiusdem nominis parentis, & officij. Cui consentit Cornelius dicens. Hoc ego libentius fatebor, aut Hanani Prophetæ duos filios fuisse eiusdem nominis; aut duos esse patres vocatos Hanani, qui totidem habuere filios vocatos Iehù: nam illud improbare, quod probatum est ab Ecclesia, audacis est ingenij, & parum pij, & requirit acerbiorem censuram. Idem dicit Tyrinus sic. Alius fuit hic Iehù filius Hanani, qui refertur 3. Reg.16. ab illo Iehù filio etiam Hanani 2. Paral.19. qui multo post tempore occurit Iosaphat. Neque novum plures parentes cognomines habuisse, filios quoque eiusdem nominis. Quod probat Carthusian. quia primus occisus fuit à Baasa quadraginta ante annos, & sic non potuit scribere res Iosaphat, quas iste secũdus scripsit. Idem tenet Scalan.lib.4.cap.40.

Non potest non ista expositio probabilis esse, cum tot pro se habeat patronos; licet difficilè sit exemplum proponere adæquatũ. Et si enim plures eodẽ nomine vocati reperiantur; cum eisdem tamen Patre, officio, & professione, non iudició inveniri; hoc tamen neque falsitatem, neque impossibilè esse convincit, vt istam relinquamus. Quã etiã amplectitur Gravina contraversio. art. 12. instantia afferens ex Genes.c.36. Vbi bis refertur etiã Oolibama filia Anna, & post multas generationes. Versu 25. refertur etiã Oolibama filia Annæ. Et quod dixit Augustinus 2. de consen. Evang. cap.7. de duobus Herodibus, cum fieri potuisse nemo nesciat: qua cæcitate insaniunt, qui procliviores sunt ad calumniandum Evangelicæ veritati, quam paululum considerationes: vt duos homines eodem vocabulo appellatos intelligant; cuius rei exempla plena sunt omnia.

Aliam viam ingressi sunt Cayetanus, & Maluend. Ille explicat pronomẽ, eum. Ita vt demonstret Ieroboham cum domo eius. Narratur enim quod Iehù Propheta manifestavit Regi Baasa, pro qua causa percussit Deus domum Ieroboham, vt vel ab exemplo disceret resipiscere. Iste verò sic. Hebræi, & plerique verbum ly *eum*, intelligunt Nadab filium Ierobahã, quem interfecit Baasa supra cap.15. & est re-

relatum sine antecedenti expressum. Alij per, *eum*, intelligunt Baasan, propter quod percussit eum Dominus, idest propter prava sua opera. Probabiliter dictum videtur; sed cum ly *eum* statim subsequatur ad reprehensionem Iehù, dicere quod occidit eum, magis hic sensus litteræ congruere videtur.

Iam secundum, Carthusiani dictum audiamus; scilicet quod Iehù occissus, fuit resuscitatus, & sic potuit postea loqui cum Iosaphat. Neque improbabilitatis, neque impossibilitatis aliquid præsefert ista solutio. Prò qua sciendum, quod vt Christus Dominus dixit, Matth. 24. ***Cælum, & terra transibunt, verba autem mea nō præteribunt.*** Quod licet de verbis propheticis præcipuè intelligatur; de ipsa etiam sacra Scriptura verificari potest. Ad quod confirmandum dixit Augustinus lib. 2. de Genes. cap. 5. quod Beda approbabit, scilicet: maior est Sacræ Scripturæ auctoritas, quam omnis humani ingenij capacitas. Vndè non exiguitate intellectus nostri metienda est Sacræ Scripturæ maiestas, vt non admittamus nisi ea quæ intelligere possumus. Cum ergo constet, quod Iehù occissus sit à Baasa, qui multo tempore præcessit Iosaphat, quādo post mortem Achab ipsum reprehendit, ne falsum in Sacram Scripturam impingamus; si fortè duos eiusdem nominis, & parentis fuisse displiceat, quid impedit vt ipsum resuscitatum asseveremus, cum Deus pro suorum adimpletione verborum ingentia patràverit miracula? ergo pro Sacræ Scripturæ veritate, ita contigisse asserendum.

Diversimodè alij senserunt, & nodum solverunt difficultatis, quod latè prosequitur Tena lib. 1. sect. 6. dif. 4. qui cum Sixto Senens. lib. 2. V. Iehù. Dicit eundem fuisse Iehù, qui refertur 3. Reg. & 2. Paral. Cum autem obijcitur illi, qui fieri potest sit idem, si iam antea occissus fuerat? Respondet Tena primo; esse phrasim Sacræ Scripturæ, vt qui vulnus accepit læthale occissus dicatur: non quia ita realiter fuerit, sed quia sufficientem mortis causam acceperit. Dant instantiam in Ezech. cum illi dixit Isaias: *Cras morieris, & non vives*: quia non fuit revera mortuus, sed quia habuit causam mortis sufficientem. Et adminus dicendum, quod vulnus læthale acceperit, cum septuaginta, & Pagninus dicat, & percussit eum, & cum postea convaluerit, diu supervixit, & potuit Regem increpare Iosaphat.

Sed cum Sacra Scriptura expressè dicat. Occidit eum, voluntariè infirmari videtur proprietas verbi, occido, & fingi talem cō valescentiam. Vndè Tena videns hanc obiectionem: respondet ad illam negando vtrūque, & dat rationem. Quia cum Sacræ Scripturæ verba non possunt in rigorosa, & propria significatione vsurpari sine evidenti absurdo, ad tropum esse confugiendum, ex Augustino. Sicut cum dicitur Ioann. 15. *Ego sunt vita vera.* Et primæ Corinth. 10. *Petra autē erat Christus.* Cum ergo Sacra Scriptura dicat Iehù esse occissum à Rege Baasa: & postea asserat locutum ad Regem Iosaphat, in anno quod Rex Achab mortuus refertur, quod naturaliter est impossibilè, ideò dicendum quod illud verbum *occido*, ex 3. Reg. 16. debet accipi pro vulnere læthali, quod suffecisset ad mortem, nisi Deus aliter providisset.

Probabilem solutionem quis negabit? Sed contra illam duo militare videntur. Primum, quod ex doctrina Athanasij lib. de communi essentia Patris, & August. cit. verba Sacræ Scripturæ in significatione propria, & rigorosa sunt accipienda, nisi aliàs inconveniens sequatur: Verbum autem occido, quod in Sacra Scriptura 336. invenitur, cùm de hominibus loquitur semper in significatione propria vsurpari videtur, ergo ita accipiendum est. Inconveniens autem quod sequitur, scilicet quod post mortem narratam, in 3. Reg. iterum introducitur in Paral. loquens cum Rege Iosaphat, potest evitari dicendo, vel fuisse duos eiusdem nominis, vel resuscitatum fuisse, vt iam diximus.

Secundum, quod contra Tenam obstare videtur est. Quia licet verissima sit regula Augustini; si ex litterali sensu sequitur aliquod absurdum, confugiendum esse

esse ad tropum &c. vt patet in locis adductis: in præsenti tamen inconveniens vitari potest ex dictis,& dicendis; & non debet fieri transitus à sensu proprio ad mysticum, sed à proprio ad minus proprium, & vsu receptum, quod esse diversa constat. Vndè,& ipse Tena, non penitus fidens huic solutioni,addit. Quod si tibi ista solutio non arrideat &c. sed improbabilis non est censenda.

Plures alij,his omnibus minus fidentes, dixere; quod Rex Iosaphat cum impio Achab pacem habuit à principio Regni sui,& cui etiam aliàs opem tulit.Cum ergo Sacra Scriptura 3.Reg. narrat Regem Iosaphat post dictum bellum reversum fuisse in Hierusalem, fortè tunc intermiscet,& interserit, quod multo ante contigerat,scil. quod Iehu occurrit Regi Iosaphat increpans illum, quod opem Achab tulerit: quod fœdus, & amicitiam inierit cum illo, accipiendo in vxorem filij sui Ioram, Athaliam filiam Achaz, in perniciem domus Iosaphat; vt constat ex Sacra Scriptura,de quo Tornielius,&Tena vbi supra, qui tempora computant, & componunt.

Vt autem ista solutio non videatur voluntaria, quam etiam amplectitur Gravina cit. restat nobis probare, quod dixit Tena, & non exemplificavit;scilicet,morem esse Sacræ Scripturæ, vt transitum faciat ab vna re narrata, in aliam, ita vt prius ante facta narrentur, ac si postea contigissent. Est optimum exemplum, Matth.14.dicitur:*Quod audivit Herodes famam Iesu,& dixit: quod Ioannes Baptista surrexit à mortuis.* Et deinde prosequitur, quomodo misit Ioannem in carcerem, & decollare præcepit. Quæ historia antea scribenda erat, vt patet: sed quia Evangelistæ incidit tunc sermo de Herode, qui Ioannem decollare fecit tunc gestum scribit.

Ita in præsenti dicit Gravina, quandoque in Sacra Scriptura ab vnius rei narratione ad alteram fit transitus sine ordine temporis, & ita prius facta narrantur, quæ postea evenerunt,& è contra. Potuit ergo fieri vt Auctor libri Paralip. narraret reversionem Iosaphat à bello,& addiderit postea absque consequentia temporis,quod antea acciderat, scilicet,quod illi occurrerit Iehù filius Hanani videns, & ait ad illum:*Impio præbes auxilium?* quæ solutio valdè probabilis censenda est.

Denique idem Gravina aliam assignat dicens: post occisum Iehù, Patrem eius Hanani in demortui locum, alium generare potuisse; & cum prole nova, nomen mortui renovasse, & istum fuisse, qui post 40. circiter annos increpavit Iosaphat, & scripsit partem libri Regum, & sic iste fuit alius à fratre suo occiso. Nec extraneum videri debet,illi similiter prophetiæ spiritum donatum. Legitur enim Actuum.21. *Philippum habuisse quatuor filias Virgines Prophetantes.* Vel quod (vt concludamus) potuerunt esse duo ipsius Hanani consobrini (sicut constat fuisse duos Zorobabel) & vtrosque filios generasse, & simili nomine Iehù,illos vocasse; quorum vnus Baasa, alter Iosaphat reprehēdit. Vel fuisse duos Hanani ex diversa familia ijsdem viventes temporibus spiritu prophetico præditos: & vnus eorum non casu, sed fortè consilio nomen Iehù filio imposuit ob memoriam Iehù martyris recenter à Baasa occisi, qui grādior factus spiritu prophetiæ illustris redarguit Regem Iosaphat. Quo argumento vsus est Augustinus, vt dixi, ad probandum duos fuisse Herodes.

Hæc ita dicta sint in loco difficillimo, qui in tot sensus Auctores divisit;certè vt Augustinus dixit adMarcellinum.Si ratio contra divinas Scripturas redditur,quantumvis accuta sit, fallit veri similitudine, nam vera esse non potest.Igitur vt ad tertium deveniamus præter sententiam Hugonis, Lyræ, & Abulensis, qui integritatem Sacræ Scripturæ non servant: sive dicamus duos numero fuisse Iehù, sive vnum postea resuscitatum; sive verbum occido idem,ac vulneratū; vel quia Sacra Scriptura prius facta postea enumerat; sive quod sit secundus filius, magis, & minus probabiliter manet difficultas lustrata,meliora alijs relinquendo.

§. II.

Locus Genesis 49. Non aufertur sceptrum &c. Illustratur.

DIfficilis etiam locus obijci solet ex Genes.49. Cum enim Iacob benedicens filijs; & tunc (ex Augustino) erat præsentes tangens, & futura prospiciens; cum ad Iudam quartum filium devenisset, ita affatus. *Non auferetur sceptrum de Tribu Iuda, & dux de fæmore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Ita nostra vulgata. Textus autem Hebræus sic. Non recedet sceptrum de Iuda, & scriba sive legislator de medio pedum eius, donec veniat Siloh. Circa quæ verba præstabimus tria. Primum rationem dubitandi apponemus. Secundo, varia Auctorum referemus placita. Tertio, resolutionem, & obiectorum dissolutionem.

Ratio dubitandi inde sumitur, quia dato quod de Messia talis intelligatur auctoritas, adhuc videtur à veritate deficere. Quia per sceptrum, vel intelligitur Regia, ac suprema potestas: vel dignitas, & auctoritas iudicandi in spiritualibus. Hoc secundum non, quia proprium Sacerdotum, & maximè summi Sacerdotis, qui omnes erant de Tribu Levi. Non primum, quia tres status possunt considerari, à Iacob vsque ad Christum. Primus, vsque ad Iudices. Secundus ab istis ad vsque David. Tertius, vsque ad Christum. In primo non fuit sceptrum, cum solum esset domus Iacob cum 12. Patriarchis, qui toto tempore quo permanserunt in nil auctoritatis, & iudicij erat apud Ægypto, illos.

In secundo statu à Moyse, vsque ad David, ex quibus Moyses fuit de Tribu Levi, postea Iosue de Tribu Ephraim: ac deinceps cœperunt Iudices, qui fuere 13. Othoniel, Sangar, Ahot, Debora, & Barac, Gedeon, Abimelech, Thola, Iair, Iepte, Abesan, Ayalon, Abadon, & Sampson. Ex quibus solus Othoniel, & Abesan fuere de Tribu Iudà; & Iudices permanserunt per spacium 339. annorum in computo valdè probabili: successerunt Heli, & duo filij eius, de Tribu Ephraim per 40. annos; ac tandem Samuel cum Saul de Tribu Benjamin per 40. annos.

In tertio autem statu ab vnctione David, vsque ad transmigrationem Babylonis per 20. vel 21. Reges omnes de Tribu Iuda per spacium 400. annorũ plus minus, clavum Regni tenuere vsque ad Sedeciam, de quo Hierem. 22. dicitur: *Scribe virum istum sterilem, quia non erit de filijs eius, qui sedeat super thronum:* ergo iam tunc cessavit sceptrum à Tribu Iuda. Denique in Machabæis hoc ipsum cõstat, qui Principes extiterunt in Iudæa; & tamen non erant de Tribu Iuda, vt patet. Dicitur enim 1. Machab. 2. quod Mathatias (postquem filij eius principatum obtinuerunt) erat Sacerdos de filijs Ioarib: Sacerdotes autem non erant de Tribu Iuda, vt dicit Apostol. ad Hebr. 7. sed de Tribu Levi; ergo cessavit sceptrum à Tribu Iuda, etiam quoad titulum Iudicis, & non solum Regis, ergo falsum est, quod dicitur in textu Genes. 49. Ergo cum ex egressu ab Ægipto vsque ad Herodem præterierint plusquam 1484. anni, plus vel minus solum per tempus 473. sceptrum Regni obtinuit Tribus Iuda.

Circa ista verba plura nobis elucidanda veniebãt, scilicet, quomodo cohæreat vulgata cum textu Hebræo? & an de vero Messia sint intelligẽda? De quo Interpretes, vt Galatinus lib. 4. cap. 4. Oleaster, Pererius, Cornelius, Maluenda, Medina, Suarez, & Mag. S. Thoma in Divum Thomam. Tota ergo ratio dubij militat contra Iudæos, quia in sua littera non habetur verbum illud, qui mittendus, vel missus, vel Messias, sed Siloch. Vndè variè illa explicant. Negant enim quidam talem prophetiam adhuc impletam, sed ab illis (dicunt) Regni sceptrum obtineri. Sed hoc frivolum censendum; demus enim in Babylonia plures habitare Iudæos, sceptrum tamen tenere, inauditum semper. Alij Hebræi licet impletam asserant prophetiam, sed nomine *Siloch* intelligunt locum vbi Saul vnctus fuit. Sed tunc nondum sceptrum fuerat in Tribu Iuda: nec

Sau-

Sauli possunt adaptari, quæ in littera dicuntur.

Alij impletam dicunt tempore Ieroboam: sed tunc licet deminutum, sed non ablatum sceptrum. Alij impletum in Nabuchodonosor; sed nec iste, nec alij fuerũt gentium expectatio, & postea iterũ sceptrum remansit saltem in ducibus. Alij etiã Rabini per *Siloeb*, Messiam intelligunt, vt latè Galat lib. 4. c. 5. qui Siloch dicunt derivari à Radice Scalach, quod significat quietum, vel pacificum. Vel à verbo Iahal quod indicat, Missum: quod propriè convenit Messiæ. Erit ergo sensus: non recedet virga, scilicet, Regia aut sceptrum de Iuda, & scribere faciens decreta, vel decreta proferens, de inter pedes eius; donec veniat quietus, vel ille qui singulariter mittendus est. Hoc ergo supposito restat dubium quomodò intellecta prophetia de vero Messia, verificetur quod non est ablat um sceptrum de Tribu Iuda?

Igitur reijcienda prius sententia asserentium, promissionem fuisse conditionatam: secundum illud Psalm. 88. *Si custodierint filij tui testamentum meum.* Et 3. Reg. 8. Sed cum sæpe ille populus pluribus se implicuerit peccatis, & non sit ablatum sceptrum in tanto tempore, nil ergo sic certum diceretur, Sicut quod dicunt, non intelligi prophetiam de Regia potestate, sed de consilio, vel iudicio sapientum, quod vocabatur Sanhedrin. Sed adminus voluntaria videtur expositio (& adhuc concessa) tales viri eligebantur ex senioribus totius populi. Num. 11. cui præsidebat Summus Sacerdos, & alij de Tribu Levì. Deuter. 17. ergo licet non defecerit Sanhedrin, non indè infertur sceptrum Regni durasse vsque ad Messiam.

Alij ergo cum Eusebio lib. 1. hist. cap. 6. D. Ambros. de benedict. Patriarcharum, Augustino lib. 18. de Civit. cap. 45. intelligunt prophetiam non de Tribu particulari, sed de toto populo Iudaico, in quo proculdubio, sceptrum ad Christum vsque durasse est certum. Ita vt sensus sit; Iudaicum populum proprios Principes ac duces habiturum semper, per quos regeretur ac iudicaretur, donec Messias veniret. Idẽ docet Tena lib. 3. diffic. 7. sec. 9. Aliud inquit esse Iudam, & aliud Iudæam: quia Iuda denotat Tribum: Iudæa omnem populum duodecim Tribus continentem. Vndè cum Genes. 49. dicitur: non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de fæmore eius, donec veniat, &c. Quia nõ exprimitur Tribus Iuda, sed solum Iuda, multi non de Tribu, sed de omni populo intelligunt, cum ante Christi adventum iam defecisset de Tribu Iuda, sed nõ de Iudæa, idest Hebræorum populo, qui alias Tribus includebat. Istam expositionem probabilem impugnat Suarez sect. 1. quia si in alijs benedictionibus singulos ac determinatos filios, & eorum successus prophetavit Iacob, vt ex Sacra Scriptura patet: quare in ista non de quarto filio Iacob scilicet Iuda debet propriè accipi? Maximè cum hac de causa subiungatur: *Iuda te laudabunt fratres tui; & adorent te filij Patris tui.* Quod si de omni populo acciperetur non posset verificari, sed de Iuda, maximè quia ex illo Christus oriundus.

Nilominus M. à Sancto Thoma respondet 2. 2. disp. 1. art. 4. quod licet specialiter Iacob tunc loqueretur cum Iuda, benè potuit verba proferre, quæ omnibus accomodarentur. Et ratio quare magis cun Iuda hoc fecit, quam cum alijs, ea est. Quia cognovit quod per Tribum illam, per multum temporis sceptrũ esset regendum: & quia erat pars nobilior populi illius, & à parte totum denominari solet. Et sic nomine Sion, & Ierusalem totus Iudæorum populus solet intelligi. Et secundum istam expositionem, certum est sceptrum non defecisse vsque ad Christum.

Veniamus ergo iam ad communiorem, & probabiliorem intelligentiam; scilicet quod loquatur de Tribu Iuda determinate, & in particulari; & restant aliqua supponenda. Primo, quod nomine sceptri non solum intelligitur potestas Regia, sed etiam principalis ad regendum, & iudicandum. Et sic benè verificantur verba: Quia licet tempore Iechoniæ caruerit Tribus Iudà regali dominio, sed non po-

testate iudicandi, & regendi, vt patet Daniel. 13.

Secundum suppono, quod non fuit necessarium, vt prophetia statim exequenda intelligeretur, sed solum debet intelligi, quod posito in Tribu Iuda sceptro, quod incepit in David; non erat auferendum ab illo, vsque ad Mesiæ adventum, vt patebit. Ex quo manet responsum ad primam partem obiectionis. Scilicet de tempore Iudicum, Samuelis, & Saul. Cum enim vsque tunc non esset sceptrum in Tribu Iuda, non poterat auferri ab illo, quia ablatio præsuponit rē possessam, quæ postea auferatur. Verum tamen est, quod iam Tribus illa maiori erat in precio. Cum videamus Numerorum 2. & 7. illi commissam primam aciem ad Orientem. Et Num. 7. primus obtulit dona, scilicet Naason Princeps Iuda. Et post mortem Iosue, Tribus Iuda eligitur, vt ascenderet contra inimicos. Et postquam decem Tribus separatæ sunt à Roboam, sola permansit Tribus Iuda cum Benjamin; & tunc consiliarij pro Sanhedrin ex illa eligendi erant, saltem pro maiori parte.

Postquam autem populus reversus est à Babylone, licet Sedecias non habuerit filium, qui Regiam taneret sedem, & sic dicitur sterilis, constat tamen quod Salathiel, & eorum successores, qui vt patet Matth. 1. fuere ex Sedecia oriundi; regendi obtinuerunt principatū. Dicitur enim Aggæi 2. quod Zorobabel fuit dux in Iuda, cui novē relati à Mattheo cap. 1. subsecuti fuere vsque ad Ioseph virum Mariæ. Sed cum isti iam regimen non posside-rent, restat examinare quomodo prophetia verificetur?

Circa Machabæos autem maior se offert difficultas enucleanda. Cum expresse dicatur lib. 1. cap. 2. Mathatiam Machabæorum Patrem Sacerdotem extitisse. Et aliàs constet ex Tribu Iuda nullum præsto fuisse altari; teste Apostolo ad Heb. 7. Ante eius enodationē circa nomen illorū variè sentiunt Auctores. Sixtus Senen. lib. 1. fol. 21. Genebr. pag. 193. Baron. Tena lib. 2. diff. 16. sect. 2. Quod ita dicuntur sive à fortitudine, sive à certamine: sive quia Machabæus idem est, ac protegens, vel protectio: vndè dicitur 1. Mach. 3. *Protegebat enim gladio suo castra Iudæorum.* Fuerunt autem Machabæi primus Mathatias Sacerdos Modin, qui quinque habuit filios, quorum nomina, Ioannes, qui & Gaddi, Simon, qui Ihasi, Iudas qui Machabæus, Eleazarus qui Abbaron, Ionathas qui & Aphus.

Huic ergo difficultati aliqui respondent cum D. Cyrillo lib. 3. contra Iulian. & Genebrar. cit. Quod Machabæi fuere ex genere paterno de Tribu Iuda, & sic Regnum possedisse temporale: ex genere verò materno de Tribu Levi, & sic Sacerdotes: quia vtraque Tribus solebat coniungi matrimonio ex August. lib. 2. de cons. Evang. cap. 5. Vndè vsque ad Christi tempora perseverasse sceptrum in Tribu Iuda: quicquid Iulianus Appostata cōtenderet in Sedecia extinctum. Sed certè videtur hæc opinio apertè textui repugnare: cum ad Hebræos 2. expresse dicatur: *Quod ex Tribu Iuda nullus præsto fuit altari.* Tales autem ex paterno genere de Tribu Iuda oriundi, cum omni proprietate dicerentur esse ex Tribu illa, & sic Apostolo contradiceret.

Alij ergo dicunt Machabæos ex Tribu Iuda fuisse per genus maternum. Sed contra arguit Suarez, & Mag. à Sancto Thoma: quia si sufficit genus maternum, vt dicatur non cessare sceptrum in Tribu Iuda, quorum viris de iure cōpetebat Regnum, & eorum filijs, etiam non verificatur defecisse sceptrum tempore Christi; cum etiam tunc secundus Herodes, & alij fuerint, qui ex materno genere de Tribu Iuda descenderent, & ius haberent ad Regnum: antecedens probatur, quia Herodes erat ex matre Iudæa, licet ex patre alienigena; & quia duxit vxorem Mariamnem neptem Hircani Pontificis, quæ erat hæres legitima Regni, & ex illa natus Aristobolus, & postea Herodes Agripa, qui regnavit post Christi mortem.

Et quia sequitur ex hoc Sacerdotium fuisse etiam in Tribu Iuda, & è contrario Regnum in Tribu Levi; quod est absurdum. Nec obstat, quod tunc Iudæi Roma-

no;

no subijcerentur Imperio: quia etiam tempore Persarum illis subdebantur; & tamen remanebat in illis Principatus, licet subordinatus illis, vt patet in Zorobabel. Quod verò Iudæi conclamaverunt, non habemus Regem, nisi Cæsarem, non fuit iuridicum, sed tumultuarium, & cum Herodes duxerit Mariamnem legitimam Regni hæredem, sequeretur ex hoc sceptrum à Tribu Iuda non defecisse.

Nihilominus certum esse debet primo. Assamonæos aliquo modo fuisse de Tribu Iuda, cum dicatur 1. Mach. 5. de quibusdam. *Ipsi non erant de semine illorum virorum, per quos salus facta est in Israel. Et viri Iuda magnificati sunt valdè in conspectu omnis Israel.* Per quos viros Iuda, aliqui intelligunt Machabæos, per quos populo salus facta est (licet alij per viros Iuda, totum populum intelligant) Certum etiam debet esse, quod Iudas, & fratres eius, non arripuerunt tyrannice Principatum; cum ex populi consensu, & acceptatione talem habuerint dignitatem, ex lib. 1. cap. 5. *Nunc itaque eligimus te hodie esse Principem, & Ducem, &c.* & cap. 14. & quia Iudæi, & Sacerdotes eorum consenserunt. *Eum esse Ducem, & Summum Sacerdotem in æternum, donec surgat Propheta fidelis,* vt sit Dux super eos, &c. Et quia si tyranni fuissent, hoc Sacra Scriptura diceret, & non ita illos laudibus extolleret: de quo Scalante lib. 4. cap. 37.

Et dato quod Machabæi nullo modo essent de Tribu Iuda; adhuc posset salvari prophetia, quia aliud est sceptrum auferri tyrannice, & violenter; & aliud sceptrum de consensu Tribus Iuda ad alios transferri. Primum circa tempus Missiæ impletum est, Herode Hebræorum Regnum occupante, Iudæis invitis. Secundum, contigit etiam in Tribu Iuda, post Zorobabel, cum tali Tribu etiam annuente, ad Sacerdotes fuit imperium delatum. Quod colligitur ex cap. 6. Zachar. vbi Pontifici duæ coronæ impositæ sunt, ambæ denotantes dignitatem. Et quod non fuerit tyrannice Regnum à Sacerdote vsurpatum, statim subditur. *Consilium pacis erit inter illos duos*: & constat ex locis Machabæorum adductis 14. cap.

Dicendum ergo (vt ad tertium promissum deveniamus) quod tempore Herodis primi, sceptrum defecit Iudæorum, tam ex genere paterno, quam materno: & etiã abolitum Concilium Sanhedrin, & sic tale Regnum, & sceptrum ad exteros devenisse, de quo Eusebius in Chronic. & de Herode Maluenda lib. 1. de antich. cap. 6. plura. Prima pars probatur: quia Herodes fuit ex Patre Idumæo, scilicet Antipatro, & ex matre, non Iudæa, sed Arabica, ex Iosepho lib. 14. antiq. cap. 12. quæ vocabatur Cypron, ex qua genuit Herodem Agripam. Nec obstat, quod Herodes duxit Mariamnem ex sanguine Regio: Nil enim ad rem, quia ipsi, & non vxori datum est Regnum, ex Senatus Consulto, & Privilegio Cæsaris. Et extincto Antigono, qui ex familia Assamonæorum ad Regnum poterat aspirare, tota illa familia deleta est, saltem quoad genus paternum. Deinde populus ex Iosepho lib. 17. cap. 3. ipsum Herodem in Regem acceptavit: & iste in aliquos repugnantes animadvertit. Quæ omnia evenerunt teste Eusebio, eo anno, & olympiade qua natus est Christus: & Philo ait cõtigisse anno 30. Regni Herodis. De quo Baron. tom. 1. anno Christi septimo: & sic Christi nativitas contigit ipso anno, quo de Iuda sceptrum ablatum fuit.

Nec obstat primo, quod Iudæi dixerũt Ioann. 19. Non habemus Regem, nisi Cæsarem quia non tunc primo illum receperunt; sed iam antea quando admisserunt, & iuraverunt illum, cum à Cæsare Rex est factus, quod non fecere Iudæi subditi Persis, cum tunc haberent Duces, vel Iudices. Nec obstat secundo, quod Herodes Agrippa fuit filius Mariamnæ, quæ erat de genere Regio. Quia iam erat sceptrum ablatum à Tribu Iuda, & datum Herodi sine cõsideratione, quod haberet vxorem ex Regia Iudæ Tribu descendentem. Et sic cum omne rigore dicitur, quod tunc, & non antea, nec post adimpleta est prophetia, & sceptrum à Tribu Iuda omnino defecit.

Se-

Secunda verò pars nostri asserti de Cōsilio Sanhedrin constat etiam: quia illud Herodes sua potestate abolevit. Et licet sæpè in Evangelijs dicatur congregatum fuisse Concilium ab Scribis, & Sacerdotibus, sed hoc non quale illud; sed ex Regis concessione, & ad privata negotia. Denique ab Herode Agrippa quo tempore Christus mortuus est, fuit omnino extinctum, vel ad illius nutum Pontifices, vnus, vel plures nominabantur, & Concilium congregabatur. Vt Matth. 2. ad interrogandum de Christi nativitate: & duo erāt Summi Pontifices contra legis sanctionem. Luc. 3. & omnes fere simoniaci. Videantur Iosephus, & Expositores. Et de hoc iterum fiet sermo infra tract. 3. sect. 2. cap. 4.

At verò Marcilla Genes. 49. not. 8. Ita inquit, impugnans nostram sententiam. Quia Iudæi adhuc sub Herode, & filijs eius non magis caruerunt Principatu, quam in Babylone: imò magis, quia habebant tēplum, sceptrum, Regni Sedem &c. Et quia si tempore Herodis ablatum sceptrum fuisset, hoc 30. annis ante, quod prophetiæ contradicit. Et sic dicit illam intelligendam: solū sceptrum, & rempublicam ablatā; cū à Romanis civitate destructa, ipsi in captivitatem deducti sunt. Intelligenda ergo prophetia, non quod mox, vt veniret Messias cessaret sceptrum: sed quod non erat auferendum quandiu non veniret. Et sic explicat illud Genes. 8. de corbo, quod non revertebatur, donec siccarentur aquæ. Et Matth. 1. de Ioseph, quod non cognovit eam, donec peperit filium: sed non regressus est corvus exsicata terra: nec Virgo postquam filium peperit, cognita est à viro.

Sed circa istam sententiam tria occurrunt dicenda. Primò, quod ex illa evidens etiam contra Iudæos de Messiæ adventu colligitur argumētū. Secūdo, falsum supponere 30. annis ante Christi nativitatem, sceptrum defecisse, vt iam vidimus, & hoc dato, trigesimus annus respectu 2800. à prophetia vsque ad Christi adventum, videtur parva materia, & breve temporis spatium: Scriptura autem solet numeros minores reticere, & in maioribus concludere. Tertio, licet adverbia, donec, & antequam, non dicant consequentia, vt patet in locis adductis, sed solum quod res vsque tunc non sit facta. Attamen si destructa Hierusalem verificatur prophetia, verificabitur etiam cum sceptrum ablatum fuit à Iudæis, maximè cum de hoc loquatur expresse, & tunc quietè, & pacificè Herodes iam regnaret in illo populo.

DVBIVM OCTAVVM.

Qualiter sit discernenda infalibilis Sacræ Scripturæ veritas.

CVm variæ personæ loquentes in Sacra Scriptura proponantur, ex quibus aliquæ, errores, falsa dogmata, & mēdacia protulerunt: vt Gen. 3. serpens. Nequaquam moriemini: & Pharao. Exod. 5. *Nescio Dominum, & Israel non dimittā.* Et cap. 32. *Isti sunt dij tui Israel, qui te duxerunt de terra Ægypti.* Et Psal. 52. *Dixit insipiens in corde suo non est Deus &c.* Cum hæc ita se habeant, & ex dictis nullum in Sacra Scriptura mendacium debeat admitti, explicandum venit, quomodo debeamus discernere veritates quas Scriptores sacri, vt tales proferunt, ab his quæ alij, vel ipsi non vt Scriptores protulerunt: illæ enim semper de fide certæ sunt censendæ; non verò istæ. Quærimus ergo, quomodo dignoscetur, an veritas in Sacra Scriptura contenta sit divina, & à Spiritu Sancto; an falibilis, & ab spiritu humano prolata?

Supponendum est ergo, quod licet in Sacra Scriptura inducantur personæ falsa dogmata asserentes, vt supradictæ; nō ideò Sacra Scriptura aliquid falsum continere censendum. Aliud est enim, quod tales res quæ referūtur, semper sint veræ; quod stare nō potest, vt claret ex verbis adductis: aliud quod si Sacra Scriptura illas referat, de fide tenendum est, illas res, vel verba, ita fuisse, vel contingisse. Blasfemia maxima fuit, quod dicerent Israelitæ vitulo: *hi sunt dij tui, &c.* Sed hoc referendo Sacra

Scrip-

Scriptura, vt de fide tenendum, ita evenisse; & sic aliud est referre mendacia, aliud mendacium proferre, mentiri, & approbare: primum reperitur in Sacra Scriptura; non verò secũdum. Vt ergo sciamus, quomodo inter res, & personas, quæ introducuntur loquentes, discernere debeamus, sequentes regulas assignamus.

Prima, si persona introducta est Deus, vel Beata Virgo, vel Scriptor sacer; tunc ab ipsis pronuntiata infalibilem continẽt veritatem; ita communiter apud Scalante lib. 5. cap. 7. Et si de Deo loquamur, evidentissimũ esse debet: quia cum sit summe bonus, & sapiens, nec fallere, nec decipi potest, de quo 2. 2. q. 1. art. 3. De Beata Virgine constat propter affluentiam Spiritus Sancti: sic enim dicitur gratia plena. Et in Trident. sess. 6. Can. 23. definitur; nullum actuale cõmisisse peccatum; cum quo non stat deceptio. Et sic non solum est de fide B. Mariam fuisse Virginem, quod illud asseruit Isai. cap. 7. dicens: *Ecce Virgo concipiet*. Sed etiam quia ipsa ad Angelum dixit. Luc. 1. *Quoniam virum non cognosco*. De Scriptoribus sacris, vt talibus idem dicendum: quia Spiritu Santo inspirante, & dictante, scripserunt.

Secunda regula: Verum infalibiliter est quicquid dixerũt veri Prophetæ, vt tales: quia vt sic loquebantur, quæ Deus loquenda mandat, vel manifestat: & ad prophetandum hoc munere funguntur à Spiritu Santo, & moventur. Vnde de fide sunt omnia, quæ dixit Balaam Num. 24. quia sic motus à Spiritu Sancto, vt constat. Dixi, veri Prophetæ, tumquia pseudo Prophetæ non à Spiritu Santo loquuntur, sed à semetipsis, vel à diabolo, vt habetur Ezech. 13. & alibi sæpè in Sacra Scriptura: etiam si se iactent à Spiritu Sancto esse motos. Sic loquutus est ille falsus Propheta, 3. Reg. 13. & decepit verum Prophetam, dicens, & inducens eum vt comederet cõtra Domini præceptum. Dixi etiam veri Prophetæ, quia ad minus prophetia (cum sit gratia gratis data) non requiririt sanctimoniã, sed tantum futura prædicere cum eorum cognitione.

Dixi tandem, dum vt talis loquitur, quia prophetia habetur per modũ actus, & non habitus ex D. Thom. 2. 2. q. 71. art. 2. qui in ipsis permaneat: & ita sæpè loquuntur à semetipsis, & tunc decipi possunt, sicut Nathan. 2. Reg. 1. cum per instinctum proprium dixit David, vt domũ Dei construeret: quod postea à Deo reprehensus, Salomoni reservatum indicavit. Et certè merito divina factum est providentia, vt Prophetæ respõsum à Deo non impositum, statim ipse corrigeret Deus. Quo facto clarè manifestaret, cum nulla correctio, vel retractatio succederet, tũc responsa Prophetarũ, qui in Sacra Scriptura, vt veri habentur, sine dubio à Deo esse, certissimè teneretur.

Tertia regula, infalibiliter vera sunt dicta ab illis personis quas Sacra Scriptura refert Spititu Santo plenas: quia idem habent principium infalibilitatis, scilicet Spiritum Sanctum, cuius inspiratione, & impulsu talia protulere. Ex quo sequitur primo, infalibilia esse ea omnia, quæ Præcursor, & eius parentes dixerunt Luc. 1. quia omnes illos dicit scriptura fuisse plenos Spiritu Sancto.

Secundo sequitur infalibilem continere veritatem, omnia quæ Stephanus dixit, in ea concione quam ad populum habuit actu. 7. quia vt ibidem dicitur: *Plenus fuit Spiritu Sancto*, & cap. præced. *quod non poterant resistere spiritui, quo loquebatur*. Vndè reijciẽdus est Cano (cui subscribunt Lorca tract. de locis, lib. 1. disp. 2. & Mariana tract. de vulgata editione) 2. de locis c. vlt. ad 7. asserens Stephanum pro celeritate sermonis, & fervore spiritus, & aliò intentus, pauca aliqua permutasse, quæ ibi retulerat de veteri testamento; de sepulchro quod emit Abraham; & de numero animarum, quæ cum Iacob ingressæ sunt in Ægyptum. De quorum impugnatione videantur Sancius, Cornelius, & Lorinus ibidem. Rua controversia quarta expositiva. Legionensis controversia etiã quarta cap. 1. & Scalante lib. 4. cap. 35. & lib. 5. cap. 7.

Et nos breviter dicimus, de sepulchro: quod Abraham nil terræ habebat à Deo donatum in terra Chanaam, multo ante quam

quam spelũcam duplicẽ emisset in Ebron ab Ephron filio Seor, in qua Sara vxorem suam sepelivit. Aliam tamen emisse cum primum pervenit ad terram Sichem. Genes. 12. ab Hemor filio Sichem: in qua teste D. Stephano, conditi fuerunt 12. Patriarchæ. Vel quod sermo D. Stephani fuit valdè concisus, & supplendũ esse nomen, *filius, vel nepos*; ita vt sensus sit. Patriarchas translatos fuisse in Sichem, & conditos in sepulchro, idest in agro, quem emit filius, vel nepos Abraham, ab Hemor filio Sichem. Nam ille Hemor Rex Sichem habuit patrem, & filium eiusdem nominis. Ex quo sequitur, nomen Abraham in cap. 7. Actu. non esse in nominativo casu, sed genitivo.

Ex qua doctrina lumen accipit illud Oseæ cap. 3. post hæc revertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum, & David Regem suum. Idest Christum Regem filium David. Ita paraphrasis Caldaica: ex quo patet David esse in genitivo, supplendumque Christum filium. Ita in præsenti legendum: quod emit filius, vel nepos Abrahæ. Ad illud de numero animarum Iacob, quæ in Ægyptũ introierunt. Resp. breviter, quod 75. animæ ingressæ sunt. Primo, in se, vel in suis parentibus. Secundo, quia illæ 5. omissę fuerunt, quia numeri fracti in Sacra Scriptura, vel non computantur; vel ommittuntur frequenter. De quo tract. 2. sect. 1. cap. 5.

Quarta regula, quæcumque Apostoli, vel quilibet alij protulerunt cum causa fidei ageretur coram Principibus, infalibilia sunt. Hoc est ita certum, vt nullam patiatur dubietatem, propter testimonium Christi dicentis Matth. 10. & Luc. 12. *Cum autem tradent vos nolite cogitare*, quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim in illa hora vobis, quid *loquamini, non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Quod testimonium adeò strictè interpretatur Abulensis vt dicat, peccare mortaliter, qui præventus, cogitaret, quid loqueretur in tali casu, sed quicquid sit de hoc. Ex regula sequitur infalibilia esse, quæ prædicavit Stephanus coram Principe Sacerdotũ, & Concilio, quia ibi agebatur de Christi fide, & religione. Idem de his quæ dixit Petrus cap. 3. 4. & 5. Actorum, & etiam Paulus tribus vltimis capitibus eiusdem libri.

Idem dicendum de his quæ dixerunt illi 120. fratres, in quos descendit Spiritus Sanctus in die Pentecostes, quo & repleti cœperunt loqui Act. 2. qui loquebantur provt Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Similiter, & quæ Petrus dixit, licet tunc non esset Scriptor sacer, & quæ Paulus docuit cum adhuc non scribebat. Item etiam idem dicendum de 7. Machabæis 2. Macha. 7. coram Antiocho strenue decertantibus pro causa religionis: nam licet ante expressam Christi promissionem id præstiterint; eadem erat vtrobique ratio, & causa: & ideo idem illis aderat Spiritus; & in Ecclesia vt veri celebrantur Martyres, non minus atqui post Christi mortem passi sunt.

Quinta regula, infalibilia, & vera sunt, quæ dicit Sacra Scriptura cum vtitur Apologijs, ænigmatibus, parabolis, metaphoris, vsque ad antiphrasim, & ironiam. Licet enim verum non sit, quod verbis illis significatur, vt cum dicitur, *Deum fecisse potentiam in brachio suo*, cum Deus careat brachio: benè tamen quod per brachiũ intelligitur, iuxta regulas rethoricæ. Brachiũ enim signat fortitudinẽ, &c. hoc placuit annotare propter librum Canticorum, qui totus metaphoricus est.

Sexta regula, veritates quas proferunt aliæ personæ in Sacra Scriptura introductæ, quæ nullis ex his afficiuntur notis videlicet, quod nec sunt Scriptores Sacri, nec veri Prophetæ, nec plenæ dicuntur Spiritu Sancto, nec denique de rebus fidei concernentibus, quamvis alioqui Sanctissimæ sint, non sunt infalibiles, quia procedunt à principio falibili, & à spiritu, & eruditione humana. Quæ verò ab alijs quibuscumque narrantur, non ex eo quod in Sacra Scriptura scripta inveniantur; ideò continuo comprobantur, & confirmantur, sed secundum loquentis statũ, & conditionem, & auctoritatem, certa, vel incerta censenda sunt. Vnde si loquens desertor

tor spiritus sit, dubia vel falsa sunt habenda. Similiter quæ pseudo Prophetæ evomuisse dicuntur: & plura quæ amici Iob dixerunt. Non enim omnia vera esse necessum est; cum ipse Dominus Iob cap. 41. non omnia recta fuisse, indicaverit.

CAPVT TERTIVM.

De causa efficienti, & finali Sacræ Scripturæ.

DVBIVM PRIMVM.

Quænam sit causa efficiens Sacræ Scripturæ.

DVplex solet à Philosophis causa efficiens assignari; principalis altera, altera instrumentalis: plures inter illas differentiæ, præcipua quod principalis agit, virtute propria, & cui assimilatur effectus; vt patet in domificatore; domus enim in Idea illi in mente existente assimilatur. At causa instrumentalis agit in virtute alterius, cui non assimilatur effectus, vt patet in serra, &c. Rursus istà causa instrumentalis, alia innanimata, vt martelus, animata alia, vt servus.

Dico primo, Sacræ Scripturæ principalis, & præcipuus Auctor, & causa, est ipse Deus, non solum vt omnium aliarum rerum, sed speciali influxu, & providentia. Prima conclusionis pars constat; tum ex ipsa Sacra Scriptura, quæ dicitur divinitus inspirata, 1. ad Thimot. 3. & alibi. Et quia tot tantaque in illa continentur, vt omnem captũ excedant humanum, sicut iam ex parte supra diximus, & sæpè dicemus, & ex Clem. Alexan. 6. Strom. quoniam ex Apostolo, 1. Corinth. 1. *Spiritus scrutatur profunda Dei: animalis autem homo non capit ea, quæ sunt spiritus;* sola ergo est à Deo tradita, quæ est apud nos doctrina. Et Iustinus oratione contra gentes. Neque enim natura, vel ingenio humano, res tam sublimes, & divinas hominibus cognitione assequi est possibile, sed eo quod cœlitus in Viros Sanctos descendit gratuito, opus est dono.

Secundo autem pars, scilicet, quod Deus sit Sacræ Scripturæ auctor specialis, & nõ solum, vt omnium aliarum rerum, qua ratione dixit D. Thomas 1. 2. q. 109. art. 1. ex D. Ambrosio. Omne verum à quocumque dicatur à Spiritu Sancto est. Sed etiam iu particulari, & specialiter. Tam enim in ordine naturali quam supernaturali dantur influxus, & communia auxilia, & etiam specialia, vel particularia, vt in illa quæstone, cum D. Thoma expendunt Theologi. Dicimus ergo, quod Deus respectu Sacræ Scripturæ speciali, & particulari, influxu concurrit vt causa prima, & principalis respectu Scriptorum, qui sunt veluti instrumenta licet animata.

Hoc constat ex supradictis, & in sequẽtibus, cum de influxu Dei in Scriptores sacros, sermonem habeamus, amplius explicabitur. Et nunc ita probatur ex repetito loco D. Petri 2. epist. cap. 1. *Spiritu Sancto inspirante locuti sunt sancti homines Dei.* Idest suggerente ex Ioan. 14. dictante, excitante, movente, & impellente. Et D. Thom. cit. Sic igitur dicendum est, quod ad cognitionem cuiuscũque veri homo indiget auxilio divino, vt intellectus à Deo moveatur, ad suum actum: non autem indiget ad cognoscendam veritatem in omnibus, nova illustratione superaddita naturali illustrationi. Et concludit. Sed in quibusdam quæ excedunt naturalem cognitionẽ (qualia sine dubio sunt quæ in Sacra Scriptura continentur) ad quæ Deus vt specialis Auctor concurrit.

Dico secundo, sacri Scriptores sunt causæ instrumentales, & Auctores librorum Sacræ Scripturæ. Probatur primo, ex illo Psal. 44. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentur. Vbi D. Gregor. Cum ergo rem cognoscimus eiusque rei Auctorem Spiritũ Sanctum tenemus, qui Scriptorem quærimus, quid aliud agimus, nisi legentes litteras, de calamo perscrutamur? Et Act. 1. Prædixit hoc Spiritus Sanctus per os David, & iterum: *Deus autem qui prænuntiavit per os Prophetarum.* Et infra. *Tu Domine Deus qui Spiritu S. per os Patris nostri David dixisti.*

Secundo probatur, quia D. Chrisostomus in illud Isai. 6. *Vidi Dominum* dixit: Prophetas esse ora Dei. Et Hom.14.in Genes. Per linguam Moysis Spiritum Sanctum docuisse homines. Et Ambros. lib.10. epist. 84. Implet Spiritus Sanctus organum suum, & tanquam fila chordarum, tangit Spiritus Dei corda Sanctorum. Ac denique quia ex Philosophia particula, per, causam efficientem instrumentalem importat, sed ex Sacra Scriptura constat locutum esse Deum per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius. Et quia si non essent Auctores maximè, quia non attendebant, vel nó cognoscebant ea quæ per illos sacros Scriptores Spiritus Sanctus intendebat dicere: quod infra impugnabimus.

Et licet vt D. Greg. dicit in proæmio in Iob, non multum interest, qua penna Rex scribat, dum tamen scripsisse constet: sed quia Angeli, & si vniversi creaturæ excellentiores, ministros esse Dei ad homines, maximè gloriantur: vt expendit Hilarius. Ambitioso Angelorum famulatu, ac ministerio hominum postulationes ad Deum pervehuntur. Cum in S. Scriptura Dei voluntas, & eius gloria, & maiestas contineatur, eligere aliquem quo ista manifestentur, & annuntientur hominibus, signum magnæ excellentiæ, & digdignitatis existit, cum ex D. Thom. vti Deus creaturis vt causis, dignitas sit in illis: & sic quoad executionem suæ providentiæ creaturæ, vt causæ secundæ concurrunt, 1.par.q.19.art.3.

§. I.

Qua lingua scripti libri sacri.

Licet historica videantur, quæ dicere intendimus; non nil ad Sacræ Scripturæ intelligentiam facere videntur. Et ideò vt clarius præstemus. Primo dicimus, totum fere vetus testamentum Hebraica lingua conscriptum, vt distinguitur à Caldaica, Syriaca, & Arabica: quia eius Auctores illam linguam, vt propriam habebant. Aliqui excipiunt libros Thobiæ, & Iudith, Caldaice scriptos. Sicut etiam Esdram, & Danielem. Iob. Syriace, vel Arabice conscriptum, licet à Moyse postea in Hebraicam linguam translatum, de quo supra.

Ecclesiasticus Græce primum, sicut & secundus Machabæorum. Baruch Hebræa licet corrupta cum Caldaica. Primum Machab. & Ecclesiasticum Hebraice dicit Hieronymus conscriptos. Esther etiam in Hebræo ante fuisse, comunior sententia.

Libri novi testamenti fere omnes Græce conscripti, ita communiter. Si Evangelium Matthæi, & Pauli ad Hebræos epistola excipiatur, quæ lingua Hebraica mixta cum Syriaca, vti inter Hebræos post captivitatem in consuetudine erat. Marci Evangelium, Græce intelligitur primo scriptum, sicut etiam epistola ad Romanos, quia isti tunc valde Græcæ linguæ dediditi erant. Videatur Beuter annot.8.

§. II.

Qui illorum fuerint Auctores.

Circa secúdum de Auctoribus librorũ Sacræ Scripturæ offert se primo liber Pentatheuchi, sic dictus Græce, à penta, idest quinque, & thecon idest volumé, sunt autem Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, & Deuteronomium: qui ab Hebræis dicuntur Thorà à Latinis lex, quam scripsisse Moysen videtur apertè colligi ex cap.31. Deuter. *Scripsit itaque Moyses legem hãc &c.* Et infra: *Scripsit Moyses verba legis*, & Luc.24. Christus Dominus. *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi*, quod de tota lege, & quinque libris intelligendum: & suffragatur Triden. sess.4. vocans Pentatheccum Moysis.

Quando scripserit, vt sciatur: supponitur vixisse 120. annis. Deuteron.34. prima quadragena in domo Pharaonis, secunda in terra Madian soceri sui, tertia ab egressu Ægypti vsque ad mortem: de anno incertum, de tempore dicunt aliqui scripsisse Genesim ante quam ad Pharaonem accederet in solatium populi. Primus liber

ber ab Hebræis Berebcit, ideſt in principio: continet mundi originem, & creationem per annos 2309. vel 2492. de quo in chronologia; vſque ad obitum Ioſeph, citatur ad verbum in novo teſtamento 27. ad ſenſum pluſquam 38. locis, ita Ederus lib. 2. æconomiæ.

Secũdus liber Hebraice Veello Semoth, ideſt, hæc ſunt nomina: continet egreſſum ab Ægypto, & quæ in primo illius anno contigerunt. Ex quo in novo teſtamento 25. teſtimonia ad verbum, & ad ſenſum 19. & fuit ſcriptus in tertia quadragena, quia res tales evenerunt tunc. Tertius liber Hebraicæ Vajera, ideſt, vocavit autem. In quo officia Levitarum deſcribuntur, & ſacrificia, &c. fuit ſcriptum eodem tempore. Ex eo 13. teſtimonia ad verbum, & totidem ad ſenſum in nova lege citantur.

Quartus liber Hebraice Vajedabeer, ideſt, locutuſque eſt. Et dicitur Numerorum, quia in illo numerantur filij Iſrael: agit de geſtis ſecundo anno egreſsionis, de 42. manſionibus, &c. Ex quo Ioannes ad verbum vnum teſtimonium, & 18. ad ſenſum ſunt deſumpta.

Quintus liber Hebræis, Ellehaddebarim, ideſt, hæc ſunt verba, Deuteronomiũ, ac ſecunda lex data in monte Sina, & continet hiſtoriam ab egreſſu Ægypti vſque ad vltimam manſionem in campo Moab, 50. teſtimonia habentur ex illo in novo teſtamento: & fuit ſcriptus anno 40. ab egreſſu Ægypti die 1. menſis vndecimi transjordanem, ex gloſſa, vt colligitur Ioſue 8.

Circa vltimum caput Deuteronomij, variant Auctores; alij ab ipſo Moyſe prophetice ſcriptum, alij quod Ioſue eius ſucceſſor. Sed quiſquis ille fuerit nõ niſi prophetice ſcribere potuit, vt quod ſepultus ſit à Domino, & quod non ſurrexit maior Propheta in Iſrael. Videatur Toſtatus ibi. Scalan. lib. 4. cap. 40. & Tena ſect. 1. diffic. 2.

De libro Ioſue probabilius ipſum fuiſſe Scriptorem, quia cap. vlt. dicitur: *Scripſit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini*, vixit 32. annis poſt Moyſis mortem, quorum hiſtoria in illo continetur. Mors autem Ioſue, vel prophetice ab ipſo, vel ab Eſdra, vt diximus de fine Deuteronomij: continet hiſtoriam à mundi initio 2510. annorum. Sequitur liber Iudicum, dicitur talis, quia continet geſta 13. Iudicum à Ioſue vſque ad Saul ſpatio circiter 140. annorum. Varij aſsignantur Auctores illius, ſed verius, quod fuerit Samuel, vt patet ex Hebræis lib. Baba Batra. cap. 1. & idem dicunt de libro Ruth: continet hiſtoriam ab initio mundi 2810.

Sequuntur libri quatuor Regum, ita inſcripti, quia hiſtoriam, & geſta continent tam Regum Iuda, quam Iſrael. In primo, ortus Samuelis, captura arcæ, electio Saul, & reprobatio, vnctio Davidis, Saulis mors, & Davidis exaltatio enarrantur. In ſecundo, David inauguratio, de eius prælijs, de lapſu cum Berſabe, de eius in Deum affectu, de reductione arcæ, de divitijs ad Templi ædificationem congregatis: continent hi duo libri hiſtoriam à mundi initio vſque ad annum 2930. In tertio de morte David, de Salomone, eius Sapientia, divitijs, Templi conſtructione, idolatria, de diviſione Regni inter Roboam eius filium, & Ieroboam; & illi ſolum Tribus Iuda, & Benjamin adhæſere; iſti verò aliæ decem. In quarto, introducit Eliam, acta Eliſæi, totius Regni exterminium, Iſraelis ſub Achab, & Iuda ſub Sedecia, continent hi duo libri hiſtoriam ab initio mundi vſque ad annum 3347. ſed de his in chronologia.

Circa Auctorem varij exiſtunt Expoſitores. Dum alij duos priores ab Ezechia, alij à Samuele initium primi, reliqua à Nathan, & Gaad Prophetis. Quia 1. Paral. vlt. dicitur, geſta autem David Regis priora, & noviſsima ſcripta ſunt in libro Samuelis videntis, & in libro Nathan Prophetæ, atque in volumine Gaad videntis. Circa tertium, & quartum librum varietas magna intervenit Hebræi, quod Eſdras, alij Ieremiæ attribuunt, quia vltimum caput 4. Reg. & vltimum Ieremiæ coincidere videntur.

De libris Paralipomenon, ideſt, prætermiſſorum, quia in illis, quæ in libris Re-

gum derelicta fuerant, recensentur, continent historiam ab initio mundi. In primo habentur omnium tribuum genealogiæ ab Adam, vsque ad Salomonem. In secundo prosequitur historiam Regum Salomonis, & aliorum Regum Iuda. Illorum Auctor fuit Esdras alij repugnant, certum tamen videtur illos scriptos fuisse post Babylonicam captivitatem, vt ex lib. 2. c. vlt. vers. 22. & 23. colligitur.

De duobus libris Esdræ, dicendū, quod quia apud Hebræos erat vnum volumen, Esdræ vocabatur, qui tantum fuit Auctor primi libri, in quo de redditu populi à Babylone, sub Iesu filio Iosedech, tempore Ciri, & de instructione populi per Esdram fit sermo. Secundi libri Auctor fuit Nehemias, cōtinet reedificationem Templi, de quo Eccl. 49. & perfectum est teste Iosepho 12. annis, & 4. mensibus, continent historiam à mundi initio 3421. annis.

Liber Thobiæ qui eius continet vitam, fuit scriptus à Thobia Seniore, vsque ad 13. caput vbi eius refertur obitus, deinceps à Thobia iuniore, vsque ad versum, in quo eius interitus habetur. Quis tamē reliqua scripserit, nil certum, & obijt anno mundi 3370. Liber Iudith ita scriptum, quia eius historiam refert: Ab ipsa quidem, vtpotè Spiritu divino prædita, editum censent quidam. Alij à Ioachim Sacerdote magno, filio Iesu Sacerdotis magni. Sed probabiliter alij nullum ex illis, cum dicatur ibi, quævisse terram multo tempore post obitum Iudith; mortua anno mundi 3560. Liber Esther, qui eius enarrat historiam, alij Esdram, alij Ioachin summum Sacerdotem, sed probabilius totū à Mardochæo editum, obijt anno mundi 3600.

Iam de libro Iob dicendum, qui eius vitam, certamina, disputationes, & in Regnum restitutionem, historiam construit, & enarrat. Circa Auctorem divisi reperiūtur Expositores. Sed probabilius, ipsum Auctorem fuisse, sed Moysen ex Arabica, vel Syriaca in Hebraicam linguam convertisse, initium verò illius, & finem superadditum ab ipso Moyse ad solatium filiorum Israel, dum Ægyptiorum opprimebantur servitute. Fuisse veram Historiam, vt certo tenendum contra Hæreticos novatores, cum Iacobus cap. 5. ad labores patienter tollerandos pro exemplo proponat dicens. Sufferentiam Iob audistis: quod de re ficta minus apte videtur posse in medium adduci, obijt à mundi initio 1300.

Circa librum Psalmorum plura inquiri possent (de quo alibi ex professo ipsos lustrando) Igitur de illorum Auctore duplex celebris circunfertur sententia. Prima, communior apud antiquos, Athanasium, Hilarium, Hieronymum, Lyram, Abulensem, & alios, plures fuisse Psalmorum Auctores: scilicet Adam, Moysen, Davidem, Salomonem, Asaph, Ethan, Eman, Idithum, & filios Core: & circa Psalmos qui sunt Anepigraphi, idest sine titulo, tales inquiunt attribui, & referri ad proximum Auctorem nominatum.

Secunda sententia, opposita omnes Psalmos à David fuisse compositos contendit, ita Chrisostomus, & Basilius in Prologo Psal. Augustinus lib. 17. de Civit. cap. 13. Ambros. in Psal. 43. Casiodorus, Beda, Euthimius, Cayet. & alij apud Gravin. to. 2. lib. 4. art. 7. Tena lib. 1. dif. 6. sect. 3. & Scalant. lib. 4. cap. 42. plures pro hac firmanda sententia afferuntur rationes apud Auctores videndæ, placet pro nunc advertere, tria in Psalmis posse considerari. Primum materiam, secundum formam, tertium pronuntiationē. Si ergo de materia Psalmorum loquamur probabilius videtur omnem à David administratam, cum Luc. 20. Christus asseruerit, quomodo David dixit in libro Psalmorum dixit Dominus Domino meo? Et quia plures Psalmi, sine titulo David positi, ipsi in Sacra Scriptura attribuuntur, & Trident. sess. 4. Psalterium David vocat.

Dicere autem totum Psalterium attribui David, quia plures composuit Psalmos, & quia præcipuus Propheta, & Rex, & quia talis erat opinio communis, & vulgi. Respondetur enim, hæc omnia parum habere verisimilitudis, cum absolutè omne Psalteriū Davidis esse dicatur. Et quod Sacra Scriptura aliquando vulgi sententiam

tiam sequatur, cum grano salis intelligendum, vt infra tract. 2. dicemus.

Si autem loquamur quantum ad formã, scilicet Poesim, & metricam armoniam, tunc aliquorum Psalmorum dici possunt Auctores, quibus tale munus amandatum est. Si autem loquamur de pronuntiatione, quæ humanis vocibus, aut instrumentis canebatur, sic pauci ipsi David attribuendi sunt, licet aliqui ex Augustino, etiam David quantum ad metrũ, & vsum psalendi privatum possint accomodari. Sed quia primum munus præcipuum, ideò à parte principaliori fit denominatio, & David omnium acclamatur Auctor Psalmorum. Claruit David ab orbe condito anno 2940.

Circa Auctorem librorum, qui inscribuntur Proverbiorum, Ecclesiastæ, & Canticorum, fuisse Salomonem, sufficiat quod dicit Augustinus 17. de Civit. cap. 20. Prophetasse etiam reperitur in suis libris, qui tres recepti sunt in auctoritaté Canonicam, Proverbia Ecclesiastes, Canticum Canticorum. Solum advertendum, certum esse nostrum assertũ, quo ad priora capita Proverbiorum (exceptis illis verbis cap. 25. hæ quoque parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ Regis Iuda) de reliquis capitibus eiusdem, etiam fuisse tenendum, de quo Tena lib. 2. diff 7. sect. 4. Obijt Salomon ab initio mundi anno 2970.

De libro Sapientiæ idem ferendum iudicium, cum illa verba cap. 9. Tu me elegisti Regem populo tuo, neque Philoni Seniori, neque Iuniori adaptari possint, quibus aliqui libri constructionem applicarunt. Salomon Auctor primarius, & Phylo ordinator, & Compilator. De libro Ecclesiastici non modica dissensio, sed pacificari potest, si dicamus, plures illius sententias à Salomone acceptas, sed non omnes cũ in illo laudetur Simon filius Oniæ, qui post Salomonem extitit per 644. annos. Fuit igitur Auctor Iesus filius Sirach, Hebraice, & eius nepos in Græcam transtulit linguam, anno 3700.

Isaias primus ex Prophetis maioribus proprius sui libri Scriptor, sicut etiam Hieremias, adiungens Threnos, & Epistolam ad populum in Babylone captivum, quam Baruch adiecit ad vltimum libri sui: qui Hieremiæ minister, & amanuẽsis fuit, qui ex proprijs volumen quinque capitibus contentum, edidit. Ezechiel. 3. ex maioribus, symbolicus totus, & difficilis, vt ante 30. annos eius initia præclusa essent legentibus. Iam Daniel 4 ex maioribus, licet duos aliqui fingant alterum, qui Susanam liberavit, alterum qui Bel destruxit, sed eundem esse certum, videantur expositores. Obijt Isaias, anno à mundo condito 3240. Hieremias 3350. Ezechiel 3360. Daniel. 1400.

De duodecim Prophetis nihil dubium, quin fuerit vnusquisque suorum librorum Auctor: qui vnum volumen constituunt, nimirum propter eorum brevitatem, vt quod singuli non potuerunt, omnes coniunctim vnum codicem complerent. Sunt autem numero duodecim, quorũ nomina. Osea, qui obijt anno mundi 3340. Ioel, anno 3050. Amos, 3110. Abdias, 3060. Ionas, 3240. Michæas eodem anno. Nahum, 3416. Habacuch, 3416. Sophonias, 3330. Aggæus, 3469. Zacharias 3460. Malachias, 3400.

Duo Machabæorum existunt libri, ita inscripti à præcipuis illius populi viris sic vocatis, vt supra iam vidimus. Primi libri varij assignantur Auctores. Alij dicunt fuisse Flavium Iosephum; alij Iosephum Gorionis scribam; alij Concilium Sanhedrin; alij à toto Concilio; alij & communius à Simone Hyrcano; qui rebus omnibus, quæ ibi scribuntur inter fuit: & fuisse dicitur nedum Sacerdos, & Princeps, sed etiam Propheta: licet Iudæ Machabæo aliqui attribuant. Secundus liber Machabæorum, est Epitome primi; & quibusdam placet, quod Auctor sit Simon Machabæus; alij quod Iudas Machabæus: ex quinque tamé libris Iasonis Cirenæi fuit abreviatus ab aliquo, divino numine, impulso. Hæc facta fuere ad annum mundi 3830.

Ad novum iam deveniamus testamentum: occurrunt primo quatuor Evangelistæ (quatuor enim tantum Evangelia, vt canonica acceptata sunt ex traditione, Con-

Concilijs, & maximè Tridentino sess. 4. a cit.) & vnusquisque suum scripsit Evangeliū. Matthæus, qui obijt anno post Christum 50. Marcus anno 8. Neronis. Lucas octogenarius. Ioannes anno 68. post Christi passionem.

Liber inscriptus actus Apostolorum editus est à D. Luca, & continet historiam, & Ecclesiæ initium, & progressum, vsque ad annum quartum Neronis, & à Christi ortu 61.

De Pauli epistolis fuit olim controversia circa illarum numerum, sed Ecclesia & Concilia 14. tantum vt canonicas recognovit; omnes Græcè scriptæ, sed ad Hebræos Hebraice. Obijt Paulus martyrio coronatus, sicut etiam Petrus eodem die anno 70. à Christo nato. Petrus duas scripsit epistolas, & licet olim de secunda dubitatum; sed iam vt canonica ab Ecclesia recepta: sicut etiam Epistola Iacobi; quam licet aliqui Iacobo attribuant Zebedæo: sed melius Iacobo fratri Domini, anno à Christo nato 63. Tres etiam Ioannis Zebedæi Epistolæ circunferuntur, iam omnes canonicæ. Iudas brevem Epistolam scripsit canonicam, obijt anno Christi 61. & Ioannis Apocalypsim scriptam anno à Christo 89. vel 97.

Ita laconice omnes Sacræ Scripturæ lustravimus libros, circa quos plura se offerebant elucidanda dubia, quæ tamē aliena præsenti instituto. Circa quæ videndi sunt Beuter anot. 6. Gravina tom. 2. lib. 4. contr. 2. generali per plures articulos. Scalante lib. 4. per varia capita. Tena longissimè in Isagoge. Et Antonius à Matre Dei præludio 1. dubio 19.

DVBIVM VLTIMVM.

De causa finali, vel materia circa quam Sacræ Scripturæ.

IN præsenti dubio (vt à Metaphisicis abstrahamus) supponendum pro eodē accipi materiam circa quam, obiectum & finem, licet in hoc aliquid diversitatis reperiatur, quæ nostra parum concernunt. Igitur finis duplex alter principalis, & adæquatus, alter minùs & inadæquatus. Rursus finis, vel obiectum, aliud primarium, & per se: aliud verò secundarium. Insuper alius finis qui, alius finis, cui. v.g. in Theologia obiectum, vel finis primarius adæquatus, & qui, est Deus; secundus verò, & minùs principalis sunt creaturæ. In medicina sanitas est finis qui, intentus ab arte, homo verò finis cui talis sanitas, vel finis intenditur, his suppositis.

Dico primò, obiectum, vel finis adæquatus, principalis, & primarius est ipse Deus sub ratione deitatis. Conclusio est certissima. Cum enim causa efficiens, & finalis sæpè coincidāt, & Deus vt cōstat omnium rerum causa existat efficiens, finalis quoque erit; vndè dicitur Proverb. 6. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus;* ergo etiam Sacræ Scripturæ, cuius vt diximus nedum vniversalis, & in communi, sed etiam causa specialis, & per particularem influxum consistit. Qua etiam ratione dicitur Apocal. 1. *Ego sum principium, & finis, alpha, & omega.*

Et quia omnia quæ in Sacra Scriptura continentur tandem in Deum revocantur, quod est requisitum per se ad obiectum, vel finem adæquatum, & principalē. Quod latè prosequitur Scalante lib. 4. per plura capita ostendens in Genesi tractari de Deo, vt de omnium creatore, & gubernatore. In Exodo, vt liberatore populi à servitute Ægypti. In Levitico, vt legislatore, quod etiam prosequitur in Numeris, & Deuteronomio. In Iosue, vt fidelis, & verus in promissionibus, in Iudicibus, vt liberator à nationibus. In libris Regum, & Paralypomenon, vt sublimator populi Israelitici. Denique in libris Prophetarum, & reliquis Sacræ Scripturæ plura de Deo sub varijs nominibus, & motivis continentur, & explicantur.

Quia verò inter obiecta, vel fines alicuius potentiæ, vel habitus datur vnum obiectum, vel finis principalis, vt demostratio in Logica, &c. Ita inter Sacræ Scripturæ obiecta, & fines Christus Dominus licet cum subordinatione ad Deum, vt dicit Apostolus 1. Corinth. 11. Sicut caput viri est Christus, ita & Christi Deus, ad quem om-

omnia alia ordinantur, & reducuntur, quę est nostra. Secunda conclusio, & probatur 1. ex Roman. 10. Finis legis Christus. Nomine autem legis tota intelligitur scriptura, vt expendunt Tena lib. 1. dif. 10. sect. 2. & Scalante cit. Et quia vetus testamentum ad novum ordinatur, vt figura ad figuratum. 1. Corinth. 10. *Hæc omnia in figura contingebant illis*; ergo cum finis novi testamenti sit Christus, cum eius vita, miracula mors, &c. in illo contineantur, benè infertur etiam Christum esse finem veteris testamenti in suis sacrificijs, historijs, Prophetijs, & omnibus alijs.

Et D. August. etiam ita loquitur in Psal. 71. Ideò in terra esse voluit, quia propter eos, qui in terra, illa conscripta sunt; vndè & ipse in terram venit, vt ea cuncta firmaret, idest in se monstravit impleri; oportebat enim impleri omnia, quæ scripta erant de eo. Idem in Psalm. 4. quicquid scripturarũ est, Christũ sonat, si aures inveniat. Et Chrisostomus homil. 20. in Mat. Ego qui lego Evangelium, & video ibi testimonium de Prophetis, solum Christum intelligo.

Et licet hæc ita sint: notat tamen, & benè Scalante cit. non omnia quæ de Christo in Sacra Scriptura dicuntur eodem modo de illo enuntiari. Sed alia quidem litteraliter, & propriè, alia mysticè, alia denique quasi per accomodationem. Quæ litteraliter, in triplici differentia. Primo de solo Christo, vt illud Isaiæ 7. *Ecce Virgo cõcipiet*. Et Genes. 49. *Non auferetur sceptrum de Tribu Iuda*. Et Psal. 21. *Diviserunt sibi vestimenta mea*. Secundo, aliqua dicuntur de Christo, & etiam de alio, vt Psal. 2. *Quare fremuerunt gentes*, quod etiam de David intelligitur. Tertio, aliqua dicũtur de aliquo communi, & postea de Christo, vt Psal. 8. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*; quod de hominibus, & etiam de ipso Christo, vt homine verificatur.

Alia secundo adducuntur de Christo secundum sensum mysticum, vt Osee 11. *Ex Ægypto vocavi filium meum*. Exodi 12. *Os nõ cominuetis ex eo*. Sed de his exéplis postea. Denique aliqua dicuntur per accomodationem, vt Luc. 13. de die iudicij: discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem, quod antea David dixerat Psal. 6. Et idem dici potest, de verbis illis Ierem. 31. *Vox in Rama audita est &c.* quod Matth. 2. dicitur de cæde innocentum. Sed de his infra ex professo.

Plures autem solent adduci auctoritates ad probandum quomodo in veteri testamento agitur de Christo, nobis, exercitij causa, vna sufficiat. Prima, ex Gen. 1. *In principio creavit Deus cælum, & terram*. Variè exposita. Primo in temporis initio. Secũdo antequam quicquam aliud faceret. Tertio à principio. Quarto, vt præpositio *in*, idem sit, ac *cum*. Genes. 37. *In baculo meo transivi Iordanem*, idest, cum baculo. Quinto, vt sit idem ac, *per*, Matth. 12. *Si ego in Beelzebu eÿcio dæmonia*, idest, per Beelzebu. Ita in præsenti, in principio, idest per filium, vt constat ad Hebræ. 1. per quem fecit, & sæcula. Sexto, & maximè ad nostram rem ly, in, idem ac propter. Ita vt sensus sit in principio, idest propter filium, ita se Christus vocavit Ioan. 8. *Ego principium*; ad quod celebris locus ad Collos. 1. *Dicebat autem eum propter quem omnia*.

Potest etiam illustrari hic locus ex Caldaica paraphrasi, quæ ita habet Be. Kadmin: dictio illa Be. apud Caldæos, & Hebræos idem est ac, propter, ex Genes. 29. dixit Iacob Laban. *Serviã tibi, Be, Rachel septem annis*. Et Pagninus propter Rachel. Deinde verbum Kodam, Caldaice valet, idé ac offerre, à quo descẽdit Kadmin, quod est oblatio. Vndè Michæ. 6. *Quid dignum offeram Domino*: Caldæus quid dignum Kodam Domino. Sensus ergo illorum verborum erit Be. Kadmin, idest propter oblationem, seu Christum in Cruce offerendum, Deus cuncta, scilicet, cœlum, terram, imò omnia condidit, & creavit Deus, Christum respiciens.

Ex quibus inferunt Scalante, & Tena, quod ablato Christo nulla esset res producenda: & quod gratia, & gloria Angelorum fuerint illis collata ex meritis Christi. Ratione huius illationis offerebant se

duæ

duæ celebres Theologicæ difficultates enodandæ; prima an Christus Dominus sit decretatus, & intentus ante omnes res etiam ordinis naturalis? De qua latè 3. p. q.1.art.3. Pro vtraque parte validæ auctoritates,& rationes afferuntur, vidẽdæ ibi. Sed exercitij gratia,quia sunt contra sententiam D.Thom.negantis,expendemus, non stylo Scholastico, & rationibus, sed Sacræ Scripturæ in medium adductis auctoritatibus.

§. I.

Si Christus veniret etiam Adamo non peccante?

SEntentia ergo affirmans Sacræ Scripturæ nititur testimonijs. Prima igitur auctoritas sumitur ex Prover.8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Secunda ad Collos. 1. *Qui est imago invisibilis Dei, primogenitus omnis creaturæ.* Et statim *Omnia in ipso,& per ipsum condita sunt, & ipse est ante omnia, & ipse est caput corporis Ecclesiæ, vt sit ipse in omnibus primatũ tenens.* Tertia, ad Hebr. 2. *Dicebat eum propter quem omnia*: *vbi causa finalis designatur, & subdit, qui multos filios in gloriã adduxerat.* Quarta 1.Corin.3. Vbi de electis sic ait. *Omnia vestra sunt: vos autem Christi; Christus autem Dei*: sed omnia sunt electorum,vt finis: ergo & ipsi electi erunt Christi vt finis. Plura ommitto,sed quia ista difficiliora, & digna scitu, ad eorum deveniamus elucidationem.

Ad primum ergo ex Prover.8. Resp.1. Vel fieri sermonem de sapientia increata communi tribus personis: ex Cayetano, Iansenio,& alijs. Et colligitur,quia subditur,esse æternam,non comprehendi intra numerum earum rerum, quæ factæ sunt. Nec obstat illud verbum *Dominus*, quia non ad sapientiam, sed ad creaturas cum quibus loquebatur debet referri. Secundo resp.quod potest intelligi de sapientia divina genita, & personaliter sumpta ante Incarnationem. Ita Hieronymus, & alij, & est sensus: Dominus idest Pater possedit me per generationem æternam. Quia generatio ita explicatur Genes. 4. *Possedi hominem per Deum,* idest genui. Et sequitur in initio viarum suarum, idest cum quo,& in quo, Ioan.1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Tertio resp.quod intelligitur de sapientia divina incarnata; de qua verificatur quædam secundum divinam naturam, vt quod sit æterna,quod possit creare, &c. Alia secundum humanã naturam, in quibus inferioritas significatur, vt ratio creaturæ,&c. ex quibus nil cõtra nos.

Ad secundum locum ex Collos.1.Resp. quod Christus dicitur imago Dei invisibilis, & quod in ipso, & per ipsum omnia sunt condita. Hæc intelliguntur de ipso in quantum est Deus: ita Chrisostom. Cyril. & alij. Christus etiam, vt homo dicitur primus,principium,vel primogenitus per excellentiam,sicut Behemoth,vel Lucifer Iob 40. dicitur principium viarum Dei, quia fuit in ordine naturæ, omnium creaturarum perfectissima. Vel tertio dicitur etiam vt homo primogenitus creaturarum;non in esse naturæ,sed in esse gratiæ, & redemptionis, iuxta illud 2.Corinth.5. Si qua igitur in Christo nova creatura. Et respectu huius ordinis dicitur primogenitus, quia magis perfectus, & excellens.

Ad locum ex Hebræorum 2. respondetur: quod Christus dicitur propter quẽ omnia; scilicet ad cuius gloriam, omnes creaturæ ordinantur, & si in esse naturæ, & fieri non dependeant ab illo. Vel est propter quem, idest ad quem omnia redemptionis opera ordinantur. Reliqua eiusdem loci verba in difficultate secunda enodabuntur. Ad illud 1.Corinth.3.Resp. quod Apostolus intendit excludere gloriationem Evangelizantium:ac si diceret: quia omnia, quæ possunt vobis esse adminicula ad salutem sivè Apostoli, sivè Doctores,sivè omnes res mundi(sub ista consideratione) ad nostram vtilitatem ordinantur, & sic vestra censeri possunt. Et vos estis Christi redimentis, & ad se vocantis; Et Christus Dei mittentis ipsum in istum mundum propter vestram salutem. Ex his ergo, & similibus locis non potest concludi talis illatio, vt certa,vel infallibilis,

lis, cum probabilem habeant explicationem, sed non inficiamur, vt valdè probabilem colligi.

§. II.

Si gloria essentialis per Christum Angelis collata?

SEcundum verò dubium, quod ex illa doctriua, quam docent Scalante, & Tena, idque gravissimum, inferebatur, est: an Christus Dominus, ita sit caput vtriusque Ecclesiæ, vt omnis gratia essentialis sit collata Angelis ex meritis Christi prævisis in intentione? A pluribus sententia affirmativa defenditur: sed quia in negativam propendere videtur D. Thom. 3. p. q. 8. art. 6. & alibi. Rationibus commissis apud Scholasticos videndis, Sacræ Scripturæ loca, quę affirmativam sententiam roborare videntur in medium adducemus.

Primus locus est Ioan. 14. *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Prematur vox *nemo*, quę etiam Angelos videtur comprehendere, vt patet ex illo Matth. 10. *Nemo bonus nisi Deus. Nemo rapit eas de manu mea.* Ioan. 10. Secundus locus habetur Rom. 5. *Si vnius delicto omnes mortui sunt: gratia Dei, & donum vnius hominis Iesu Christi in plures abundavit.* Expende verbum in *plures*, quod solum de Angelis potest intelligi, cum pręter homines nulli alij sint, quibus gratia possit prodesse.

Tertius locus ad Ephes. 1. *Instaure in Christo omnia, quæ sunt in cœlis, & in terra.* Et ad Collos. 1. *Pacificans per sanguinem Crucis eius, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Et ad Hebr. 2. *Vt gustaret pro omnibus mortem.* Et ibidem: *Qui multos filios in gloriam adduxerat.* Qui alij nequeunt esse, nisi Angeli. Et ad Collos. 2. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Et cap. 2. *Ipse est caput omnis Principatus, & Potestatis.* Ergo si Christus est caput omnis Ecclesiæ, & etiam omnium Angelorum, nomine Principatuum, & Potestatum comprehensorum: & de ratione capitis est influere in omnia membra: ergo Christus, etiam gratiam essentialem in Angelos influit: cum de fide sit omnium illorum esse caput, & ipsi mēbra Ecclesiæ Triumphantis.

Antequam his occurramus auctoritatibus: supponendum ex fide, Christum esse caput vtriusque Ecclesiæ Triumphantis, & Militantis, Angelorum, & hominum, vt constat ex Apostolo cit. & ostendit D. Thom. 3. p. q. 8. art. 3. & 4. Quia respectu omnium gaudet tribus conditionibus ad caput requisitis. Prima est, quia Christus est prior ordine in esse spirituali, vtpote propinquior se habens ad Deū. Secunda ordinē perfectionis, propter gratię plenitudinem. Tertia, quia influit in homines, & Angelos Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia.* Et ad Ephes. 1. *Benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus.* Quæ suo modo, tam de hominibus, quam de Angelis debent verificari. In hoc tamen convenientes omnes; descriminantur quod primi dicunt Christū Angelis etiam gloriam, & gratiam essentialem meruisse cum illorum sit caput. Secundi concedendo esse caput, solum dicunt causare in illis gloriam accidentalem, & revelationes extra Verbum, & hoc ad capitis rationem sufficere.

Quibus suppositis resp. ad primam auctoritatem, quod si nomen *nemo*, vniversaliter accipiatur etiam pro Angelis, intelligitur de Christo, vt Deo. Ex Augustino, Chrisostomo, & alijs. Vel etiam potest intelligi de solis hominibus ex Hilario. Neque nomen, *nemo*, absolutè sumptum, etiam extenditur ad Angelos, vt Daniel. 13. nemo nos videt. Et Eccl. 7. nemo est qui semper vivat. Ad locum, ex Rom. 5. ly, plures, non sumitur comparativè, & per excessum numeri, sed positivè pro multis, ex Augustino, & D. Thoma. Et quia ex Apostolo superabundat gratia, delictum Adami: quia hoc solum refundit peccatum originale, gratia verò Christi liberat nos ab originali, & etiā actualibus. Ad tertium, ex Ephes. 1. resp. quod Christus dicitur omnia in cœlis instaurasse moriendo pro peccatoribus; per quos

I An-

Angelorum ruinæ reparantur, & istis gaudia accidentalia proveniunt. Ita Hieronymus, Anselmus, & D. Thomas. Et quia Christi sanguine inimicitiæ, quas Angeli in homines gerebant propter peccatum, extinctæ sunt, ita Augustinus, Beda, & alij.

Ad quartum ex Hebræ. 2. resp. quod gustavit mortem pro omnibus hominibus redimendo illos à peccato: Angeli verò non indiguerunt redemptione cum non peccaverint. Vna autem oblatione consumavit in æternum sanctificatos: Vndè si pro Angelis non est mortuus, nec sanctificavit illos. Ad illa autem verba, qui multos filios adduxerat. Resp. primo, quod vel loquitur de Deo Patre, quem decebat: cum iam multos filios, idest Angelos in gloriam adduxisset, vt ipse auctorem salutis, scilicet, Christum per passionem consumaret. Secundo, quod intelligitur de Christo vt homine, qui iam ante passionem ex meritis prævisis Apoc. *Agnus qui occisus est ab origine mundi*; iustos iam extra viam constitutos in gloriam adduxerat, idest adduxit, sumendo præteritum pro futuro, vt dicemus tract. 2.

Ad vltimum Colos. 1. qui est caput omnis Ecclesiæ, fatemur; sed iam diximus quomodo in Angelos influat. Et si apertè legatur caput secundum ad Hebræos facilè percipietur, quod omnia intelliguntur de hominibus, cum dicat Apostolus. *Quia ergo pueri*, idest, homines, *communicaverunt carni, & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem, vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis impertum. idest diabolum*; quod de Angelis nequaquam verificari potest.

Hæc ita dicta sint, vt intelligat Sacræ Scripturæ studiosus, quomodò Sacræ Scripturæ auctoritatibus vtendum sit, & quod advertat, non omnia quæ ex illis inferuntur, esse certa & infalibilia, nisi clare, & evidenter indè colligantur, vndè ex dictis locis probabiliter tantum inferuntur illæ sententiæ, quod admittimus; non verò evidenter & certo, quod consideratione dignum est, Sacras legentibus Scripturas.

Hactenus de fine qui, verba fecimus; iam de fine cui, vel cuius gratia, tractandum venit, & certum est illum esse hominem; illius enim gratia, & vtilitate Deus Sacrã Scripturam inspiravit, quod latè prosequitur homil. 2. in Genes. D. Chrisostom. D. Augustinus epist. ad Volusianum, & D. Hieronymus in Psalm. 22. Tena lib. 1. de sect. 1. & latè Scalante lib. 4. cap. 29. & 30. Et sine dubio prima, & præcipua vtilitas est consequutio vitæ æternæ. Ioan. 20. *Hæc autem scripta sunt, vt credatis; & vt credentes vitam habeatis in nomine eius*. Et secundæ ad Thimot. 2. *Omnis Scriptura diuinitus revelata vtilis est ad docendum, ad erudiendum in iustitia. &c.*

Insuper ex Sacra Scriptura non solum illustratur intellectus ad divina capessenda quandiu in hac vita peregrinamur, & ambulamus per speciem, cum sit quasi quoddam instrumentum obticum, quo remota à sensibus nostris, quasi ad nos trahimus, vt melius illa percipiamus, & in divinis mysterijs, tàm de Deo, quàm de Christo, & supernaturalibus rebus erudiamur, instruamurque, de quo latè, & doctè Scalan. lib. 4. cap. 9. Vbi varijs Sacræ Scripturæ testimonijs, contineri divinarum pluralitatem personarum, etiam in particulari, Christi divinitatem, & eius vitã, cuncta, & admiranda mysteria; pluraque de Beatissima Virgine, & alia nostram fidem concernentia, ostendit.

Non solum intellectum illustrare contendit Sacra Scriptura, iuxta illud Psalm. 118. *Declaratio sermonum tuorum dat intellectũ Domine*; sed etiam vsque ad voluntatem pertingit iuxta illud Psalm. 38. *Et in meditatione mea exardescet ignis*. Virtutes scilicet exhortando, & vitia detestando; sed etiam omnes hominis actiones, & affectus dirigendo iuxta illud Thobiæ 4. *Quiescite agere perverse, discite benefacere, quærite iudicium, subvenite oppresso, defendite viduam, &c.* & sic de reliquis. Vndè D. Basilius Psalm. 1. Omnis scriptura divinitus afflata, eo fine à Spiritu Sancto conscripta est, vt tanquam in communi animarum medicina omnes homines proprij morbi remedium quisque si-

sibi deligamus. Sed de his latè Montoya controv.6. Chrisostomus hom.39. in Genes. & Scalante cit.

Sed pro omnibus D.Hieronymus prologo in Psalmos ita suaviter discurrit. Habet hic infans quid lactet, puer quid laudet, adolescens quid corrigat, iuvenis quid sequatur, senior quod precetur; hinc discant fœminæ pudicitiam, pauperes protectorem, &c. Et D. Augustinus lib.3. de doctrina Christiana. Quicquid homo extra didicerit, si noxium est hic damnatur, si vtile hic invenitur. Tandem D. Hieronymus ad Demetriadem. Divinas Scripturas sæpè lege, imò nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur. Scito in divinis scripturis (per quas solum Dei potes cognoscere voluntatem) prohiberi quædam, concedi quædam, suaderi nonnullas prohibentur mala, præcipiuntur bona, conceduntur media, persuadentur perfecta.

SECTIO SECVNDA.

DE SENSIBVS SACRÆ SCRIPTVRÆ.

EXPLICATA graphicè Sacræ Scripturæ existentia, essentia, qualitate, causa efficienti, & finali iam ad illius sensum enucleandum accedimus: quod vt clarius præstemus in septem capita divisum dabimus. In primo, de sensu Sacræ Scripturæ in communi. In secũdo, de sensu litterali, & eius divisionibus. In tertio, de sensu mystico. In quarto, de illorum comparatione. In quinto, de sensu accomodatitio. In sexto, de parte inventiva. In septimo, de parte dispositiva: sermo nobis erit habendus.

CAPVT PRIMVM.

De sensu Sacræ Scripturæ in communi.

DVBIVM PRIMVM.

Quid, & quotuplex sit sensus Sacræ Scripturæ.

NIL communius apud omnes, quam sensum Sacræ Scripturæ in communi afferre, & proferre; quid autem sit, & eius ethimologia? vel supponunt, vel non explicant. Breviter ergo sciendum est, quod nomen sensus dupliciter potest exponi, vel accipi. Primo, propriè, & sic dicit potentiam sensitivam, & eius operationes, vt patet. Secundo, translatitie, & sic nomen sensus præter alias acceptiones translatum est ad mentis intelligentiam, vel conceptum significandum. Iuxta illud Sap.2. *Optavi, & datus est mihi sensus.* Idest intelligentia, vel cognitio. Et 1. Cor. 2. *Nos autem Christi sensum habemus*; idest intelligentiam, vel cognitioné. Et Luc. 24. *Aperuit illis sensum scripturarum*, idest intellectum, vt intelligerent Scripturas. Vndè Quintilianus lib.8. cap.5. Iam ergo consuetudo obtinuit, vt mentis concepta, sensus vocaremus. Vndè sicut D.Thom.1.p.q.67. art.1. nomen, inquit, lucis primo, & per se impositum est ad significandum istam lucem sensibilem, inde tamen translatum est ad lucem spiritualem, ita dicendum de isto nomine sensus.

In genere ergo loquendo sensus Sacræ Scripturæ, est ipsius loci Scripturæ significatio. Quæ cum ad tria dicat respectum; tria sunt, quæ possunt intelligi nomine sensus Sacræ Scripturæ. Primo, sensus, vel significatio loci. Est ipsa rei veritas, quam significant, vel verba Scripturæ litteraliter, vel res significatæ per verba spiritualiter. Secũdo, accipitur sensus, pro verbo correspondente intellectui divino in verbis, vel rebus Scripturæ: ab hoc enim conceptu, Scriptura dicitur verbum, quia eius conceptum nobis manifestat. Tertio, di-

citur sensus, conceptus quem nos formamus de veritate significata, verus, & conformis, tum conceptui divino, tum rebus ipsis.

His tribus acceptionibus possunt tres sensui Sacræ Scripturæ correspondere diffinitiones. Prima, sensus Sacræ Scripturæ est: significatum proximum, vel remotum, quod Spiritus Sanctus declarare intendit per verba: vel quod Scriptores mente conceptum per Scripturam exprimere intendunt. Secunda, sensus Sacræ Scripturæ est: qui correspondet Verbo divino explicato per voces, vel res. Tertia, est significatum, quod percipit mens nostra ex oratione, verbis, vel rebus contentis in Sacra Scriptura, vel vtroque. Et novissimè Antonius à Matre Dei prel.3.§.2. est veritas, vel sententia, quam verba Sacra litteris consignata ex intentione Spiritus Sancti immediatè, vel mediatè significant.

In his ergo diffinitionibus, verba illa, significatum, vel intelligentia, loco generis apponuntur, reliqua habent locum differentiæ per ly *verba*, significatur sensus litteralis, per *ly, res*, sensus mysticus. Dicitur, ex vtroque, vt significet vtrumque sensum in eodem loco: quæ omnia cum de sensibus in speciali agamus, plenius intelligentur. Dicitur Sacræ Scripturæ, in quo ab alijs rebus, vel verbis distinguitur, & etiam quia ex dictis capite præcedenti, talis significatio, & verba ab Spiritu Sancto inspirata, vel dictata sunt. Et si vellimus in vniversum omnes sensus comprehendere talis poterit efformari diffinitio. Significatum, vel intelligentia Verborũ, in propria, vel impropria significatione, & etiam rerum; quibus Spiritus Sanctus, vel etiam Scriptor sacer mente conceptum explicare per Scripturam intendunt.

Plura in has diffinitiones obijci possent argumenta: sed quia directè in particulares sensus militant, ad singulorum disputationem illa remittimus. Sicut & Hæreticorum novantium impugnationes in sensum Sacræ Scripturæ. Cum enim nullus negare posit, Sacræ Scripturæ verba aliquid significare, omnem illius sensum inficiari non possunt; aliquos, plures reijciũt, sed quia de illis statim, iam ad divisionem sensus Sacræ Scripturæ deveniamus.

Circa quem Gentiles, ethnici & apostatæ teste Porphyrio apud Eusebiũ lib.3. cap.17. pluralitatem sensuum aspernabantur. Ita Celsus apud Originem lib.4. periar: alij disputationem sensuum superfluam asserebant. Hunius lib.1. de principijs, vnum tantũ esse sensum Sacræ Scripturæ omni conatu prætendit. Alij quadruplicem sensuum divisionem figmentum adstruebant. Erasmus præfatione in paraphr. Sic ait: veteres Ecclesiæ Doctores in allegorijs partim variat, partim sic agunt, vt mihi ludere videantur. Denique Lutherus; Dionysius inquit, ludit allegorijs, quod est ociosorum hominum studium. Alij denique Thomamcum Lira, & suis, in orbem vulgasse quadrigam illam sensuum scripturæ litteralem, allegoricum, moralem, & anagogicum. Hucusque debachati sunt ij quorum Deus excœcavit mentes, ne illis lux veritatis, & Sacræ Scripturæ effulgeat.

Contra omnes istos errores dico primo, necesse est dicere in Sacra Scriptura plures reperiri sensus. Et vt rem illustremus Aristotelis doctrinam sectantes 1. Physic; à communioribus initium auspicabimur. Quod eo facilius expedituisque præstabimus si doctrinam D.Thom.1.p.q.1.art.10. in medium adducamus. Inquirit ergo Sanctus Doctor, vtrum Sacra Scriptura sub vna littera plures habeat sensus? Et respõdet affirmativè, ex D.Gregorio lib.15.moral. cap.1.dicente: Sacra Scriptura omnes scientias ipso suo locutionis more trancendit: quia vno eodemque sermone, dum narrat gestum, prodit mysterium.

Huic difficulti triplici conclusione satisfacit D. Thom. Prima conclusio. Sacra Scriptura sub vna littera complectitur plures sensus, scilicet. Litteralem, & spiritualem. Prob. conclusio, quia proprium est huius scientiæ, quod non solum voces, sed etiam res per illas significatas, alia significent. Sed prima significatio qua voces significant res, pertinet ad sensum litteralem,

lem, vel historicum: & illa qua res significatæ per voces iterum alias significat dicitur spiritualis: ergo: antecedens probatur ex differentia Authoris Sacræ Scripturæ, & aliarum scientiarum. quia Authores istarum cum sint homines solum possunt accomodare voces ad significandum: Author verò Sacræ Scripturæ, cum sit Deus, qui etiam est Author earum rerum, est in sua potestate, non solum accomodare voces ad significandum, sed etiam res ipsas ad significandum alias: ergo in Sacra Scriptura non tantum voces, sed etiam res significatæ per illas habent aliquid significare: minor, quo ad primam partem de sensu litterali, vel historiali patet: de secunda, scilicet spirituali declaratur: quia sensus spiritualis fundatur supra litteralem, & eum supponit, cum significatio eius supponat significationem vocum.

Secunda conclusio. Sensus spiritualis dividitur in allegoricum, tropologicum, seu moralem, & anagogicum. Conclusio constat ex Apostolo ad Hebr. 7. Lex vetus est figura novæ legis: & nova lex, ex Dionys. de cœlesti hierarchia, est figura futuræ glorię: & in nova lege, ea quæ in capite Christo sunt gesta; vel in his quæ Christum significant; sunt signa eorum, quæ nos facere debemus. Atqui sensus allegoricus est secundum quod ea quę sunt legis veteris, significant ea quę sunt novę. Sensus tropologicus, vel moralis est, secũdum quod ea quę in Christo sunt facta, vel in his quę Christũ significant, sunt signa eorum quę nos facere debemus: & sensus anagogicus est secundum quod ea quę in nova lege, vel Ecclesia Militante fiunt, significant ea quę sunt in Ecclesia Triumphanti.

Tertia conclusio. Non est incõveniens, quod Sacra Scriptura sub vna littera contineat plures sensus litterales. Conclusio probatur ex August. lib. 12. confes. cap. 18. & etiam ex dictis; Author Sacræ Scripturæ est Deus, qui omnia simul suo intellectu comprehendit; pręterita scilicet, pręsentia, & futura: ergo potuit plura intendere, & significare per vnam litteram. Conclusiones istæ sunt fundamẽtum, & basis totius tractatus, & in quibus omnes Doctores conveniunt: sed circa illas plura se offerunt elucidanda, quod præstabimus in sequentibus. Videatur etiam D. Thom. quodl. 7. q. 7. art. 1.

His ergo ita suppositis: probatur conclusio, scilicet, plures reperiri in Sacra Scriptura sensus. Ex August. de Incarnat. Verbi, lib. 1. Quæ per Spiritum Dei scripturæ conscriptæ sunt habent sensum, non eum solum qui in manifesto est; sed & alios quosdam latentes, quam plurimos. Bernard. ser. 51. in Cant. si aqua in tot corporum nostrorum vsus assumitur: non erit abs re, si divinus sermo varios pariat intellectus. Idem D. Greg. 20. moral. c. 1. de quo Bañes, Valentia, Vazquez, Gonzalez, & alij 1. p. q. 1. art. 10. & Benavid. disp. 9. dub. 6.

Potest etiã probari ex ipsa Sacra Scriptura ad Galat. 4. duo filij Abraham dicuntur intelligi allegoricè per duo testamenta, quæ sunt, inquit, *per allegoriam dicta*, & 1. Corin. 10. *omnia quæ patribus; veteris testamenti contigerunt*, dicit Paulus, *quod in figura facta sunt nostri.* Et 1. Petr. 3. dicitur, *arcam Noe fuisse figuram Baptismi.* Et Ioan. 3. dicit Christus, *serpentem deserti, sui ipsius figuram extitisse*, & Matth. 12. Ionam gessisse typum, & figuram sepulturæ ipsius.

Tertio probatur, quia si sola littera aspiciatur, præsertim in veteris legis institutis, multa in oculis infidelium videntur abiecta, & villia, & puerilia, vt quod non coquatur Hædus cum lacte matris &c. quę tamen in sensu mystico exposita maiestatem, & gravitatem redolent: & si vna esset sententia, & sensus Sacrę Scripturæ, cur ipsi novatores tot expositionibus (& si impijs) eundem locum exornant? Denique probatur conclusio ratione D. Tho. in prima conclusione suæ doctrinæ adducta.

Dico secundo. Sensus Sacræ Scripturæ primo dividitur in litteralem, & spiritualem. Conclusio colligitur ex præcedenti, & amplius cõstabit ex dicendis infra. Vbi dicemus, quod sensus litteralis est ille quẽ faciunt voces in propria, vel impropria significatione; spiritualis verò est, qui ex re-

rebus per voces significatis desumitur, & sic dicitur talis sensus inclusus in littera sicut anima in corpore, & nucleus in cortice, & quod talis sensus spiritualis detur, dub. sequenti ostendemus.

Dico tertio. Sensus spiritualis dividitur in tres species, scilicet, allegoricum, tropologicum, vel moralem, & anagogicum: conclusio etiam est communis, & constat ex ratione adducta D. Thom. & sequenti dubio ex professo declarabitur. Cuius divisionis sufficientia colligitur. Primo, ex illo Proverb. 22. ecce descripsi eam tripliciter, vbi D. Hieronymus epist. ad Ebidiã, intelligit, tres sensus spirituales. Et exornatur secundo, ex D. Thom. q. 1. prol. sent. art. 2. Veritas de qua instruimur ex Sacra Scriptura ad duo ordinatur, scilicet, ad rectè operandum, & ad rectè credendum. Si ad rectè operandum, est sensus moralis, vel tropologicus; si ad rectè credendum, vel respectu eorum, quæ pertinent ad Ecclesiam Militantem, quæ quia media est inter statum Synagogæ, & statum Ecclesiæ triumphantis, & sic ad vtrãque potest referri. Vetus ergo testamentum figura fuit novi: & vetus simul, & novum figura sunt cœlestium. Quando ergo vetus testamentum figurat novum est sensus allegoricus: quatenus scilicet; ea quæ contigerunt in veteri testamento exponuntur de Christo, & Ecclesia, sic dicitur sensus typicus. Quatenus verò sensus fundatur in eo quod novum simul, & vetus testamentũ significat Ecclesiam Triũphantem, fit sensus anagogicus.

Denique tres isti sensus mystici possunt explicari per tres differentias temporis; & per tres Virtutes Theologales. Enodatur hoc; nam allegoria ex præteritis in lege veteri, quæ ordinantur ad novam pertinet ad fidem. Moralis sensus, præsens concernit tempus, de actibus nostris agendis, & hoc per charitatem. Anagogia verò cœlestem patriam anhelat, & sic per spem ambulamus. Variam acceptionem nominum quibus sensus moralis explicatur infra declaravimus.

Dico vltimo. Quatuor sunt sensus Sacræ Scripturæ, in quos sensus illius in cõmuni dividitur. Conclusio est etiam communis, & agendo de singulis ostendemus hoc contra oppositum sentientes. Suadetur hoc primò à simili: quatuor ergo modis omnis Sacra Scriptura incidit, tanquam currus ille cherubicus Ezechielis quatuor rotis directus, in omnes se vertebat partes. Ita Sacra Scriptura modo verbis, modo signis, modo per litteram, modo mysticè docet fideles, vt ad cœlestia perveniant.

Suadetur etiam ex D. Augustino lib. 1. de Genes. ad litt. cap. 1. quod in omnibus libris sanctis intueri opportet: quæ ibi æterna intimentur, quæ facta narrentur, quæ futura prænuntientur, quæ agenda præcipiantur, vel moneantur. Et quidem si secundum res gestas accipiamus scripturæ verba, historia est, & littera. Si futura, quæ præsignabant, allegoria, si æterna, anagogia, si morum informationem, tropologia constituitur.

Denique elucidatur doctrina D. Tho. 1. contra gent. cap. 1. Ad sapiẽtem, inquit, pertinet veritatem de principio meditari, & similiter eius falsitatem contrariam impugnare. Et in prologo sentent. cit. quod in Sacra Scriptura ad quatuor proceditur. Primum ad destructionem errorum, quod fit medijs argumentis; & sic sacra doctrina est argumentativa (quod docet 1. p. q. 1. art. 8.) Secundum ad instructionem morum: & sic modus procedendi debet esse pręceptivus vt in lege; vel comminatorius, & promissorius, vt in Prophetis. Tertius narrativus exemplorum, vt in historialibus. Quartus contemplativus veritatis, vt in doctrinalibus. Hinc quadruplex modus exponendi doctrinam sacram. Primo, quatenus in ea continetur veritas fidei, est sensus historicus, vel litteralis. Secundo quatenus in ea proceditur ad instructionem morum, & est sensus moralis. Tertio, secundum quod proceditur ad contemplationem veritatis, eorum quæ sunt viæ, est sensus allegoricus. Quarto, in ordine ad ea, quæ sunt patriæ, est sensus anagogicus.

CONTRA SVPERIORA.

ARguitur fundamento præcipuo negantium sensuum multiplicitatem. Varietas sensuum sub eadem littera parit æquivocationem; ergo non reperitur in Sacra Scriptura, quæ certo, & firmiter veritatem debet ostendere; cum eius Auctor sit Spiritus Sanctus: & quia Sacra Scriptura est ordinata ad causandam intelligentiam ex Psalm.118. *Declaratio sermonum tuorum dat intellectũ parvulis*: sed multiplicitas sensuum enubilat cognitionem, firmitatemque tollit arguendi, vt patet; ergo.

Huic argumento, cui iam satisfecerat D.Thom.1.p.q.1.art.10. ad 1.resp. nullam esse æquivocationem, ex eo quod sub vna littera vterque sensus litteralis, & spiritualis contineantur. Ratio est, quia spiritualis, semper debet fundari super litteralim, & eum supponere, aliàs nullus erit. Vel etiam quando alter ex altero gignitur, confirmatur, vel aperitur; pluralitas autem sine ista connexione parere potest æquivocationem, & perplexos tenet audientes. Hæc D. Thomæ solutio maximè memoriæ commendanda à Prædicatoribus, sensus mysticos versantes sine ordine, vel connexione ad litteram, quod certè vitare deberent. Quia omnis sensus Sacræ Scripturæ aliquo modo significari debet per verba ipsius; alioquin non erit eius, quod optimè ex pluribus docet Fasolus art.10.cit. dub.2.

Secundo arg. nullum existit fundamentum ad talem sensuum multiplicationem: etenim de voluntate Dei, sine revelatione, vel Ecclesiæ traditione, vel definitione, nobis constare non potest: sed neutra ex his reperitur, vel assigneturs ergo. Si dicas primo; colligi ex locis Sacræ Scripturæ adductis v.g. ex illo Exod.12. *Os non cōminuetis ex eo*, quod Ioan.19. Impleri dixit in Christo. Contra hoc est: quia potest admitti in vtroque loco duplex sensus litteralis, quod esse possibile docet D. Thomas: & in adductis locis ita contingere dicit Abul. Matt.17.q.57. Vel etiam potest dici cum Iansenio in concord.cap.11. Evangelistam illa verba ad rem aptam, vtcumque accomodasse extra mentem Sacri Scriptoris. Si dicas secundo, constare traditione ex eo quod SS. PP. sic scripturam explicarunt. Contra est quia potest dici id fecisse per similitudinem, & quasi per accomodationem, vt plerumque faciunt concionatores: & frequens in hoc fuit D. Greg. in expositione Iob. Quod non videtur Spiritus Sanctus intendisse.

Argumento resp. negando assumptum; constat hoc ex dictis locis in argumento, quod talis detur multiplicitas: neque admittendum id fieri per solam accomodationem, vt ostendit Acosta citandus, & Vazquez vbi supra; qui ex communi contendunt, cum Scriptores Sacri talia adduxerunt dicentes, id impleri in Christo; nisi litteraliter, vel adminus mysticè accipiantur, nihil convincerent, si solum per accomodationem illis vterentur. Et si in aliquibus locis id contingat, secus in alijs. Responsio autem Iansenij à supremo fidei tribunali expuncta fuit.

Vltimo arguitur, contra divisionem in quatuor sensus: quia sicut in Sacra Scriptura aliqua figurate dicũtur de Christo, ita etiam figuratè dicuntur de multis alijs hominibus, vt Daniel.8. per Hircum Caprarum, Regnum designatur Græcorum; sed per istas figuratas locutiones, non fit diversus sensus præter litteralem, vt infra dicemus, ergo nec fit sensus allegoricus, per quem exponuntur de Christo, ea quæ in figura præcesserunt, nec debet alius sensus ab Historico assignari.

Deinde secundo impugnatur sensus moralis: quia vna est Ecclesia capitis, & membrorum; ergo si sensus allegoricus pertinet ad Christum, & moralis ad fideles, iste non distinguitur ab allegorico. Tertio sensus moralis pertinet ad mores, sed talis instructio præstat Sacra Scriptura per sensum litteralem, vt cum dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum*: ergo isti duo sensus non distinguuntur. Quarto, sicut Christus est caput Ecclesiæ Triũphantis, ita & Militantis: neque est alius, & alius Christus: ergo cum sensus anagogicus per

ti-

tinet ad Christum, moralis qui pertinet ad fideles, non distinguitur ab allegorico.

Respondetur ad primum, quod infra ex professo ostendemus, an in visionibus imaginarijs, præcipuè res, vel ipsæ imagines intendantur. Dicimus ergo esse discrimen in illis symbolis, vel visionibus; quando Christus per illas; & aliæ personæ per illas repræsentantur: quia respectu istarum non fuerunt res aliquæ, sed similitudines imaginariæ ad hoc solum ostensæ, vt tales personæ significarentur. Vnde significatio qua personæ illæ, vel regna per tales similitudines repræsentantur, solum pertinent ad sensum litteralem. Respectu verò Christi, etiam res illæ quæ in veritate contigerunt, ordinantur sicut vmbra ad corpus: & ideò talis significatio per quam Christus, vel eius membra designantur, faciunt specialem sensum, scilicet allegoricum. Si autem alicubi inveniatur, quod designatur Christus per tales imaginarias similitudines, tales significatio non excedit sensum litteralem. Sicut Dani. 2. Christus significatur in lapide exciso de monte sine manibus.

Ad secundum respondetur, quod sensus allegoricus, non solum pertinet ad Christum ratione, qua est caput, sed etiam ratione membrorum. Et est optimum exemplum Iosue 7. vbi per 12. lapides electos de Iordane, significantur 12. Apostoli. Sensus autem moralis pertinet ad fideles, non vt considerantur tanquam Christi membra solum, sed quantum ad eorum actus proprios.

Ad tertium respondetur, quod sensus moralis, non solũ est ille per quem actiones instruuntur, sed per quem talis institutio morum ex similitudine aliarum rerum gestarum fit, & sic à litterali secernitur. Ad quartum respondetur, quod licet vnus sit Christus, sed aliter se habet ad vtrãque Ecclesiam: ad Militatem, vt iustificans, & infundens gratiam: ad Triumphantem verò vt glorificans eam, & sic causat diversum sensum.

DVBIVM SECVNDVM.

Vtrum sit certum vtrumque sensum litteralem, & spiritualem reperiri in Sacra Scriptura?

Etsi dubio præcedenti resolutum maneat plures in Sacra Scriptura reperiri sensus, rationes, & congruentias assignaverimus: in præsenti tamen, qua id certitudine consistat, inquirimus. Cum autem Hæretici sint cæci, & duces cæcorum, non defuerunt (licet incredibile videatur) qui asseruerint etiam sensu litterali carere Sacram Scripturam: refertur quidam Franxius, & alij, qui dixere litteram Sacræ Scripturæ esse gladium Antichristi, quo sancti interficiuntur, ex illo 1. Corinth. 3. *Littera autem occidit.*

Alij verò Catholici Authores admittẽtes sensum litteralem, in aliquibus tamen locis illum negant; scilicet cũ Sacra Scriptura metaphoris, & symbolis vtitur. Tunc enim, inquiunt, spiritualis tantum sensus reperitur. Ita Lira Prob. 2. Bibliæ. Circa mysticum verò Vviclef. & alij illum negarunt, asserentes talem sensum esse figmentum concionatorum. At verò Abulen. q. 57. in cap. 2. Matth. & q. 28. in cap. 13. Licet sensus spirituales nõ omnes reijciat: dicit tamen illos ab Scriptore sacro, non esse intentos, sed à SS. Patribus inventos. Vndè talis sensus licet vtilis, non tamen sacer, & divinus: & sic omnem sensum Sacræ Scripturæ in omni rigore, & proprietate esse litteralem. Sed opposita sententia in omnibus tenenda cũ D. Thoma quod. 7 art. 15. 16. 17. Scalan. lib. 1. cap. 14. Antonio à Matre Dei prælud. 3. §. 4. & Theologis 1. p. quæst. 1. art. 10.

Dico primo, certum est in Sacra Scriptura nedum reperiri sensum litteralem, nec solum mysticum, sed etiam vtrũque. Conclusio vltra rationes dubio præced. adductas. Prob. quoad tres quas continet partes. Prima, de litterali, quia in Sacra Scriptura plures continentur historiæ, & gesta rerum, quæ non nisi litteraliter possunt intelligi, cum simpliciter narrentur,

& pro-

& proferantur: & quæ nullum alium sensum præter litteralem valent admittere: vt præcepta decalogi, historia de mundi principio, de prælijs, & regibus, & alijs his similibus. Et quia quæ plurima de Deo dicuntur explicantia eius essentiam, & perfectiones (licet imperfecte, vt dicit D. Gregorius) & de Christo manifestantur eius Incarnatio, miracula, passio, &c. quæ certè in sensu litterali necesse est intelligi, & explicari. De quo plura in sequentibus.

Secunda pars conclusionis, quod etiam sensus reperiatur spiritualis. Prob. ex pluribus Sacræ Scripturæ locis scilicet, Matt. 12. de Iona Propheta. Et Christus concludit dicens: *Sic erit filius hominis in corde terræ*. Et de serpente æneo, Ioann. 3. & Christus, *vt omnis qui credit in eum non pereat*. Et sic de alijs, & ratio est manifesta: quia vt iam insinuavimus supra, in aliquibus locis solus sensus litteralis videtur humilis valdè, alienusque à tanti Auctoris dignitate. Etenim Apost. 1. Corinth. 9. dicit: *Scriptum est in lege Moysis. Non alligabis os bovi triturantis: nunquid Deo cura est de bobus? An propter nos vtique hæc dicit?* Ex quibus verbis videtur colligi, tale præceptum indignum Dei magnitudini, si aliud non intenderetur, de quo infra. Imò vt Scalant. cap. 19. & Antonius à Matre Dei §. 4. ostendunt, Iudæis cognitus fuit sensus mysticus ante Christum natum, & etiam post eius passionem.

Tertia pars scilicet, quod vterq; sensus litteralis, & spiritualis inveniatur. Prob. ex illo Apoc. 5. *Vidi in dextera sedẽtis in throno librũ scriptum intus, & foris*. Per quod significatur S. Scriptura continens duos sensus: nam litteralis est quem significant voces, quasi foris; & spiritualis, quem significant res vocibus expressæ. Et sic est quasi intus. Idem habetur Ezech. 2. & D. Hieronymus. Foris scripta est in Historia littera, intus intelligentia spirituali, de qua Psalmista: *Omnis gloria filiæ Regis ab intus*. Et quia Ecclesia semper cognovit istos duos sensus. Et quia quæ litteraliter dicuntur de Arca Noe, D. Petrus 1. epist. cap. 3. mystice interpretatur de baptismo referuntur. Et quæ Genes. 16. & 21. referuntur de duobus Abrahæ filijs D. Paulus 1. Cor. 10. explicat de duobus testamentis, & sic plura.

Dico secundo: certum videtur ex fide istos sensus in Sacra Scriptura contineri: ita communiter cum Auctoribus cit. Bañes, Gonzalez, Molina, Scalante. Et probatur; quia de fide est ex iam dictis dari Sacram Scripturam, & etiam de fide aliqua narrare, & dicere verbis proprijs, & expressis, in quo sensus consistit litteralis, ergo videtur de fide talem sensum litteralem dari in Sacra Scriptura. Et quia Christus Dominus de semetipso dixit, & explicuit illud Isai. 61. *Spiritus Domini super me*. Et Ioan. 5. dixit ipse Christus: *Scrutamini scripturas; illæ sunt quæ testimonium perhibent de me*. Et omnia etiam quæ pro prima parte præcedentis conclusionis sunt adducta, illam etiam cõvincunt.

De sensu etiam spirituali probatur ex historia Ionæ, quã vt diximus, idem Christus adduxit ad designandam sepulturam, & resurrectionem suam. Et de serpente æneo Ioan. 3. & ad Galat. 4. Apostolus historiam duorum Abrahæ filiorum, duobus aptat testamentis. Huic auctoritati negantes sensum allegoricum respondebant; eo loco Apostolum impropriè locutum. Existimabant enim illos duos filios Abrahæ, non ideo fuisse datos à Deo, vt duo signarent testamenta, sed historiam illam (ex qua sensus convincitur allegoricus) Paulum recensuisse: vt per quandam accomodationem veteris, & novi testamenti differentiam ostenderet.

Sed hæc solutio, & doctrina (vtpotè cõtraria SãctisPatribus, & Expositoribus) erronea iudicatur, vt benè expendit Bañes cit. Neque D. Chrisostomus, quem illi pro se adducunt nobis adversatur, etiam si dixerit, typice Apostolum fuisse loquutum. Non enim negat duos Abrahæ filios duorum testamentorum figuram prætulisse. Sed quia Apostolus dixit, hæc sunt duo testamenta, typice loquutus est quantum ad hoc, quod res figurantes accepit pro rebus figuratis.

Loqueretur autem non typice si diceret;

ret; hi duo filij Abraham, figura fuerunt duorum testamentorum. Et quia Paulus loquebatur, vt Spiritus Sanctus inspirabat: at si Spiritus Sanctus diceret Abraham habuit duos filios, & hæc sunt duo testamenta, omnes intelligeremus Spiritum Sãctum Sacræ Scripturæ Authorem velle nobis ostendere, quod illi duo filij Abrahæ, vt essent figura vtriusque testamenti, erant à Deo illi dati, & instituti. Et quia omnia quæ Apostolus adducit ad Hebræos 9. de tabernaculo, possent dicere non fuisse figuram eorum, quæ in novo testamento fiunt, sed per accomodationem, & allusionem explicari ab illo, quod nedum erroneum, sed Hæreticum etiam censetur aliquibus.

De sensu morali idem constat ex pluribus locis, Luc. 7. *Memẽtote vxoris Loth*; ad denotandum quod negligentes in operibus virtutis perituri sunt: & sæpè diximus de historia serpentis, Ioan. 3. Vt sicut percussi, & conversi ad serpentem sanabantur: ita & nos ad Christum conversi, salutem consequimur. Denique de sensu anagogico idem censendum, ex illo ad Galat. 4. *Illa autem quæ sursum est Ierusalem libera est; quæ est mater nostra.* Et ad Hebr. 9. dicitur: *Introitum Sacerdotis in tabernaculum fœderis semel in anno non sine sanguinis oblatione: signum fuisse introitus Christi in tabernaculum, non manu factum.*

Pro maiori autem dictorum intelligentia sciendum, aliquos fuisse Auctores qui dixere, impossibile esse sub vna littera in eodem loco Sacræ Scripturæ plures sensus (maximè litterales) contineri. Itaque idem locus in vno loco vno tantum gaudet sensu; benè verò si in diversis locis reperiatur. Atque ita ille locus, *os non comminuetis ex eo*; in novo testamento habere vnum sensum, & in veteri, alium sensum. Sed circa sensus litterales infra ex professo; de alijs certissimum debet haberi, cum eadem vox duas alias res, alteram immediatè, & alteram mediatè possit significare.

CONTRA SVPERIORA.

Arguitur primo contra rationem D. Thomæ in sua conclusione: quia etiã homines nedum voces, sed etiam res accomodant ad alias res significandas: male ergo dicitur, quod est proprium Sacræ Scripturæ, vt in illa nedũ voces, sed etiam res significent alias res: antecedens probatur, in ramo ante tabernam pendente, qui vinum venale significat. Et plures nationes maximè Ægyptij vtebantur rerũ similitudinibus, ac figuris ad alias res indicandas: vt circulum anni per serpentem circumvolutum, qui ore caudam teneret; quia sic tempus reciprocantibus in se vicibus discurrit.

Vt respondeamus observ. dupliciter posse contigere, vt vna res ad aliam ordinetur designandam; quod est res facere signa aliarum rerum. Primo in rerũ generatione, vt simul res producatur, & nõ tantum propter se; sed vt sint signa aliarum rerum. Secundo id contingere potest adventitie: vt cum res iam factæ accipiũtur in aliarum rerum signa. Primo modò est proprium Deo; non verò secundo modo, cum humanam non excedat facultatem, & sic nec proprium Sacræ Scripturæ.

Deinde sciendum, quod dupliciter etiã contingere potest, quod res in sua ipsarum productione ad alias indicãdas adaptentur: primo vniversaliter, & ita omnia quæ gesta narrantur in tot tantisque historijs, & ex se ad aliam pertinentes doctrinam, aliarum fiant rerum signa; & sic proprium est Dei, & Sacræ Scripturæ: v.g. cum aqua ex petra fluxit, non nostræ subiacebat potestati, & facultati, vt existeret signum Christi ex cuius latere lancea percusso vnda manaret. Sed tantum Dei consequitur dispensatione. Secundo modo possunt res accomodari in particulari, vt alias significent, & hoc humanam non superat facultatem: quisquis enim potest aliquos actus, vel artificiata facere per quæ aliqua designare intendat.

His ergo suppositis. Resp. primo, distin-

stinguendo antecedens;in sua primaria institutione,nego; hoc enim proprium Deo est, qui ex eo agnum paschalem instituit, vt Christum significaret: in particulari, & supposita iam rerum institutione,concedo antecedens,vt diximus.Secũdo resp. vniversaliter nego antecedens, particulariter concedo antecedens,iuxta iam dicta. Sic etiam duos filios Abrahæ, vt maior scilicet Ismael populum Iudaicum, Iacob vt Christianum repræsentarent, produxit. Vel tertio respondetur loquendo de rebus artificiatis, verũ esse alias res denotare posse,vt hieroglyphica, & figuræ: at verò vt res veræ alias indicent, proprium esse Deo,& Sacræ Scripturæ.

Secũdo arguunt Hæretici pluribus medijs. Primo, quia S. Scriptura debet esse clara,cui obstant plures sensus, vt patet. Secundo, quia hoc non conducit ad res fidei cõfirmandas. Tertio,quia esset maxima confussio inter sensus ipsos. Quarto, ex Abulensi. Sensus Sacræ Scripturæ debet esse certus, & determinatus, quod in sensu spirituali non invenitur. Quinto, quia ille est sensus alicuius Prophetæ, quẽ ipse explicare intendit, & intelligit, sed non omnes sensus neque litterales, nec mysticos Propheta percipit, & minus sacer Scriptor, cum in infinitum, vt postea dicemus, posint multiplicari; ergo.

Resp.ad 1.ex D.Thom.1.p.q.1.art.9. & quod lib.7. art.14. ad 2. Speciali Dei providentia factum esse, vt Sacra Scriptura sub velamine obscuritatis veritates cõtineret. Primo, vt cum labore, & merito veritas con sequatur. Secundo, vt per eos qui talem veritatem consequuti sunt, alij instruantur. Tertio, vt infidelium irrisio evitetur, ne sanctum detur canibus,Matt. 7. Quarto,vt studentium excitetur attentio, quæ circa fociliavilescit; circa obscuriora inardescit.

Ad secundum resp. quod si sensus spiritualis non valet ad res fidei confirmandas,de quo infra; valet tamen ad declarandum, persuadendum, & affectus alliciendos vt patet.Ad tertium,quod talis sensus sub diversis rationibus accipiuntur, ex quo nulla sequitur confussio. Ad quartũ, quod sensus Sacræ Scripturæ debet esse determinatus, vt ad rem illam,de qua agitur suo modo pertineat concedo. v.g. agnus Paschalis Exod. 12. de illo materiali agno litteraliter intelligebatur, & etiam de Christo, sivè in illo loco mysticè, sivè de illo propriè, Ioan. 19. Et sic determinatus: quia licet duplex sensus,de vtroque accipitur propter aliquam similitudinem. Ad quintum,vt respondeatur sit.

DVBIVM TERTIVM.

De influxu Dei in Scriptores Sacros.

PEr me Reges regnant; & legum conditores iusta decernunt. Habetur Proverb.8. Indè quotquot etiam ethnici, &Gentiles pro condiendisReipublicis leges sanxerunt, vt illis maiorem conciliarent auctoritatem,in Deum,vt in fontem, vel inspiratorem reduxerunt.De quo latè Petrus Gregorius lib.13.de Repub.cap.11. Et cum in Sacra Scriptura,Deus mentem suam hominibus aperuerit,legemque illis constituerit,hoc specialiter privilegij sibi vindicaverunt,vt anthonomasticè,divinæ vocarentur: quia ex 2. Petri 1. à Deo inspiratæ dictæ sunt. Non solum eo modo, quo supra ex D. Ambrosio, & D. Thoma diximus,omnem verum esse à Spiritu Sancto, sed specialiter,& particulari influxu. Vndè dupliciter Deus solet veritatem revelare. Primo,supposita aliqua diligentia, & labore ex parte hominis; secundo, immediatè divinam revelationem recipiens.

Plura Sacræ Scripturæ nomina attribuuntur, inter alia nomen prophetiæ excellentius,ex D.Petri secunda cap.1. quia maxima eorum pars scilicet præterita,& futura procul fuerint à notitia scribentium, & sic respectũ eorum prophetia dicitur. Imò de tota Sacra Scriptura hoc verificari contendit Abul.q.2.& 5.in præfat. in Matt. ex D.Hieron.in prologo galeato, vbi libros prophetales vocat Iosue, Regum, &c. quia omnes prophetice idest per revelationem Spiritus S. conscripti fuere. Et ratio est, quia sicut propheta non nisi revelatione prædicere potest fu-

tura; sic Scriptor non nisi Deo revelãte, & dirigente, legem, doctrinam, & historias conscribere potest. Ex D. Thom. 2.2. q.176. art.2. & sermonum interpretationem ad prophetiæ reducit donum. Nec omnes Scriptores Prophetas in rigore dicimus esse, sed quia saltem impulsum, & instinctum divinum habuerunt, sic Prophetæ nominantur. Quod ex D. Thoma cit. Est quid imperfectum in genere prophetiæ. De quo iam supra.

Supponendum etiam ex D. Thoma, quod duo in prophetia reperiuntur. Primum cognitio eorum quæ procul sunt, & sic dicuntur à verbo composito, pro, idest procul, & phanos, quod est apparitio. Et ex D. Isidoro lib.7. ethim. cap.2. In veteri testamento dicebantur videntes: quia cæteris abscondita, videbant. Secundum est denuntiatio cognitorum, sive verbis, vt fere omnia quæ in Sacra Scriptura continentur. Sive, factis, vt scisio palij Ahiæ. 3.Reg.11. Absconsio lumbaris Hierem.13. & etiam omnia quæ alicuius mysterij causa gesta sunt.

Vt igitur sciatur quid Deus in Scriptores sacros operetur, sive in cognitione, sive in denuntiatione eorum, quæ illis revelata sunt: aliqua ex Theologia, vel summis labijs delibanda veniunt. Ad prophetiã ergo requiritur inspiratio ex 2.Petr.1. & Iob 32. *Inspiratio omnipotentis dat intelligentiam.* Et Caiet. 2.2. q.171. art.1. ait: quod inspiratio divina in humanam voluntatem, qua ad divina percipienda elevetur, requiritur primo. Deinde revelatio divina qua intellectus res revelatas percipiat: & hoc ideò quia prærequiritur, vt intentio mentis elevetur ad divina, deinde revelatio quantum ad ipsam perceptionem rerum.

Cum autem cognitio præcipuè ad prophetiam requiratur, ad cognitionem duo exiguuntur. Primum specierum acceptio, vt res repræsententur: Iudicium deinde de rebus repræsentatis. Inter quæ duo diversæ possunt fieri convinationes: quia vel ambæ possunt esse supernaturales, vel naturales: aliquando vnum naturale, & alterum supernaturale. Si vtraque nattura-ralis, non erit prophetia, quia ista est supernaturalis cognitio rerũ procul à cognitione hominum. Si autem acceptio specierum tantum sit supernaturalis, & iudicium supernaturale deficiat, non erit prophetia, vt patet in Pharaone, cui species boum, & spicarum supra naturam, abundantiam indicantes, inditæ; defuit tamen illi iudicium, & discretio significationis illorum, & sic non fuit Propheta, sicut nec Balthasar, qui manum scribentis videns non intellexit; at Ioseph, & Daniel, qui de illis speciebus (& si ab alijs acceptæ) tulerunt iudicium, extiterunt Prophetæ.

Circa specierum etiam receptionem not. ex D. Thoma q.12. de verit. art.12. ad tria posse reduci principia. Primum ad sensum, cum scilicet, ab ipsis obiectis immediatè recipiuntur. Secundo ad imaginationem, cum vel nova phantasmata dormientibus infunduntur, vel vigilantibus præexistentia ordinantur, ex quibus fit transitus ad intellectum. Tertio in intellectu cui primo, & per se infunditur veritas rei cognoscendæ; ex qua imagines format quibus vt intelligat, vtitur ex necessitate huius status. Ex Dionis. cap.1. de cœlest. Hier. & D. Thoma 1. par. q.1. art.8. Vnde Abul. q.5. in Prol. Mat. his tribus modis incitatos inquit sacros Auctores ad scribendum.

Triplex ergo visionis divisio, ex hac triplici specierum acceptione promanavit, scilicet imaginaria, sensibilis, & intellectualis, ex Augustino apud D. Tho. 2.2. q. 174. art.1. Prima est sensibilis, illa scilicet quæ aliquo sensu percepta, ex illa superna se offerunt, vt obiurgatio fratricidij Cain, Gen.4. fabricatio Arcæ, Gen.7. Apparitio Moysi in monte Sina, &c. Secunda est imaginaria, quæ sive vigilantibus, sive dormientibus simulachra phantasiæ se insinuant. De quo optimè D. Thomas cit. Vbi excessum illorum expendit. Quod quæ fit in vigilia sit præstantior quam quæ dormiendo fit, quia maior vis prophetici luminis esse videtur, quæ aliquem occupatum circa sensibilia abstrahit ad supernaturalia, quam illa quæ à sensibus abstracta invenit in dormiendo. Et quæ fit per

ver-

verba, quam quæ per res, quia illa magis exprimentia veritatem. Deinde cum quis vltra res & verba, videt personam loquẽtis, iuxta dignitatem illius, scilicet, si Angelus, vel homo. Vltimo cum homo, Angelus, vel Deus loquitur. Videatur D.Thomas, & Cayetanus.

Tertio, intellectualis visio dicitur, quando Deus ipse, menti se insinuat, & præsentem facit, & sic sua manifestat secreta, & sacramenta, de quo August. lib.16. de Civit.cap.6. Et hoc vel in raptu, & extasi, vt in Ezech.cap.8. & in Paulo 2.Corinth.12. ex D.Thom.2.2.q.175. art.1. vel sine extasi, vt in Eliseo 4. Reg. 3. & 13. Isai. 4. Reg.20. quod sine phantasmatum, & specierum sensibilium ministerio plerumque fieri solet.

Cum autem prophetia, quid supernaturale sit, aliquid infundere supra humanam facultatem oportet; & quantum ad iudicium per influxum superioris luminis; & quantum ad acceptionem specierũ. Vndè aliquando in visione corporali species divinitus formantur, vt rubus Moysis, & scriptura Balthasaris. Aliquando species ab alijs causis formantur, sed ex Dei providentia ad aliud signandum ordinantur, vt arca Noe, Ecclesiam. Vndè dixit D.Thom. cap.1. Isai. quod illa tantum visio corporalis, vel imaginaria est prophetica, quæ ex Dei virtute ad aliquod denuntiandum instituitur, & videns de hoc intelligentiam accipiat.

In visione autem imaginaria species possunt accipi, vel à sensu, vel à Deo. Vel secundo, ex speciebus præhabitis aliter transmutatis, vt contingit in litteris. Vel tertio, si dictę species adiuventur superiori lumine ab ipso naturali. Et sic species deserviunt Prophetis, secundum consuetudinem illorum, vt Amos 12. dicit Hieronymus. Naturale est, vt omnes qui volunt rem rei comparare, ex eis rebus sumant comparationem, quas experti sunt, & sunt nutriti. v.g. Nauta suos inimicos comparat ventis, Pastores timorem suum rugitui Leonis, &c. Sic iste qui fuit Pastor pecorum, timoremDei comparat rugitui Leonis.

Hinc D. Thomas de verit. q.7. art.3. protulit, quod illarum rerum quas iam Propheta vidit, non opportet vt ei denuo species infundantur; sed ex præceptis in thesauro imaginativæ, fiat quædam aggregatio ordinata, & conveniens designationi rei prophetandæ. v.g. Ieremias prophetabat combustionem Hierusalem, in anima sua habebat speciem Civitatis à sensu acceptam, & similiter ignis comburentis, quem frequenter viderat; sed hæc omnia non sufficiebant, nisi divinitus tales species tranformarentur. Et ita illæ species præexistentes (& idem de alijs similibus) erant quasi elementa, & principia illius visionis, ordinanda tamen divinitus secundum congruentiam ad veritatem revelandam, cum ex se essent insufficientes; ad quod prærequiritur auxilium supernaturalis luminis, quo Deus excitat, convinat, & ordinat species rerum, vel verborum in mente Prophetæ, vel Scriptoris, eorum quæ facere, vel loqui debet. Iuxta illud Matth.10. *Non enim vos estis qui loquimini, &c.* Deus ergo est qui ordinat voces, vel conceptus, ex quorum ordinatione resultat hæc, vel illa significatio, respectu cuius homo se habet vt minister, & Deus vt causa principalis.

Acutè igitur Cayetanus intulit, quod ex ijsdem formis imaginatis conspicitur subtilior veritas secundum illustrationem altioris luminis. Ita vt in eisdem phantasmatibus, scilicet leonis, hominis, salvatoris, lateant multæ apparitiones possibiles quasi in eis inclusæ, ad quas extrahendas insufficiens est lumen nostrum, & indiget lumine altiori, vt inde novæ eliciantur; ita vt ex specie leonis nova veritas, scilicet Leo de Tribu Iuda mundum salvaturus percipiatur, &c. Ad quod non sufficit sola extrinseca assistentia, sed ponenda est nova motio, & illustratio, & elevatio specierum, conceptuum, verborum, & rerũ, vt ista, res supernaturales significent. Et sic Deus res, verba, & conceptus, aliàs Sciptori nota assumit, & elevat, sicut aquã Baptismi ad causandum grantiam.

Extenditur ergo hæc cognitio ad omnia illa, quæ lumine divino possunt cognos-

nosci (magis, vel minus) vt Isai. 6. Dei gloria manifestatur: etiam ad res naturales, vt Isai. 40. *Qui mensus est pugillo aquas.* Et etiam moralia Isai. 58. *Frange esurienti panem tuum.* Futura vt ipse 47. *Venient tibi duo, sterilitas, & viduitas.* Et cum prophetia sit in ordine ad ea quæ à cognitione nostra procul sunt, secundum diversitatem rerum procul à nostra cognitione existentium, dividitur etiam res, de qua est prophetia. Aliæ enim res sunt incognoscibiles ex se, vt futura contingentia, quæ nec in seipsis, nec in suis causis sint determinatæ. Aliæ sunt incognoscibiles, ex imperfectione nostra, vt mysterium Trinitatis, alias ex se maximè cognoscibile.

Aliæ res incognoscibiles nobis non omnibus, sed aliquibus ratione infirmitatis intellectus, vt ea quæ in scientijs demonstrantur non cognita ab ignorantibus; quæ tamen conducere possunt ad instructionem fidei, & morum, & sic cōveniens est, vt sub lumine prophetico ostendantur, vt sic cognita, Prophetæ scientia, facilius audientes ad credendum attrahantur. Aliæ sunt incognoscibiles ex parte temporis, vt quæ multo ante præcesserunt, & oblivioni sunt traditæ, v.g. initium mundi, & alia quæ Moyses scripsit. Aliæ ratione loci, vt cum 4. Reg. 5. Elisæus rescivit, quæ Hiezi cum Naaman pactus fuerat. Et Act. 15. Petrus quod Ananias, & Saphira inter se convenerant, & sic de alijs.

DVBIVM QVARTVM.

An Scriptor sacer cognoverit semper ab Spiritu Sancto dirigi, & incitari ad scribendum?

SImile dubium pertractat D. Thomas 2.2. q. 171. art. 5. Vtrum Propheta discernat ea quæ divinitus percipit, ab eis quæ proprio spiritu videt? Et licet in aliquo, differant Propheta, & Scriptor sacer: quia Propheta, nisi litteris mandet, quæ pronuntiat, non erit sacer Scriptor, & iste si non scribat, quæ procul sunt à communi notitia, sed quæ ipse vidit in rigore non dicetur Propheta: vterque tamen opus habet Spiritus Sancti illustratione, & assistentia modo iam explicato; pro vtroque ergo præsens ferè deserviet doctrina.

Dico primo. Quādo Prophetæ, & Scriptores Sacri expressam habent revelationem Spiritus Sancti; tunc cognoverunt infalibiliter Deum ad eos, in eis, & per eos locutū fuisse. Ita D. Thomas cit. & Theologi 1. par. q. 1. art. 10. vbi Bañes, Gonzal. Vazq. Scalan. cap. 5. & Anton. à Matre Dei præl. 1. §. 4. & 7. Benavid. disp. 9. dub. 21. Et probatur breviter: Quia non minus habet virtutis ad illuminandum intellectū divina illustratio, & lux spiritualis, quam corporalis respectu visus externi: sed respectu huius quis certus est illam videre, & per illam alias conspicere res: ergo à fortiori per illam; cum ordo supernaturalis perfectior sit ordine naturali ad quē iste elevatur.

Constat hoc etiam ex ipsa Sacra Scriptura. Ieremias enim cap. 26. dixit: *In veritate misit me Dominus ad vos, vt loquerer in auribus vestris omnia verba hæc.* Quibus ex verbis sic arguit D. Thomas: quia si Propheta de hoc non haberet certitudinem, fides aliorum hominū quæ dictis Prophetæ innititur certa non esset. Quod optimo etiam probat exemplo, in hoc quod Abraham filium suum Isaac immolandum perrexit; quod non adimpleret vtique, nisi divina esset certus revelatione. Et Paulus etiam 2. Corinth. 13. exclamabat: *An experimentū quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Quasi diceret (ex D. Thoma) non est dubitandum de potestate mea; quia quicquid ego loquor prædicando, loquor à Christo. Et Exod. 4. dixit Dominus Moysi: *Perge, ego ero in ore tuo.* Et hoc passim in Sacra reperitur Scriptura.

Non est autem facilè explicatu, vndè proveniat talis certitudo, & quomodo cognoscatur? Breviter tamen respondetur ex his quæ dicuntur in materia de gratia, & de fide; in quibus inquiritur: Vtrum quis possit esse certus de sua gratia, & fide? & omissa pro nunc explicatione circa gratiæ certitudinem, de qua 1. 2. q. 112. art.

art.5. & 2.2. q.4. art.8. Vbi tractatur de fide. Respondet D. Thomas: quod tripliter potest quis esse certus. Primo per revelationem: & sic potest quis esse certus se habere gratiam, & etiam fidé vt Apostolus Rom. 7. *Certus sum, quod nec mors, &c. separabit nos à charitate Dei.* Secundo potest esse certus de re aliqua in se ipsa; quod contingit cum quis cognoscit principiũ certo; & inde certo cognoscit conclusiones. Tertio, coniecturaliter, & per aliqua signa.

In præsenti ergo dicimus, quod sicut de actu fidei supernaturalis potest quis esse certus, ita & de revelatione: quia certitudo pertinet ad perfectionem intellectus, vbi recipitur fides: perfectio autem intellectus nedum certificat de obiecto, sed etiam de se ipsa.

Sit exemplum in habente scientiam, qui non solum certus est de obiecto, sed etiam scit se scientiam habere: ita suo modo, qui habet fidem, est certus de obiecto credibili: & etiam certo cognoscit se fidem habere, & credere. Ad rem ergo; cum lumen propheticum pertineat ad intellectum, ex 2.2. q.171. art.1. cum per tale lumen cognoscãtur, quæ procul sũt, & remota à cognitione hominum: & sic in veteri testamento Prophetæ vocabantur videntes. Sicut ergo dicitur de fide ita etiam dicendum, quod ipsa revelatio, & actus ex ipsa causatus certificat se ipsum, ita vt de obiecto ipso primo, & per se sit certitudo, & de ipsa revelatione ex consequenti. Vel etiam certificat se ipsum mediante actu reflexo per modum obiecti terminando illum, & communicando illi in genere causæ extrinsecè suam certitudinem: ita lumen propheticum certificat de obiecto & actu ipso, licet sine evidentia sicut habetur in scientia. Videatur Araujo 1. 2. q.112. art.5. dub.4.

Dico secundo, quando Prophetæ non lumine prophetico, sed per instinctum quendam excitati sunt: licet cognoscant se tali instinctu excitari, vel moveri: non tamen hoc certe, & indubitanter cognoverunt se excitari à Deo ad prophetandum, vel scribendum. Conclusio est communis, & probatur primo, ex D. Gregorio hom.1. in Ezech. Sciendum quod aliquando Prophetæ Sancti dum consulunt, ex magno vsu prophetandi, quædam ex suo spiritu proferunt, & etiam hoc ex prophetiæ spiritu dicere suspicantur. Exemplum aptum in Nathan 2. Reg.7. Existimans se spiritum Dei habere, Davidis animum de construendo Templo corroboravit. Deceptum tamen fuisse constat, cum Spiritus Sanctus filio eius Salomoni id reservatum, expresserit postea.

Ratio autem D. Thomæ talis est. Instinctus est quid imperfectum in genere prophetiæ (& idem dicendum de Scriptore Sacro) ergo tunc non habebit certitudinem, quod sibi Deus loquatur, vel Spiritus Sanctus assistat. Quia si sacer Scriptor non est Propheta, & Propheta aliquando non certo cognoscit Deum alloqui ipsum: nec etiam sacer Scriptor. Addit tamen D. Thomas, ex D. Gregorio. Ne tamen ex hoc error possit accidere, per Spiritum Sanctum citius correcti, ab eo quæ vera sunt audient, & se ipsos quia falsa dixerint, reprehendunt.

Sed obijcies cum Antonio cit: Scriptores nescierunt certe se ab Spiritu Sancto dirigi, & excitari, ergo nescierunt sua scripta esse de fide: ergo non potuerunt ab ipsis, vt revelata proponi; & per consequens, nec ipsa Ecclesia, talia scripta tanquam canonica proponere. Quod breviter sic præmit Scalant. Si hæc ita sint, qua ratione tàm Synagoga, quàm Ecclesia Libros Sacros cognovit, & accepit?

Huic difficili obiectioni respondet Antonius cit. in forma concedendo primam consequentiam, & etiam secundam, & negat vltimam. Dicit ergo non esse necessarium, vt Deus revelet Scriptori ipsi, sua scripta esse de fide, aut quod tanquam talia proponantur ab illo, Ecclesiæ. Ecclesia verò ex Dei revelatione id accipit, vt de libris Machabæorum, & alijs qui non sunt de canone Hebræorum. De his enim, vel ipse Christus, vel Spiritus Sanctus per Apostolos manifestavit. Scalante verò ait quod Synagoga solum illos recepit libros, quorum Authores divino cognovit spiritu

tu fuisse persussos, & post captivitatem Esdras reparavit. Ecclesia verò etiam alios acceptavit, qui tunc nondũ suscepti erant, vt libri Machabæorum, Ecclesiastici, &c. Ex traditione Apostolorum vsque ad nostra tempora, & in Concilijs declarati sunt canonici.

Tertio, respondet Bonfrer. posse contingere, vt aliquis sola diligentia humana aliquem scribat librum: & postea revelari, fuisse scriptum ex Spiritus Sancti impulsu: vt patet in sententia Arati relata ab Apost. act. 17. ipsius genus sumus. Et alia Epimenidis 1. ad Tit. Cretéses semper mendaces. Quod est (inquit ille) consequenter se habere Spiritum Sanctum in librorum conscriptione.

Non vacat in præsenti omnia quæ in his tribus solutionibus continentur examinare, dicimus ergo. Primo, quod probabilius videtur nullum fuisse Scriptorem Sacrum, qui non perfectè cognoverit revelationem, vel inspirationem Dei qua illustratur, & impellebatur ad scribendum. Quia omnes tales Scriptores proponebantur, vt docerent populum, & Dei enuntiarent voluntatem, tam in suplicijs, quam in promissionibus. Si autem aliquis eos interrogaret, an ista vera essent? Si certo non cognoscerent assistentiam, vel revelationem Dei: certum non præberent responsum; & sic Sacræ Scripturæ, vel prophetiæ certitudo videretur fluctuare.

Secundo respondetur, vt exemplis occurramus, non astitisse peculiariter Spiritum Sanctum Aratro, & Epimenidi scribentibus; neque hoc illos præstitisse inspiratione divina: Divum tamen Paulum inspiratum fuisse, vt illa scriberet, & ex tunc incepisse esse Scripturam divinam. Ex dictis enim constat non omnem veritatem esse Scripturam divinam. Cũ Augustinus dicat. Etiam Scriptores sacros alia, humana diligentia, & alia, inspiratione scripsisse divina, de quo Abul. q. 3. in Prol. Matt. non ergo ad Sacram Scripturam veritas certissima sufficit, sed vltra requiritur lumen supernaturale excitans, & illuminans specialiter mentem Scriptoris.

Et pro maiori intelligentia adnotare libet communẽ Doctorum sententiam: scilicet, quod tales clausulæ, & aliæ plures his similes, dupliciter considerari valent, vel secundum se, vel vt extremum propositionis, v.g. Psal. 13. *non est Deus*; si consideretur secũdum se, blasphema est, & athea; at verò si cõsideretur, vt extremum illius propositionis à Spiritu Santo prolatæ per os David: *Dixit insipiens in corde suo non est Deus.* Tota illa Canonica est, & infalibilis auctoritatis, nempè quod illam insipiens conceperit. Sicut plura verba amicorum Iob in se falsa sunt, sed vt à sacro Scriptore proponũtur vera, scilicet quod illa illi protulerint; sunt itaque ipsius Scriptoris in referendo, non in asserendo, & affirmando. Si verò vlterius facer Scriptor, illa approbet, vel reprobet, innotescet nobis illorum veritas, vel falsitas, vt illa cap. 5. Iob. *Qui apprehendit sapientes in astutia eorũ.* Approbantur ab Apostolo 1. Corinth. 3.

CONTRA SVERIORA.

Arguitur primo, quia D. Lucas, rationem reddens fidei sibi præ alijs præstandæ in Evangelio, quod scribebat, dicit: se ea accepisse ab ijs qui ab initio viderũt, idest fuere testes oculati rerum, quas scribere intendebat. Quod testimonium humanum videtur; & excellẽtius fuisset dicere, se ab Spiritu Sancto directum scripsisse.

Respondetur probationem D. Lucæ certiorem fuisse, non in se, sed respectu eorum quibuscum loquebatur; cum talis probatio esset per notiora illis. Dicere autem se dirigi ab Spiritu Sancto, iactantiam præseferre videretur respectu eorũ, quibus nondum per Ecclesiæ testificationem constaret de auctoritate Lucæ. Vel dici potest, quod asserens se scribere ab his qui viderant, idem videtur ac dicere; directum à Spiritu Sancto; cum didicerit, & audierit à Paulo, qui à Deo Evangelium accepit ad Gal. 2. Vel denique quod audierit à Beata Virgine, & Apostolis, quorum infalibile erat testimoniũ, quia erant ple-

pleni Spiritu Sancto, vt diximus, semper subintellecta diuina inspiratione.

Secundo arguitur, ex modo loquendi Prophetarum, & Scriptorum, qui aliquando à se ipsis, aliquando à Spiritu Sancto inspirante testantur se locutos fuisse, vt Paul. 1. Cor. 12. *Cæteris ego dico, non Dominus.* Et 2. Cor. 11. *Quod loquor, non loquor secundum Deum.* Et ibidem infra: *In quo quis audit (in sapientia dico) audeo, & ego. Ministri Christi sunt (vt minus sapiens) plus ego.* At verba Spiritus Sancti in insipientia dici nõ possunt. Vnde D. Ambros. lib. 8. in Luc. Quæ propter fragilitatem humanam scripta sunt, non à Deo scripta sunt. Et illud etiam D. Basilij lib. 5. contra Eumenium. Quod Sacra Scriptura aliquando non sua, aliquando quæ Dei sunt loquitur: semper enim spiritus verba, verba Dei sunt. Prophetæ autem, & Scriptores aliquando quæ Dei, aliquando quæ sua sunt, loquuntur.

Hoc argumentum, etiam infringere videtur, quod supra diximus, scilicet omnia verba Sacræ Scripturæ à Spiritu Sancto esse dictata. Igitur respondetur, omnia illa verba esse verba Dei. Et cum dicit Paulus, ego autem dico nõ Deus, ideò ita dici, quia non extabat de re illa Domini præceptum; sicut postea dixit: *De Virginibus præceptum Domini non habeo.* Vnde D. Thomas glossat: quod Apostolus cum dicit: non ego præcipio, sed Dominus: loquitur de his quæ Christus proprio ore dixit: ac si diceret. Non ego præcipio propria auctoritate mihi indita, sed Deus proprio ore præcepit dicens: *Quos Deus coniunxit homo non separet*; alia autem fuerunt non proprio ore Christi dictata; ac si diceret, ego dico non Dominus consulendo, non præcipiendo, ac si dicat: & hoc dico ex Deo, licet Christus non dicat ore proprio.

Alijs verbis respondet Scalan. nõ enim illis verbis voluit distinguere diuina ab humanis: sed distinguere voluit inter ea quæ Dominus ore proprio dixit, & inter ea quæ non dixit per se ipsum. Et ne quis ex dictis Apostoli verbis, ansam assumeret ad humanam auctoritatem, quæ diuina erant referre; adiungit postea, *puto autẽ, quod & ego spiritum Dei habeam.* Et Gõzalez disp. 10. sect. 1. quod Paulus Domini preceptum, vel consilium vocavit, quod Christus ore proprio, vel præcepit in Evãgelio, vel consuluit; sed cum hoc stat, quod consilium suum Paulus, etiam Spiritus Sancti consilium putaret cum dixit 1. Corinth. 7. *puto, &c.*

Ad illud de insipientia dico: quod talis stultitia, vel insipientia, re vera sapientia erat, quia non ex levitate, sed ex charitate gloriabatur: attamen quia se laudare, nota solet esse insipientis hominis, ideò tanquam insipientis sumere videbatur personam. Vel secundo respondetur ex D. Thoma; loqui Apostolum ex hypothesi, ac si diceret: si non rationabiliter commendarem me, tunc illud quod loquor in commendatione mea, non est secundum Deum, idest secundum rationem divinæ sapientiæ; & tunc merito acciperetis me non secundũ Deum loqui, sed insipienter.

Ad D. Basilium, & alios Patres, respondetur; solum intendere probare Spiritus Sancti divinitatem, qui nunquam introducitur loquens in alia persona, ac si ipse non esset Deus: at verò Apostoli, & Prophetæ, licet semper Spiritu Sancto inspirante loquantur: aliquando tamen vt in propria persona, ac si Deus non proprio ore, & per se ipsum loqueretur. Vel secundo respondetur ex M. Cano lib. 2. de loc. cap. 8. quod ea quæ sacri Scriptores solum supernaturali lumine sciebant esse à Spiritu Sancto dicebãt: quæ verò ipsi ex proprijs, vel ab alijs acceperant, non esse vt sic à Spiritu Sancto, licet illius egerent præsentia, vel assistentia, vt absque vllo scriberentur errore.

Denique huic argumento respondet Anton. Prælud. 1. §. 4. quod Scriptores, qui res naturaliter cognitas scribebant, nõ semper cognoscebãt se ab Spiritu Sancto dirigi; & sic quasi in propria persona, ita loqui, & veniam petere, sicut fuit Auctor Ecclesiastici, & etiam qui secundum librum scripsit Machabæorũ. Sed vt iam dixi, probabilius iudico Scriptores sacros (quicquid sit de Prophetis) semper cog-

novisse certo assistentiam, & revelationem Spiritus Sancti, quia proponebantur vt Doctores, & Magistri fidelium: qui si interrogarentur de dictis, vel scriptis suis, si certo non possent respōdere esse à Deo, & certa, videtur quod fides, & auctoritas divina nutarent, quod non est dicendum. Quando ergo veniam petunt hoc ipsum est à Deo, vt sic natura, & subordinatio auctoris secundarij demonstraretur.

Pro plena dubij notitia advertendum cum Benavid. cit. quod cum Prophetæ (& idem suo modo de Scriptore) ex proprio videntur locuti instinctu, tunc à Deo colligitur dixisse, cum recipitur, & vt Canonicum approbatur ab Ecclesia, vel aliūde à Deo certificantur. Et cum id plenè non sciunt, non dicunt in nomine Domini loqui. Duo affert exempla. Primum ex 3. Reg. 13. de falso Propheta seducente virum Dei, qui cum sederet ad mensam, vbi Deus verè locutus est, dixit; hæc dicit Dominus: & antea non ita dixit. Secundum in Nathan, 2. Reg. 7. qui consultus à David de Templo ædificando, dixit Nathan: omne quod est in corde tuo vade, & fac; & nō legitur respondisse in nomine Domini, vel ab eo missus. Sicut postea cum correctus à Deo, subditur, misit ergo Dominus Nathan ad David. Hæc dicit Dominus Deus, quæ doctrina desumpta est ex D. Gregorio, & D. Thoma supra citatis.

DVBIVM QVINTVM.

Vtrum Propheta, vel Sacer Scriptor cognoverit omnes sensus Sacræ Scripturæ.

IN hoc celebri dubio, supponendū primo venit contra Hæreticum Montanum, qui asseruit Prophetas, & Sacros Scriptores, ita extasi raptos, vt nec scirent neque intelligerent, quæ prophetabant, vel scribebant. Alij asserebant ita agitari à numine, quod licet non violenter, non liberè tamē, sed spontè illa munia obirent: sicut flamines gentilium, imò & Sacerdotissæ, de quo Vergil. lib. 6. Seneca in Oedipo, Horatius, & alij. Et quia vt tradunt Theologi; libertas est duplex, altera contrarietatis circa bonū & malum, & altera contradictionis circa hunc, vel illum actum, de vtraque nunc loquendum.

§. I.

De libertate reperta in Prophetis, & Sacris Scriptoribus.

DIcendum est quod Prophetæ, & Scriptores Sacri liberi fuerunt in prophetando, vel scribendo; libertate cōtradictionis; non contrarietatis. Prima pars conclusionis est communis inter Catholicos: & latè probatur à Divo Hieronymo in prologo Isaiæ ex pluribus Sacræ Scripturæ locis Psalm. 50. *Incerta, & occulta sapientia tuæ manifestati mihi.* & Psalm. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus*; & Zachar. cap. 1. *Angelus qui loquebatur in me.* Nunc D. Hieronymus. Propheta nec amens loquitur, nec in morem insanientium fœminarum. Quomodò sapientes Prophetæ instar brutorum animalium, si quod dicerent, ignorabant? Et vrgetur ratio iam adducta; quia maximum videtur inconveniens, vt illi per quos fideles edocentur, & illuminatur Ecclesia, veluti irrationales, sicut asina Baalā, talia denuntiarent mysteria. Et quia si ita rapiuntur numine, non recordarentur postea, quæ illis fuere revelata, vt patet in gentilibus, & Pytonisis: quod constat esse falsum, cum postea dicant. Hæc dicit Dominus, &c.

Secunda pars conclusionis de libertate contradictionis probatur: quia talis Propheta, vel Scriptor poterat denuntiare, vel non denuntiare, quæ viderat, vel audierat. Hac enim de causa dicitur 1. Corinth. 14. *Quod spiritus Prophetarum, Prophetis subiecti sunt*: videlicet quantum ad vsum, & exercitium, vt ibi D. Thomas, & Expositores. Et D. Hieronymus. Legimus in alio Apostoli loco: *Spiritus Prophetarum Prophetis subiecti sunt*, vt in sua habeant potestate, quando taceant, & quando loquantur. Quod potest benè confirmari cum distinctione illa de sensu com-

composito, & diviso, vt dicunt Theologi in materia de prædestinatione, auxilijs, & gratia.

Sed contra hoc directè pugnare videtur quod dixit Ieremias 20. Vbi post sermonem Domini factum ad ipsum, vidensque in opprobrium conversum, dixit: *Non recordabor eius, nec loquar vltra in nomine illius*. Et statim subdit. *Et factus est in corde meo, quasi ignis exæstuãs, claususque in ossibus meis, & defeci, ferre non sustinens*: ergo si Propheta fatetur defecisse, & non potuisse sustinere ignem, vel revelationem divinam, videtur ab illo prophetandi libertatem penitus ablatã fuisse.

Resp. ex hoc loco iam colligi Prophetam recordatum fuisse revelationis, vel sermonis Domini: quod nõ staret, si illum sine cognitione, & extra se omninò accepisset. Cum ergo dicit illa verba; explicat D. Hieronymus sic: conceptus ergo animo sermo divinus nec ore prolatus, ardet in pectore. In quo non violentia, sed efficacia inspirationis, & verbi divini relucet: cum qua licet in sensu cõposito non possit resisti: benè tamen absolutè, & divisivè. Vel dici potest, quod redundantia spiritus efluxerit in corpus ex tali affectione, & passione, etiam cum transmutatione corporali, & defatigatione sensuum iuxta illud Cant. 2. *Quia amore langueo*. Quod etiam experientia constat, quando aliqui viri Sancti à Deo magna revelatione, vel inspiratione aguntur, vt de vatibus ethnicis taceam. De quo Virgilius lib. 6. Æneyd.

Quod verò libertatem contrarietatis non habeant, ex eo patet: quia locuti sunt, vel prophetaverunt Spiritu Sancto inspirante, cui per se, & per suos Ministros repugnat loqui mendacium, ex 2. 2. Et quia si id tribuitur Papæ diffinienti res fidei, & vt est caput Ecclesiæ: etiã id concedi debet Scriptori Sacro, à quo Summus Pontifex diffinitiones sumit, & principia. Quomodò autem hoc fiat? Expenditur in materia de fide, & gratia. Et latè Antonius à Matre Dei, prælud. 1. dub. 4. sect. 2. Scilicet vel quod posita Dei revelatione non appareat in opposito aliqua ratio boni. Vel quod Deus ita moveret mentes, & voluntates illorum, vt vix possent oppositum eius, quod dictabatur scribere: adiuncta divina assistentia, quæ illos in alteram partem declinare non permitteret; ad quod etiam valdè conducit, quod de confirmatis in gratia dicitur.

Quæ Montanus, & alij Hæretici obijciunt; vix aliquid habent apparientiæ. Quod enim cõparentur calamo scribentis non vrget: cum dentur etiam instrumenta libera, vt patet in Sacerdote consecrante. Et cum Benavid. disp. 1. dub. 8. quod exemplum non tenet in inanimitate, sed in motione ab alio, scil. Spiritu Sãcto. Velocitas etiam plus iuvat; cum causa inferior ex coniunctione ad superiorem perficiatur. Nec impulsus, vel impetus obstat: quia vt dictum est ad Ieremiæ verba; denotat efficaciam divinæ illustrationis, cum qua compatitur libertas, & infalibilitas ex illo Sapient. 7. *Attingit à fine, vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*. Et cum D. Thom. 2. 2. q. 175. art. 1. Obiecisset sibi, quod raptus violentiam quandam importat; sed Deus non regit nos per violentiam, ergo. Respondet: Quod in raptu videtur esse aliqua coactio si attendatur modus operationis; non autem si consideretur terminus operationis, in quam natura hominis, & eius intentio ordinatur.

Secundo supponendum nobis, Prophetas, & Sacros Scriptores, quando prophetabant, & scribebant; aliqua videre, & cognoscere. Quæ suppositio diversa est à resolutione dubij præcedentis, in quo solum diximus Prophetam, vel Scriptorem habere cognitionem ex parte principij illos illustrantis, vel excitantis; in præsenti autem supponimus, etiam ex parte rerũ quas prophetabãt, vel scribebant aliquas cognovisse ex rebus prophetatis, & aliquos litteræ sensus percepisse. Quæ suppositio à nullo videtur posse Catholico negari. Cum ex ipsa Sacra Scriptura constet Prophetas populo annuntiare, & prędicare, quæ ab ipso Deo inspirati, imò & compulsi sunt, dicere. Certum enim videtur cum Moyses scripsit: *In principio crea-*

vit Deus Cælum, & terram; cognovisse mundum non fuisse ab æterno, sed in tempore incepisse. Et cum Isai. 7. dixit: *Ecce Virgo cócipiet, &c.* In quo mysterium intellexit divinæ Incarnationis; & cú Mat. suo dedit initium Evangelio: *Liber generationis Iesu Christi*; sensum horum verborum perceperit. Et facit Hieronymi proloquium citatum. Propheta nec vt amens loquitur, &c. Quomodò sapientes Prophetæ, si quod dicerent ignorarent?

Et ratio sæpius adducta vrget hic valdè. Quia cum Prophetæ, & Scriptores darentur, vt Magistri, & Prædicatores existerent populis si isti ignorarent, quod prædicabant, vel scribebāt, nó sufficienter de doctrina populis provisum esset. Vndè D. Thomas quodl. 4. art. 1. in corpore. Non est incredibile Moysi, & alijs Sacræ Scripturæ Authoribus hoc divinitus esse concessum, vt diversa vera, quæ homines possent intelligere, ipsi cognoscerent; vt sic quodlibet eorū sit sensus Authoris. Idem repetit quodlib. 7. art. 14. ad. 5. & dicit: Nec est etiam inconveniens, quod homo qui fuit Author instrumentalis Sacræ Scripturæ in vno verbo plura intelligeret: quia vt Hieronym. dicit super Oseæ. ita loquebātur de factis præsentibus, quod etiam intéderent plura significare. Quod etiam dicit Augustinus 12. confess. cap. 31.

Nec obstat, quod dicit Bonfrer. prælog. cap. 20. sect. 6. nil repugnare Spiritus Sánctum vnum sensum intendere, & Prophetam, vel Scriptorem alium diversum, vel contrarium: vt Cayphas Ioan. 11. cum dixit: *Expedit vt vnus homo moriatur*. Et non est maior ratio cur id fiat in scripto, quam in voce. Sensus Cayphæ fuit impius, & politicus, & sensus Spiritus Sancti pius, & bonus.

Sed contra; quia diversissima est ratio in his duobus; Cayphas enim, neque fuit magis Propheta quam asina Baalam, vt dicitur Ioann. 11. neque etiam fuit Scriptor Canonicus, horum enim mentem movet Spiritus Sanctus, non solum quoad imaginationem, sed etiam quoad denuntiationem Propheticam, & ideò est diversa vtriusque ratio. Neque potest fieri argumentum à Caypha ad verum Prophetam, & Canonicum Scriptorem, & Vazquez 1. p. disp. 17. cap. 3. magnum inconveniens existimat hoc; quia tunc Scriptor se habuisset, vt inanime instrumentum, si aliud Scriptor, & aliud Sanctus intendisset Spiritus.

Vel potest dici, quod sicut milites scindentes vestimenta Christi, Matth. 27. 12. fuit actio illa quasi prophetica, & tamen illi non intellexerunt, ita de Caypha. Sed vt Origenes ait, aliud est esse Prophetam, & aliud Prophetare; illud continget quando cognoscit se moveri, & excitari à Spiritu Sancto ad aliquod significandum verbo, vel facto; cum autem movetur, sed non cognoscit, non est perfecta prophetia, licet prophetet. Quod satis probabiliter explicuit Serlog. antiloq. 7. in Can. cap. 22. dicens: talem esse Prophetam materialiter, sed non formaliter. Videatur D. Thomas in Ioann. 11. lectione septima.

Quod si iterum vrgeas prædictionem Ionæ circa destructionem Ninive, quam non videtur intellexisse, cum non evenerit, licet ipse futuram expectaret Ionæ 4. & ipse cófugit, & afflictus est, vt evitaret ignominiam falsi, mendacisque Prophetæ; & idem est de omnibus prophetijs comminatorijs. Resp. Ionam vidisse futuram destructionem in causis, ex quibus sic stantibus necessum erat evenire; & ita evidenter cognovit, quod prophetavit, secundú id quod tunc erat sibi revelatum; quod verò vel illis causis variatis, vel ex alijs Deus noluerit Civitatem destruere, non erat sibi tunc revelatum; quia non requiritur ad prophetiam, quód comprehendat omnem nexum, & coniunctionem causarum quod est, esse instrumentum deficiens Spiritus Sancti, ex D. Thoma, & Abulensi citatis, de quo statim. Vel quod dixerit conditionate, si non pœniterent. Vel prædictione comminatoria, quæ exequutionem non requirit.

§. II.

Quos sensus cognoverit sacer Scriptor?

His itaque vt communibus suppositis, est controversia inter Authores; Vtrum

Verum Prophetæ, & Sacri Scriptores cognoscant omnia prophetabilia, & omnes sensus verborũ quæ scribunt? & quidem quantum ad Prophetas, vt ad rem nostram deveniamus; concors est Authorum sententia, nõ scire per revelationem divinam omnia quæ prophetice possunt cognosci. Ita D. Gregor. hom. 1. in Ezech. & Theologi cum D. Thoma 2. 2. q. 171. art. 4. de quo latè Cantaprat. lib. 4. hypothes. cap. 1. Scalante lib. 1. cap. 22. & Anton. præl ud. 3. §. 8. & ratio D. Thomæ est. Quia cognito perfectè aliquo principio, etiam perfectè cognoscuntur omnia, quæ in ipso continentur, & deducuntur, vt patet in scientijs, cum autem per prophetiã nõ cognoscatur, neque in se ipso, neq; perfectè principium eorum, quæ divino lumine Prophetæ demonstrabantur, scilicet, veritas prima; ergo non omnia cognoscit.

Plura afferuntur exempla apud Hypothes. cit. scilicet de Elisæo, 4. Reg. 43. De Samuele, 1. Reg. 16. De Daniele 7. &c. Cuius rei tres possunt assignari convenientiæ. Prima, vt illorum fastum reprimeret. Secunda, vt ne supra homines esse putarentur. Tertia, quia non semper divina fruebantur inspiratione, vt patet in Nathan 2. Reg. 7. Vnde Hieronymus quæst. 3. ad Damas. Nullus homo, excepto eo qui ob nostram salutem, carnem est dignatus induere, plenam habet scientiam, & veritatem. Vnde, & Paulus ex parte cognoscit, & ex parte prophetat, & nunc per speciẽ videt, & in ænigmate. Circa Scriptores autem sacros.

Dico primo, absolutè loquendo, & vt ex dictis infertur, sacer Scriptor ad minus debet intelligere sensum litteralẽ, in quo eius animus dum scribebat, intendit. Probatur, quia sapiens intelligit quæ profert de ore suo, & in labijs suis portabit scientiam; ergo cum Moyses sapientissimus fuerit, & de Daniele dicitur. Ezech. 28. *Nunquid sapientior es Daniele?* Et David Psal. 50. *Incerta, & occulta manifestasti mihi*: quomodo sapientes, si ad minus sensum quem scribentes intendebant, non intelligerent? & quia, non solum erant nuncij, sed etiam Magistri, & Doctores, vt populos instruerent de mysterijs fidei. De quibus illud Psal. 63. *Annuntiaverunt opera Dei, & facta eius intellexerunt.*

Dico secundo, Sacri Scriptores non intellexerunt absolutè omnes sensus Sacræ Scripturæ, quia ex D. Thom. 2. 2. q. 173. art. 4. Mens Prophetæ est instrumentum deficiens, vt dictum est: & veri Prophetæ non omnia cognoscunt, quæ in eorum visis aut verbis, aut factis Spiritus Sanctus intendit. Ex quo sic argumentor. Veri Prophetæ non cognoscunt omnia: ergo neque Sacer Scriptor: non enim minus dependet iste ad scribendum Spiritus Sancti illustratione, quam ille ad prophetandum: sed quia iste non perfectè cognoscit principium primum scilicet, primam veritatem revelantem non omnia cognoscit: ergo cum Scriptori Sacro non omnes sensus revelentur, non omnes percipiet, cum etiam sit instrumentum deficiens, vt sæpè diximus.

Dico tertio, probabilius videtur, quod Sacer Scriptor omnes sensus litterales nõ cognoverit. Ita Cayet. 2. 2. q. 71. art. 6. & Martinez lib. 4. hypotes. cit. Abul. 4. Reg. cap. 20. q. 10. Cornel. in Proemio ad Prophetas minores, q. 2. & alij. Conclusio colligitur ex Sacra Scriptura, Daniel. 2. Vbi plura cum vidisset non omnia intellexit, donec edoctus fuit ab vno ex circunstantibus, & quod magis est cap. 12. cum non intelligeret, quæ vidit, & audivit: vnumq; de assistentibus pro intelligentia rogasset; responsum accepit: *Vade Daniel, quia clausi sunt, & signati que sermones, vsque ad præfinitum tempus.* Et Zachar. 1. fatetur se non intelligere visionem, donec interrogans de illa, respondit Angelus ei: *Ego ostendam tibi quid sint hæc.* Et alibi sæpè, & Isaias cap. 4. non cognovit vaticinium illud fuisse comminatorium, quousque ex Dei præcepto ad Regem reversus, quindecim illi annos promisit. Et etiã Ionas non intellexit sensum verborum, quæ illi Deus suggessit, vsquequo edoctus fuit à Deo.

Probatur etiam ratione D. Thomæ; quia Propheta, & Scriptor ea dicit, & signi-

nificat, quæ percipit ex vi inspirationis, & luminis communicati: cum autem constet, ex pluribus Sacræ Scripturæ historijs, & eventibus, sæpè Deum illis aliqua celare, & non manifestare: idem videtur dicendum de Scriptoribus sacris, cum tam isti quam Prophetæ sint instrumentum, ex D. Thoma 2.2. q.173. art.4. vbi sic fatur: quod mens Prophetæ aliquando movetur ad aliquid æstimandum, vel apprehendendum: aliquando vt etiam cognoscat aliquid sibi divinitus revelatum: aliquando vt intelligat, quod per illa verba Spiritus Sanctus intendat: & aliquando non intelligit, &c. ergo non opus est, vt Scriptor intelligat omnia, quæ Spiritus Sanctus intendit per illa verba, quæ illi suggessit. Videatur D. Gregor. cit. super Ezechielem.

Dico quarto, valdè probabile videtur, quod Scriptor sacer nedum aliquem sensum præcipuum, sed etiam secundarios, & minus præcipuos historicos calluerit. Ita Scalan. cit. & alij: qui illam probat; quia aliàs qui talia ignorat non esset Propheta respectu illorum: vndè vt iam diximus, quia Nabuchodonosor Daniel. 10. visionem statuæ; & Pharao somnium, Genes.41. quo vidit septem boves, & spicas, non intellexerunt, Vates non dicuntur. Neque Cayphas cum dixit: *Expedit vt vnus moriatur.* Ioann.11. non fuit Vates, quia non intellexit Spiritus Sancti mentem.

Sed de exemplis adductis iam supra diximus: probatio autem non videtur ad rem: quia quod Scriptor non sit Propheta respectu illarum rerum quas non intellexit, nullum est inconveniens: sicut neque incóveniens esse diximus, quod Prophetæ veri non omnes percipiant sensus, cum sint instrumenta deficientia. Non ergo erit bona consequentia; non erit verus Propheta si non omnes cognosceret sensus, ergo omnes sensus cognoscit; quia ad rationem Prophetæ non exigitur omnes, sed aliquos sensus percipere: ergo etiam vt aliquis sit sacer Scriptor, non requiritur vt omnes sensus, sed sat erit si aliquos apprehendat.

Dico quinto, probabile est aliquibus, quod Scriptor sacer omnes sensus mysticos intentos à Spiritu Sancto perceperit. Duo dicit conclusio. Primùm esse probabile, sed non omnino certum, quia non videtur vrgentior ratio militare, vt omnes mysticos quam omnes percipiat litterales. Secundum quod dicit est, omnes sensus mysticos intentos à Spiritu Sancto, quia de alijs inventis ab Expositoribus, & Concionatoribus, cum sint quasi infiniti, non illos percipisse, certum. Conclusio ergo, vt probabilis defenditur à Scalante cit. & ratio est: quia tales sensus pertinent ad Christum, vt finem Scripturæ; ex dictis incongruũ ergo videtur, quod Scriptorem tales latuerint sensus. Et quia inconveniens videtur, quod Scriptor sacer nesciret illa mysteria, quibus sua adimpléntur scripta, & vaticinia. Et sic dum Moyses scripsit verba illa, quæ Adam dixit Evæ. Genes.2. *Propter hoc dimittet homo patrem, & matrẽ, & adhærebit vxori suæ.* Non latuit illum magnum illud mysteriũ, quod in Christo, & Ecclesia adimpletum asseruit Apostolus ad Ephesios 5.

CONTRA SVPERIORA.

IN tertiam conclusionem stare videntur duæ expressæ auctoritates: prima D. Augustini 2. conf. cap. 31. dicentis de Moyse. Sensit ille omninò in illis verbis, quicquid hic veri potuimus invenire: & quicquid nos nõn potuimus, aut nondum possumus, & tamen in eis inveniri potest. Et D. Thomas quodlib. cit. sic ait. Author principalis Sacræ Scripturæ est Spiritus Sanctus, qui in vno verbo Sacræ Scripturæ intellexit multò plura, quam per Expositores Sacræ Scripturæ exponantur, vel discernantur. Nec est etiam inconveniens, quod homo qui fuit Author instrumentalis Sacræ Scripturæ in vno verbo plura intelligeret. Quia Prophetæ, vt dicit Hieronymus super Oseam, ita loquebantur de factis præsentibus; quod etiam intenderunt futura significare.

Resp. quod propter istas auctoritates nõ diximus in conclusione, esse certum non

cog-

cognovisse omnes sensus: respondetur ergo: quod D. Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana cap. 27. cum aliqua formidine de hoc loquitur; innuens, quod & si Spiritus Sanctus omnes Sacræ Scripturæ sensus cognoverit; Author tamen secundarius forsan non omnes penetravit. D. autem Thomas solum dicit: non esse inconveniens, quod homo plura intelligat: quod non inficiamur; sed tamen nō dixit, quod omnia cognoverit de facto; licet posset illi Deus cūcta manifestare: vt dicebat David: *Incerta, & occulta sapientiæ suæ manifestasti mihi*, quod etiam de Moyse potest dici, quia Magister erat futurus illius populi. Et quia non surrexit alius Propheta sicut ille Deuteron. vltimo. Vel dici potest cum Augustino, cunctos illi sensus manifestatos: sed fuisse privilegium speciale, quod legi non derogat communi.

Obijcies vltimò, si Propheta, vel Scriptor cognosceret, vel haberet evidentiam eorum, quæ scribit, vel prophetat, sequeretur habere evidentiam Trinitatis, vel Incarnationis, sed hoc est falsum vt patet, aliàs amitteret fidem incōpatibilem cum evidentia. ergo.

Resp. ex Cayetano 2. 2. q. 171. art. 3. quæ sunt revelata cognoscuntur quantum ad id quod de ipsis manifestatum est; non verò quantum ad omnia. Vndè mysterium Trinitatis, vel Incarnationis non est revelatum quoadquid est, sed quantum ad an est. Vndè non viderunt Trinitatem in se, sed quantum ad an est, & Incarnationem futuram. Vndè dixit D. Thomas quæst. de Prophet. art. 1. ad 5. Per hoc lumen non omnia manifestari, sed illa solum ob quarum cognitionem datur ex ordine sapientiæ divinæ, distribuentis singulis prout vult. Et de Dei locutione ad primum Angelum dixit Ioan. à S. Thom. 2. 2. dict. 2. art. 2. Quod licet evidenter cognoverit à Deo sibi revelari, ea quæ viator per fidem cognoverit; non tamen inde sequitur caruisse earum fide: quia evidentia testificationis non facit evidentiam rei testificatæ, quia non necessarium est revelasse Angelo evidenter, determinatū sensum in quo loquebatur, sed locutum fuisse cum aliquo mysterio, & includendo plures sensus, quorum determinationem non evidenter, sed cum quadam obscuritate proponebat. Sicut modo in Sacra Scriptura multa mysteria sunt recondita, quorum nec ipsi Prophetæ quando ipsa docebant, nec modo fortasis, nec etiam supremus Angelus genuinum sensum cognovit. Ita in præsenti, quod scilicet non omnia cognoscat, & tamen vnum, vel aliud percipiat, licet non omnia.

§. III.

De Interprete vulgatæ.

De Interprete sequebatur inquirendum an omnes sensus litteræ perceperit? Ad quod respondetur cum D. Hieronym. præfat. in penthat. Aliud esse Prophetam, & aliud Prophetæ, vel Evangelistæ Interpretem, & Expositorem: ibi spiritus ventura prædicit; hic eruditione, & copia verborū ea quæ intelligit transfert. Scribere ergo prophetias ac dictare Evangelia est Spiritus Sancti opus, qui omnium canonicorum librorum Author esse creditur. Et sic Scriptor in eis, nec falli, nec fallere potuit, cuius lingua calamus fuit eiusdem Spiritus Sancti. Eosdem autem libros sic iam in vno idiomatè scriptos vertere, vel transferre in aliud idioma, humanum opus existit. Nec tamen si aliquis spiritu Dei ductus traduxerit omnē scripturam, statim fit eam tàm clare intelligere, quàm intellexit Propheta, qui eādem scripturam in suo fonte dictavit, irradiante prophetica visione. Potest enim illam quis rectè in aliam linguā traducere, nesciens mysticam significationem. Si autem Interpreti Spiritū Sanctum astitisse credamus, licet non omnes sed aliquos percepisse, credendum.

Videatur Scalante lib. 6. cap. 23. Vbi ita scribit. Non igitur translatio Hieronymi divino, & prophetico spiritu effecta est (licet Petrus Sutor contrarium teneat, & contrariorum argumentis satisfaciat) subdit tamen Scalante. Quod licet translatio Hieronymi lumine divino ab ipso tradu-

cta

ćta non fuerit; probata tamen,& correcta divina assistentia censetur; quia Ecclesia in ejus approbatione errare non potuit. Sed nota quod vulgata correcta,& approbata fuit,vt tunc extabat; sed D. Hieronymi versio, & antiqua communis editio olim existens fortè correctione non egebat, sed scribentium,& Typographorum incuria, & temporum decursu aliqua errata,vel defectus contraxit.

CAPVT SECVNDVM.

De sensu litterali.

DVBIVM PRIMVM.

Quid sit sensus litteralis Sacræ Scripturæ?

QVod in Sacra Scriptura detur sensus litteralis, supra iam firmatum manet: & certè (apud omnes) si non in omnibus locis, in pluribus tamen reperiri,quis negare possit?cum frequenter verbis simplicibus,& claris res aliquæ,vel historiæ narrentur,& dicantur. Repugnare autem hunc esse sensum litteralem, est ignorare propriam talis sensus vocem, vel significationem: vel designet,si voces significant,quis sit illarum sensus?

Hoc statuto ante omnia venit notandum cum Beuter annot.7. quod differunt sensus litteralis,& sensus litteræ, vel purè gramaticalis: quia omnis sensus litteralis est sensus litteræ, sed non è contra: quia non omnis sensus litteræ,litteralis est; sed ad hunc sensum requiritur, vt per voces significatus sit principaliter intentus ab Authore. Quod quidem dictum deservit pro sensu metaphorico, vt postea videbimus.Nam cum dicitur si oculus tuus scandalizat te; proijce abs te: non vt sonant istæ voces debent intelligi: sed quod si aliquis quantumvis familiaris sit tibi vtilis; si obstat Dei obsequio, à tuo debes separare consortio, his positis.

§. I.

Varij modi explicandi sensum litteralem.

PRimus modus explicandi sensum litteralem: quod sit ille, quem intendebat Scriptor sacer quando librum scribebat. Pro quo obser. ex dictis, quod in Sacræ Scripturæ descriptione duplex concurrit Author. Primus, & principalis, à quo veluti à radice,& causa principali Sacra Scriptura processit. Secũdus est quasi instrumẽtalis,quo vtebatur Deus: quia vt dicit D. Thomas 3. p. q.60. quando Deus vtitur creatura vti instrumento,hoc præstat iuxta illius naturam: & cum Scriptor sit naturę intellectualis,quando Deus vtitur illo, talis Scriptor quæ scribebat intelligebat,& sic sensus litteralis est, quem Scriptor intendebat:mysticus verò quem Spiritus Sanctus præter intentionẽ Scriptoris,iuxta istam sententiam.

Sed iste modus explicandi varie impugnari potest. Primo ex dictis; quia forte plures sensus litteræ Scriptores latere potuerunt,ex Augustino lib.12.conf.cap.12. Sed hæc impugnatio non est ad rem: quia ista sententia solum dicit, quod Scriptor, vt supponitur,aliquem sensum cognovit, licet nõ omnes,& talem sensum ab Scriptore intentum esse litteralem.Alij impugnant, quia Scriptores nedum sensum litteralem, sed etiam mysticum intendere debent; cum illis plura Deus possit revelare circa Christum: vt cum Moyses scribebat historiam de mannà: etiam sub illa littera poterat Eucharistiæ mysteriũ cognoscere: & sic dicent talem sensum à Deo inspiratum,non esse litteralem, quia non intentus ab Scriptore.

Sed etiam iste modus deficit,quia ad rationem Scriptoris sacri sufficit,quod sensum percipiat litteralem; quod autem illi Deus plura revelare possit, ad maiorem pertinet dignitatem Scriptoris; quod autem sensus à Deo inspiratus non sit ab Scriptore intentus, manet sub lite, cum plures asserant non requiri ad sensum litte-

teralem, quod percipiatur ab Authore, neque quod ab illo intendatur, dummodo sit inspiratus à Deo, & significetur immediatè à vocibus.

Melius ergo impugnatur sic: quia si sensus litteralis est ille, qui est intentus ab Scriptore; vel erit Deo inspirante, vel nō? Si hoc secundum, talis sensus non erit sensus Sacræ Scripturæ, quia talis debet esse à Deo, & ille sensus esset humanus. Si autem primum, & loquatur de inspiratione formaliter, iam talis sensus erit à Deo intentus; si verò solū vellit, quod habeat Dei assistentiam ne erret, iam diximus non sufficere ad Sacram Scripturam, cū etiam ipsa verba à Deo dictata sint. Et quia vt arguit Anton. prælud. 1. dub. 8. sect. 1. ad Sacram Scripturam non sufficit, quod si primò humano spiritu sit scripta, postea à Deo approbetur, quia ex D. Thoma 1. d. 27. q. 2. art. 2. Verbum illius dicitur à quo procedit: ex hoc autem quod talia scripta à Deo approbentur, vel assistat, non inde fit quod sint Dei verbum, sed hominis, ergo non sufficiet.

Et quia assistentia maior, vel minor non sufficit, cum non variet rem: etenim diffinitiones, & canones: Conciliorum non sunt Sacra Scriptura, licet fiant cum assistentia Spiritus Sancti, adminùs ne fiant cum errore in substantia. Et quia cum Sacra Scriptura duo debeat habere, scilicet infalibilem veritatem, & quod Deus sit illius proprius, & specialis Author ex dictis supra: licet cum assistentia salvetur primum scilicet, ne sit error, non tamen secundum: quia assistere alicui ne in aliquo opere, vel arte, ore, vel scripto erret: non ideò talis est operum, vel scripturæ Author, vt patet.

Secundus modus explicandi sensum litteralem est, quod omnis & ille talis dicatur, qui ab Spiritu Sancto fuit intentus. Quæ sententia, vel vult dicere, quod ad sensum litteralē requiritur, quod ab Spiritu Sancto, sit intentus, quod verum esse postea dicemus: vel intēdit dicere hoc solum sufficere; & sic breviter impugnatur. Quia ex dicendis, etiam aliqui sensus mystici sunt intenti à Spiritu Sancto: ergo si hoc sufficit omnis sensus intentus ab Spiritu Sancto erit litteralis, quod est falsum. Solum potest responderi, quod eo ipso ac sensus sit mysticus, iam non est ab Spiritu Sancto: quod infra latè impugnabitur.

Tertius modus dicendi est, quod sensus litteralis est ille quem Spiritus Sanctus præcipuus Sacræ Scripturæ Author intendit; mysticus verò qui ab vno quoque intenditur, & ad placitum suum Sacræ adaptat Scripturæ. Vndè cum Ioann. 19. retulit illud Exod. 12. *Os non comminuetis ex eo*; inquit ista sententia, debetur intelligi litteraliter. Quia id intendebat Spiritus Sanctus, præcipuè in illo loco. Attribuitur Abulensi, Matth. 11. q. 23. Vbi licet sensum spiritualem admittat; sed non vt divinum, & sacrum, & sic omnem Sacræ Scripturæ sensum esse litteralem.

Sed iam supra vidimus, vltra litteralem dari etiam sensum mysticum, de quo infra. Et insuper impugnatur; quia etiam sensus spiritualis intenditur ab Spiritu Sancto: quia cum sensus Sacræ Scripturæ dividatur in litteralem, & mysticum ex dictis, & dicendis: iam sensus mysticus participabit rationem communem sensus Sacræ Scripturæ, de cuius ratione est vt sit intentus ab Spiritu Sancto. Et quia Author Sacræ Scripturæ nedum intendebat per voces res declarare, sed etiam per res, alias res significare: ergo sensus mysticus in quo res signata per voces, alias res significat, erit etiam ab Spiritu Sancto intentus, de quo statim.

Quartus modus dicendi sit, quod sensus litteralis est ille, qui intenditur ab Spiritu Sācto, & aliàs per voces propriè verificetur. Sed licet in prima parte conveniamus, etsi non explicet complete rationem sensus litteralis. In secunda verò deficit: quia vt ait D. Thomas 1. p. q. 1. art. 10. ad 3. & communiter, omnis sensus parabolicus ad litteralem pertinet, & tamen figuratum per figuras quas voces exprimunt, non significatur propriè per illas: ergo propria talis significatio non requiritur; v. g. cum de Deo dicitur, quod habet brachium, non significat membrum corporeum, sed designat virtutem Dei operati-

M vam,

vam, & tamen ista non significatur propriè per hanc vocem brachium; ergo ad sensum Sacræ Scripturæ, non requiritur talis propria significatio.

Quintus modus explicandi adducitur à Lira prol. 3. in Bibliam: quod sensus litteralis sit ille, qui propria significatione attingitur immediatè per voces. Ex quo infert ille, quod locus Sacræ Scripturæ, qui tantum habet expositiones metaphoricas, sensu caret litterali. Et sic quando Christus dixit de se ipso Ioan. 13. *Ego sum Vitis*: Ista vox, *Vitis*, debet sumi iuxta propriam significationem. Vnde sensus litteralis erit ille, quem voces ipsæ, & litteræ significant: quia si vitis, inquit Lira, non summeretur iuxta propriam significationem litteralem; acciperetur iuxta spiritualem propriam, & tunc non litteralem, sed spiritualem redderet sensum.

Tamen quintus modus impugnatur: quia si esset verus multi Sacræ Scripturæ sensus reddentur falsi, quales sunt omnes metaphorici, quod infra magnum inconveniens ostendetur: ex illisque efficax, & infallibile, non posset sumi argumentum. Falsum est enim Christum esse vitem, loquendo de vite in sua propria significatione: & idem dicendum de multis alijs sensibus metaphoricis: vt quod refertur Iudic 9. de lignis quod inierunt consiliũ, vt facerent sibi Regem, tales enim loquutiones in sensu litterali, quis non videat esse falsas?

Sextus modus dicit: sensum litteralem illum esse, quẽ Spiritus Sanctus præcipuè, & immediatè intendit per verba Sacræ Scripturæ. Sed etiam reijcitur. Quia Spiritus Sanctus non semper intendit litteralem præcipuè, sed sæpè mysticum, licet semper immediattè intendat litteralem. Pro quo not. quod aliud est intendi immediatè, & aliud intendi præcipuè: qui enim furatur propter Mæchiam, immediatè intendit furtum; & medio furto intendit Mæchiam: at verò Mæchia præcipuè est intenta, & furtum minus principale; & sic Aristotelis, & D. Thomas dixerunt, quod talis potius est Mæchus quam fur.

§. II.

Quid sensus litteralis sit declaratur.

His ergo dicendi modis reiectis iam nostram explicemus sententiam: & resolutorie dicimus. Sensum S. Scripturæ litteralẽ esse significatũ, vel significationẽ verborum, quam Spiritus Sanctus immediatè intendit per verba Sacræ Scripturæ, siue propriè, siue impropriè accepta, ita cum D. Thom. 1. p. q. 1. art. 10. vbi Interpretes, Serarius, Tirinus, Scalante, Benavid. dub. 2. & Antonius cit. Pro cuius explicatione obser. quod in Sacra Scriptura voces aliquando summuntur in significatione propria, vt cum dicitur: *In principio creavit Deus Cælum, & terram. Missus est Angelus Gabriel*, & tunc litteralis sensus est quem verba faciunt in illa propria significatione. Aliquando verò voces vsurpantur iuxta significationẽ impropriam, vel translatitiam: & tũc sensus litteralis erit, quem illæ voces sub tali metaphora, & translatione significationis exprimunt. Vt *Vicit Leo de Tribu Iuda, &c.*

Debet enim adverti, quod non in omni loco Sacræ Scripturæ potest colligi sensus litteralis ex solo litteræ sono. Sic enim plura, & falsa contineret scriptura, vt ex lib. Iudic citato, & ex illo Matt. 18. *Si oculus tuus scandalizat te*: Ista enim absurda sunt, si voces in significatione propria accipiantur, secus si in metaphorica; sic enim verissima sunt, & litteralia. Sensus enim Iudicum est, mala electio quam Sychimitę fecerunt in persona Abimelech, vt regnaret super illos. In Matt. verò; occasionem scandali vitare docuit Christus: & tales sunt sensus litterales, non in significatione propria vocum, sed in metaphorica, & translatitia.

Ex dicta ergo definitione duæ conditiones requiruntur ad sensum litteralem. Prima, quod intendatur à Spiritu Sancto. Vndè excluduntur locutiones metaphoricæ, quæ carent sensu litterali iuxta propriam vocum significationem: talis enim sen-

ſenſus non intenditur à Spiritu Sancto: etenim cum dicitur Christum eſſe vitem verã non intendit Spiritus Sanctus, quod Christus vitis vera ſit. Tales autem locutiones ſecundum ſenſum metaphoricum, & improprium accipi debent: quia iſte eſt à Spiritu Sancto intentus, & etiam ſenſus accomodatitius excluditur, qui non eſt intentus à Spiritu Sancto.

Secunda conditio eſt, vt talis ſenſus litteralis immediatè ſit intentus à Spiritu Sancto; per hoc enim differt à ſenſu myſtico, qui ex communi cum D. Thoma cit. ſol. ad. 3. non immediatè, ſed mediantè ſenſu litterali intenditur: ait enim. Senſum litteralem eſſe illum ſuper quem fundatur ſenſus ſpiritualis; quia ſignificatio rerum correſpondet ſignificationi vocum. Vndè ſenſus myſticus cõtinetur in litterali quaſi medulla in cortice, vt habet D. Hieronymus explicans librum ſcriptum intus, & foris: etenim litteralis eſt foris, ſpiritualis intus; quia foris eſt hiſtoria vitæ, intus verò intelligentia ſpiritualis.

His ergo ita ſuppoſitis, explicanda venit definitio tradita: per illam enim optimè ſenſus litteralis diſtinguitur ab ſpirituali; quia iſte mediatè, ille verò immediatè intentus, ſive iuxta propriam, vel impropriam vocis ſignificationem, vt ſic etiam metaphoricũ cõprehendamus. Neque contra iſtam definitionom militant obiectiones cõtra alias obiectæ Non enim dicimus cum prima, quod ſenſus litteralis eſt qui intenditur ab Scriptore, ſed à Spiritu Sãcto. Neque cum Abulenſi, quod ſenſus ſpiritualis eſt quem vnuſquiſq; pro ſuo libito accomodat Sacræ Scripturæ, cũ etiam talis ſenſus poſsit eſſe intentus à Spiritu Sancto. Neque etiam quod ſenſus litteralis eſt tantum, qui intenditur à Spiritu Sancto, cum etiam ſenſus ſpiritualis poſsit à Spiritu Sancto intendi vt dicemus.

Neque ille qui intenditur per proprias voces; cum ſic excludantur locutiones metaphoricæ à ſenſu litterali, quod eſt falſum. Neque cum Lira, quod debeat immediatè attingi per voces in ſignificatione propria, aliàs omnes ſenſus metaphorici, redderentur falſi. Neque cum vltima ſententia, quod ſenſus litteralis ſit præcipuè intentus, cum ſæpè Spiritus Sanctus ſenſum præcipuè intendat ſpiritualem. Erit ergo ſenſus litteralis, quem Spiritus Sanctus per voces Sacræ Scripturæ, ſivè in ſignificatione propria, vel impropria immediatè intendit.

CONTRA SVPERIORA.

Arguit. primo: quia ex dictis ſequetur; quod in pluribus locis Sacræ Scripturæ reperiatur mendacium: quod probatur, quia Ioan. 15. Chriſtus de ſe ait. *Ego ſum vitis vera.* Et 1. Corint. 10. *Vocatur petra.* Et Ioan. 1. dicitur: *Ecce Agnus Dei.* Et Apocal. 5. *Vicit Leo de Tribu Iudà.* Chriſtus autem, neque es vitis, neque petra, neque Agnus, neque Leo.

Hoc argumentum cum de ſenſu metaphorico tractemus facile ſolvetur, & intelligetur. Pro nunc breviter reſp. quod in adductis, & alijs ſimilibus locis ſymbolice dictis, ſenſus litteralis colligitur ex vocum ſignificatione impropria, vt iam adnotavimus: In ſenſu verò hiſtorico analogico, & etheologico, ex propria vocum ſignificatione. Cum ergo Chriſtus dicitur, vitis, non intelligitur de planta ex qua racemi colliguntur, ſed per ſimilitudinem, quia ſcilicet in fideles quaſi in palmites vitam influit ſpiritualem.

Secundo arg. quia ex SS. Patribus aliquis locus reperitur in Sacra Scriptura, qui non poteſt explicari niſi in ſenſu ſpirituali, ſed ille erit qui immediatè ſignificabitur per voces: ergo male diximus ſenſum litteralem eſſe qui immediatè per voces ſignificatur: maior prob. ex D. Hieronymo in illud Iſaiæ 19. *Habitabit lupus cum agno.* Et ex Chriſoſtomo homil. 33. in Ioan. & D. Auguſtino lib. 3. de doctrina Chriſtiana capite vndecimo: iſti enim PP. fatentur: quod quãdo in ſenſu litterali apparet aliqua falſitas, vel inconveniens, ad myſticum recurrendum, vt talia evitentur; ergo tunc myſticus erit immediatè ſignificatus per voces.

Reſp. quod ſi in Sacra Scriptura reperian-

riantur aliqui sensus ex quibus sequatur aliqua falsitas, vel inconveniens si secundum proprium sensum accipiantur, debemus recurrere ad mysticum non vtcumq; sed iuxta metaphoricam significationem, vt sic tale vitetur inconveniens, & hoc est quod Sancti Patres intendunt. Ex quo tamen non licet inferre tunc sensum spiritualem per voces immediatè significari, sed solum litteralem: talis enim est qui immediatè per litteram significatur. Constat enim ex dictis, quod ly immediatè, positum in definitione sensus litteralis abstrahit à significatione propria, vel impropria; talem autem sensum vocant Patres mysticum, non quia spiritualis sit, sed quia est quasi reconditus in superficie impropria vocum. Et Hieronymus non negat illa verba: *Habitabit lupus cum agno.* Significare litteraliter Paulum, qui prius fuit lupus rapax, & Petrum cui oves Ecclesiæ sunt commissæ: sed impugnat asserentes tales voces esse propriè accipiendas, cum ex hoc plura sequantur absurda.

Denique obijcit Serarius contra illam particulā diffinitionis, *ex intentione Spiritus Sancti,* quia vocum, & verborum significatio, non ex intentione loquentis, sed ex opposito scilicet, loquentis intentio ex ipsis verbis prolatis colligitur. Resp. quod cum verba sint indifferentia ad plura significanda, limitantur in significatione ex intentione loquentis; licet à posteriori intentio ex verbis colligatur. Vndè cum ex verbis propriè acceptis sequitur falsum, v. g. Vicit Leo de Tribu Iuda, metaphoricè sunt accipienda: ita vt tunc, non id à quo, sed ad quod transferuntur ex Spiritus Sancti intentione, talia verba significent, aliàs omnes sic loquentes fallerentur, & falsum dicerent.

DVBIVM SECVNDVM.

De varijs sensus litteralis divisionibus.

PRima, & celebris litteralis sensus divisio est in proprium, & metaphoricum, vel improprium, quæ communiter accipitur ab expositoribus; licet non defuerint, qui vnum tantum sensum proprium, & litteralem in Sacra Scriptura reperiri contenderint. Contra quos invehitur Augustinus libro contra mendacium, & epist. 48. & alij cum D. Thoma 1. p. q. 1. art. 9. Vbi Interpretes Bañes, Gonzal. Molina, Bellarm. lib. 3. cap. 3. Galarz. lib. 2. Instit. cap. 3. Scalante lib. 1. cap. 23. Gravin. tom. 2. lib. 4. Controvers. 3. art. 2. Benavides dub. 3. & Anton. à Matre Dei prælud. 3. dub. 4.

Instituit D. Thom. citatus art. nonum, in quo inquirit. Vtrū conveniens fuerit Sacram Scripturam vti metaphoris? Et respondet conclusione affirmativa. Ratio que illius præcipua est. Quia Deus omnibus providet secundum quod convenit illorum naturæ: est autem naturale homini, vt per sensibilia ad intelligibilia deveniat, cum omnis nostra cognitio ortum habeat à sensu. Vndè cōveniens fuit, quod in Sacra Scriptura spiritualia nobis ex metaphora corporalium rerum traderentur, vt saltem, vel sic rudes ea capiant, qui ad invisibilia capienda non sunt idonei.

Secundo prob. nam in qualibet scriptura, vel verba illius significant immediatè id ad quod immediatè significandum sunt instituta: vel ad significandum illud, ad quod postea sunt translata: & brevius, vel verba significant in significatione propria, vel impropria: Si primum est sensus litteralis proprius; si secundum, est improprius, & metaphoricus; aliàs si non admitteretur, plura sequerentur inconvenientia, vt patet in anthropomorphitis in Deum membra corporalia introducentibus: quia Sacra Scriptura dicit: *Brachium Dei, oculi Dei, &c.* Et Abyssini baptizando, aqua, & ferro candenti in fronte inuruntur: quia Matt. 3. dicitur: *Christum in aqua, & igne baptizaturum.* Et Eremitæ quidam ex verbis Matt. 10. *Qui non accipit Crucem suam*; fecerunt Cruces ligneas, eas semper in suis humeris circunferentes.

Variæ solent assignari vtilitates, ob quas Sacra Scriptura metaphoris vtatur. Prima iam adducta à D. Thoma. Secunda, quia per metaphoras res superiores firmius

mius memoriæ nostræ imprimũtur, cum res illæ externæ sint quasi sigilla superiorum. Tertia, quia istis adducti res divinas suavius capimus: res enim spirituales secundum se, corporalibus sensibus nõ sunt proportionatæ. Quarta, quia per ista sensibilia rerum spiritualium venamur cognitionem; quod quia cum sudore perficitur, & difficultate, magis nobis chariores evadunt. Quinta, quia his quasi allecti, & confricati, cum maiori conatu divina mysteria intelligere, & amare curamus: cum sic fiat ex his affectus ardentior ad divina percipienda. Sexta, quia sic tollitur fastidium dum res eadem sub diversis figuris repræsentatur. Septima, quia sic Sacra Scriptura plures habet sensus. Octava, quia sic occultatur indignis, ne detur sanctum canibus. Nona, quia sic divinum iudicium magis relucet, & divina consilia redemptionis humanæ, vocationis gentiũ, & reprobationis Iudæorum, remanent magis occulta, & recondita.

Denique sciendum, quod præcipua ratio vsus per metaphoras est, quia commune fuit Hebræis, & Syrijs sapientibus, vti illis, teste D. Hieronymo Matth. 18. Familiare est Syrijs, & maximè Palæstinis ad omnem sermonem suum parabolas iungere: vt quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem, & exempla teneatur; & ideò in vsu iam factæ sunt, & notissimæ, & plures afferunt vtilitates. Ad duo autem capita revocabantur parabolæ, vel metaphoræ. Aut enim inducebantur ad maiorem explicationem, quales illę quæ ex rebus sumuntur notissimis; vt cum Christus dicitur, lux mundi. Leo, &c. Aliæ verò inducebantur ad occultandam rem dictam, vt cum Christus dixit Matth. 15. *Non quod intrat in os coinquinat hominem, &c.* De quo Augustinus lib. 11. de Civit. cap. 19. & lib. 3. de doctrina Christiana cap. 6.

§. I.

De divisione sensus litteralis proprij.

SVpposita iam communi, & celebri ista divisione, restat vt vtriusque membri divisi alias subdivisiones adducamus. Primo ergo dividendus venit sensus litteralis proprius, qui solet vocari ab Authoribus historicus, non quia omnis sensus litteralis sit historia, sed quia ex magna parte historiam continet, & quia simpliciter, & clarè res dicit, & explicat. Et sic dicitur à Cassiano collat. 8. cap. 3. & etiam cortex litteræ ex Nazianzen. ad Neemes. vel superficies litteræ, ex Greg. 20. Moral. cap. 11. vel intellectus simplicis formæ ex Ambrosio lib. 9. in Luc. vel expositio secundum litteram, ex Clemente II. Constit. Apost. cap. 5. quæ omnia idem significant, vt constat.

Sensus ergo litteralis proprius dividitur in tria membra, scilicet Historicum, Analogicum, & Etheologicum. Licet vt ex alijs advertit Anton. prælud. 3. dub. 5. ista subdivisio, non est subdivisio propriè sensus litteralis, cum etiam dicta divisio in sensu metaphorico reperiri possit. Isti ergo tres sensus, vt ad litteralem pertinent, sic explicantur. Historicus est dictus ab Histron, quod est videre; quia per historiã res gestæ ante oculos proponuntur, & simpliciter narrantur, & dicuntur.

Secundus est Analogicus, & contingit quando ostenditur veritatem vnius loci non pugnare cum alterius loci veritate: est exemplum, cum Matth. 22. loquens Christus cum Pharisæis ab eis inquisivit: *quid ipsis videretur de Christo; & cuius filius esset?* Et cum respondissent, quod David filius erat; instavit Christus: *Quomodo ergo cum David vocat Dominum dicens, dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis?* Quando ergo ostendimus illa dua testimonia, non contrariari, sed simul stare, quod Christus sit Filius David secundum carnem, & Dominus eius secundum divinitatem, tunc fit sensus litteralis Analogicus.

Tertius sensus dicitur Etheologicus, vel Ethimologicus, scilicet cum illius rei, quæ in scriptura narratur, redditur ratio, vel causa: v. g. Ioan. 8. dicebat Christus: *Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Et Matth. 1. dicitur: *Vocabis nomen eius Ie-*

Iesum: & statim causam intulit Angelus dicens: *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.*

§. II.

De divisionibus sensus metaphorici: & improprij.

EXplicationem sensus improprij litteralis exprofesso, hucusque distulimus, quia melius percipietur enucleando etiam parabolam, similitudinem, &c. Altius ergo aliqua observanda veniunt, vt huius rei ad Sacræ Scripturæ intelligentiam ita pernecessariæ aliqualis habeatur cognitio, cum vsus tropi, & figurarum ita in illa frequēs reperiatur. Ergo tropus ex Cicerone, & Quintiliano, est verbi, vel sermonis à propria significatione in aliã, cum virtute mutatio: vel ex Augustino: est modus locutionis significantis aliud ex alio. Ista autem mutatio dupliciter solet fieri: vel in verbis tantum, vel in verbis oratione coniunctis. In verbis septem sunt species scilicet, metaphora, Cathacresis, Synedoque, antonomasia, Epitheton, metonymia, & metalepsis. Secundi generis scilicet in verbis, & oratione quinque sunt species, allegoria, homæosis, periprosis, Hyperbaton, & hyperbole, quæ in plures alias subdividuntur species.

Sed quia in his elucidandis plurimum nobis tempus in sumendum veniebat, quæ nostrum magis concernunt institutũ percurremus. Videndæ in Cicerone, & Quintiliano, Martinez lib. 7. hypot. cap. 1. Pagnino in Isagoges Expositoribus Bibliæ, & Prophetarum, vbi Ribera, & Anton. à Matre Dei prælud. 3. excurs. 2. dub. 1. & Benavid. tota disp. 10. Igitur inter omnes tropos, & figuras primatum tenet metaphora; quæ ex Cicerone lib. 3. de oratore, & D. Augustino lib. 2. contra mendacium cap. 20. est de re propria ad rem impropriam verbi alicuius vsurpata translatio. v. g. ista vox *Leo* propriè significat animal propter fortitudinē, principatum in omnia tenens animantia: & sic cum ista vox, Leo, significat Leonem, propriè accipitur, & sensum efficit litteralem proprium. Vt cum dicitur Prov. cap. 30. *Leo bestiarum fortissimus ad nullius pavebit occursum.* Si autem vox Leo accipiatur, & applicetur alicui propter fortitudinem, & generositatem, tunc fit mutatio, & translatio illius vocis à propria significatione ad impropriã propter similitudinem in vtroque repertam.

Vel etiam cum ipso Cicerone iterum metaphora sic explicatur: cũ vox ex propria significatione ad alienam cognatam transfertur. Dicitur vox quia computatur inter illos tropos, qui vnico verbo conficiuntur: non quia aliqua vox simplex extra orationem sumpta tropum faciat, sed quia posita in oratione, & translata à sua significatione tropum faciat. Vox enim, vulpes, sola tropum non exhibet, in ista verò oratione, Matt. 13. *Dicite vulpi illi, &c.* metaphoram facit. Ex quo sequitur, quod in metaphora, & omnibus alijs tropis, transfertur vox à propria ad alienam significationem.

Quomodò autem differat ab illis? Nunc dicemus (quia forte de his erit postea tractatus) metaphora ergo differt à similitudine, quia illa brevior fit ista: secundo, quia in similitudine res comparatur, rei quam volumus exprimere: in metaphora verò pro re ipsa dicitur. Erit ergo similitudo cum dicimus: *Quasi agnus coram se tondente obmutuit.* Metaphora cum dicimus: *Ecce agnus Dei.* In primo dicimus: quod Christus fuit tanquam agnus. In secundo, quod Christus est agnus. Itaque erit comparatio cum dicimus, aliquem fecisse aliquid, tãquam Leonē, & erit metaphora cum dicimus, quod aliquis est Leo. Licet in Sacra Scriptura non semper hoc observetur, & sæpè subintelligēda sit particula, vel, tanquam, &c. quæ non exprimitur.

Differt autem metaphora à parabola; quia hæc est rerum dissimilium genere latens, vel expressa comparatio. Quod fit quando vnius rei collatione, altera res intelligitur; qua sæpè Christus vsus est, vt ex Evangelijs cõstat. Variè in Sacra Scriptura accipitur. Primo pro similitudine, nã

quod

quod Marc. 13. dicitur parabola: ab arbore fici discite parabolā. In Luc. 21. dicitur similitudo: *Et dixit illis, videte similitudinem.* Secundo, significat exemplum; ad Hæbreos 11. *Fide Abrahā obtulit Isaac; arbitrans, quia potens est à mortuis suscitare eum; vnde accepit illum in parabolam*, idest in exemplum, vt Deus filium suum traderet ad immolandum. Tertio, significat exprobrationem, vel opprobrium, Psal. 43. *Posuisti nos subsanationem, & derisum.* Græce habetur in parabolam. Quarto accipitur pro prophetia, vt Isai. 4. *Sumè parabolam istam adversus Regem Babilonis.* Sed melius ex dictis pro comparatione genere dissimilium; vt simile est Regnum Cœlorum grano sinapis.

§. III.

De vsu parabolæ in Sacra Scriptura.

SCiendum etiam quod vsus parabolæ in Sacra Scripturæ quadruplex est. Primo cum transit de animatis ad inanimata; cum scilicet rebus insensibilibus, & sensu carentibus tribuuntur, quæ propria animatorum sunt: vt Isai. 29. *Obstupescite cœli super hoc, audiat terra verba oris mei*, & Psal. 113. *Montes exultabunt vt arietes &c.* Secundo, cum transit de animatis ad animata, vt Psal. 54. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ*: & cum Nabuchodonosor vocatur Aquila grandis. Tertio, cum transit de inanimatis ad inanimata: vt Zachar. 10. *Aperi libane portas tuas*; transit de Libano ad Templum, quia de illius lignis, & lapidibus ædificatum est. Quartus, cum transit de inanimatis ad animata, Ezech. 11. *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum.*

Parabolæ etiam in Sacra Scriptura triplex solet esse vsus. Primo, cum historia historiæ confertur per expressam similitudinem: quod fit vbicumque ponitur nota similitudinis, scilicet simile est. Sic Matth. 20. *Simile est Regnum Cœlorum patri familias.* Vbi explicatur præmium in cœlo obtinendum. Secundo, cum res confinguntur ad aliquod verum explicandum, vt in parabola Iudic 9. qua inducuntur arbores de Rege sibi creando consultantes. Tertio, cum non explicatur rerum similitudo; sed verba absolutè prolata ad aliquid significandum transferuntur, vt Matth. 13. parabola seminantis: vbi semen pro verbo, seminans pro Doctore accipitur; per quod explicatur fructus Evāgelicæ doctrinæ, & audientium diversitas.

Differt autem parabola à similitudine. Primo, quia illa vt in plurimum est inter historias, & res plures quæ cum alijs conferuntur: similitudo verò est fere semper inter res simplices, quarum altera alteri similis est, vt Regnum Cœlorum thesauro abscondito in agro, & mercatori. Secundo, parabola potius ad metaphoram accedit, non verò similitudo, etsi illi plurimum coniuncta sit. Ex quo constat, quomodo vtriusque sensus facilè percipiatur.

Pro parabola etiam sciendum, cum sit per comparationem, & similitudinem. Quod cum in Sacra Scriptura adducitur similitudo, & illa ab aliqua particula exprimitur; tunc esse propriè sensum litteralem, quale est illud; *simile est Regnum Cœlorum thesauro abscondito*; est enim similitudo cum vna res comparatur alteri: & in tali comparatione voces propriè accipiuntur, & res signatæ per illas non significant alias. Aliquando verò non exprimitur, neque dicitur simile, & tunc accipiuntur voces metaphorice; vt cum dicitur: *Adversarius vester diabolus tanquā Leo rugiens.*

Denique advertendum ex D. Augustino quod cum in Sacra Scriptura reperitur parabola, nō est ita accipienda, vt putemus re ipsa evenisse, id quod narratur: sed quia saltim eo modo potuit evenire, vt Matth. 20. *Homini patri familias, qui exijt primo manè conducere operarios*: quod enim adducitur in similitudinem, non opus est ita accidisse. Aliquando verò in parabola adducitur, id quod re vera evenit; vel in naturalibus, vt Luc. 13. *Simile est Regnum Cœlorum grano sinapis*: vel inter homines, vt Matth. 13. *Simile est Regnum Cœlorum fermento, quod acceptum*

tùm mulier,&c. Et etiam historia de divite,& Lazaro. His ita breviter circa metaphoram, parabolam, & similitudinem, adductis;veniebant explicandi plures tropi, & figuræ, & istarum species, sed quia hoc longissimum tractatum exposcit, videnda remittimus apud Authores citatos præcipuè Antonium à Matre Dei, per varia capita,& sectiones, de quo alibi.

CONTRA SVPERIORA.

Arguitur primo contra sensum metaphoricum:quia cum Sacra Scriptura sit omnium scientiarum regina, videtur inconveniens, quod vtatur metaphoris, & figuris, quæ propriæ sunt facultatum inferiorum, vt Rethoricæ, & Poesis. Et quia si ratio D.Thomæ scilicet, quia naturale est homini,vt per sensibilia, ad intelligibilia adducatur aliquid probat; semper hoc esset observandum, cum de rebus spiritualibus illi sermo incideret, quod videtur absurdum.

Resp. quod & si tropis,& figuris Sacra Scriptura vtatur,nihil dignitatis illius deperit; quia illis vtitur,vt domina ancillis; & sic explicat D. Thomas 1.p. q. 1. art.2. ad.2. illud Proverb. 9. *Misit ancillas ad arcem.* Dicens: quod hæc scientia accipit à Physicis disciplinis: non quia ex necessitate eis indigeat, sed ad maiorem manifestationem eorum,quæ in illa traduntur. Non enim accipit sua principia ab illis, sed ex divina revelatione: & sic non accipit ab eis tanquam à superioribus, sed vtitur illis sicut inferioribus,& ancillis:sicut architectonicæ vtuntur subministrantibus, vt civilis militari, & hoc ex defectu nostri intellectus vt dixi. Ad confirmationem respondetur, inde solum colligi non esse necessarium simpliciter, non tamen ad melius, & facilius: quia licet absque phantasmatibus, non possimus intelligere pro hoc statu, benè tamen sine metaphoris,licet non ita facilè,& perfectè.

Maius negotium facessit aliud argumentum: quia ex sensu metaphorico videtur destrui sensus litteralis: quia iste est qui immediatè accipitur ex verbis, vel vocibus: atqui sensus metaphoricus est litteralis, vt diximus; & iste non significatur immediatè per verba, sed per res prius significas per verba, vt patet: sicut cum Christus Leo dicitur ob fortitudinem; talis enim fortitudo Christi non significatur immediatè per vocem Leo, sed mediante natura Leonis, cui Christus assimilatur, ergo non erit litteralis talis sensus.

Vt respondeamus not. quod sicut lux dupliciter sumi potest, scilicet vt quo alia videntur, & vt quod ipsa videtur: sicut de conceptu etiam dicitur mentis: ita & res per voces significatæ,& possunt accipi, vt significatæ tanquam quod per voces, sicut vox Leo significat naturam Leonis, vt rem significatam: & etiam possunt accipi res,vt ipsæ simul cum vocibus aliud repræsentent. Hoc patet cum quis dicit alteri, Lupi te videre priores; ex quo significatur, quod quis visus à Lupo obmutescit. Hinc proverbium;cum aliqui de alio male dicunt, & ille advenit, communiter dicitur, Lupus est in fabula, quia omnes illo adveniente obmutescunt. Et tunc per vocem,Lupus,non designatur ratione sui, & vt quod: sed ex voce, & Lupo, vt medio ducimur in cognitionem effectus causati à tali homine in tali casu. Et sic distinguitur propositio: sensus metaphoricus causatur per res, distingo vt quod significatur nego,vel ratione sui;vt quo simul cum voce,& vt medium ad aliud,concedo.

Secundo respondetur, ex doctrina D. Thomæ 1.p. q.67. ar.1. dupliciter vocem posse vsurpari. Primo, ex primæva institutione. Secundo, ex intentione loquentis,qui talem vocem cum prima sua institutione ad aliam transfert impropriam:vt Leo ex primævo, & propria institutione, & significatione repræsentat Leonem, & inde transfertur ad significandum, vel Christum ob fortitudinem, vel Neronem ob crudelitatem. Inde, vt notat Anton. prælud.3. dub.3. Sensus litteralis non debet explicari, quod sit tantum quem voces immediatè significant; sed quem ex intentione loquentis immediatè significant: & sic particula immediatè post illa verba ex intentione Spiritus Sancti debet

bet apponi. Et pro maiori hucusque dictorum intelligentia, sensus litteralis divisionem propono.

Sensus litteralis, est quem immediatè significant.

Signa.	——	Visiones facta Prophetarum.
Verba.	——	Propria metaphorica parabolica.

DVBIVM TERTIVM.

Vtrum sensus litteralis non solum verbis, sed etiam rebus significetur?

EX huius dubij resolutione, secundi argumenti dubij præcedentis doctrina melius percipietur propter materiæ connexionem. Pro quo notandum venit, dupliciter posse considerari res quæ in Sacra Scriptura narrantur. Aliæ enim sunt imaginariæ, quæ mentibus, vel imaginationi Prophetarũ obijciebãtur ad aliquid significandum, vt visiones Templi Ezechielis, hircus Danielis, olla succensa Ieremiæ, virga vigilans, & alia huiusmodi. Quædam autem res sunt veræ, & reales, quibus iusu Dei vsi sunt Prophetæ, ad aliquod significandum; vt vincula, catenæ, lumbare Ezechielis scisio palij Ahiæ Sylonitis coram Ieroboam, de quibus latè Arias Montanus, Ribera Oseæ 1. & alij.

Est igitur dubium an sensus litteralis resultet ex significatione talium imaginum, vel rerum; vel ex ipsis rebus repræsentatis per voces? Aliqui Authores, quos sequitur Galarza lib. 3. Instit. cap. 3. duo dicunt. Primum, tales res fictas, sivè veras, immediatè repræsentare visionem, conceptum, vel cognitionem Prophetæ, & hoc in sensu litterali. Secundum, quod res, bella, vel gesta per illas significata mediatè repræsentãtur, & sic in sensu mystico, & spirituali. Sed contraria sententia est communis cum Beda lib. de tropis, D. Thoma citando. Scalante lib. 1. cap. 25. & Antonio prælud. 3. dub. 13. §. 2.

Dico primo, sensus litteralis interdum consurgit nedum ex verbis, sed etiam ex rebus veris. Conclusio prob. 1. aliquibus exemplis: etenim abscisio palij Ahiæ in decem partes coram Ieroboam, ad aliquid ostendendum fuit peracta; sed certè ad nil aliud videtur, nisi quod Regnum Salomonis erat scindendum, & decem partes tradendæ Ieroboam: aliàs frustra videretur esse factum; quod non potest dici; cum ex Dei præcepto id præstiterit Propheta. Idem dicendum de catenis Ieremiæ, in qua significabatur captivitas populi, & nuditas Isaiæ, indicans Ægyptios ducendos à Rege Assyriorum, & sic de alijs.

Secundo prob. quia talia signa, & res veræ existentes, aliquid repræsentabant, non in aliquo sensu mystico: quia non aliquid mysticum pertinens ad statum Ecclesiæ Militantis, neque triumphantis, neque ad componendos mores vt constat: ergo aliquid represẽtabãt litteraliter, scilicet captivitatem Populi, & divisionem Regni Salomonis.

Vltimo probatur, quia Hebræi non admittunt sensum mysticum, & spiritualem; ergo cum aliàs constet tales res significare verè; necesse concedere debent talem significationem esse litteralem, cum nullus alius supersit sensus, vt patet. Et cum aliàs sensus spiritualis sit, qui in rebus latet sicut anima in corpore; at sensus resultans ex prædictis signis non est talis, cum ab eodem Propheta explicetur; ergo erit ille primus sensus litteralis illarum rerum.

Dico secundo, sensus etiam litteralis significatur rebus imaginarijs obiectis mentibus Prophetarum sive dormientibus, sivè vigilantibus, quovis triplicis visionis genere, scilicet intellectualis, imaginariæ, vel sensibilis. Conclusio est communis. Sed ita dilucide à D. Thoma lustrata, vt omnia eius verba in medium adducere præcisum videatur. Igitur quodl. 7. ar. 15. ita fatur. Ad primum dicendum (loquitur de visione Daniel 8.) quod hircus, vel alia huiusmodi per quæ aliæ personæ à Christo designantur, non fuerunt res aliquæ, sed similitudines imaginariæ ad hoc solum ostensæ, vt etiam personæ significarentur; vndè illa significatio, qua per similitudi-

nes illas personæ illæ, vel regna designantur, non pertinent nisi ad sensum historicum.

Prosequitur intentum, & illud explicat, probat, & confirmat. Sed ad Christum designandum, etiam illa quæ in rei veritate contigerunt ordinantur, sicut vmbra ad veritatem; & ideo talis significatio qua per tales res Christus, aut eius membra significantur, facit alium sensum præter historicum, scilicet allegoricum. Si alicubi vero inveniatur, quod Christus significatur per huiusmodi imaginarias similitudines, talis significatio non excedit sensum litteralem: sicut Christus significatur per lapidem, qui est scissus de monte sine manibus Danial. 2. Videantur Molin. 1. p. q. 1. disp. 2. vbi Zumel q. 2. Rua controv. 9. & Salmer. prolog. 19.

Ex quibus tale conficitur argumētum. Cum Daniel. 8. dicitur apparuisse hircum caprarum venientem ab occidenti, & percussisse arietem (vti Angelus Danielem edocuit) intelligitur Rex Græcorum, scilicet Alexander percutiens Regem Medorum, scilicet Darium: ergo vel per tales similitudines intelliguntur illi Reges in sensu litterali, vel spirituali? Non secundum, vt patet discurrendo singulos sensus mysticos: cum nec ad Ecclesiam Militãtem, nec Triumphantem, nec ad mores possit adaptari; ergo dicendum, quod in sensu litterali. Et quia cum Daniel habuit tales imagines, vel visiones, antequam per voces, vel scripturam illas explicaret, vel illæ aliquid significabant, vel non? Secundum dici non potest, ergo primum, & cum ex dictis nil spirituale indicarent postea litteris, vel vocibus amandatæ, sensum reddent litteralem.

Rursus vox illa, aries, qui dicitur conculcatus ab Hirco Danie. 8. significat expressissime, ex ipso contextu, Reges Græcorum, & Persarum per quandam metaphoram, quæ nomine illorum animalium ipsis applicatur: sicut cum Christus vocavit Herodem, vulpem, propter versutiam, & astutiam morum; sed istæ significationes metaphoricæ continentur intra sensum litteralem, vt iam expendimus; scriptura autem, vel vox non variant rationem conceptus mentis, cum solum signa sint illorum; igitur si in mente significabant litteraliter, etiam in voce, vel scripto.

§. I.

De significatione, & sensu parabolarum.

Circa parabolas autem, quæ ita frequētes sunt, maximè in novo Testamento, non cōveniūt inter se Authores quæ sit ipsarum significatio litteralis? suppositis iam dubio præcedēti annotatis. Sciendum parabolam esse comparationē ad aliquid significandum: & ita cum in comparatione duo reperiantur extrema, alterum comparationem continens, & alterum rem cui fit cōparatio. Cōsurgit dubitatio, an in parabola sit vnus, vel duplex sensus litteralis, vnus comparationis, & alter rei comparatæ? & etiam occurrit inquisitio, si vnus est sensus litteralis, vtrum ille resideat in cōparatione, vel in re comparata? Ac denique interrogo, si res comparata facit sensum litteralem, vtrum parabola sensu mystico gaudere possit?

Igitur plures cum Gravina tom. 2. fol. 457. Vazq. 1. p. disp. 15. Salmeron tom. 7. tract. 1. Delrio prolog. in cant. c. 4. Gislerio in Cant. cap. 4. præfat. Abul. Math. 13. q. 28. Serlogo, Antil. 12. sect. 6. Legion. exposit. 3. Benavid. dub. 5. vt in plurimum conveniunt parabolam duplicē sensum litteralem habere. Primum rei similis, alterum rei assimilatæ: illum primum vocant grammaticalem, sive sensum litteræ (vt iam supra innuimus cum Beuter) non enim negari potest, quin prima pars parabolæ. Luc. 8. tota illa Historia seminantis aliquā significationem habeat, non enim illa verba in vanum prolata sunt. Alium vocant præcisè sensum litteralē, nēpè rem assimilatā, ita quod sensus litteralis verbi, seminis, in prima parte, sit Verbū Dei: Sensus litteralis, viæ, volucrū, terræ, bonæ, sit cor hominis durum, vel debile, spinæ divitiæ, vel diabolus pro vt in secunda parte explicatur.

Suppetunt etiam rationes ad ostendendum quomodo parabolæ faciunt sensum

sum

sum litteralem. Quia parabola sumitur ad aliquid explicandum vt signum illius, ex cuius cognitione mens ducitur ad intelligendum quid sit natura, vel proprietates rei per illam explicatæ; sed id quod immediatè significat, vt signum, est res repræsentata per illud, & ad quod declarandum instituitur; igitur immediatum significatum ipsius, est res assimilata: quam immediationem diximus facere sensum litteralem. Et quia parabola (apud Græcos) est comparatio vnius rei cum alia, sed comparatio nil immediatius significat quam rem comparatam; ergo illa est, quæ litteraliter significatur.

20 Inquires autem, si res significata non facit sensum mysticum sed litteralem, num in parabola sensus mysticus reperiatur? Respondetur, posse reperiri. Sit pro multis exemplum, somnium Pharaonis, Genes. 41. in quo septem boves litteraliter significabant septem annos fertilitatis in pinguibus, & sterilitatis in tenuibus, & macilentis. Sensus autem spiritualis esse potest, quem ex Ambros. lib. 2. de offi. cap. 16. adfert Novar. lib. 2. select. num. 40. Quod illæ vaccæ, & spicæ progredientes à flumine, & ex aquis labilibus emergentes significabant tum prospera tum adversa istius vitæ, quæ exigua sui duratione, & humana miseria, temporaria sunt, & in aquæ modum dilabuntur super terram, vt Thecuitis illa dixit David 2. Reg. 14.

§. II.

Obiectio contra dicta.

Sed dices adversus dicta: Prophetæ dū tales imagines, & illustrationes habebant, illas certè, & directè cognoscebant; ergo vt quod erant cognitæ ab illis, & immediatè; ergo res per illas significatæ solum mediatè repræsentabantur; & sic talis sensus non potest esse litteralis: cum iste resultet ex significatione vocum immediata, & non ex significatione rerum per voces iam prius repræsentatarum.

In ista obiectione fundatur opposita sententia. Sed respondetur primo, quod vt dubio præcedenti vidimus, illæ imagines, quas Prophetæ habebant dupliciter possunt considerari, sicut de conceptu mentis dicitur. Primo, vt quod, & sic immediatè attingūtur. Secundo, vt quo, & sic non sistit in illis cognitio, sed transit in obiectum per illas repræsentatum: cum imago, vt talis ad obiectum exprimendum & cognoscendum ordinetur. Et cum hoc sit præcipuum illius munus cognitio Prophetarum non sistebat in illis vt quod; sed vlterius vtebatur illis, vt quo medio obiectum, & res illas, scilicet bella, & alia cognoscerent, & vocibus, & litteris amandarent.

Secundo resp. quod illæ imagines, vel visiones dupliciter possunt accipi. Primo, vt constituunt vnam propositionem cum illo verbo: *Vidi arietem venientem, apparuit, &c.* Secundo, vt faciunt vnam orationem independentem à tali verbo; hoc modo: *Ecce hircus caprarum ab Oriente veniebat.* Si primo modo, sic Prophetæ tales imagines cognoscebant, & videbant immediatè, & directè. Si secundo modo vlterius transibant ad res illas significatas, vt cognoscerent. Quod est dicere, quod noscebant illas, vt quod: secundo, vt quo. Et quia intentio Dei illas imagines infundentis nō tam erat, vt illas Prophetæ perciperent, (licet aliquando sed non semper illam significationem penetrarent) sed vt alijs manifestarent; ideò hoc est præcipuū in illis: & ex dictis, talis erit sensus litteralis, quia voces, & imagines se tenent ex parte cognoscentis, vt quo, ad res cognoscendas, vt quod.

Inquirit autem Scalant. cit. & rectè, quomodò posset discerni, quando sensus per veras res significatus sit litteralis, vel non? Quia cum vterque sensus sit quasi in rebus inclusus, restat examinare quando vnus, vel alter efficiatur? Et tres assignat regulas. Prima est, si in ipso capite in quo reperitur signum reale adductum ad significandum, ab ipso Propheta, exponitur; talis significatio illius sensus quem reddit illud signum, litteralis est; vt patet in scissura palij Ahiæ explicata à Propheta, & sic de alijs. Secunda, quæ est quasi expli-

plicatio illius primæ; si talis imago, vel significatio non obijciat nobis aliquod mysterium immediatè concernens ad vtramque Ecclesiam, neque ad mores componendos, erit significatio litteralis, vt patet.

Tertia regula, quando sensus ex signis veris, & realibus resultans pertinet ad historiam, de qua agitur in illo capite, & est quasi eiusdem rationis cum illa, erit litteralis sensus; secus si sit diversæ rationis. Primum patet in historia scissuræ palij Ahiæ Silonitis, quæ eiusdem est rationis cum historia, quæ illo cap.11.lib.3. Regum tractabatur. Secundum constat ex historia Exod.12. nu.46. vbi in comestione Agni Paschalis, ossium fractio prohibebatur, quæ fuit figura Christi in Cruce pendentis, cuius crura non sunt fracta ex Ioann. 19. Cum ergo talis sensus sit ab illo diversus, licet illi similis, litteralis non est; de quo infra erit sermo.

Ex omnibus ergo supradictis integra, & adæquata sensus litteralis sic potest efformari diffinitio, omnes eius partes, & membra complectens, scil. Sensus litteralis est, quem voces in propria, vel translata significatione, parabola, vel similitudine, signo vel facto aliquo præsignant, atque significant. Iam enim diximus sensum litteralem facere verba nedum propria significatione, sed etiam metaphorica. Sensum etiam litteralem parabolæ, & similitudes exhibent. Neque etiam solæ voces, sed etiam signa, vt ænigmata, & etiam facta prophetica, & visiones veræ, & etiam imaginariæ. Quod vt brevius complectamur sic definitio adaptari potest; sensus litteralis est, quem immediatè explicant verba, vel signa: ita vt ad verba reducantur, propria, metaphorica, parabolæ, & similitudines: ad signa spectant visiones, facta Prophetarum, ænigmata, & expositiones elementares, de quibus videatur Sixtus Senens. lib.3. Bibliothecæ.

DVBIVM QVARTVM.

Vtrum sub vna littera Scripturæ plures sensus litterales contineantur?

Celebre in hac parte præsens dubium existit. Circa quod valdè Authores reperiuntur divisi. Prima enim sententia negat in eodem loco plures posse litterales sensus reperiri. Ita Michael Medin. lib. 6. de fide, c.21. Ribera Oseæ 11. & Serleg. in Cant. Antilq. 11. sect. 6. Secunda sententia dicit, quod licet in eodem loco Sacræ Scripturæ plures sensus litterales non reperiantur, sed bene in diversis, ita Abul. cap.13. Matth. q.28. & affert exemplum in illis verbis 2. Reg. 3. *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium*, vbi ad litteram loquitur de Salomone: Apostolus verò ad Hebræos 1. litteraliter adducit de Christo, qui est verus, & naturalis Filius Dei.

Tertia sententia, docet posse in eadem sententia plures esse sensus litterales, sed cum limitatione, scilicet quos Scriptor intellexit, ita Vazquez 1.p. disp.17. cap.3. & carpit (sed certè irreverenter) Augustinum asserentem posse reperiri plures, sine limitatione. Quarta, ergo sententia asserit posse in eodem loco, & littera plures sensus litterales reperiri. Ita Augustinus lib.12. Conf. cap.18. & lib.11. de Civit. cap. 4. D. Thomas q.4. de potent. art. 1. quodl. 7. ar.16. & 1.p.q.1.ar.10. Vbi Bañes, Gonzal. Molina, Zumel. & plures ab ipsis relati. Scalant. lib. 1. cap. vltim. Gravin. tom.2. tract.3. art.4. Perez volum.3. pentat. dub.12. cap.4. Galarz. lib.2. Instit. cap. 25. Cano lib.2. cap.11. Catharin. clavi 2. & Antonius à Matre Dei prælud.3. dub.8. & Benavid. dub.7.

Adhuc tamen dissident hi Authores in duobus. Primum est, qua certitudine id tenendum sit? In quo Abulens. Matt. 2. q. 57. & cap. 13. q. 28. esse de fide id adstruit. Bañes verò, & Zumel. contrarium esse temerarium. Bellarm. & Gilius esse tantum probabile. Circa secundum, in quo dissentiunt de pluralitate sensuum, aliqui aiunt non posse illorum numerum determinari: an autem possent saltem esse infiniti sincathegorematicæ? Negativè respondet Anton. cit. §.7. n.94. Et vt clarius procedamus, dubium resolvemus, tam de Hebraico textu, quam de vulgata.

§. I.

De originali Hebraico.

DIco primo, si loquamur de originali Hebræo, ex quo omnes dimanarunt translationes, certum videtur esse, plures in eodẽ loco reperiri sensus. Probatur primo argumẽto irrefragabili; quia ex illo processerunt tot tantæque translationes, & versiones, vt constat; istæ autẽ quid aliud sunt, nisi quædam explicationes, vel extractiones iuxta vniuscuiusque Interpretis intelligentiam, de pluribus sensibus quos littera originalis continebat, & includebat. Etenim nomina Hebræa à principio sine punctis scripta censentur; quæ tamen quibusdam punctis additis diversum sensũ efficiunt. v.g. Genes. 47.31. dicitur. *Adoravit Israel Deũ conversus ad lectuli caput.* Et ad Hebr. 11. 21. Paulus iuxta Septuaginta legit. *Adoravit fastigium virgæ eius.* Et Isai. 58. habet textus Hebræus. Vmibezaria Lo Ethalam; idest, & à carne tua ne te abscondas. Septuaginta ita habent: domesticos seminis tui ne despexeris. Vulgata autem sic. *Frange esurienti panem tuum, & carnem tuam ne despexeris,* qui sensus diversi ex fonte Hebraico eruti sunt: quia verbum Bazar, & carnem, & propinquum significat.

Celebris etiam locus Psalm. 130. vbi Hebræus; quia apud te venia est; propterea timeris. Septuaginta sic: propter nomen tuum sustinui te Domine. Sed Vulgata: *quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te Domine.* Et Genes. 37. de venditione Ioseph, dicitur Hebraicè venditum Be Hezrim, idest in 20. numis: Vulgata in viginti aureis, Latina in triginta argenteis. Et fortè in diverso valore monetæ stat differentia. Sic plures alias lectiones possemus afferre, quarum diversitas ex multiplici significatione vocis Hebraicæ originatur. Videantur apud Montoyam. De concordia sacrarum editionum lib. 2. per totum, & infra tract. 2. dicemus.

Secundo probatur ratione: Deus qui est Author Scripturæ præcipuus, ita facundus intelligentia est, vt vnico verbo mentis suæ infinita simul exprimat: ergo etiam eodem verbo scripto (si non infinita) plura significare potest, & præcipuè, quia cum loquutus sit lingua Hebraica in veteri testamento, in illa vt vidimus, vna & eadem vox æqualiter varias habet significationes.

Tertio probatur, Deus potuit ijsdem rebus plura designare. Idem enim mannà teste Paulo 1. Corin. 10. Eucharistiam designat; & apud Authorem sapientiæ 16. repræsentat verbum, eloquium, & doctrinam Dei. Cur ergo non valebit ijsdem vocibus plura significare, cum non minus sint, quam res ad significandum adaptatæ. Confirmatur ex Augustino lib. 2. de Doctrin. Christ. cap. 23. Idem homo absque mysterio plura proferre potest, quæ immediatè plures sensus faciant, vt verbum, *lege*, apud Grecos significat idem quod, cessat, & apud Latinos imperare, legere: & etiam, Beta, apud Græcos est littera alphabeti, & apud Latinos nomen oleris. Et porta, nomen & verbum est, diversa significans. Et Anton. cit. cap. 6. adducit hoc nomen *Lima*, quod significat civitatem, & instrumentum quo ferrum politur, & fructum arboris, & partem tecti domus, & limen in ianua transversum, ergo à fortiori id poterit Deus, & quia talis sensuum multiplicitas maximè extollit profunditatem Sacræ Scripturæ, & Verbũ Deum facit mirabiliꝰ, & venerabilius. Vndè August. cap. 14. mira profunditas eloquiorum tuorũ, ecce ante nos superficies blandiens, sed mira profunditas: horror est intendere in eam.

Sed occurres, ex istis potius sequi vnitatem, & paucitatem sensuũ Sacræ Scripturæ: quia si ista mentem Dei explicat, qui vnico conceptu omnia percipit, & per modum vnius omnia attingat; ergo etiam Sacra Scriptura, & vnico sensu, & paucis verbis omnia debet proferre, & significare.

Huic obiectioni resp. quod licet conceptus, & Dei verbum vnicum existat, signa

signa autem hoc significantia plura debēt existere, quæ doctrina potest confirmari ex D. Thom. 1. p. q. 55. art. vlt. quia sunt quidam, qui veritatem non possunt capere intelligibilem, nisi eis particulariter per singula explicentur; & hoc ex debilitate intellectus eorum, contingit. Cum ergo sit Deus summæ, & infinitæ sapientiæ, per vnum cognoscit omnia, idest per suā essentiam, & Angelus per aliquas species, homo per plures, hoc tamen non tollit quin per aliquod vnum plura percipiat. De quo D. August. lib. 2. Doctrin. Christ. cap. 13.

§. II.

De vulgata Latina.

Dico secundo, etiam in nostra vulgata sub vna littera multiplex potest reperiri sensus. Rationes pro præcedenti adductæ, etiam pro ista faciunt. Et potest probari primo, ex Augustino infra referendo, & ex D. Thoma q. 4. de potentia, vbi dicit. Vitandum est ne aliquis ita scripturam ad vnū sensum cogere vellit, quod alios sensus, qui in se veritatem cōtinent, & possint salva circunstantia litteræ aptari, penitus excludantur. Et subdit destruens tertiam sententiam: vndè etiam si aliqua verba ab Expositoribus Sacræ Scripturæ litteræ aptentur, quæ Author (idest Scriptor) non intellexit, non est dubium quin Spiritus Sanctus intellexerit, qui est principalis Author sacræ Scripturæ (præme verba sequentia) vndè omnis veritas, quæ salva litteræ circunstantia potest divinæ Scripturæ adaptari, est eius sensus, quod etiam docuit Augustinus, vt iam diximus.

Secundo prob. quia vox Latina correspondens originali, tam amplam (& fortè maiorē vt videbimus) potest habere significationem ac Hebraica, vel Græca, ergo si in istis multiplex potest latere sensus, etiam in illa.

Denique probatur, quia cum aliquando in eadem Sacra Scriptura ad probandum aliquod mysterium fidei affertur alius locus Sacræ Scripturæ; vel adducitur in sensu spirituali, vel litterali; non in illo quia ex illo non videtur posse efficax desumi argumentum (de quo infra) ergo erit in sensu litterali duplici: sed aliquando affertur idem locus ad diversas res probandas, ergo erit in duplici sensu litterali: probatur minor ex illo Psalm. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: quem locum ad probandam æternam Christi generationem adducit Paulus ad Hebr. 1. *Cum enim aliquando dixit Angelorum filius meus es tu, ego hodie genui te*. Et Actu. 13. adducit eundem locum ad probandam Christi resurrectionem: vbi cum disputet adversus Iudæorum prævicaciam, & sensum mysticum non admittentium, certum est in litterali sensu adduci, aliàs non apte adduceretur.

Obijcies, quia vt infra dicemus, etiam ex sensu mystico à Spiritu Sancto intento efficax potest eformari argumentum: ergo non ex hac ratione colligetur duplex sensus litteralis. Resp. concedendo antecedens, quia licet constet Scriptori de tali sensu mystico intento, non tamen constat contrario contra quem objicitur: & ideò & si faciat fidem probanti, non faciet contradicenti. Et etiam quia non convinceret Sacer Scriptor, si quæ de Salomone, v.g. litteraliter dicta sunt, ipse de Christo intelligi debere allegoricè, contendat.

Dico tertio, non est limitanda Sacra Scriptura, vt in eodem loco plures ac plures sensus contineat sine determinatione: etiam si in vnum non possint coalescere, neque cum illo connexionem habeāt, vel in illo radicentur. Prima pars conclusionis, statuitur contra Vazquez, qui parum modeste de D. Augustini sententia loquitur; adstruentis plures sensus sine determinatione. Secunda pars, militat contra Alcazar. notat. 21. in Apocal. & Prado in Ezech. sect. 8. qui solum admittunt plures sensus, qui in vnum possint coalescere, vel si inter se connexionem habeant.

Prima ergo pars probatur: tum ex D. Thoma citato in illis verbis. Vndè omnis veritas, quæ salva circunstantia litteræ potest Scripturæ divinæ adaptari est eius sensus: quod etiam docuit Augustinus lib.

12.

12. confessionum, cap. 31. vbi ita loquitur. Cum alius dixerit, hoc sensit Moyses, quod ego, & alius, imò illud quod ego. Religiosius me arbitror dicere, cur non vtrumque potius? & si vtrumque verum est, si quod tertium, & si quod quartum, & si quod omnino aliud verum quispiam in hoc verbo videt; cur non illo omnia vidisse credatur, per quem vnus Deus sacras litteras, vera, & diversa visuris, multorum sensibus cum scriberet inspiravit? Et ibi subdit: Moysen quicquid nos veri potuimus invenire, & quicquid nos non potuimus, aut nondum possumus, & tamen in eis inveniri potest, intellexisse.

Secundo probatur, quia plura verba non sunt coartata ad duplicem, vel triplicem significationem; ergo neque Dei intentio qui illas protulit, vel inspiravit; v. g. vox *Iad.* significat manum, deinde potestamen, & robur quod manu ostendi soleat. Tertio locum non quemcumque, sed qui à campo magno egreditur sicut est Vallis. Quarto etiam maria mediterranea, quæ ad manus modum extenduntur ex Oceano ad terram exeuntia. Vndè Psalm. 103. hoc mare magnum, & spaciosum manibus, idest finibus, & brachijs. Et quinto significat, diverticula quædam Genes. 34. Ecce terra lata est manibus, idest vallibus, & diverticulis. Et Psal. 2. Nascuar, apprehendite disciplinam; nascu, osculari, bar, filium: & simul significat triticum, & spicarum manipulum.

Deinde probatur, ex principio Genes. *In principio creavit Cælum, & terram.* Cuius sex afferuntur sensus litterales, vt expendet Scalant. cum alijs. Primus, in temporis initio creavit Cœlum, & terram. Secundus, antequam aliud faceret, Deus Cœlum, & terram creavit. Tertia, à principio Deus creavit Cœlum. Et colligitur ex cap. firmiter. Quarta, vt, *in*, valeat idem ac cum. Genes. 37. In baculo meo transivi Iordanem, idest cum baculo, scilicet cum filio. Quinto, ita vt vox, *in*, significet, *per*, Matt. 12. Si in Beelzebu eijcio dæmonia, idest per Beelzebu. Omnia in sapientia fecisti Psalm. 103. idest per filium. Sextus, ita vt vox, *in*, dicat, propter, ita quod propter Christum omnia sint, iuxta Apost. ad Coll. 1. *Decebat eum propter quem omnia, & per quem omnia, &c.* Ecce quomodò omnes isti sensus eisdē verbis possent adaptari, & quis scit si Deus alios per illa intenderit?

Vltimo prob. ab inconvenienti; quia aliàs expositiones litterales à Patribus, & expositoribus adductæ, essent reijciendæ, vtpotè alienæ ab intentione Spiritus Sancti, contra Trident. sess. 4. & quia omnium expositorum, tàm præsentium, quàm subsequentium ingenia enervarentur, otioq; tabescerent, cū iam viderent Sacræ Scripturæ thesaurum litteralem esse exhaustū. Quod videtur contrariari verbis Daniel. 12. Claude sermones. Vbi Hieronymus: præcipit vt involvat sermones, signent librum, & legant plurimi, & quærant historiæ veritatem, & propter obscuritatis magnitudinem, diversa opinentur. Inquisitio autem veritatis historiæ, ad sensum litteralē pertinere, quis non videat? Et Anastasius Synaita. Non cessat vnquam Spiritus Sancti gratia ornare, & coronare Paradisum Ecclesiæ nobis floribus intelligentiæ semper. Videatur D. Ephrem oratione de Transfiguratione.

His rationibus aliqui convincti, vt Alcazar, & Prado dicunt, quod quando aliqui sensus, ad aliquem priorem possunt reduci, debent admitti, secus si omninò disiti, & disparati sint. Sed contra primo, & probatur secunda pars nostræ conclusionis. Primo, quia hoc discrimen voluntarie dicitur, cum non sit maior ratio, quod sint plures connexi, quam inconnexi. Secundo, quia licet in aliquibus hoc posit verificari, vt in illis verbis Psalm. 2. Ego hodie genui te. Quia sicut ex corde Patris processit Verbum, ita ex ventre Matris, & ex sepulchro sine corruptione. Alij tamen sunt loci in quibus talis dependentia, & connexio non reperitur. Talis videtur adductus ex Genes. 1. & ex Apost. ad Philip. 2. exinanivit se ipsum. Primo, aliqui de Incarnatione. Secundo, alij de Passione. Tertio, alij de Eucharistiæ Sacramento, vbi Christus continetur sub modica specie panis, & vini. Et sic de alijs infra referendis.

Hæc

Hæc omnia diximus provenire ex fecunditate significationum præcipuè in verbis Hebraicis inclusa: quibus potest nostra Latina correspódere. Quid autem si fortè nostra vox Latina ampliorem, quam Hebraica significationem haberet? Non vidi hoc dubium excitatum nisi à M. Serra, & adducit exemplum in illo 2. Corinth.12. *Virtus in infirmitate perficitur*. Significatio enim illius vocis, *virtus*, duo comprehendit, & habitum virtutis, & etiam potentiam, & facultatem: cum tamen in Hebræo per septuaginta explicato, non habeatur *areti*, quæ virtutem, quæ habitus animæ est significet: sed *disamis*, quæ significat potentiam; & sic dicit, quod vox Latina, virtus, limitanda est, vt non habitum, sed potentiã designet.

Sed cum omnes Expositores illius loci Apostoli explicent illum de virtute, quæ est habitus animæ: potest dici, quod cum virtus sit perfectio potentiæ per quam simpliciter, si est supernaturalis, vel facilius si naturalis sit, potentia potest operari; cum integrent vnum operationis principium: licet aliàs in rigore textus Hebræus tantum potentiam significet, potest etiam virtutis habitum significare. Vel dicendum cum Cayetano, quod virtus ibi significat gratiam qua quis potest opera supernaturalia operari, & de ista dicit Apostolus; quod perficitur in infirmitate. Vel quia talis infirmitas est materia exercitij virtutum, per quam gratia augetur, vel quia est occasio per quam ad perfectionem pervenitur ex D. Thom. lect.2. Vel possumus dicere ex doctrina D. Augusti lib. 2. de Doctrin. Christian. cap.5. quod sicut Spiritus Sanctus per septuaginta Intrepretes aliqua dixit, quæ non per textum Hebraicum; & sic concordat septuaginta cum Hebraico originali: ita in præsenti voluit Deus quod aliqua continerentur, vel dicerentur ab Interprete Latino, quod non reperitur in textu Hebræo, & hoc contingit in præsenti.

Dico quarto, probabiliter potest dici, quod in aliquo loco Sacræ Scripturæ sint plures sensus, sine limitatione, vel sincathegorematice. Est contra Antonium cit. num.94. Sed verba Augustini citati contrarium suadent, vt intuenti patent, & quia dato quod Scripturæ sint tantum pro Ecclesia Militante, & sic in fine mundi cessabunt, non tamen ideò opus est vt omnes eius sensus percipiantur, & exhauriantur, cum de pluribus alijs non possimus reddere rationem, nec illorum cognitionem assequamur etiam in naturalibus vt dixit Ecclesiast.1.

Et si species Supremi Angeli representat vna existens, quasi infinitas species, & individua, vt dicitur 1.p. q.55.art.3. Quid mirum in voce à Deo electa, & dictata vt ipsius explicet mentem? Et licet Deus loquatur verbis humanis, quæ non ita amplam videntur habere significationem; ex hoc solum sequitur non esse infinitos sensus cathegorematicè, vel sincathegorematicè strictè, sed bene plures, & plures, ita vt ad vltimum nostra mens pervenire non possit. De quo tract.3.

Dicendum est igitur cum D. Augustino, & D. Thoma cit. quorum auctoritate ducitur Acosta lib.2.cap.9. Quod tot sensus litterales quilibet locus admittere potest, quot quilibet intelligendo formare potest: & etiam plures alios quos intellectus creatus consequi potest (quæ sunt Augustini verba) cum maximè divinum Spiritum deceat infinita mente complecti, & etiam verbis declarare. De quo D. Augustinus lib.12. Conf.cap.30. & 31. D. Thomas, & ferè omnes Sancti Patres, & Expositores, quicquid repugnent Vazq. Alcazar, Prado, Lorinus, & alij. Sufficit enim ad admittendos plures sensus litterales in eodem loco, SS. Patrum auctoritas, quæ sequi debet in Sacræ Scripturæ expositione.

Ex dictis tamen non sequitur, quod astruit Ribera cap. 11. Oseæ, quod tunc solum modo in novo testamento accipiendus est sensus litteralis, quando omnia verba antecedentia, & consequentia conveniunt vtrique loco; non verò quando verba truncata, & separata solum aptari possunt alteri loco; quod etiam dixit Iustinianus ad Hebræos 1.num.5. Vtrosque enim

folide expugnat Acosta cit. cap. 20. quia sæpè Sacra Scriptura transit de vna persona ad aliam, & ab vna natura in aliam, de quo celebre exemplum 2.Reg.7. Vbi Nathan de Salomone dicit:thronum eius fore perpetuum, quod solum adimpletur in Christo, & statim subiungit; si iniquè aliud egerit,arguam ipsum;quod Christo non potest aptari.

Dico vltimo, non est Hæresis: neque error in fide: licet aliquibus temerarium videatur: sed melius,improbabile erit, in aliquo loco Sacræ Scripturæ negare duplicem sensum litteralē. Est contra Abulensem, & alios. Prima pars probatur; quia nullibi contrarium diffinitum habetur; neque in Sacra Scriptura, vel Concilijs hoc exprimitur. Secūda pars,quod non sit error in fide etiam probatur:quia omnia loca adducta salvo vno litterali sensu, reliqua in sensu spirituali explicari possunt. De quo Bañes dub.7. Gonzal. disp.10. sect.4. Vazq.disp.17.& alij. Tertia pars, quod videatur temeraria,placet Scalante,& alijs;quia adversatur communiori Patrum,& expositorum placito; ex quo aliqua temeritatis species induci videtur,quod salva fide contingere potest. De quo videatur Araujo 1.par.disp.2.dubio vltimo: & Anton.cit.num.84. Vltima pars probatur, tum quia est communis apud omnes penè Authores, & quia videtur derogare auctoritati,& excellentiæ Sacræ Scripturæ, & alijs rationibus iam adductis.

CONTRA SVPERIORA.

ARguitur primo, ex Serlogo citat. quia si aliquis, inquit, locus posset duplicem sensum habere, maximè ille Ioann.11.49. *Expedit vobis,vt vnus homo moriatur,&c.* Sed non in isto: quia sensus Sacræ Scripturæ litteralis debet esse ex intentione Spiritus Sancti; & nō ille qui ex pravo resultat proferentis affectu,& intentione,vt in præsenti.

Respondetur, pro nunc abstinendo à disputatione, an solus sit sensus litteralis qui habetur ex intentione Spiritus Sancti? quod iam supra expendimus. Sed in præsenti (vt dicit Evangelista) tale verbum à semetipso non dixit, sed à Spiritu Sancto,cū esset Pontifex anni illius prophetavit,licet sub alia intentione, de hoc non disputamus. Et nil probare ostenditur, quia sensus litteralis in Sacra Scriptura, debet proficisci ex intentione Spiritus Sancti,& sensus Cayphæ,vt constat, talis non est. Molina autem quem citat non adducit illum locum ad probationē, sed quasi simile. Et cum plura alia supersint loca, quorum seriem in fine dubij adducemus; mirum quod illi non occurrerint, sed vsus tantum sit supradicto, de quo fatemur non certum sumi argumentum,benè tamen ex alijs cum assensu Patrum,& Expositorum.

Secundo arguitur, quia ex multiplicitate sensuum litteralium in vno loco, sequitur quod ibi detur ambiguitas, fallacia,& æquivocatio: hæc videntur inconvenientia, vt argumento sequenti expendemus, ergo: sequella probatur, quia æquivoca ex communi omnium mente definiuntur; quorum nomen est commune, ratio verò per illud importata est diversa,vt patet in voce canis; sed si in his vocibus, *hodie genui te*, Psal.2. intelligatur de generatione æterna,temporali, & de sobole Christi, per ipsius mortem habenda: Vox est communis, & res significata diversa vt patet,ergo.

Vis huius argumenti in duas ex oposito phalanges divisit Authores.Prima absolutè negat dari in Sacra Scriptura æquivocationem. Et ad probationem Gōzalez cit. id negat ex duplici capite. Primo,quia non significat plura,vt plura divisim,sed coniunctim. Secundo, quia tales sensus immediatè in litteras significati,habent inter se similitudinem,vel proportionem, quæ in æquivocis non reperitur.

Sed non videntur solutiones sufficienter occurrere argumento: non prima, quia significare plura vt plura, scilicet coniunctim, vel divisim, per accidens est ad æquivocationem, cum iam plura significentur. Et quia significare plura con-

iunctim, vel divisim, vel est illa significare simul adæquatè omnia illa, vel inadæquatè? non hoc secundum; quia canis respectu vnius significati non est æquivocum, vt patet: non secundum, quia sic, iam convenit illi cum omni proprietate definitio æquivocorum.

Et etiam contra istam solutionem militant verba D. Thomæ quodl. 7. art. 14. ad. 1. sic dicentis. Quod varietas sensuum quorum vnus ab alio non procedit, facit multiplicitatem locutionis, in qua æquivocatio consistit. Sed huic auctoritati potest occurri cum secunda solutione, esse veram, si vnus sensus ab alio non procedit. Sed contra, quia iam concedit D. Thomas asserens esse æquivocationem cum vnus sensus ab alio non procedit. Quod in aliquibus locis certissimum esse videtur: quia in illis verbis Genes. 1. In principio, &c. quod mundus fuit in principio temporis creatus, & Angeli simul, & quod hæc facta fuerint in filio, vel per filium, vel propter filium, quæ convenientia potest inveniri? & sic ruet secunda solutio.

Alij etiam negantes æquivocationem respondent cum Alcazar anot. 21. in Apocal. in omnibus istis locis designatis reperiri aliquam rationem in qua conveniant, & sic non esse æquivocationem. Sed contra. Primo, quia in pluribus ex locis assignatis non videtur posse reperiri aliqua ratio communis, vel assignetur, quod nullus hucusque præstitit. Deinde, quia talis ratio communis, vel est in ratione entis tantum, & sic nil ad rem, quia iam non erit æquivocatio, sed analogia. Et licet ex D. Thoma opusc. 39. c. 3. fallacia sequi possit ex illa, sed non ita facilè, neque cum tot incomodis, sed aliquæ: in æquivocis autem multæ, vt intendunt negantes æquivocationem in Sacra Scriptura.

Tertio alij respondent cum Zumel negantes sequi æquivocationem. Primo, quia inter tales sensus semper datur vnus præcipuus ad quem alij respiciunt, vel in quo adunantur. Secundo, quia vox illa respicit omnes significationes vt inadæquatas (cum æquivocum respiciat illas vt adæquatas) sicut species superior Angeli repræsentat plura inadæquatè, ex quibus conflatur vnus terminus adæquatus, & sic non est æquivocatio.

Sed contra primam solutionem benè arguit Anton. cit. num. 88. ab experientia: quia sensus præcipuus qui talis ab vno videtur, ab alijs pro secundo, vel tertio assignatur. Sit exemplum: Genes. 1. In principio, &c. Certè, si intelligatur in filio, vel per filium: iste sensus est præcipuus dignitate, vel excellentia: sed non est certior; cum alter sit definitus in Lateranensi, vt vidimus: scilicet quod ab initio temporis Deus, vtràque condidit creaturam, &c. Et dato quod talis sensus sit indubitatus, solum sequitur de hoc præcipuè esse curandum, vt percipiatur, vt diximus. Alij tamen non in secundo loco apponuntur, quia in illo fundentur semper; sed quia fortè non ita certi, & sic non tollitur æquivocatio. Secunda, autem solutio voluntaria videtur, cum ex illa sequatur, quod canis non sit æquivocus cum possit dici inadæquatè tres canes significare.

Alij ergo Authores convicti argumento facto, concedunt æquivocationem in loco continente plures sensus litterales. Ita Bañes, Salmeron, Rua contra. 9. Scalan. Gravina, & alij apud Anton. cit. §. 6. quia videtur ex admissione plurium sensuum litteralium necessario inferri æquivocationem: si sit cum aliqua proportione, & dependentia (licet tunc magis propriè dicatur analogia) vel etiam sine illa. Vt in exemplo sæpius adducto Genes. 1. in cuius significationibus nil præter nomen potest inveniri commune.

Laborant autem Authores in explicando quomodo cum ista sensuum multiplicitate, & æquivocatione non sequatur cõfussio, & amphybologia? Gravin. enim cit. cum Sylvestro in rosa aurea. tract. 1. cap. 6. dicunt, tunc induci amphybologiam, & fallaciam, quando enuntiatio profertur, in qua vnus sensus est verus, & alter falsus ad decipiendum audientem. Cæterum cum vterque sensus verus est, & conveniens textui, non fallaciam inducit, sed ad maiorem intelligentiam conducit. Nec

ob-

obstat quod dæmonum oracula, cum ambiguitate respondebant etiam interrogantibus. Dicimus enim quod talia oracula semper erant incerta, & ad deceptionẽ ordinabantur: & si aliquam continebant veritatem, erat à casu, & præter intentionem dæmonis. Et Benavid. dub. 7. Solum hoc contingere, quando qui loquitur intendit in eo vnum sensum æquivocum ad deceptionem, non ita in scriptura, quia Deus intendit vnius verbis plures sensus percipi, vt per illos erudiatur homo in vtrorumque veritate.

Secundo, respondet Anton. num. 93. ex D. Thom. opuscul. 39. cap 2. Quod multiplicitas sermonis, tunc solum deceptionis est causa, quando id quod plura significat, accipitur vt si vnum significaret; cum autem id quod plura significat, accipitur vt tale, & secundum omnes suos sensus, continet veritatem, nulla est fallatia. In alijs enim vocibus ideo potest ambiguitas, & fallacia contingere, quia ignoratur in quo à loquente sit prolata: at verò cum ex Sacra Scriptura non remaneat anceps animus, cum certo sciatur, omnes sensus qui cum fidei veritate concordant à Spiritu Sancto esse intentos, & sic omnes illi sensus proprij sunt illius loci.

Tertio, respondetur cum Antonio Perez volum. 3. dub. 13. Quod tunc æquivoca æquivocantia inducunt perplexitatem, cum in vno tantum accipiuntur sensu, prætermissis alijs quasi impertinentibus; cum verò in tota sua latitudine adducuntur, vt adæquate intelligantur, tunc sub vnico nomine multa simul aperit sine cõfussione: cum proponentis intentio sit, vt tales res, vel rationes diversas, auditores percipiant, aut si non omnes, saltem aliquas pro captu auditorum. Quæ huic argumento sunt dicta, melius ex solutione sequentis percipientur.

§. III.

Quomodò ex multiplici sensu arguendum.

Tertio arguitur, quia ex tali sensus litteralis multiplicitate, videtur enervari efficacia Sacræ Scripturæ ad convincendos Hæreticos: probatur sequella; & sit exemplum illud ad Hebræos 1. *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in filium*; quod adducit Apostolus ad Christi divinitatem comprobandam ex communi intelligentia; qui etiam locus habetur 2. Reg. cap. 7. Vbi Nathan ex parte Dei, idẽ dixit David Regi, loquens de Salomone (& sic aliæ plures possunt afferri auctoritates) modo sic. Negat Iudæus Christum esse verum Deum. Obijcio illi talem locum, poterit ipse respondere; vel non intelligi de Christo, sed de Salomone: cui prius dicta sunt illa verba: vel solum intelligi in sensu spirituali, vel accomodatitio, ex quo efficax non potest sumi argumentum. Ecce inconveniens ex sensuum multiplicitate exortum, quod non sequeretur ex vno tantum sensu litterali.

Potest etiam confirmari argumentum: quia vt in summulis dicitur, ex disiunctiva propositione ad alteram partem illius, inefficax summitur argumentum. v. g. Petrus est albus, vel niger; ergo est determinate niger, non valet: similiter ergo, illa verba *ero illi in Patrem, &c.* significant Salomonem, vel Christum; ergo Christum determinate, non tenet argumentum.

In huius argumenti solutione multi multa dicunt, quorum placita recensere nimis prolixum esset: vnam vel alteram in medium adducemus responsionem, & methodum observandam ad arguendum proponemus. Resp. primo, ex Anton. Perez dub. 12. cap. 4. Quod licet plures sint sensus litterales, vnus tamen præcipuus est respectu aliorum in excellentia, vel dignitate rei, sed non in certitudine, vt iam dixi in verbis Genes. 1. In principio creavit, &c. Sensus de Christo est excellentior, sed certior sensus de creatione temporis in initio, ex cap. firmiter, in Cõcilio Lateran. Sed restat de quo sensu intelligatur solutio; dato enim quod aliquis sit sensus præcipuus, si cæteri sint litterales, manet argumentum insolutum, si aliquid non superaddatur.

Secundo respondet Gravina cit. quod ad firmitatem argumenti solum requiritur,

tur, vt sensus certo constet, quod sit verus, cui non obstat, quod sit vnus, vel multiplex, si semel admittãtur esse plures sensus litterales: ex quolibet enim firmum desumitur argumentum. v. g. In principio creavit, &c. Si intelligatur de principio temporis, convincit contra Aristotelem mundum non fuisse ab æterno. Si intelligatur ante omnia, concludit cõtra Originem, quod animæ non sunt ante, & extra omnia corpora creatæ, &c. Quod si non admittatur talis sensus, iam non erit æquivocatio, & solum pro sensu admisso poterit fieri argumentum; & tunc aliter procedendum est, vt infra videbimus. Et supposito quod in vna littera sint plures sensus non fit argumentum à disiunctiva, ad quamlibet partem, quod fatemur inefficax, sed à copulativa ad quamlibet eius partem, quod est firmissimum.

Tertio respondet Antonius cit. ex Sacræ Scripturæ verbis, & si æquivoca sint aliquando, ex illis posse sumi efficax argumentum, si non æquivocè sumantur. Sed in hac solutione duo difficilia continentur. Primum quomodo ex verbis æquivocis firmũ desumatur argumentum, quod nobis obijciunt Hæretici? Secundum quomodo si verba sunt æquivoca, si non æquivocè sumantur potest fieri firmum argumentum? Videtur enim recedere à sensu dubij, supponentis dari æquivocationem in dictis verbis plura significãtibus. Quod si vellit dicere, posse fieri firmum argumẽtum, si non æquivocè, sed analogicè summantur, difficultas stat in suo robore; cum tales sensus aliquando nullam similitudinem, vel dependentiam habeant, ergo difficultas remanet irresoluta.

Quarto respõdet Sylvester in rosa aur. cit. quod si sub vna littera sint diversi sensus, & in aliquo concordant, tunc potest sumi efficax argumentum. Licet enim discordent Authores, quando incipiunt, vel desinunt hebdomadæ Danielis: quia tamen certo terminus earum transivit, colligitur evidenter iam Christum advenisse. Si autem sensus litteralis nõ sit idem apud omnes; contra admittentes illum, firmum fit argumentum, non contra non admittentes, maximè si infideles sint. Illa enim verba Psal. 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt;* convincunt apud Catholicos, quod verbo Domini, scilicet Filio Patris, cœli sunt firmati, Io. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Sed illa non convincunt apud infideles, qui Trinitatem negant personarum, & per verbum, mandatum intelligunt: sicut more humano loquentes dicimus, hoc fieri verbo, vel mandato Regis, & Paulus loquebatur cum Iudæis scripturas admittentibus.

Si autem sit aliquis sensus Sacræ Scripturæ, qui ita patenter sit litteralis, qui negari non possit nisi proterviendo, ex tali sumetur argumẽtum efficax apud admittentes illum; cum non desinat esse litteralis ex eo quod, alius etiam ibi reperiatur litteralis, & sic non arguitur à disiunctiva vt dixi. Si enim locus accipitur, vt communis pluribus sensibus quorum quilibet supponitur verus, tunc textus non tenet locum disiunctivæ, sed copulativæ, à qua ad singulas partes est bona consequentia penes veritatem, ex qua solutione, & secunda satis probabiliter videtur satisfieri argumento.

Sed antequam sylvam locorum in quibus plures sensus litterales adstruuntur, assignemus, placet, causam talis multiplicitatis ostendere. Prima ex vocum Hebraicarum fœcunditate, quæ cum pauca sint plura significant, vt diximus conclusione prima. De quo Hieronymus lib. 1. contra Rufin. cap. 5. & exemplificavimus in illo loco, Psal. 2. *Apprehendite disciplinã, &c.* & alijs adductis. Secunda ex varia punctuatione, de quo Hieronymus epist. 125. ad Damasum, dixit: Idem sermo, & ijsdẽ litteris scriptus, diversas apud eos intelligentias, & voces habet; v. g. pastores, & amatores ijsdem litteris scribuntur. Sed pastores leguntur Roim: amatores Reym. & sic sæpè vnum pro alio iuxta materiæ exigentiam accipitur, & vtorque vere.

Tertia, ex diversa ratione distinguendi, vt patet in illis verbis Ioann. 1. *Et sine ipso factum est nil.* Si hic finiatur clausula est sensus: nil esse quod à verbo non sit factum. Si autem legatur sic, & sine ipso

fa-

factum est nil, quod factum est. Est sensus, si ne verbo conservante omnia, quicquid factum est in nihil redigeretur. Sed de hoc latè in secundo tract. sect. 2. cap. 3. Quarta: si diversus sensus Hebraici textus à Septuaginta, si vterque verus, vterque admittendus si verò Septuaginta discordent, & sint diversi ab Hebraico, tunc non duplex, sed vnus est sensus; quia Spiritus Sanctus aliud per vnum, & aliud per alium Scriptorem, voluit dicere ex August. cit. & lib. 18. de Civit. cap. 43.

Denique si varia sit lectio in Hebræo, & acceptetur à Patribus, vt verum sensum continens, à spiritu intentus intelligatur. v. g. Zachar. 12. *Aspicient in me quem confixerunt*, Ioann. 15. Alij quem trāsfixerūt, & septuaginta insultaverunt, quæ diversitas teste Hieronymo ex similitudine inter litteras Daleth, & Resch, exorta est. Sed de hoc plura apud Montoyam lib. 2. per totum.

§. IV.

De locis plures sensus habentibus.

PRimus ergo locus, & celebris est Genes. 1. In principio, &c. iam supra adductus. Secundus locus ex Psalm. 2. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, hodie genui te, &c.* Cui quinque sensus attribuuntur. Primus, de generatione æterna, ad Hebr. 1. Secundus, de resurrectione Actu 13. Tertius de Sacerdotio Christi ad Hebr. 5. Quartus de generatione temporali ex sensu Ecclesiæ. Quintus, de notitia qua homines cognaverunt Christum esse Filium Dei consubstantialem. Tertius locus Isai. 53. *Generationē eius quis enarrabit?* cui quatuor sensus adaptantur. Primus de generatione æterna. Secundus de temporali. Tertius de sobole Christi ex ipsius morte. Quartus de vita, & facta Christi, scilicet morte, passione, &c. Alij adijciunt tempus, & sæculum abominandum, in quo tot in Christum patrata sunt scelera.

Quartus locus Isai. 53. *Vere langores nostros ipse tulit.* Primus de peccatis nostris. Secundus de miraculis quibus nostros morbos sanavit. Quintus locus Psal. 8. *Quid est homo &c.* Primus sensus de Adam. Secundus de Christo ad Hebr. 2. Tertius de quolibet hominem. Sextus locus Matth. vlt. *Ecce ego vobiscum sum.* Primus, de Christo, vt est Deus. Secundus, de ipso, vt in Eucharistia. Septimus locus ad Philip. 2. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam, &c.* esse æqualem Deo. Primus de æqualitate Dei secundum naturā. Secundus de differentia inter Filium Dei naturalem, & adoptivum, quia isti violenter rapiunt Cœlum laboribus, &c. Tertius de duabus vijs trahendi homines ad se per potentiam, vel benignitatem. Octavus locus ibidem: *Exinanivit semetipsum.* Primus de mysterio Incarnationis. Secundus de Passione. Tertius de mysterio Eucharistiæ. Nonus: *Formam servi accipiēs.* Primus in Incarnatione: secundus in ablutione pedum: tertius in Eucharistia. Decimus locus ad Hebr. 5. exauditus est pro sua reverentia: primus pro sua reverentia, & dignitate: secundus de reverentia ad Deum: tertius de sua oratione pro se, & pro nobis. 11. Daniel. 9. *Erit in templo abominatio desolationis*, quæ vel intelligitur de Antiocho Rege, vel de ea quæ futura erat post Christi mortem, *vel de Antichristo ex Hilario.* Plura alij adducunt, sed in exemplum sufficiant.

Pro coronide tandem dubij inquires, si idem locus in duobus contrarijs sensibus, & incompossibilibus exponitur, cui standum? Respondet benè Anton. cit. §. 2. ille verus censendus, quem tota amplectitur Ecclesia, vt Ioan. 14. *Pater maior me est.* Et si Arrius etiam de Christo secundum divinitatem intelligat, explodendus, & intelligi debet de ipso vt homine. Deinde ille sensus præferendus, qui alio Sacræ Scripturæ loco conformior fuerit; *vt ego & pater vnum sumus*, significat æqualitatem inter personas iuxta sensum antecedentis loci.

Si autem vnus sensus sit communis SS. Patrum, & alter novus, illi standum ex Concil. Trid. sess. 4. Sed iste non omnino aspernandus, si veritati possit esse concors se-

secundum aliquam considerationem, de quo infra dicemus, agentes si novus sensus possit inveniri. Denique si oppositi sint sensus, & neque his regulis fulciri possit, ille teneatur qui rationi naturali magis sit conformis, & sic habetur dist. 20. decretalium.

DVBIVM QVINTVM.

Vtrum detur aliquis locus Sacræ Scripturæ sine sensu litterali?

PRæsentis dubij resolutio ex dictis supra partim constat, cum sermo nobis erat de divisione sensus Sacræ Scripturæ in litteralem, & spiritualem, & de varijs divisionibus sensus litteralis. Sed quia aliud est resolvere, an detur in Sacra Scripturæ sensus litteralis? Et an talis sensus reperiatur in omnibus Sacræ Scripturæ locis? Ideò in præsenti hoc examinandum suscipimus. In qua re negativam sententiam videtur tenuisse Orig. hom. 2. in Gen. & Lyra prol. 3. Bibli. in eam inclinat Zumel 1. p. q. 1. art. 10. q. 7. Sed contraria sentētia cōmunis cum D. Hieron. August. Gregor. Albert. D. Thoma, & alijs apud Scalante lib. 1. cap. 16. Perez dub. 12. cap. 4. Antonium prælud. 3. dub. 7. & Benavides dub. 4.

Dico ergo, quod nullus datur locus Sacræ Scripturæ, qui non gaudeat sensu litterali proprio, vel metaphorico, & improprio. Conclusio est ita certa, vt Scalante cit. dicat contrarium manifestam continere falsitatem. Et potest probari ex D. Hieron. in Ezech. cap. 40. & in Abdiam. Augustino lib. 8. de Genes. ad litt. Gregor. homil. 2. in Ezech. & D. Thom. quodl. 3. art. 30. Vbi ita fatur. In omnibus quæ Sacra Scriptura historice tradit, est pro fundamento tenenda veritas historiæ, & desuper spiritualis expositio fabricanda. Videatur etiam 1. p. q. 102. art. 1. Vbi optimè rem istam tractat circa historiam de Paradiso cum Augustino lib. 13. de Civitate.

Deinde probatur ratione. Nullum verbum est in Sacra Scriptura, sine aliqua significatione propria, vel impropria, & metaphorica; sin minus non esset verbum, & multo minus verbum Dei, sed si datur, sensus litteralis debet esse quem voces, vel littera significant, ergo. Probatur minor; quia si voces vsurpantur in significatione propria, talis sensus erit litteralis in omni sententia:, si autem metaphorice vsurpentur, cum etiam tunc aliquid significent, & non in acceptione propria, vt supponimus, ergo significāt illud ad quod in acceptione impropria sunt translata ad significandum; sed iste sensus est litteralis, cum immediatè significet aliquid in tali acceptione per illas voces; ergo nulla datur vox, quæ non habeat sensum litteralem in Sacra Scriptura.

Huic argumento, potest responderi ex Lira, negando minorem, secundi syllogismi dupliciter. Primo, quia ad sensum litteralem requiritur, vt aliquid propriè per verba significetur, quod non reperitur in sensu metaphorico, vt patet. Secundo respondetur, quod talis sensus etsi litteralis sit, sed improprius, cum voces impropriè significent. Tertio potest respōderi, quod talis non est sensus litteralis, quia non significat immediatè rem, sed mediatè, v. g. Vicit Leo de Tribu Iuda, impropriè significat Christum dependenter à significatione Leonis, & illius similitudine prius significati.

Sed omnes istę solutiones facilè reijciūtur. Prima enim supponit, id de quo est quæstio, scilicet, quod ad sensum litteralem requiritur propria vocum significatio, quod non probat nisi ab inconvenienti tertiæ solutionis, de qua statim. Et quia tali sensui metaphorico convenit definitio sensus litteralis, scilicet, quod immediatè significet res, & si in tali significatione impropria. Deinde secūda solutio reijcitur; quia non ideò talis sensus metaphoricus, dicitur improprius, quia impropriè participet rationem sensus litteralis (cum sit species illius) sed quia desumitur ex significatione impropria, ad quam talis vox est translata: illa tamen supposita immediatè rem significat, vt iam dicimus.

Ad tertiam obiectionem iam diximus supra dub. 3. Agentes de sensu visionum, &

& imaginum, qui litteralis est, & significat res, & bella: quia licet verba repræsentent etiam tales imagines, sed non vt quod, sed vt quo tanquã medio: ita etiam potest dici, quod vox Leo, & si primo sit imposita ad significandum Leonem immediatè, & vt quod: hac tamen significatione supposita, transfertur vox cum tali significatione, vt medio quo significet Christum, vel virum fortem: & sic non ammittit rationem sensus litteralis, licet dicatur metaphoricus. Vel tunc non significant id à quo scilicet Leonem, sed id ad quod, scilicet Christum ex vi translationis ex intentione Spiritus Sancti. Aliàs si in sermone metaphorico immediatè, id à quo fit translatio, significaretur, omnes sic loquentes prius falsum, quam verum dicerent.

Secundo probatur, ratione desumpta, ex D. Thoma quodlib. 7. art. 10. ad. 1. Quia ex opposita sententia sequitur dari aliquẽ locum Sacræ Scripturæ, sine aliquo sensu, vel significatione: consequens est impossibile; quia si est vox ad placitum instituta, sensum debet habere, & significationẽ. nisi dicatur illam amisisse, quia est in Sacra Scriptura, quod est ridiculum: sequella verò probatur: quia cum Dixit Christus: *Ego sum vitis, &c.* Ibi non est sensus litteralis, vt dicit sententia opposita; neque spiritualis, non anagogicus, qua non agit de aliquo ad beatitudinem pertinente; non moralis, quia nihil admores docet, vel præcipit: non allegoricus, quia nihil ad fidem credendum proponit; ergo non habet sensum aliquem.

Tertio prob. quia cum dicitur Christus, Leo; vel illa vox, Leo, Christum immediatè significat, vel mediatè? Si primum erit sensus litteralis, cum illi definitio tradita conveniat: si secundum, iam assignare debemus alium sensum cui immediatè conveniat: non potest esse Leo animal naturale, quia istud propriè significat, & non metaphoricè; ergo erit Christus, cui immediatè applicatur victoria. Et ex opposita sententia etiam in prophanis Authoribus innumerę absurditates intro ducerẽtur; cum sæpè vtantur vocibus, non ex significatione propria sed figurata; vt Virgilius, Claudite iam rivos, sat enim prata biberuntur. In quibus non intendunt adstruere, quod voces in acceptione propria significant, sed in metaphorica, & figurata. Vndè recte Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana; ex Cicerone refert: per sæpè mihi mirandum videtur, quid sit quod omnes translatis, & alienis magis delectemur verbis, quam suis; sed cum hac differentia, Poetæ vt delectent, scriptura vt doceat, & instruat.

Denique probatur, Scripturæ Sacræ semper significãt aliquid, aut propriè, aut metaphoricè: & quod sensus proprius sit litteralis, nemo ambigit: & de metaphorico probatur hac ratione. Nam sensus spiritualis, & mysticus ita vocatur, vel quia latet quasi mysterium, aut sicut spiritus in corpore. Sed metaphoricus sensus vulgo etiam notissimus est, & ex antecedentibus, & consequentibus iuxta subiectam materiam facile intelligitur ab omnibus linguam callentibus (est enim metaphora translatio quædam, & quasi posterior nominis impositio) at sensus mysticus, cum cõtineatur sub rebus, quæ communiter non significant, nisi pro vt Scriptor arbitrio suo illas vsurpat, non est omnibus notus sicut metaphoricus, sed quasi mysterium, & spiritus latet in rebus. Sensus igitur metaphoricus mysticus non est sed litteralis, quo saltem Sacræ Scripturæ nunquam carent.

Ex his vniversaliter inferendum est, metaphoricas locutiones, & phrases, vt Ironiam, & antiphrasim, & cæteras ad sensum litteralem pertinere. Ex eo primo quod Deus Author primarius scripturæ in eadem tradenda est vsus, tanquam instrumentis hominibus Græcis, & Hebræis, quibus talium figurarum vsus frequentissimus erat. Hebræis propter angustiam linguæ, qua coacti sunt pluribus translationibus vti: Græcis verò propter eloquentiam, & redundantiã linguæ, quæ pluribus istius modi locutionibus abundant; quæ cum non possent facere sensum spiritualem, nisi præsuposito litterali, sensus illarum litteralis est.

Con-

CONTRA SVPERIORA.

ARguitur primo, quia sæpè SS. Patres & Authores, vt Ambrosius lib. 5. in Lucam. Chrisostomus homil. 39. in Ioan. August. lib. 3. de doctrin. Christiana cap. 5. & præcipuè Hieronymus explicans historiam Abisag de qua. 3. Reg. 1. & de secunda circumcisione Iosue cap. 5. & alij dicunt in tropicis locutionibus non litteralem, sed spiritualem esse inquirendum sensum.

Respondetur, quod Sancti Patres in loqutionibus metaphoricis, cum aliud sit, quod propriè nomen significat, & aliud ad quod significandum transfertur; cum ista significatio sit recondita, & quasi sub cortice litteræ, in quo cum mystico sensu similitudinem habet; ideò talem similitudinem spiritualem vocant; & dicunt non esse insistendum in sensu proprio, qui in cortice litteræ continetur, vnde Augustinus citatus dicit. Cavendum, ne figuratam locutionem ad litteram accipias, idest gramaticaliter, & in sensu proprio. Et idem intendunt Patres citati. Et D. Hieronymus præcipuè Isai. 19. dicit. In hoc, & alijs Scripturæ locis pleraque ponuntur, quæ non possunt stare iuxta historiam (intellige si accipiatur historia in sensu proprio) vt rerum necessitate cogamur altiorem intelligentiam quærere: idest metaphoricam. Vndè & ibi pro Ægypto mundum intelligit. Videatur Anton. cit. §. 3. nu. 3.

Secundo arg. quia in Sacra Scriptura dantur verba, quæ immediatè significant aliquid ad mores pertinens, *vt diliges Dominum Deum: si vis ad vitam ingredi serva mãdata*: ergo saltem in his nõ erit sensus litteralis, sed moralis cum ad genus moris pertineat, id quod significatur. Et quia aliàs id quod significatur per voces falsum, vel absurdum est, vt Matth. 18. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te.* Et Iudic 9. Apologia arborum: *Ierunt ligna, vt vngerent super se Regem*, qui sensus indecens videtur, vt sit litteralis.

Respondetur, quod in illis verbis in quibus præcipitur, vel traditur aliquid ad mores pertinens, talis sensus litteralis est, cum immediatè per talia verba significetur. Vel potest distingui, est moralis obiective, idest præcipitur, quod ad mores pertinet concedo: est moralis; idest subiective, & ex parte modi tradendi, nego; quia vt sic esset moralis, deberet tradi medijs rebus, iam per sensum litteralem prius significatis. Ad confirmationem respõdetur, in illis locis esse sensum litteralem, non proprium, sed metaphoricum. Vt per manus, vel pedes, affectus nocivi, vel propinqui à virtute retrahentes intelligantur, quos à nobis arcere, vel præscindere debemus. Et per arbores homines intelliguntur, de quibus dicitur Matth. 18. esse veluti arbores ambulantes. Et Marci 8. esse arbores inversas. Et idem de illo Isai. 11. habitabit lupus cum agno. Non enim de proprio lupo, & agno, sed metaphoricè pro mansueto, & pacifico debet intelligi; quia Christo veniente in eadem fide pacificè inhabitabunt mansueti, & bellicosi, quia mores pacificos induent.

DVBIVM SEXTVM.

Vtrum sub eadem littera sint compossibiles sensus litteralis, & metaphoricus: figura, & res figurata?

DVplicem difficultatem insinuat titulus dubij: prima an scilicet, ista verba Exod. 12. *Os non comminuetis ex eo*, quæ litteraliter propriè Agnum Paschalem significant, eadem verba Christum metaphoricè significent? In qua re benè advertit Anton. præl. 3. dub. 11. sermonem esse de sensu figurato non sumpto ab ipsis rebus, v. g. quod eadem verba, primo significent Agnum Paschalem, deinde iste Christum, sic enim sensus efficeretur, spiritualis; cum Christus non immediatè à voce, sed medio agno significetur. Debet ergo intelligi figuratum non ab ipsis rebus, sed à vocibus, quod dicitur figura verborum, & sic inquiritur. Vtrum eadem vox significet agnum litteraliter propriè, & Christum litteraliter metaphoricè? Negant aliqui Authores; sed alij licet pauci, qui de hoc tractant affirmant cum Abulen.

Matth.

Matth. 3. q. 28. A Lapide. canon. 5. in Prophetas. Philippus à Cruce 1. p. q. 1. art. 10. & Antonius cit.

Circa secundam difficultatem, an scilicet ipsa verba significent figuram, & rem figuratam? Affirmant Lyra, & Cartusianus Matth. 2. & Ribera Oseæ 11. Sed negant alij cum Scalante lib. 1. cap. 22. & Anton. cit. dub. 12. & Benavides dub. 7. Sed antequam vtrumque resolvamus dubium, verba Sylvestri tract. 1. in Rosam. cap. 6. placet in medium, vt valdè conducentia, adducere. Tribus inquit modis potest contingere multiplicitas sensuum Scripturæ. Primo modo per dictionem æquivocam: alio modo per analogam. Tertio, quia significatum vnius vocis est figura, & imago alterius rei. v. g. Salomon fuit imago Christi. Licet ergo quæ de Salomone, vt talis res est, de nullo alio intelligantur, nisi spiritualiter: ea tamen quæ dicuntur de figura, vt figura est, immediatè etiam dici intelliguntur de significato, etiam litteraliter, & si aliqui hoc non concedant.

Pro quo insuper notandum, quod cum aliquis fuit figura alterius, scilicet Salomon Christi, tripliciter potest considerari. Primo, in quantum est solum figura, & sic dicta de Salomoni, vere dicatur solum convenire Christo, vt Psal. 71. *Dominabitur à mari vsque ad mare, &c.* Ista enim Salomoni competere non possunt. Secundo, quæ dicuntur de Salomone, vt res, & persona quædam est, sic solum illi competunt, vt quod fecerit idola, &c. 3. Reg. 11. Tertio, quæ de illo dicuntur vtroque modo (demptis peccatis) verificantur de vtroque; sed verius, & principalius de Christo: sicut illud 2. Reg. 7. & 1. Paral. 22. *Ego ero illi in Patrem.* Ex quibus colligitur, quod in sententia asserentium in aliquibus locis esse duplicem sensum litteralem proprium, de quo dub. 4. non habet locum præsens dubium, cum solum inquirat de duplici sensu litterari, altero proprio, & altero improprio, vel metaphorico. His suppositis.

Dico primo, potest sub eadem littera reperiri simul sensus litteralis proprius, & metaphoricus. Vt probetur conclusio supponendum, quod vt advertit à Lapide ex Forerio Isai. 14. aliquando Sacra Scriptura transit à typo, vel figura, ad antitypum, vel figuratum, & ab isto ad illud, taliter quod quando iam pervenit ad vltimum, & perfectum orationis, vel clausulæ, ommisso typo, solum versetur circa antitypum, & figuratum, de quo profert exempla, præcipuè ex Isaia citato.

Probatur iam conclusio. Quia talis duplex significatio nõ repugnat, neque quia litteralis, neque quia vna propria, & altera impropria, vel metaphorica. Non quia litteralis præcisè, quia ex dictis multiplex sensus litteralis in vna littera reperiri potest. Non secundum; quia ex Cornel. & Anton. ista verba (& sic de alijs) Proverb. 11. Statera dolosa abominatio est apud Dominum: ex pluribus, de ipsa statera inæquali, & iniusta litteraliter intelligitur: & etiam ex alijs accipitur pro iniquo Iudice, qui statera dicitur, quia in manu eius iustitiæ pondus librandum committitur.

Potest etiam exemplo (alijs apud Antonium videndis) sic explicari. Si enim quis dicat duobus hominibus, labor improbus omnia vincit: & vnus rectè intelligat, & percipiat, & ex eo animetur, vt strenue laboret: & alius licet aliquid consequatur intelligentiæ; ex laboris tamen magnitudine, & improbitate territus ab opere desistat incœpto: ecce quomodò ex eadem sententia diversimode homines isti persuasi evadunt. Cum ergo Deus ab æterno attendat, quod postea singulis inspirat, si hoc hominibus conceditur etiam in familiari colloquio, cur id negadum Deo in ipsa Sacra Scriptura nobis loquente.

Dico secundo, probabilius est quod in eodem loco figura, & figuratum non possint significari. Dixi probabilius, quia oppositum tenent Lyra, & Cartus. Probat primo conclusionem Scalante, quia ex definitione sensus litteralis videtur implicare opposita sententia: cum enim iste sit quem immediatè efficiunt voces in significatione propria, vel impropria; & sensus spiritualis, quem efficiunt res significatæ per verba; videtur contradictio quod ille sensus, qui est allegoricus sit etiam spi-

P ri-

ritualis. Confirmat hoc; quia impossibile est, quod eadem res sit corpus, & vmbra corporis; figura, & veritas eiusdem figuræ: ergo impossibile est, quod eadem verba simul sensu litterali significent figuram & vmbram, ac veritatem eiusdem figuræ.

Antonius verò sic probat. Verba scripturæ repræsentāt res gestas, vt gesta sunt; ergo si res gestæ ideò tales sunt, vt aliarum rerum essent figuræ, iam illa verba nedum significabunt res gestas, vt gestas, sed etiā vt figuræ sunt, & sic significabunt medijs illis rebus, res figuratas: ergo tales res figuratæ non poterunt significari litteraliter per illa verba; ad hoc enim necessarium erat, vt tales res figuratæ significarentur immediatè per voces, & non mediantibus illis figuris.

Sed vtrique rationi potest occurri, ex dictis dub. 3. Si dicamus: quod res significatæ per voces, quæ sunt figura aliarum rerum, dupliciter possunt considerari, vt vidimus ex Sylvestro. Primo, si tales res significentur vt quod, & sic non possunt esse figuræ vt figuræ, sed accipiuntur vt sunt in se res quædam. Secundo, accipiuntur vt quo, & vt simul cum vocibus complent vnum signum ad aliud repræsentandum, quod non tollit rationem sensus litteralis ex dictis dub. 3. agentes de visionibus Prophetarum, & ita etiam explicant aliqui sensum metaphoricum, qui sine dubio litteralis est: quia scilicet, vox Leo vt dicit fortitudinem, propriè Leoni convenientem, transfertur vt Christum repræsentet, & totum illud se habet, vt terminus à quo in tali sensu metaphorico: ex qua doctrina solvitur implicatio, quam illi intendunt, cum non sit secundum eandem rationem.

Instatur etiam ista doctrina contra Antonium, qui impugnans solutionem cuiusdam Authoris respondentis argumento ipsius, quod res significata, per accidens supponit, quod res quæ est figura, prius significata fuerit per illa verba. Contra hoc arguit sic; quia ex dictis non est per accidens, vt verba sacra significent res vt fuerunt; ergo si res gesta fuit vt esset figura, non erit per accidens, vt significetur vt figura fuit, & quod postea mediante illa significetur res figurata.

Sed contra hoc possumus insurgere: quia nos non damus talem solutionem; quæ quidem reijcitur ab isto Authore; sed in iam tradita persistimus: & cum illa dicimus replicā istam non convincere; quia vt dicebat Sylvester, & non sæpè, talis res quæ est figura, accipitur vt quo, & non vt quod.

Sed replicat Antonius: quia videtur implicatio quod res figurata non significetur immediatè per figuram, sed immediatè per verba, ergo etiam erit implicatio dicere, quod tunc significetur spiritualiter, & nō litteraliter. Et cum aliquis responderet huic argumento; quod potest res figurata sumi specificativè, & non reduplicativè; & sic posse immediatè significari per voces, & nō per rem, quæ est illius figura. Replicat Antonius; quia iam verba sacra non significarent res vt de facto fuerunt, scilicet, figuras vt figuras, & figurata vt figurata. Contra hoc potest obijci, quia vt diximus, certum est quod res figurata, vt talis debet per figuram significari, sed eo modo quo diximus, qui his rationibus non infringitur.

Sed dices, sequi ex nostra doctrina oppositum, quod in dubio inquiritur: quia ex traditis à nobis infertur, quod talis sensus sit litteralis, & non spiritualis, vt diximus de sensu metaphorico, & in visionibus Prophetarum. Dubium autem videtur supponere, quod vnus sensus sit litteralis, & alius mysticus, vel figuratus, vt patet ex illo Oseæ 11. *Ex Ægypto vocavi filium meum*; qui litteraliter de populo, & spiritualiter plures intelligunt de Christo. Sed quicquid sit de exemplo, de quo infra, nunc dicimus intentum in nostris obiectionibus solum esse ostendere, quod non rectè impugnatur opposita sententia ijs rationibus, vt patet ex doctrina à nobis tradita in illis.

Sed obijcies contra dicta: quia sensus litteralis est, qui per voces significatur immediatè, & spiritualis, qui per res immediatè: ergo cum in illis verbis ex Ægypto &c. Sensus litteralis sit de populo, & ista hi-

historia figura sit de Christo, iam egressio Christi designatur per illam rem, & sic nō poterit esse sensus litteralis, sed spiritualis, vel iste per res explicatus erit litteralis, quod est falsum.

Resp. quod vt nunc dicimus, non est sermo quis fiat sensus: sed an figura, & figuratum compatiantur in eadem voce. Et ad replicam respondetur, quod sufficit ad sensum litteralem, quod vox sit communis vtrique filio, & quod figura accipiatur vt quo, & non vt quod. Sensus autem spiritualis erit, qui designatur per res, vel figuras vt quod, & non vt quo tantum, vel sub diversa ratione.

Quare melius videtur probari nostra conclusio argumento adducto ab Scalant. quia scilicet videtur imposibile, quod eadem res sit corpus, & vmbra corporis, figura, & veritas eiusdem figuræ: ergo & quod eadem verba significent figuram, & figuratum. An autem responderi posit, hoc implicare sub eadem ratione, non verò sub diversa; sicut res iniquæ, & malæ, v.g. Esau potest Deum repræsentare, vt dicit Augustinus serm. de Purificatione, quatenùs frater maior cui Iacob obtulit munera; licet non vt peccator, & fortè Idolatra; ita eadem res sub vna ratione sit corpus, & sub alia vmbra? Videat Lector, & expendat.

CONTRA SVPERIORA.

OBijcies primo, quia ex prima parte dubij constat, quod eadem verba significant in sensu proprio, & improprio, & metaphorico, ergo poterunt etiam signare figuram, & rem figuratam: probatur consequentia, quia primum non obstat, etiam si interveniat ibi translatio à proprio sensu ad improprium, quod eidem repugnare videtur: ergo neque obstabit secundum: quia si illud non obstat ob diversam consideratione, & rationem: quare in secundo propter diversam considerationem, & rationem obstabit?

Resp. quod sensus metaphoricus non petit per se, vt res significent alias prius, & quod ad hoc sint institutæ, sed illi accidit. Etenim Leo, v. g. non ad hoc per se est effectus, vt hominem fortem significet metaphoricè. Statera enim non est effecta, vt iudicem iniquum significaret. Atverò sensus spiritualis, ita postulat vt per res significetur, vt per hoc solum à litterali secernatur, de quo capite sequenti, & ita non est eadem ratio in vtroque dubio, nec locum habet duplex ratio, vel consideratio adducta.

Secundo arguitur. Quia licet idem non posit esse corpus, & vmbra physicè, quia sunt causa, & effectus, imò illa in privatione consistit, non tamen obstat repræsentativè; vt Christus qui fuit figuratum in veteri testamento, fuit figura sui ipsius vt mortui, in quantum fuit baptizatus &c. & licet in rebus obstet, non tamen in vocibus, quæ ex hominum dependent impositione; & sic possunt significare corpus, & vmbram, figuram, & veritatem.

Hoc argumentum proponitur ab Antonio cit. ad quod fatemur difficilius esse, quod physicè idem sit vmbra, & corpus: & etiam esse difficilius in rebus, quam in verbis. Tamen dicimus etiam non posse contingere in exemplo ab ipso adducto: eadem enim res respectu alterius potest esse figura, & etiam respectu sui ipsius secundum aliam considerationem, & sic Christus fuit figuratum per vetus testamentum, & fuit figura sui ipsius, sed non secundum eandem rationem, sed diversam: scilicet baptismus illius significavit mortem, ipsius. Dubium autem procedit de eadem re, & secundum eandem considerationem, & sic benè contendit Scalante esse imposibile, quod eadē verba significent corpus, & vmbrā, figurā, & eiusdē rei veritatem.

Nilominus sententia Cartus. & Lyræ potest explicari, & defendi exemplo conceptus mentis, qui est imago rei repræsentatæ, & tamen consideratus vt quo, qua ratione non amittit rationem imaginis, tūc intellectus immediatè rem repræsentatam cognoscit; pariter eadem vox simul cùm figura, vt quo accepta, immediatè poterit figuratum significare. Quem autem sensum tunc efficiat? parum spectat ad præsens examinare.

DVBIVM SEPTIMVM.

De vtilitate sensus litteralis: & de regulis pro illo enucleando observandis.

SIcut omnis laus inferior pro Sacræ Scripturæ dignitate excellentiaque efferenda; pariter pro vtilitate ex ipsa nobis proveniente, omnia sunt verba deficientia; plures alij, & aliquas supra de causa illius finali agentes, insinuavimus; in præsenti aliquas ad rem nostram conducentes afferemus. Prima, & præcipua sit, fidei ædificatio: veritatis divinæ confirmatio; & errorum confutatio. Primum constat, quia in illa traduntur mūdi creatio, ipsius reparatio, mortuorū suscitatio &c. Secundum quia cum veritas fidei sit, quod in Ecclesia reperitur potestas remittendi peccata: Si quis hoc intenderet probare ex eo quod Christus, Ioan. 11. dixit: *Solvite, & finite abire, &c.* potest quis respondere intentum esse de ablatione linteorū, quibus involutus erat Lazarus, & non de peccatis remittendis. Si autem quis adducat illud, Ioan. cap. 20. *Quorum remiseritis peccata, &c.* Nullum aliū sensum possunt admittere nisi litteralem, scilicet de peccatorum remissione.

Tertium etiam constat, quia Concilia, & PP. ad convincendos Hæreses, & errores, plures soleant etiam in sensu mystico adducere auctoritates: semper tamen cum illis curant aliquam in sensu litterali in medium proferre: vt si ad Christi resurrectionem adstruendam virga Aaronis folia, & fructus (etsi arrida) adducatur. Melius tamen ex alijs locis id comprobatur. Scilicet Sophon. 3. *Expecta me dicit Dominus, in die resurrectionis meæ.* Et Michææ 7. *Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi; consurgam, &c.* Et illud Psal. 2. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*: qui Psalmus de Christo litteraliter intelligitur. Et cum antea de passione sit locutus illis verbis: *Astiterunt Reges terræ, &c.* Vt Apostoli dixerunt Actuum 4. postea subditur de Resurrectione; *Ego hodie genui te.* Et merito resurrectio dicitur generatio, quia est quædam præexistentis corporis ad vitam revocatio. Idem etiam in alijs.

Secunda vtilitas est, quia litteralis sensus debet præmitti, vt basis, & fundamentum ad omnes alios sensus percipiendos, ex cuius ignorantia, & omissione, quotquantæque Hæreses pullularunt, & errores; vt patet in Gnosticis, Valētinianis, & alijs. In quo Origenes sugillatus est, qui historiam paradisi mysticè penitus intellexit, & etiam Cayetanus in somno, & formatione Evæ: & Melchisediani illud ad Hebræos 7. *Quod Melchisedech fuit sine Patre, & matre*: dixere non fuisse hominem, sed Angelum, vel Spiritum Sanctum. Manichæi ex illo Psalm. 18. *In sole posuit tabernaculum suum*: deduxerunt, solem adorandū, quia in illo posuit Christus corpus suum. Et Lutherus illa verba Matt. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.* Parvipendens litteram, non ad certam personam, sed ad eandem Ecclesiam dictum contendit. Et ipse cum alijs verba consecrationis, non secundum litteram, sed tropica significatione sunt interpretati, & sic de alijs pluribus.

Tertia, vtilitas est ædificatio morum, per ostensionem iustitiæ in punitione primorum parentum ob inobedientiam, in dilubio ob superbiam, luxuriam, in cōflagratione Pentapolim ob nefanda crimina; in sumersione Pharaonis ob obstinationem, &c. Pariter in misericordiæ ostentatione in promissione Incarnationis, in familiaritate cum Abraham, in Ioseph exaltatione, in pacientiæ Iob remuneratione, & sic in multis alijs eventibus.

Quarta, propositio virtutum heroicarum, vt religionis Abel, obedientiæ Abrahæ, spei Isaac, charitatis Iacob, castitatis Ioseph, pœnitētiæ David, &c. Vndè Apostolus. Hebræo 13. *Mementote quomodò salvi facti sunt Patres nostri, &c.* Et etiam in detestatione vitiorum ab impijs patratorum; scilicet ambitionis Chore, & Dathan, murmurationis, & concupiscentiæ populi, Idolatriæ Salomonis, Achaz, & aliorum: de quibus vt fugiamus, idem exclamat Apostolus 1. Corinth. 10. *Ne simus*

mus concupiscentes malorum, sicut illi concupierunt. & sic de alijs.

Quinto, conducit Sacra Scriptura ad nostram eruditionem tradens plures doctrinas communes omnibus, præcipuè in sapientialibus, & in Evangelijs; vt cum dicitur: *Nisi abundaverit iustitia vestra plusquam scribarum. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia.* Vndè & Christus dicit: *Quod vobis dico omnibus dico.* Alias etiam doctrinas ad certas personas; vt illud: *Quorum remiseritis peccata &c.* Solum Sacerdotibus, & non Laicis Christianis convenit: plura alia commoda videantur apud Bibliæ Expositores: & infra nos ostendemus, quomodò ex solo litterali sensu, efficax desumitur argumentum.

§. I.

Regulæ pro sensu litterali in communi.

DEvenientes iam ad tradendas regulas pro sensu litterali Sacræ Scripturæ enucleando; circa quod maximè attendendum est. Placet tamen prius tres vtrique sensui proprio, & metaphorico communes in medium adducere. Prima, debent attendi consulto verba antecedentia, & consequentia, vt sensus percipiatur litteralis. Ita Hieronymus Mat. 25. Augustinus epist. 25. v. g. illa Christi verba Ioan. 14. *Pater maior me est.* Non absolutè, & simpliciter sunt accipienda, sed cum respectu ad humanam naturam. Quod ex antecedentibus fit clarum; quia præcesserat dicere Discipulis suis: *Si diligeretis me, gauderetis, &c. Quia vado ad Patrem; quia Pater maior me est.* Certum enim est quod Christus vadit ad Patrem ratione humanitatis, secundum quam Pater illo maior est.

Quod si in sensu metaphorico loquatur scriptura idem ordo servetur. v. g. Cum dicitur 1. Corinth. 5. *Epulemur in azymis sinceritatis, & veritatis.* Colligitur sensus loci; quod per azymos panes intelligit Apostolus opera meritoria procedentia à recta intentione. Præmiserat enim: *Nescitis quia modicum fermentū totam massam corrumpit.* In quo simulatio, & prava intentio intelligitur ex Beda. Et sic cōcludit Apostolus: *Expurgate vetus fermentum.* Sic etiam aufertur contradictio inter aliqua loca, ex Augustino lib. 11. contra Faustum. Dixerat Apostolus Rom. 1. de Christo: *Qui factus est ei ex semine David.* Et 2. Corinth. 5. dixit: *Et si novimus Christum secundum carnem, nunc iam non novimus.* Concordantur, si antecedentia inspiciantur. Pro omnibus mortuus est Christus, &c. Sensus ergo est Apostoli. Antea cognovimus Christum in carne passibili; sed modo iam in tali non cognovimus carne; quia Christus resurgens ex mortuis. Non ergo negat Apostolus, Christum carnem habuisse, sed eius negat corruptibilitatem, qua in statu gloriæ iam caret.

Secunda regula. Cum Pontifex, vel Cōcilium Generale, vel Ecclesia vtitur aliquo loco Sacræ Scripturæ ad docendum res Fidei, talis sensus erit litteralis; quia cum Pontifex, vel Concilium legitimè congregatum assistentiam habeant Spiritus Sancti in rebus ad fidem pertinentibus; per hæc media Spiritus Sanctus, talem nobis sensum proponit. Erit ergo sensus litteralis illius loci, 1. Corint. 10. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, &c.* quod accessurus ad Eucharistiam, si mortali peccato se videat infectum, confiteatur Sacerdoti; quia talem sensum attribuit Tridentinum. illis verbis: Licet aliquando cum litteral a quem mysticum soleat adducere.

Tertia regula, sensus ille in quo conveniunt omnes, vel fere omnes Doctores Ecclesiæ, & ex quo contra Hæreticos argumētantur, censendus est litteralis. Quia cum Ecclesia vtatur Doctoribus, & eorum doctrina in rebus fidei iudicandis; non videretur satis Spiritum Sanctum providisse suæ Ecclesiæ, nisi eius Doctoribus sensum aperuisset suum. Quod significare videtur Apostolus ad Ephes. 4. dicēs: *Quosdam dedit Apostolos, &c. Quosdam Pastores, & Doctores in ministerium Ecclesiæ.* An autem talis concors Doctorum sententia præstet sensui firmitatem fidei? videan-

deantur Theologi 1. p. q. 1. art. 8. & præcipuè Cano de locis.

§. II.

Regulæ pro sensu litterali proprio.

Circa ipsum iam in particulari sensum litteralem proprium sit. Prima regula, ex D. Petro apud D. Clementem lib. 10. recognition. Quod sunt multa verba Sacræ Scripturæ, quæ trahi possunt ad eum sensum, quem quis voluerit. Sed hoc non expedit: non enim sensum quem alienum attuleris, debes quærere, vt ex Sacra Scriptura confirmes: sed ex ipsis scripturis sensum debes excerpere veritatis. De quo D. Hilar. lib. 2. de Trin. aliter enim facientes, vt optimè ponderat Fulbertus Carnot. epist. 1. Magistri fiunt erroris, cum nollint esse discipuli veritatis.

Secunda regula. Cum Sacra Scriptura se ipsam explicat per alium locum, vel adducit testimonium aliunde ad probandum suum intentum, tunc censetur sensus litteralis, de quo Iansen. prol. in Psalmos, vt patet quod Apostolus Act. 13. adducit testimonium ex Psal. 2. ad Christi probandam Resurrectionem. Dixi ad probandū, non si testimonium solum adducatur ad suadendum: quia sæpè vtitur Ecclesia argumentis Sacræ Scripturæ probabilibus (de quo infra) vt in aliquorum sententia est illud: *Os non comminuetis ex eo.* Exod. 12. *Et non alligabis os bovi trituranti.* 1. Cor. 9. Idem etiam dicendum de Concilijs, si aliquod testimonium afferant ad cōfirmandam rem de fide: vt Conciliū Ephesinum ad probandum Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, attulit illud. Ioann. 14. *Spiritus qui à Patre procedit, &c.* Secus si solum adducatur ad suadendum, sicut Tridentinum illud Threnorū 4. *Parvuli petierunt panem, & non erat, &c.* Attulit ad suadendum necessariam esse verbi Dei prædicationem.

Tertia regula. Debet attendi semper id quod sæpè diximus, quod sensus litteralis est ille, quem immediatè voces propriè, vel metaphorice significant. Ex quo admonuit Augustinus, ne figurata loquutio vt propria, neque è contra accipiatur, lib. 3. de doct. Christ. c. 5. & adducit exēplum ex Galat. 4. *Vbi præcipitur, carnem nostram crucifigere cum vitijs, & concupiscentijs.* Et cum omnes voces ibi in proprio accipiantur sensu, solum ly crucifigere, translate vsurpandum est, & etiam illud Rom. 12. *Hora est iā nos de somno surgere, &c.* Translatitie accipiendum, hora enim surgendi à somno, significat adesse Evangelium præ foribus: abijcere opera tenebrarum, reijcere occasiones vitiorum: arma lucis habitus virtutum, quibus non modo ornamur, sed etiam contra adversarios armamur: induti apparemus Iesu Christo, cum in nostris operibus, ipsius vitæ imitatio repræsentatur.

Quarta regula. Omnis sensus qui congruit cum sacra doctrina, & ad ædificationem morum, & alijs Sacræ Scripturæ locis concordat, litteralis est; si autem alicui horum obsistat, reijciendus est. Ita Augustin. lib. 3. de doct. Chris. c. 7. & alibi, super addens: quod si flagitium persuadere videatur, omnino reijciendus est: v. g. Eccles. 12. dicitur: *Da beneficium, & ne susceperis peccatorem.* Primum litterale est, cum bonum præcipiat faciendum. Secundum verò quod videtur peccatorem à tua beneficientia excludere (quod malum est) cū omnibus præcipiamur benefacere exēplo illius, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, est figurate accipiendum, scilicet, vt cum nec iubeas, nec promoveas ad peccandum. Similiter intellige illud Prob. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum*, hoc litteraliter quia bonum: sed quod Paulus addit 12. Rom. *Carbones congeres*, videtur vindicta; sed intelligendum, quod in cor inimici affectus amoris accendes.

Quinta regula. Ad sensum litteralem requiritur, quod verba antecedentia, & subsequentia conveniant cum illis quæ expendimus, & declaramus, & non solum ista libranda. Vt Isai. cap. 3. *A planta pedis vsque ad verticem capitis, &c.* De Christo ponderant prædicatores: cum tamen de populo intelligi debeant: cum antea di-

ca-

catur: væ populo gravi, genti peccatrici: quod de solo populo potest intelligi. Qua de causa illud Ierem. cap. 31. *Fœmina circundabit virum*; quod de Virgine communiter accipitur: negat tamen Oleaster; cum statim subdatur de illa, *vsquequo delitijs dissolveris filia vaga, &c.* quod propriè de illa republica venit accipiendum. Sed cum sit commune in Sacra Scriptura de vna re sæpè ad aliam transire: potest talis sensus sustineri: vt Psal. 71. inscriptus Salomoni, statim de Christo dicitur: *Et adorabunt eum omnes Reges terræ, &c.*

Sexta regula. Propter vnius verbi trãslationem, non tota historia translate accipienda est, vt iam in tertia regula diximus circa verba Apost. ad Galat. 4. Et sic Genes. 2. illa historia de paradiso litteraliter intelligenda est contra Origenem. Licet illa verba cap. 3. *Et aperti sunt oculi eorum*: figuratum sit; cum constet mulierem oculis corporeis lignum vidisse, quod esset pulchrum. Et idem de historia discipulorum euntium Emaus, Luc. 24. *Et aperti sunt oculi eorum.* Quod figurate accipiendum, & tamen ex fide res gesta vera fuerit. De quo tract. 2. in regul. sect. 2. cap. 10.

Septima regula: adnotanda sunt etiam punctuatio, personarum variatio, prolepsis, recapitulatio, & alia, de quibus latè tractatu 2. & aliqui dicunt illum esse sensum litteralem, qui non obstat lumini naturali, vel Philosophiæ. Ita Augustinus lib. 1. de Genes. ad lit. cap. 20. Sed si aliquæ rationes, vel opiniones quorumcumque Authorũ obstare videantur litteræ, sunt reijciendæ: cum maior sit auctoritas Sacræ Scripturæ, quam quælibet ratio humana: vt negantes cœlum rotundum, non esse antipodas, & sic alia. De quo Martinus tom. 1. pag. 541.

Octava regula. Pro sensu litterali ille habendus est, qui alteri Sacræ Scripturæ non opponitur loco; v.g. Matth. 3. *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne.* Et ad Ephes. 5. dicit Apostolus: *Christum Ecclesiam mundasse lavacro aquæ in verbo vitæ*; quæ licet opposita appareant, sic explicantur: vt primus locus quoad verbum, igne, metaphorice accipiatur de Spiritu Sancto, vel charitate: Ex cuius defectu aliqui renatos in Baptismo signabant charactere ferri candentis. Sic etiam D. Cyprianus inductus fuit, vt teneret baptizatos ab Hæreticis, iterum rebaptizandos esse. Adducens illud Eccles. 24. *Qui baptizatur à mortuo, eius lavatio quid prodest?* Vbi mortuos Hæreticos intelligebat, & eorum baptismũ, & lotionem nil proficientem. Et illud etiam Proverb. 5. *Bibe aquam de cisterna tua.* Et Illud Isai. *Foderunt sibi cisternas dissipatas.* Sed istæ intelligentiæ non sunt litterales. Primus enim locus sic intelligitur: qui baptizatur à mortuo, idest lavat se postquam tetigerit mortuum, & immundum; & iterum tangit mortuum, vel peccatum, se prius lavisse nil prodest, cum iterum inquinetur. In altero loco loquitur de cisterna propria, idest de vxore propria, & non de aliena: vel cisternæ dissipatæ sunt delitiæ mundiales, non valentes appetitum nostrũ satiare. De quo D. Gregor. homil. 36. in Evang.

Ex dictis sequitur Sacram Scripturam semper debere explicari in sensu litterali, neque in allegorijs superfluis investigandis consumere tempus; cum certissimum sit ex D. Augustino, & D. Thoma, & alijs, nil contineri in Sacra Scriptura ad fidem necessarium, & salutem in sensu spirituali, quod alibi in sensu litterali, expressum, non inveniatur; nisi iusta causa vrgeat in contrarium. Si nil afferat adversum litteræ, rectæ doctrinæ, & moribus: si cohæreat cum antecedentibus, & consequentibus: si rationi non opponatur naturali modo explicato. Neque Concilijs, praxi Ecclesiæ, & communi Patrum expositioni. De quibus latissimè Augustinus lib. 3. de doctrina Christana, vbi regulas Tyconij explicat, Pagninus in Isagoge à cap. 3. Ruiz in 234. regulis, Martinez lib. 9. & 10. hipoth. & Scalan. lib. 1. & nos infra tract. 2.

DV-

DUBIUM OCTAVUM.

De utilitate sensus metaphorici; & de regulis ad ipsum percipiendum requisitis.

EX dubio 2. antecedenti, vbi de divisione sensus Sacræ Scripturæ in proprium, & improprium egimus, plura præsenti instituto conducentia adaptari possunt. Aliqua tamen breviter superaddenda veniunt, vt maiorem huic dubio lucem præseferant. Supponentes quod cum sensus dicatur metaphoricus, quia continet tropum, vel figuram, quæ metaphora dicitur, sicut ista variatur, & multiplicatur, pariter & sensus metaphoricus. Diximus autem iam supra, quod metaphora sit vox quæ à propria significatione ad alienam cognatã transfertur. Et dicitur vox quia computatur inter illos tropos, qui vnico verbo conficiuntur; dicuntur etiam dictiones, non quia aliqua vox simplex extra orationem scripta tropum faciat, sed quia posita in oratione cum significatione, tropum faciat: vox enim vulpes sola, tropus non est; at si proferas, dicite vulpi illi, iam metaphoram facit.

Convenit ergo metaphora cum alijs tropis, in eo quod in omnibus transfertur vox à propria significatione in alienam; sed ab alijs differt: quia in methonimia attenditur, in translatione, ratio causæ, & effectus, substantivi, vel adiectivi, &c. In Synedoque translatio considerat excellentiam: in Cathechresi abusum vocis: in ironia fit translatio ad significandum contrarium, & sic de alijs. In metaphora verò solum inspicitur translatio ratione alicuius similitudinis, & proportionis. Vndè si Paulum Apostolum voces, licet nomen transferas, antonomasia est, cum nomen commune fiat particulare, si autem illum vas electionis, orbis solem appeles, metaphora est.

Sed notandum consulto dixisse, ratione alicuius similitudinis, vel proportionis: quod tamen non ita intelligendum quasi vtraque ad metaphoram requiratur, sed quod sufficiat altera. v.g. Si quis dicat aliquam habere labia coralina, faciem roseã, carnem niveam; & aquam vocet, christalum liquidam; certum servari in his metaphoram ratione similitudinis, in colore, albedine, &c. Inter illa tamen verba, & rem ad quam transferuntur, proportio non videtur servari, nec convenientia respectu alicuius tertij; qualis enim erit inter carnem, & nivem, labia, & coralum?

Et licet illo dubio 2. aliquas differentias inter metaphoram, & alios tropos adduxerimus, libet aliàs insinuare breviter. A similitudine diximus secerni, quia in ista res comparatur ad rem, quã intendemus declarare: in metaphora verò accipitur pro ipsa re. Similitudo erit dicere: *Tanquam agnus coram se tondente obmutuit*; metephora verò dicere: *Ecce Agnus Dei*. Insuper est distinctio inter illas: quia in similitudine voces remanent in propria significatione; at in metaphora non; cum sit translatio à propria in impropriam significationem. Vndè sensus litteralis in metaphoris est, quem voces faciunt in translatitia significatione; at in similitudinibus est, quem faciunt voces in sua propria significatione; vt cum dicitur 1. Petr. 5. *Adversarius vester diabolus tanquam Leo, &c.* Vox leo in sua propria accipitur significatione, & sic de alijs similitudinibus.

Differt etiam metaphora ab æquivoco, quia istud (etsi omnimode diverse) æqualiter de omnibus enuntiatur, vt tale est: at verò metaphora vni rei propriè, cæteris verò per aliquam similitudinem. Minima enim similitudo infert æquivocationem, vt homo de vivo, & picto, inter quæ proprius æquivocatio, quam metaphora intercedit. Differt ab allegoria vocis, quia hæc consistit in pluribus verbis, vel sententijs, continuata metaphora; vt patet Luc. 3. *Cuius ventilabrum in manu sua, &c.* Differt ab ænigmate, quia hæc desumitur à rebus fere non habentibus proportionem, vt Iudic 12. *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo*, & sic allegoria est ænigma.

Et si autem in metaphora vt diximus, ser-

servanda sit proportio, & analogia inter vocem, & rem cui imponitur ex Arist. & alijs. Vndè metaphora maximè convenit cũ analogis porportionis, vt patet in exẽplo risus hominis, & prati; non tamen ita convenit cum analogis attributionis, quia inter ista datur depẽdentia, & causalitas, & sic magis accedunt ad metonymiam, quã ad metaphoram: vt patet in sano dicto de animali, pulso, & vrina. Vtilitates autem ex sensu metaphorico provenientes in cap. 2. dub. 2. explicuimus, quibus expositis ad regulas, quibus talis sensus metaphoricus investigandus est, accedamus proponendas.

§. I.

De regulis pro sensu Metaphorico.

PRima regula sit: non est recurrendũm ad sensum metaphoricum, nisi in casu quo ipsæ voces salvari non possunt in significatione propria, & ex illis in toto rigore acceptis aliquod inconveniens, vel absurdum sequatur. Ita Basil. hom. 9. in examer. dicebat: Ego cum fœnum audis, fœnum intelligo. Et Tertul. de carne Christi, cap. 13. Perversissimum est, vt carnem nominantes, animam intelligamus: & animam significantes corpus interpretemur. Et Augustinus lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 5. & 10. Vndè reijciendus Georgius Venetus tom. 1. prob. 110. qui dixit Noe, non inebriatum fuisse vino, sed nimio amore suorum. Et similiter dicere potuit de Loth cum duabus accumbente filiabus. Non enim causa vrget vlla, vt relinquatur propria significatio, & ad impropriam deveniatur.

Secunda regula. Si ex Verbis propriè acceptis sequatur aliquod impossibile, vt cum Deo attribuantur membra, brachia, pedes; vel corporeæ actiones vt sedere, ambulare, &c. cum hoc sit impossibile (Spiritus enim est Deus) ad metaphoram recurrendum, ne in Hæresim incurramus antropoformitarum. Similiter si videatur colligi aliquid impossibile vt illud, *oportet semper orare*: quod obstat cum præsentis vitæ necessitatibus. Vndè Augustinus explicat sic. Non cessat orare, qui non cessat benefacere: Accipiens pro eodem orare, & benè operari, de quo tract. 2. Idem dicendum, si ex propria significatione sequitur quasi falsum: vt cum Deus promittebat antiquis terram fluentẽ lac, & mel. Et in Deuteron. quod illum populum constituit supra excelsam terram, vt suggeret mel, &c. Vel etiã si intelligatur per hyperbolem; vt cum dixit Matth. 5. *Nolite omnino iurare.* Ex D. Thoma 2. 2. q. 89. & illud etiam. *Facilius est Camelum per foramen acus transire*; difficultatem ostendens. Et etiam cum Christus dixit Matth. 11. de Baptista, *ipse est Elias*; quod Baptista negavit: accipiendum in sensu metaphorico, ex Greg. homil. 7. ne in transmigrationem pythagoricam incidamus.

Tertia regula. Si verba propriè accepta absurdum inferant, vt cum dixit Christus Luc. 22. *Et ego dispono vobis vt edatis, & bibatis super mensam meam in Regno meo*; non de cibo, & potu corruptibili, qui à gloria, de qua est sermo, absũt, sed de spirituali intellige; vt contra Cherintum definitum est. Qua regula explicanda veniunt plura Sacræ Scripturæ loca; gloriam cœlestem per cibum, vel potum significantia, vt Psal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Et Psal. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.* Et Matt. 8. 11. 25. 29. & alibi nomine cœnæ gloria significatur.

Quarta regula. Si verba propriè vsurpata rectæ rationi non congruant, vel honestatem non præseferant, vt Apocal. 22. *Qui nocet, noceat adhuc; & qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Quod indecens videtur divinæ bonitati talia exhortari, vel præcipere. Et Ezech. 20. *Et vos domus Israel singuli post Idola vestra ambulate.* Et Amos 4. *Impie agite.* Ecclesi. 11. *Lætare iuvenis, &c.* Quæ omnia cum suadeant luxum, vel idolatriam, &c. non congruunt divino Spiritui, sed per metaphoram, vel ironiam explicanda. Exemplum secundi, quæ in Canticorum libro continentur de osculis, amplexibus, &c. de quibus Interpretes Serlog. Antel. 7.

fol.12. & Mendoza 1.Reg.cap.1.versic.19. & alij.

Quinta regula. Si verba Sacræ Scripturæ cum alijs eiusdem discóveniant, v.g. Cũ Christus dixit: *Se nescire iudicij diem.* Marc.13.& Paulus asserit. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei:* Illud non litteraliter accipiendum, vel absolutè. De quo tract.2.sicut & Ioan.5. *Pater omnia demonstrat filio.* Quod repugnare videtur cum dignitate supremi iudicis vivorum, & mortuorum. Denique si Ecclesia declaravit talem sensum verborum, vt cum Apoca. 5. dicitur: *Fecisti nos Regnum, & Sacerdotes*; non intelligitur de proprio Regno, & Sacerdotio, quod solis Ecclesiasticis convenit; alijs verò impropriè quia scilicet omnes conscientiam rectam quasi Hostiam Deo offeramus. Sicut etiam illud. *Ille vos baptizabit in spiritu, & igne.* De quo iam diximus, quomodò intelligendum; plura apud Scalant. lib.1. cap.24.

Pro coronide tandem istius capitis sciendum: quid faciendum cum duplex sensus contrarius apparet? Respondetur primo: Standum sensui Ecclesiæ, & illius definitioni; vt cum Ioan. 14. dicit Christus: *Pater maior me est*; non intelligendum absolutè, & in omnibus vt Arrius; sed secundum humanitatem tantum, cum aliàs dicat: *Ego & Pater vnum sumus.* De quo iam supra. Secundo, ille locus qui alteri Sacræ Scripturæ conformior est, & minus repugnans, vt in exéplo adducto, sequendus. Tertio, sensus antiquorum Patrum præferendus est novo, si illi contrarius; quia ita Trident. sess. 4. Denique si vterque sensus incompossibilis inveniatur, & qui à Spiritu Sancto intentus non reperiatur, potest conformior rectè rationi tunc eligi: sed hoc cum magna cautela præstandum, cum sæpè humanum fallatur iudicium.

(∴)

CAPVT TERTIVM.

De sensu spirituali, vel mystico.

DVBIVM PRIMVM.

Quid sit sensus mysticus? Et de eius vtilitate, & necessitate.

IAm capite præcedenti de sensu spirituali verba fecimus, dum de divisione sensus Sacræ Scripturæ in communi tractaremus. Ibi enim ostendimus per transenã; talem dari sensum; & qua id certitudine tenendum erat. Sed quia proprius hic videtur locus, alia ad maiorem intelligentiam superaddere visum est. Et vt eius existentiam probemus, D.Thomam imitabimur, qui à necessitate Incarnationis tertiæ partis auspicatus est initium, sic nos in præsenti præstabimus.

Supponendum est in Sacra Scriptura talem sensum reperiri: iam enim Apostoli illius varia sparsere semina, præcipuè Ioãnes, & Paulus. Ille etenim agnis Paschalis immolationem ad Christum transfert, ex quo nullum Christo in Cruce os frangendum ostendit, & in Apocal. de manà, & ligno vitæ pertractat. Paulus verò sæpè iam legem vocat spiritualem, exemplar cœlestium, & vmbram futurorũ: & quod de Agar, & Sina narrantur, dicta per allegoriam, & significare duo testamenta; & Christum esse petram spiritualem, de cuius laticibus per desertum potaverint Israelitæ, fuisse in mari rubro baptizatos; illis omnia in figura contigisse. Abraham, Isaac, & Iacob, expectasse pro terræ sanctæ promissione, Civitatem habentem fundamenta, cuius opifex est Deus; Christum per serpentem æneum præfiguratum; Pascha, & manà, ad Eucharistiam traductum; & Ionam in vterum ceti triduanam exceptionem, ipsius significasse resurrectionem.

Insuper sciendum ex Eusebio lib. 2. hist.cap.6.quod Philo lib.de vita contemplativa, refert extitisse in Ægypto quosdam Viros, quasi Heremitas vocatos Assæos,

ſæos, qui toti rerum divinarum contemplationi erant addicti, & in explicatione ſacrarum litterarum; ſic, vt potiſsimum allegoricis expoſitionibus incumberent, à quibus talis partitio effluxerit. Quando quidem dicebant, vniverſam legem eſſe quaſi quoddam corpus, habens ipſam litteram, & ea quæ per ipſam deſignantur; animã verò in littera, occultum ſpiritũ, & ſensũ (de quo optimè Godefrid. Tilmanus præfatione ad allegorias) Indè apud Dionyſium cap. 2. Eccleſ. Hierar. quædam loguntur de anagoge, & interpretatione ceremoniarum, quæ in diſpenſatione ſacramentorum erant in vſu. Origenes verò arbitratus eſt quævis in Sacra Scriptura per allegoriam, & anagogem appoſitè elucidari, indeque vagam licentiam id præſtandi in Eccleſiam, & Scholas introduxit.

§. I.

Neceſsitas ſenſus ſpiritualis.

His ſuppoſitis ſenſus ſpiritualis neceſsitas, ex pluribus licet colligere capitibus. Primo, quia nobis non aliter poteſt lucere lumen divinum, niſi varietate ſacrorum velaminum obvelatum. Secundo, quia vt dicitur, conveniens fuit, ſacra obſcure tradi, quod myſtici ſenſus maximè præſtant. Tertio, quia infinita Dei cõprehenſio in eo maximè ſplendet; quia nedum ipſa verba, ſed etiam res productæ, vel imperatæ, aliud ſignificant. Quarto, quia ſi hoc myſtico ſenſu verba Sacræ Scripturæ carerent, exiguũ, & propè nullum ſenſum haberent, tot tantaque in ſcriptura relata. De quo latè Auguſt. lib. 12. contra Fauſt. cap. 36. Quia cum omne teſtamentum novum figuretur in veteri; & Chriſtus in omnibus libris prædicetur, neceſſe eſt in myſticis ſenſibus inveſtigari, cum non ex aperta littera in omnibus ſignificetur. Quod Scalan. lib. 4. à capite 7. oſtendit, in omni fere ſcriptura præſtari. Inducendo, opus creationis, ſacrificia Caïn, & Abel, luctam Iacob, arcam, Moyſen, &c. & concludit. Hæc figuratè dicta, & facta eſſe de Chriſto, quæ invtiliter viderentur facta; niſi ad illum ſignificandum ordinarentur.

Neceſsitas inſuper ſuadetur, ad Iudæorũ duritiam revincendam adfixam ſemper litteræ; & eorum importunas depellendas obiectiones. Hoc enim Clypeo Paulus Hæreticos, & Iudæos judaizantes retundit: qui nedum legem veterem ad litteram accipiebant, ſed etiam eam cum Evangelio copulare intendebant. Sed ad hæc omnia demolienda nulla meliori machina vſus eſt Paulus, quam omiſſo ſenſu litterali locorum, quæ obijciebant, vel ad rem, quæ facere videbantur; ad ſpiritum divertere. Sic promiſsiones factas Abrahæ, & filijs explicat, non de filijs carnalibus, ſed ſpiritualibus, ad Rom. 9. vbi etiam v. 33. adductum ex Iſai 8. *Lapidem offenſionis, & petram ſcandali.* Allegoricè explicat de Chriſto; & ad Galat. 4. in triplici ſenſu ſpirituali explicat connubium Abraham, cum duabus vxoribus; & totam epiſtolam ad Hebræos ad Chriſtum reducit: de quo optimè D. Thom. 1. 2. q. 103. art. 3.

Si nõ accedat iſta explicatio multa ſunt in lege veteri, quę niſi abſurde, nõ poſſunt litteraliter intelligi. Sit teſtis Hieronymus, qui plura Iſaiæ loca, non alio ſenſu interpretatur, vt cap. 23. negotiationes, & mercedes ſanctificatas, ſpiritualiter de Eccleſia intelligit. Idem cap. 11. de Lupo, & Agno, Vitulo, & Leone, &c. Spiritualiter intelligit, quia ad litteram impoſsibilia, & Iudæi ſtultè implenda realiter expectãt, de quo Euſebius lib. 7. de præpar. cap. 9. Idem Hieronymus illud Iſai. 54. de ſterili, quod Iudæi de terrena Ieruſalem, de cœleſti interpretatur. Et in Apocal. quod mélleniatij carnaliter, ille ſpiritualiter intelligit. De quo Auguſtinus de Civitat. lib. 20. cap. 7. Et Maluenda tom. 2. de Antechriſto.

Præcipuus eſt etiam Origines lib. 4. Periar. cap. 2. Cuius initium, quod multi non ſpiritualiter intelligentes ſcripturas in varias Hæreſes declinaverunt. De Iudæis nõ credentibus dicit: Ea quæ de Chriſto prolata ſunt, ſecundum litteram debere intelligi exiſtimantes: ſcilicet quod debuit prius prædicare captivis remiſsionem: &

Q 2 quod

quod debuit prius ædificare Civitatẽ Dei: butyrum, & mel comedere, &c. & Lupum cum Agno debere pascere, & duci à parvulo. Et cum nil horum quæ prophetata sunt, gestum re ipsa viderent; signa adventus Christi observabant, Christum nolebant, imò vt contrarium legi, & Prophetis Cruci affixerunt.

Hinc Manichæorum error, qui ex eo quod, ignem, iram, furorem Domini in malos, in Sacra Scriptura legebant Isai. 45. & Ierem. 15. *Deum creare mala*. Et Amos 3. *Si est malum, quod Deus non fecerit, &c.* Confinxerunt duos Deos, vnum bonorum; & alterum malorum causam; & hoc ideò, quia non spiritualiter, sed solum litteraliter Sacram Scripturam accipiebant. Et quod nisi talis detur intelligentia, plura in Sacra Scriptura indecora, & invtilia videbuntur: vt concubitus Loth, poligamia Patrum, tot prælia, & alia quæ in lege continentur; de quibus postea.

§. II.

Vtilitates sensus spiritualis.

Visa iam necessitate sensus spiritualis: eius vtilitates latè prosequitur Scalan. cap. 2. aliquas breviter indicabimus. Prima sit: quia nostræ fidei mysteria manifestantur nobis iam præfigurata in illa lege. Secunda, quia convenietia vtriusque legis aperitur; cum nova sit veteris adimpletio. Tertia, quia sic colligitur eamdem esse antiquorum, & nostram fidem; illa implicita, explicita ista; & vtriusque collatio, & explicatio mystica. Quarta, quia sic velantur, & ocultantur nostra mysteria indignis, iuxta illud Matt. *Nolite sanctum dare canibus.* Et cap. 13. *Vobis datum est nosse mysteria, cæteris in parabolis.*

Quarta, quia reiecta spirituali intelligentia, multa in lege contenta infima, & vilia esse videntur: imò inferiora quam populis dederunt, Licurgos, Pythagoras, & Numa Pompilius: à qua vilitate ex mystica intelligentia vindicantur. Denique plures historiæ veteris testamenti parum inducerent vtilitatis, & inanes, & insulsæ narrationes viderentur, nempè rixæ filiorum Iacob, tot vxorum adulteria, sacrilegia, &c. nisi enim ex his aliqua moralia inferri possint documenta, non supremo Legislatori; digna possent iudicari: plura tamen Expositores inde in nostram doctrinam elicuerunt vtilia.

Quid sit autem sensus spiritualis ex supradictis, iam satis sciri potest: cum enim distinguatur à litterali; isteque sit quem voces immediatè sivè propria, sivè impropria significatione significant: spiritualis erit, quem res per voces significatæ exprimunt, vel significant ex intentione Spiritus Sancti immediatè, & proximè. Circa quod duo tantum breviter veniunt observanda. Primum, non dici sensum spiritualem, quia circa res versetur spirituales: quia etiam litteralis, res attendit spirituales (vt iam diximus) sed quia spiritualis immediatè per res medijs vocibus significatas exprimitur: litteralis verò immediatè per verba, sed modo iam explicato. Secundum, inquit Antonius, ad spiritualem non sufficit, vt medijs rebus significetur vtcumque, sed medijs rebus, ita vt ideò res sint effectæ, vt simul, & eadem actione qua efficiuntur habeant, quod aliarum rerum signa sint, & figuræ. Sed de hoc amplius cum sermo inciderit, an omnis sensus mysticus sit ab Spiritu Sancto intentus?

Hinc breviter licet inferre, talis sensus mystici notitiam etiam apud Iudæos, antè, & post Christum natũ invaluisse. De quo Scalante lib. 1. cap. 19. & omissis pluribus locis, & auctoritatibus, vnam, vel alteram expendamus. Prima est, ex Psal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Inquiro, quid intelligatur per Melchisedech; cum quo loquatur, & prævideat? non antiquum Melchisedech, non sacrificium præteritum, &c. ergo cũ nulli alteri, præter Christum, talia possint adaptari: in Melchisedech, & eius sacrificio, Christum, & eius mortem aspexit. Quid Psal. 86. *Memor ero Raab, & Babylonis*; nisi gentium Ecclesiæ? Et Psal. 71. *Descẽdit sicut pluvia in velus*; nisi Christi

In-

Incarnationem in Virginis vtero? Et Ezech. 34. suscitabo servum meum David, nisi Christum? de quo plura apud Driedo. lib. 2. de Sacra Scriptura, cap. 2. Scalan. cit. qui etiam adducit Aristeam, & alios, scilicet Eleazarum, Rabbi, Moysen, idem tenentes, & Essæos in hoc maximè versatos fuisse ostendit.

An autem in eodem loco scripturæ possint esse plures sensus mystici? si loquamur de multis specie diversis certũ est, vt patet in tribus, allegorico, analogico, & morali: de quo dub. sequenti. Si autem de diversis numero sit sermo, idem asserendum. Tum à paritate sensus litteralis, qui multiplex potest esse: quod nedum verificatur cum vna voce plures designantur res, sed etiam cum vna sola res significatur. Vt vox, manà, quæ cibum è cœlo descendentem indicabat litteraliter; mysticè designat Eucharistiam, 1. Corinth. 10. & etiam Dei verbũ Sapi. 16. vtriusque enim signum existit.

DVBIVM SECVNDVM.

De divisione sensus spiritualis, vel mystici.

SEnsus mystici existentia, & essentia vtcũque explicata, iam illius divisio lustranda venit. De qua licet supra aliqua præfati simus; alia hic breviter adnotanda occurrunt. Celebrem divisionem sensus Sacræ Scripturæ in litteralem, & spiritualem, quasi in corpus, & animam; & antiqui sub nominibus corticis, & nuclei, & libri scripti intus, & foris ex ascætarum intelligentia acceperunt Philo, Eusebius, Nazianz. epistola ad Nemes. Gregor. præf. in moral. Et aliquanto magis diffinitam proposuit D. Hieron. epist. 150. q. 12. In sensum historicum, vel litteram, in tropologiam, & intelligentiam spiritualem nempè anagogiam.

Post verò sub quadruplici apertiore divisione tradiderunt Cassian. collat. 14. c. 8. Eucher. in præfat. libri spiritualium formarum desumptam ab Augustino lib. 1. de Genes. ad litt. cap. 1. Vbi ita affatur. In Sacra Scriptura intueri opportet, quæ ibi æterna intimentur, quod facit anagogia: quæ facta narrentur, per historiam: quæ futura prænuntiantur, per allegoriam. quæ agenda præcipiantur, vel moneantur per tropologiam; de quibus plura exempla adducit Cassianus, & nos aliqua iam supra.

Sufficientia autem huius triplicis divisionis ex triplici etiam accipi potest capite. Primo, cum Abulens. Matth. 13. q. 28. Allegoria docens quid credendum de novo testamento, correspondet fidei: anagogia ostendens quid sperãdum scilicet beatitudinem correspondet spei: charitati verò præcipiens, quid operandum correspondet tropologia, vel moralis. Secundo, ex triplici statu populi fidelis: nempè ex veteri ad novum, allegoria: vtrumque ad beatitudinem, anagogia: vtrũque ad mores, tropologia.

Tertio, ex diversitate temporum, quia vel res est præsens, vel præterita. Si præterita, vel significat præsentem, vt solum exstituram, & facit allegoriam, & etiam cum res præsens significat eodem modo futuram. Si verò significat rem præsentem, vt à nobis faciendam facit moralem: si verò significet rem futuram toto temporis transacto decursu est anagogia: res verò futura, vel præsens non potest significare præteritum, cum signum debeat præcedere significatum.

Sed antequam ad divisionem accedamus, explicanda venit diversitas, qua Authores solent declarare sensus istos; quæ aliquam confussionem incipientibus solet ingerere. Igitur allegoria duplex, alia verborum, quæ solet dici inversio, quia aliud verbis, aliud sensu ostendit, & è contra: alia est allegoria rerum de qua in præsenti, quam Augustinus vocat allegoriam nominis, & facti: quas iterum subdividit in quatuor species scilicet, historiæ, sermonis, facti, & sacramenti: sed non est perfecta divisio: quia allegoria, historiæ, & sermonis, coincidit cum allegoria verborum; & allegoria facti, & Sacramenti, coincidit cum allegoria rerum.

Deinde notandum, quod isti tres sensus dupliciter possunt considerari; primo ge-

ne-

neraliter; secundo specialiter; & ex defectu huius distinctionis solet inter Authores diversitas exoriri. Primo ergo modo omnis sensus spiritualis solet dici allegoricus, ex D. Thoma ad Galat. 4. lect. 7. & ita loquuntur Basilius, Augustinus, & Gregor. cum tamen propriè res ad fidem pertinentes significet: & sic explicandi Patres cum vnum solum sensum spiritualem assignant: aliquando verò duos sensus spirituales vno nomine comprehendunt, scilicet anagogicum sub allegorico; & sub anagogico, etiam quæ ad gehenam pertinent, intelliguntur, sed à principaliori significato denominatio vsurpatur.

In particulari autem disconveniunt Authores, etenim D. Hieronymus Amos 4. Litteralem, & moralem pro eodem videtur vsurpare. Debemus inquit Sacram Scripturam, primo, secundum litteram intelligere, facientes in ethica, quæcumq; scripta sunt; & re vera magna ex parte sensus litteralis Sacræ Scripturæ moralis est: vt dixit Paulus 2. ad Thimot. 3. *Omnem scripturam vtilem esse ad docendum, corripiendum, & erudiendum in iustitiam*, quæ omnia moralia sunt. Et Vazq. 1. p. disp. 16. cap. 2. Dicit aliquando eundem esse sensum litteralem, & moralem, quia in Sacra Scriptura nedum res gestæ narrantur, sed etiam præcepta morum traduntur, quod morale videtur.

Villavincentius etiam lib. 2. cap. 20. de formando studio Theologico dicit: Allegoriam distingui à typo, quia iste est cum factum aliquod affertur ex veteri testamento, vt præfiguret aliquid in novo, sicut Ionas, serpens æneus, &c. Christum, Allegoria verò erit quando aliquid ad spiritualem doctrinā accomodatur, vt si quis pugnam David cum Goliath comparet cū tentatione Christi à diabolo, est typus; si ad pugnam spiritus cum carne, allegoria est. Et ille etiam Author confundit anagogem cum allegoria, cum vtraque tractet de eadem re scilicet Ecclesia, vel Militante, vel Triumphante; sed de his in solutione argumentorum.

§. I.

Explicantur tres sensus spirituales.

EXplicandi ergo iam veniunt singuli sensus seorsim. Sit primus allegoria rerum: talis enim sic inscribitur à D. Thoma ab, *anos*, quod est alienum &, *goge*, quod est ductio; quasi in alienum intellectum ducens: & sicut est allegoria nominum cum ex verbis aliquibus aliud intelligitur vt cum dicimus: *Qui dormiunt, & inebriantur nocte ebrij sunt: nos autem, qui diei sumus, sobrij simus*; sic cum ex re aliqua alia significatur, allegoria est rerum. Sic Apostolus (vt dicit Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 9.) non in verbis eam reperit, sed in facto; cum è duobus filijs Abrahæ, vnum de ancilla, alterū de libera, quod non solum dictum, sed etiam factum fuit, duo testamenta intelligenda monstravit, & talis sensus est propriè allegoricus.

Pro quo & sequentibus talis formatur ratio. Duplex est significatio, vocum nempè, & rerum. Prima pertinens ad sensum litteralem: Secunda ad mysticum: ergo quot modis contingat fieri variationem in assumptione rerum, tot modis continget fieri variationem in sensibus spiritualibus; sed res possunt summi, vel ad significandum futura, vel præsentia, vel quæ ad gloriam pertinent: ergo erit triplex sensus spiritualis; allegoricus, qui ex veteri testamento novum præfigurabat; moralis, qui morum informationem; & anagogicus, quia ad gloriam pertinent. Hinc talis definitio sensus allegorici valet efformari. Significatio proveniens ex rebus, immediatè, in ordine ad Ecclesiam Militantem.

Dices primo: Si sensus allegoricus est, quando significatur aliquid in veteri testamento, quod in novo gerendum est, vt quando de Christo, & Ecclesia est significatio; sequitur quod omnes prophani libri pleni sint allegoriarum. Confirm. quia sensus allegoricus qui propriè allegoricus est secundum verborum proprietatē plerūque fictitius est; v.g. *Super aspidem, & ba-*

basiliscum ambulabis. Psal. 90. hoc allegorice intellectum verum est; ergo non fictitius, ergo non allegoricus.

Resp. quod libri Gentilium habent suas allegorias, sed grammaticas, & rethoricas fabulosas: vt quod Minerva ex Iovis processerit cerebro, &c. Has non habet Christianus, sed allegorias sacras, theologicas, & propheticas. Ad confirmationē respondetur: quod tunc sensus metaphoricus est fictitius, cum verba translata, vel res ipsæ, vt propria accipimus. Cum autem verum assumimus, & transferimus ad aliquid significandum, tunc efficitur verus sensus, & litteralis; vndè metaphora, & tropus allegoria est, sed rethorica, & grāmatica, non theologica, quæ circa res versatur, quæ ad aliquid mysticè significandū accipiuntur.

Secundo obijcies; quia allegoria non videtur distingui ab analogia, cum vtraque versetur circa easdem res, scilicet de Ecclesia Militante, & Triumphante, licet ex parte materiæ sit aliqua differentia. Confirmatur, quia allegoria comprehendit tropologiam; alia enim est allegoria moralis docens, quid in rebus gestis debeamus agere, vt per circumcisionem carnalem, cordis circumcisionem, & alia intellectualis, quæ significat quid de Christo debemus credere.

Resp. quod sicut fides, & charitas constituunt diversos status, nempè Ecclesiæ Militantis, & Triumphantis: consentaneum videtur, vt intuitu illarum duarum, etiam duo distincti constituantur sensus. Ad confirmationem respondetur: quod divisio illa allegoriæ in moralem, & intellectualem; voluntaria est, & sine fundamento, cum in alijs sensibus talis etiam distinctio fieri possit. Et sicut dicitur quod allegoria comprehendit tropologiā, ita è converso quod tropologia continet allegoriam. Regulæ pro allegoria infra adducentur.

Sequitur sensus tropologicus, vel moralis; qui quidem ex ipsa scriptura dari constat; cum dicat Apostolus Roman. 15. *Quæcumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt.* Et ratione probatur, quia habet distinctam rationem ab alijs, nempè instruere mores, & actiones dirigere. Vnde Apostolus ibidem: *Vt per patientiam, & cōsolationem scripturarū pacem habeamus.* Hinc facilis eius definitio, scilicet: significatio sumpta immediatè à rebus in ordine ad mores instruendos, & actiones dirigendas.

Nec obstat si dicas: primo, quod sensus moralis fluit necessario ex verbis, atque adeò ex textu ipso colligitur. Secundo, quia tropologia est genus ad omnes sensus; significat enim inversionem, atque mutationem verborum, quod potius litteralem redolet sensum. Tertio, quia etiam per alios sensus, mores instruuntur. Quarto, quia etiam libri Gentilium aspersi sunt pluribus tropologijs.

Respondetur ad primum, quod sensus moralis, non immediatè ex verbis, sed ex rebus, supposito sensu litterali, colligitur, quod est commune omni sensui spirituali. Ad secundum, quod tropologia non in illo sensu communi efficit sensum tropologicum, vel moralem, sed quando historia ad nostros mores adaptandos ordinatur. Ad tertium, quod non efficitur sensus moralis, nisi cum ex aliqua similitudine elicitur instructio ad nostros mores efformandos. Ad vltimum, quod tropologiæ Poetarum, & Philosophorum sunt Rethoricæ, & Grāmaticæ, à verbis desumptæ: nostræ à rebus: vnde præcepta quæ in scriptura verbis designantur, ad litteralem potius pertinent sensum.

Denique sensus anagogicus etiam ex ipsa scriptura colligitur, ex Psal. 99. *Quibus iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam,* litteraliter intelligitur de terra promissionis in Palestina. Et Paulus Hebræ. 4. de cœlesti patria est interpretatus. Et D. Dionisius de Eccles. Hierar. lex nova est figura æternæ gloriæ; & ideò secundum ea quæ sunt in lege nova, & de Christo principaliter in illa significantur, quæ sunt in gloria, erit anagogicus sensus, & quia sicut allegoricus in fide, tropologicus in charitate, ita anagogicus ex spe rerum cœlestium colligitur distinctus. Et illius definitio: significatio immediata rerum in ordine ad gloriam.

Sed

Sed dices, quia D. Thomas 1. par. q. 1. art. 10. dicit. Sub litterali sensu, posse contineri plures sensus: quod non videtur posse intelligi, nisi de morali, allegorico, & anagogico: ergò erunt litterales sub illo contenti. Et quia Augustinus recensens omnes modos explicandi Sacram Scripturam præterit anagogen, vt patet ex lib. de vtilitate cred. cap. 3. & Hierony. Amos 4. idem sentit. Et quia Apostolus ad Galat. 4. cum dixisset, quæ sunt per allegoriã dicta: statim hunc sensum explicans addit: *Illa autem quæ sursum est Hierusalem, &c.*

Ad D. Thomam respondetur, dixisse, esse plures sensus litterales: sed nunquam illos tres dixit litterales, cum non à verbis, sed à rebus colligantur. Ad Augustinum ex D. Thoma respondetur, sub sensu allegorico duos spirituales sensus amplecti, nempè anagogicum, & tropologicũ. Et D. Hieronymus præfatione ad Abdiã, de sensu anagogico loquitur. Ad D. Pauli auctoritatem ex Hieronymo respondetur, quod illud quod ibi Apostolus, vocat allegoriam; alibi nominat intelligentiam spiritualem. Spiritualis autem intelligentia genus est ad mysticos sensus. Et sic Apostolus cũ anagogiã vocat allegoriam, accipit genus pro specie, vt moris est ex Sacra Scriptura.

DVBIVM TERTIVM.

Vtrum omnis sensus mysticus sit intentus à Spiritu Sancto, vel Scriptore Canonico?

IN culpam vertitur Abulensi, quasi ipse negaverit sensum mysticum: & sic non esse à Spiritu Sancto, sed ex Concionatorum placito, & arbitrio. Sed re benè inspecta, non ita absolutè locutum fuisse constat: sed eius mens fuit sensum spirituale, non esse sensum litteræ, sed rerum significatorum per litteram: ac per consequens, neque intentum esse ab Authore litteræ reduplicativè, sed vt Author est rerum significatarum per alias. Sed quicquid sit de eius mente, si absolutè sensum spirituali neget, pœnitus explodendus venit ex dictis. Sed cum supra iam firmatum sit, sensum Sacræ Scripturæ, eum esse quem Spiritus Sanctus intendit, hic examinandum venit, an omnis sensus spiritualis ab Spiritu Sancto intentus sit? Si hoc probetur, certum erit quod omnis talis sensus, erit sensus Sacræ Scripturæ: sin minus, placitum Abulensis videtur confirmari, imò & Hæreticorum, licet sub diversa ratione, & motivo.

Igitur pro resolutione supponendum. Triplicem posse excogitari sensum mysticum. Primus qui ex Sacra Scriptura constat, vt in novo testamento de Iona, serpente, Melchisedech, manna, & arca, significantibus, mortem, resurrectionem Christi, Sacerdotium, Eucharistiam, & Baptismum: qui sensus ex Scriptura habetur. Secundus est, qui excogitatur à Patribus, & Expositoribus, vt in plurimum, qui si duas conditiones servet à D. Thoma assignatas. q. 4. de potentia. art. 1. scilicet, vt sit non repugnans litteræ, sed possit illi aptari salva litteræ circunstantia; & quod non repugnet alteri Sacræ Scripturæ loco: & quod in se veritatem contineat, & sensui fulciatur litterali. De quo idem D. Thomas quodl. 7. art. 13. ad. 1. & sic approbatur ad omnibus. Tertius sensus est, qui ex suo placito quisquis confingit, & excogitat, nulla proportione, vel analogia servata inter res significatas, & significantes. Contra quos invehitur Augustinus ser. 50. de verbis Domini; familiareque est omnibus concionatoribus huius temporis.

Prima conclusio. Sensus mystic⁹ primi ordinis repertus, vel confirmatus in Sacra Scriptura est intentus à Spiritu Sancto. Conclusio probatur, ex adductis in notabili, & ratione qua supra firmatum manet ex D. Thoma, præter sensum litteralem habere Sacram Scripturam sensus mysticos: ex eo præcipuè quod Deus Auctor Sacræ Scripturæ facere potest, quod non solum voces significent, sed etiam res, propter suæ intelligentiæ immensitatem, & quod res ab eo creatæ sint effectæ ea intentione, vt aliarum rerum sint figura, & sensus mysticos expressos efficiant: vndè infertur, eadem certitudine qua tenendũ est

est Deum hoc posse præstare, asserendum etiam venit tales sensus mysticos ab ipso fuisse intentos.

Probatur etiam conclusio explicatione vnius, vel alterius loci, quorum sensus cõmuniter recipitur ab Expositoribus. Isai. 14. vbi loquens de Rege Tyri, sensus spiritualis ab omnibus recipitur de casu diaboli. *Quomodo cecidisti de Cœlo Lucifer, &c. Sedebo in monte testamenti, similis ero Altissimo, verumtamen ad infernum detraheris:* quæ omnia ita Lucifero quadrant, vt aliqui ad litteram de illo intelligant. Etiam insignis locus apud Ezech. cap. 28. existit, vbi sub Typo Regis Tyri, ita alloquitur Propheta. Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, in delitijs Paradisi Dei fuisti; perdidisti decorem tuum, in terram proijeci te. Quæ verba iam dictis maximè conveniunt; & etiam cum illis quæ de eodem casu, & pugna Michaelis cum Dracone habentur, Daniel. 10. Iud. 9. & Apocal. 12. quæ omnia in sensu spirituali cõmuniter accipiuntur à Patribus: igitur temerarium est sensus mysticos istorum locorum negare esse intentos à Spiritu Sancto.

Dico secundo: valde etiam probabile est sensus mysticos secundi ordinis cum conditionibus à D. Thoma appositis, esse intentos à Spiritu Sancto. Ita Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 27. Probatur conclusio ex D. Thoma q. cit. de potent. sic loquente. Moysi, & alijs Sacræ Scripturæ Authoribus divinitus hoc esse concessum, vt diversa vera, quæ homines possint intelligere ipsi cognoscerent; & ea sub vna Sacræ Scripturæ littera designarent, & quilibet sit sensus Authoris. Vnde si etiam aliqua verba ab Expositoribus Sacræ Scripturæ litteræ aptẽtur, quæ Author non intelligit, non esse dubium quin Spiritus Sanctus intellexerit, qui est principalis Author Sacræ Scripturæ. Vnde omnis veritas, quæ salva litteræ circunstantia potest divinæ Scripturæ aptari, est eius sensus. Ex his ergo verbis D. Thomæ colligitur, quod omnis sensus qui veritatem continet, & potest Sacræ Scripturæ aptari, salva litteræ circunstantia, & in ipsa habet litterale fulcimentum, est sensus ipsius, & tales propriè sunt sensus spirituales.

Secundo probatur, quia aliqui sensus mystici, qui nõ habentur expressè in Sacra Scriptura, videtur clare quod sint intenti à Spiritu Sancto; vt constat ex locis adductis Isaiæ, & Ezechielis, de casu diaboli, qui non habẽtur explicite in illa: Et tamen non potest assignari ratio cur voluerit intendere illos, & non alios, quos quilibet innixus duabus illis conditionibus, veritati nempè, & consensioni Sacræ Scripturæ, potest invenire; ergo sunt intenti à Spiritu Sancto.

Denique, omnis sensus propriè mysticus, est sensus Sacræ Scripturæ; si autem non esset prævisus, & intentus à Spiritu Sancto, non esset sensus Sacræ Scripturæ; quia sensus quem Author non intendit ipsius non est; ergo si est sensus Sacræ Scripturæ, & cũ illa benè correspondens, intentus erit à Spiritu Sancto. Quæ omnia Augustinus lib. 12. Conf. cap. 31. Sic optimè expendit: sensit ille scilicet. Sacer Scriptor in his verbis, atque cogitavit cum ea scriberet, quicquid hic veri potuimus invenire, & quicquid nos non potuimus, aut non possumus, & tamen in eis inveniri potest. Quæ omnimodè cum verbis D. Thomæ consonant. Ex quibus constat intentos esse ab Spiritu Sancto, non solum eos sensus quos exprimit Sacra Scriptura, sed etiam illi qui ex Sanctis Patribus litteræ adaptari possunt.

Dico tertio, sensus mystici tertij generis non sunt intenti ab Spiritu Sancto. Est communis, de quo Vazq. 1. p. disp. 13. Iustinianus ad Hebr. 1. & alij. Et probatur: quia deficiunt illis conditiones requisitæ à D. Thoma, & ab omnibus acceptæ. Si enim non fundantur in sensu litterali, nec servatur proportio inter voces significantes, & res significatas; neque potest confirmari alia intelligentia litterali Sacræ Scripturæ, dubium non est quod non intendantur à Spiritu Sancto.

Sed notandum non controverti, an si Spiritus Sanctus illos prævideri, & cognoverit; cum ex fide, cognoscat cogita-

riones hominum, quæ vanæ sunt; sed dicimus, illos non directè intendisse, vt tales essent sensus Sacræ Scripturæ: quos SS. Patres frequẽter admonent cavendos esse: & de quibus Hæretici dicunt, hominum otiosorum esse adinventiones: quod attendendum maximè venit; cum plures è suggestu ad libitum, & sine fundamento videamus in medium propalari.

Est tamen differentia animadversione digna inter istos sensus. Primo, quod illi sensus primi generis, qui scilicet ex Sacra Scriptura constant; videntur esse de fide, v. g. quod serpens æneus præfiguraverit Crucem, &c. Et sic videri potest à Spiritu Sancto intentos esse: cæteri verò de fide non sunt, cum non constet hoc Ecclesiæ revelatione: licet sensus secundi ordinis non tanta gaudeant certitudine, maneant tamen in sua probabilitate. Secundo, quia in sensibus primi generis scriptura dicitur impleri in sensu prophetico; in alijs verò non sic dicitur cõpleri. Tertio, quia ex illis potest efficax desumi argumẽtum; non sic de alijs de quo dubio sequenti. Denique sensus secundi generis communiter acceptantur à Patribus, vt patet in locis adductis Isai. & Ezech. Non verò sensus tertij generis, quia illi non sunt propriè mystici; quos alij nimio vituperio damnant, alij defendunt, sed extrema vitanda.

§. I.

Vtrum Scriptor Sacer omnes sensus mysticos perceperit?

HVc exquirendum veniebat. Vtrum Sacer Scriptor omnes sensus mysticos perceperit? Sed quia de hoc iam supra verba fecimus, inque repetendo ne fastidium generemus, videndum supra remittimus Lectorem ad cap. 1. dub. 5. Breviter dicimus quod Vazquez 1. p. disp. 17. cap. 3. Ait non esse inconveniens Spiritum Sanctum aliquẽ intendisse sensum mysticum, quem Sacer Scriptor non fuerit assequutus. Et rationem reddit; quia sufficiebat illi intelligere significationes vocum per quas exprimeret res quas animo conceperat. Cognoscere verò quod tales res Deus creavit, vel voluerit fieri ab hominibus, vt aliàs res significarẽt, non pertinebat ad ipsum cognoscere, vel inquirere; sicut sufficet historiographo hominum gesta narrare, qua verò facta sint intentione, nullus ab eo requirit, vt dicat.

Concedit ergo dictus Author Augustino, Scriptorem sacrum, omnes sensus litterales cognovisse suæ scripturæ: omnes tamen mysticos percepisse denegat: quia difficile iudicat tot tamquę varia Deum homini revelasse. Sed certè trepidavit timore, vbi non erat timor. Si enim Angelis concessit species, tot tantaque repræsentãtes, vt dicitur 1. p. q. 55. quid maioris difficultatis invenitur, vt hominibus electis ad sua manifestanda mysteria omnes dictos sensus patefecerit: vt hoc in eorum cedat laudem, & Dei in homines munificentia aperiatur. Historicus verò humanus nil de intentione occulta aliorum, nisi ab effectibus, & coniecturaliter scribere potest.

Dicimus ergo sacrum Scriptorem percepisse omnes sensus litterales, tam præcipuos, quam secundarios: quia ita videtur sentire Augustinus; licet oppositum non careat probabilitate, vt ibi expendimus ex comparatione ad cognitionem propheticam. In ordine verò ad sensus mysticos, probabiliter idem potest videri: si intelligatur de sensibus primi, & secundi generis, quia hoc videtur expressum in Augustino lib. 12. cap. 31. de Scriptore sic loquente. Famulum tuum scripturæ huius dispensatorem spiritu tuo plenum ita honoremus; vt hoc cum te revelante, cũ hæc scriberet, attendisse credam; quod in eis maximè, & luce veritatis, & fruge vtilitatis excellit; ita vt cum à tuis dixerit hoc sentit quod ego, & alius, imò illud quod ego. Religiosius me arbitror dicere, cur non vtrumque potius, si vtrumque verum est. Et si quid tertium, & si quid quartum, si & quid omnino illud verum quispiam in his verbis valeat, cur non illa omnia vidisse credatur, per quem Deus suas litteras vera, & diversa visuris multorum sensibus temperavit? ergo ex D. Augustino,

&

& Thoma dicendum, hoc sacris Scriptoribus concessum esse divinitus, vt diversa vera, quæ homines possunt intelligere, ipsi cognoscerent, & ea sub vna litteræ serie designarent.

Sed quia assignando differentiam inter sensus mysticos, qui ex Sacra Scriptura constant, & alios, qui solum implicite, & ab Interpretibus eliciuntur; diximus Sacram Scripturam impleri; breviter dicimus, ita sentiendum. De quo Anton. præl. 3. dub. 2. §. 9. quod colligitur ex illo Lucæ vltimo, quod Christus dixit: Opportet impleri, quæ scripta sunt in lege, Moysis, & Prophetis de me. Certum est autem non omnia in sensu litterali intelligi, benè tamen in spirituali: & quæ vt Christum significarent, sunt effecta, scripta, & dictata, vt patet in agno, cuius ossa ne frangerentur, Deo fuit cura, in illo præsignare, quod in Christo postea adimpletum fuit: & in alijs pluribus exemplificari poterat.

Non tamen acquiescendum venit Abulensi? Deut. 18. q. 6. qui Moysen de Christo litteraliter vno tantum loco contendit significasse, scilicet, illis verbis: Prophetam de gente tua, Deuteron. 18. &c. hoc tamen cómuniter reijcitur: quia vt Christus dixit Iudæis, si crederetis Moysi, crederetis forsitan mihi: de me enim scripsit ille. Si autem hoc solum in sensu mystico intelligeretur, cum illi talem sensum non admitterent, nó vrgeret illos valde. Plura ergo litteraliter de Christo Moyses scripsit. De quo præcipuè videatur Scalante lib. 4. à cap. 1. qui ponderat benè, quod Nathanaeli dixit Philippus Ioann. 1. quem scripsit Moyses, & Prophetæ invenimus Christum à Nazareth. Et plura alia possunt adduci, vt Genes. 49. *Non auferetur sceptrum, &c. & ipse erit expectatio gentium. Et salutare tuum expectabo Domine.* Quis suscitabit eum? *Mitte quẽ missurus est.* Exod. 4. *In semine tuo benedicentur omnes gentes, &c.* Hæc autem sensum litteralem sonare videntur. De quo D. Cyrillus, & Isiodorus in Genesim.

Quomodo autem in sensu mystico adimpleantur scripturæ? Respondet Antonius Num. 17. cum obiecisset sibi, quod scripturæ vnum tantum debet dari complementum: ergo si in sensu mystico complentur, non in litterali. Inquit ergo quod ex vtroque consurgit vnum adæquatum complementum. Vel quod cum in aliquibus locis sensus mysticus sit principalius intentus (vt dicemus) donec iste sit completus non videtur Sacra Scriptura perfectè adimpleta; & ideò dicunt Evangelistæ, vt adimpleretur: tunc impletum est. Et licet aliqua quæ futurarum rerum sunt imagines, suo tempore executioni mandentur; pro tempore tamen quo dicuntur imagines adimplentur: vel quia præstant augmentum, vel quia quod in illis præcipuè, & directè intenditur completur. De quo iterum infra.

Maius tamen negotium posset facessere; quomodò verificetur Sacram Scripturam in sensu mystico adimpleri? De quo infra cap. 5. dub. 2. nunc breviter respondetur ex regulis communibus Sacræ Scripturæ; scilic. quod si res est de fide, talis certitudo est ex Ecclesiæ traditione: vel si aliquid in vno loco obscure, in alio expresè habeatur. In alijs verò rebus, & sensibus, licentia excogitandi varios sensus mysticos attemperanda est iuxta illud Prover. 25. *Fili invenisti mel, comede quantum sufficit.* De quo infra agentes de regulis pro mysticis sensibus expendemus, & declarabimus.

DVBIVM QVARTVM.

Vtrum ex sensu mystico efficax possit desumi argumentum ad res fidei confirmandas?

SCripsit Apostolus 2. ad Timoth. 4. *Omnis scriptura divinitus inspirata vtilis est ad docendum, arguendum, &c.* & ad Titum 1. loquens de Episcopo inquit: *Vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* Hinc D. Thomas 1. p. q. 1. art. 8. Ansam sumpsit inquirendi, vtrum sacra doctrina sit argumentativa? Cuius resolutionem pro dubij fundamento in medium adducere placet.

Affirmativè ergo respondet triplici

conclusione. Prima est: Sacra doctrina non argumentatur ad sua principia probanda, quæ sunt articuli fidei: sed ex eis procedit ad aliquid ostendendum. Prima pars conclusionis probatur, quia nulla scientia procedit ad sua principia prima probanda, sed ex eis procedit ad alia probanda: secunda pars probatur, quia Apostolus 1. Corint. 9. Ex Christi resurrectione, nostram resurrectionem ostendit.

Secunda conclusio, sacra doctrina disputat arguendo contra negantes principia, si contrarius aliquid concedat, eorum quæ per divinam revelationem habentur. Probat hoc à simili ex methaphisica, quæ disputat contra negantes principia, si adversarius aliquid concedat, quia est suprema inter omnes scientias; ergo à fortiori sacra doctrina, quæ omnes longo superat intervallo. Et quia contra Hæreticos disputamus ex sacra doctrina, & per vnum articulum contra negantes alium.

Tertia conclusio, sacra doctrina contra negātes, & nil cōcedentes procedit solvēdo eorum rationes, quia sic procedit metaphisica. Et quia rationes cōtra fidē nō sunt demonstrationes, sed solubilia argumenta; quia fides innititur infalibili veritati: de verò autem, impossibile est contrarium demonstrari.

§. I.

De locis arguendi.

OBijcit tamen sibi D. Thomas hoc argumentum. Si sacra doctrina argumētatur, vel ab auctoritate, vel à ratione: non primum, quia locus ab auctoritate est infirmissimus. Non secundum, quia ex Gregorio homil. 20. Fides non habet meritum, vbi humana ratio habet experimentum.

Cui argumento respondet, quod licet argumentum ab auctoritate, si ab humana sumatur ratione sit infirmum, non verò si fundetur super revelatione divina: & sic procedit sacra doctrina. Et ex responsione argumenti colligunt Doctores locos arguendi numero decimo comprehensos. Primus, auctoritas Sacræ Scripturæ. Secundus, ex traditionibus divinis. Tertius, ab auctoritate Ecclesiæ. Quartus, ab auctoritate Concilij Generalis. Quintus, ab auctoritate Pontificis, & Ecclesiæ Romanæ. Sextus, ab auctoritate Patrum Ecclesiæ. Septimus, auctoritas Theologorum, & Iuris Pontificij Peritorū. Octavus, naturalis ratio. Nonus, auctoritas Philosophorum. Decimus, auctoritas historiæ humanæ.

Sed diversimodè procedit ad argumentandum ex illis locis. Ex quinque enim prioribus firmum elicitur argumentum. Sextus locus, qui est auctoritas Patrum, qui si omnes conveniant taliter rem confirmant, vt oppositum sit error, vel illi proximum, secus si diversi reperiantur. Octavus, nonus, & decimus probabilitatem tantum generant, nisi aliunde Concilio, vel Ecclesiæ præsidio fulciantur. De his latè Bellarm. lib. 1. de verbo Dei, Expositores D. Thomæ 1. p. cit. Vbi Bañes, Vazquez, Araujo, Gonzalez. Sed omnium optimè, & copiosè Cano integro tomo de locis, & Ractius.

His ita præhibatis, supponendum quod argumentum licet ex Quintiliano lib. 5. cap. 10. sit ratio probationem faciens, vel præstans, qua colligitur aliud per aliud. Sed melius ex D. Thoma 3. par. q. 55. art. 5. est ratio rei dubiæ faciens fidem. Et sicut ratio aliquando procedit ex principijs naturalibus notis, & sic facit argumentum demonstrativū; aliquādo verò procedit ex probabilibus, & apparentibus, & sic resultat argumētū topicū, vel probabile, sive sit distinctum à Rethorico, & Poetico, vel non: ita sacra doctrina ex quinque locis prioribus procedit vt ex proprijs, sicut ratio ex principijs naturalibus: ex alijs verò, vt probabilibus modo explicato. In præsenti ergo solum inquirimus de argumento certo, & efficaci, ex primò loco scilicet Sacræ Scripturæ: & cum ista ex dictis duplici gaudeat sensu, spirituali nempè, & litterali, de vtroque investigandū, an ex illis adeò efficax desumatur argumentum, vt per bonam consequentiam probetur aliquid esse de fide, vel conclusio Theologica?

§. II.

§. II.

De sensu litterali.

DIco primo, loquendo de sensu litterali determinato, & proprio, nulli dubium ex illo confici argumentum efficax ad res fidei probandas. Quia cum Sacra Scriptura contineat infalibilem veritatem, & ista, in sensu explicetur litterali: intentio Sacræ Scripturæ ex illo desumenda, & manifestanda venit. Et sic cum talis sensus sit certus, & determinatus, ex illo præcisse sumpto efficax desumitur argumentum. Dixi, determinatus, alias si determinatus non sit, non ita convincit; vt patet in illis verbis Apostoli Hebræo. 9. *Statutum est omnibus hominibus semel mori.* Quia alij intelligebant de morte ipsa: alij verò de debito. Et iuxta istam opinioné, nõ potest efficax summi argumentum ad aliquid illorum determinatè convincendum. Dixi etiam, proprio, quia ex metaphorico propter multitudinem significationis, nisi ex alio loco constet, aut sit metaphora communiter recepta, non fit evidens argumentum.

§. III.

De sensu mystico.

HOc ita statuto, circa sensum mysticum triplex reperitur sententia. Prima absolutè negat ex illo convincẽs posse desumi argumentum. Ita innuere videntur Augustinus, & Thomas citandi. Seraphinus 1. p. q. 1. art. 10. vbi Molina. Salmeron Prolog. 19. & alij. Secunda absolutè affirmat cum Bañes, Vazquez, Zumel, & Salmanticens. art. 10. Tena prælud. 4. in Epist. ad Hebræos. Iustinianus, & à Lapide ad Hebræos 1. & alij apud Anton. prælud. 3. dub. 15. num. 121. Tertia sententia distinguit dicens: quod sensus mysticus ex se sufficienter præstat efficax argumentum, sed non quo ad nos. Ita Gravina tom. 2. lib. 4. art. 8. & alij.

Dico primo; sensus mysticus, qui propriè est talis, sufficientis est auctoritatis in se, vt ex illo efficax argumentum depromi possit. Conclusio est communior cum Auctoribus secundæ, & tertiæ sententiæ. Probatur, ideò sensus litteralis hoc præstat, quia est intentus ab Spiritu Sancto, qui nec falli, nec fallere potest: sed sensus mysticus propriè talis, est intentus ab Spiritu S. (vt dubio præced. vidimus) ad differentiam sensus mystici tertij generis, qui libere ab authoribus excogitatur: & quia si ex Apost. ad Timoth. cit. *Omnis scriptura divinitus inspirata vtilis est ad arguendum;* cum talis sensus mysticus, sit ab Spiritu Santo, vtilis erit ad arguendum.

His tamen rationibus videtur posse occurri dicendo: Ideò ex sensu mystico non posse desumi efficax argumentũ, quia cum fundentur in similitudine, & vna res possit pluribus similis esse; nescimus an Spiritus Sanctus hanc vel illam rem intenderit significandam. Vidit Antonius num. 120. Hanc obiectionem; & respondet primo instando in sensu metaphorico, ex quo etiam si litteralis sit, propter incertitudinem non trahitur efficax argumentum; secus si vt diximus, aliàs de illius significationis determinatione constet. Secundo respondet; ad summum convinci, non colligi efficax argumentum, non ex defectu sui, sed nostræ imperfectæ cognitionis & determinationis. Vndè quia Apostoli, & Christus certo sciebant qualiter tales sensus erant intenti ab Spiritu Sancto, efficaciter ex illis argumentabantur, & convincebant.

Sed contra hanc doctrinam cõmunem, obijcit Castro lib. 1. contra Hæres. cap. 1. rationem D. Thomæ quodl. 7. q. 6. art. 3. Sensus mysticus dependet immediatè non à vocibus, sed à rebus per voces significatas; sed res non significant aliàs res determinate sed dubiè; ergo non possunt facere sensum determinatum, & certum: probatur minor; quia cum vna res significet aliam ratione similitudinis, potest vna res esse similis pluribus; ergo ex illa non poterit effici argumentum determinatum; v.g. Leo significat Christum: *Vicit Leo de Tribu Iuda.* Apocal. 5. & etiam significat diabolum: *tanquam Leo rugiens.* 1. Petr. 5.

prop-

Propter aliquas similitudines cũ vtroque: ergo ex hac voce, Leo, in sensu mystico respectu neutrius potest efficaciter argumentari.

Contra insurgo: quod sensus mysticus careat authoritate ad convincendum, non ex se habet, cum etiam sit intentus ab Spiritu Sancto; sed hoc contingit ex nostra ignorantia. Si enim notum esset nobis, ex illo possemus argumentari. Et instatur in sensu litterali multiplici sub vna littera, in quo non obstat talis indifferentia ad efficaciam argumenti: quia constat omnes illos sensus esse intentos à Spiritu Sancto: ergo etiã in præsenti, supposito quod sint nobis cogniti, & intenti ab Spiritu Sãcto. Sit exemplum ex Psal. 33. *Oculi Domini super iustos, & aures, &c.* Ex quo efficax desumitur argumentum ad probandam specialem Dei providentiam in iustos, licet oculi, & aures metaphorice dicantur de Deo. Et idem Deuter. 25. adductum à Paulo 1. Corinth. 9. *Non alligabis os bovi trituranti.* Et D. Thomas 2. 2. q. 188. ar. 4. ex illis verbis probat posse Religiosos vivere de eleemosynis fidelium.

Dico secundo: si nobis constet talem sensum mysticum esse intentum à Spiritu Sancto, & maximè si in alio Sacræ Scripturæ contineatur; inde efficax colligi valet argumentum. Conclusio vt iacet, à nemine videtur posse negari; quia si nobis constiterit ex pluribus significationibus rerũ quam intenderit Spiritus Sanctus; ergo ex illa efficax potest desumi argumẽtum; cum in hoc æquari videatur litterali sensui. Cum hoc tamen discrimine, quod sensus litteralis, in vi verborum sæpè sit determinatus, ita vt nulla dubitandi relinquatur ratio; quod non ita frequenter in mystico reperitur. Et quia Christus, & Apostoli sæpè tali sensu vsi sunt. Et cum hoc in Magistros, & Ecclesiæ Doctores devolutum sit. Credendum illis astitisse in Sacrarum Scripturarum traditione.

Dico tertio: In ordine tamen ad nos (licet aliàs ex se sit efficax) non semper talem vim obtinet, vt ex illo efficax inferatur argumentum. Conclusio est pro Authoribus tertiæ sententiæ. Pro qua notanda venit doctrina D. Thomæ 1. p. q. 2. art. 1. Vbi inquirit vtrum Deum esse sit per se notum? Vt respondeat, advertit quod aliquid esse notum potest dupliciter contingere. Primo, quoad se, & non quoad nos; secundo, quoad se, & nos. Ex hoc, inquit, aliqua propositio dicitur per se nota, quia prædicatũ includitur in ratione subiecti, vt homo, est animal, quia animal est de ratione hominis: vndè si alicui sit notum de prædicato, & subiecto quid sit, propositio secundum se erit nota: non tamen ignorantibus illud. Similiter dicitur, quod demonstratio ex se est generativa scientiæ, sed non in illo, qui illam non vt demonstrationem cognoscit, sed ac si esset ratio probabilis.

Ex hac doctrina sic probatur conclusio. Licet aliquid sit per se notum, potest contingere quod non sit notum apud nos, & idem in demonstratione: ergo sicut in his casibus neque propositio est nota nobis, nec scientia generatur; ita etiam & si sensus mysticus sit per se intentus à Spiritu Sancto, & determinatus, non tamen præstabit effectum, vt ex illo efficax possit inferri argumentum respectu nostri.

Secundo probatur: Ex Augustino lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 4. De ratione sensus alicuius signi non est, omnis sensus qui potest haberi ab omni, qui tale signum videt, sed quem habet ab illo, qui tale signum instituit expressiuum conceptus institutoris signi: ergo licet sensus mystici cum conditionibus dictis sint infalibilis veritatis; quia tamen nos non penetramus quid significet res gesta, & intentionem Dei revelantis; non sumitur efficax argumentum, quoadvsque nobis constet, ex Ecclesiæ, vel Patrum auctoritate de tali significatione, & sensu determinato.

§ IV.

Vndè inferatur firmitas sensus mystici.

Si autem inquiras, ex quo capite sensus mystici firmitas, & certitudo colligi possit? Respondetur primo, ex revelatione Dei, vel immediata, vt cum Christus Apos-

Apostolis apperuit intellectum, vt intelligerent Sacras Scripturas; & Spiritus Sanctus docuit omnem veritatem: inter quas præcipuè sunt sensus mystici, ita frequentes in Sacra Scriptura, & necessarij pro mysterijs fidei enucleandis: Vel per mediatam revelationem; quatenus ab Apostolis, & Evangelistis aliqui sunt traditi, vel explanati sensus mystici, qui in Ecclesia remanserunt conservati. Hinc fortè firmata manet Beatissimæ Virginis perpetua integritas ex illo Exod. 3. *Rubum quem viderat Moyses,&c.*

Secundo colligi potest ex scripturis, vt Oseæ 11. *Ex Ægypto vocavi filium meũ*; quod Mat. 2. de Christo communiter, mysticè intelligitur: sicut illud etiam Exod. 12. *Os non comminuetis ex eo.* quod Ioan. 19. etiam de Christo interpretatur. Et 1. Petr. 3. *Servatos in arca Noe.* Salvatos in Ecclesia per Baptismum intelligimus: & sic de alijs. Tertio, potest inferri si Pontifex, vel Concilium talem sensum in aliquo contineri statuant; & tunc talis sensus certus esset, cum Ecclesia falli non possit in scripturarum intelligentia. Denique si Sancti Patres in vno eodemque sensu adstruendo conveniant circa aliquem Sacræ Scripturæ locum; quia Pastores, & Doctores Ecclesiæ Dei dati sunt; vt Sacros Libros interpretentur, Hæreticos confundant, & parvulos in fide confirment.

Quantum autem ad modum loquendi in hac parte placet verba adducere Ludovici Tena prælud. 4. in epist. ad Hebræos sic loquentis. Cum ergo communiter Doctores ponunt discrimen inter sensum litteralem, & spiritualem: quod litteralis sit efficax ad probandum dogmata, secus spiritualis; debet intelligi cum grano salis: nempè plures esse litterales sensus, de quibus constat esse litterales sensus illius, quã sint spirituales, quia hoc cognitu difficilius, cum spiritualis sit magis abstrusus in Sacra Scriptura. Et sic intelligendi sunt Dionysius, Hieronymus, & Augustinus cum docent, sensum spiritualem non ita efficacem esse ad adogmata stabilienda sicut existit litteralis; hoc enim debet intelligi de sensu spirituali in communi; quando non certo constat sensum esse spiritualem talis loci. Potius enim dicendum esset, plures esse sensus litterales de quibus constat ab Spiritu Sancto intentos esse, quam sint sensus spirituales taliter intenti: sed ex hoc non sequitur sensum spiritualem ineptum evadere ad res fidei stabiliendas.

CONTRA SVPERIORA.

Arguitur primo, quia Dioysius docet, theologiam symbolicam non esse argumentativam. Et Augustinus epist. 48. & lib. de vnitate Eccles. cap. 14. qui ex eo reijcit donatistas contendentes apud ipsos remansisse veram Ecclesiam, ex illo Cant. 1. *Indica mihi vbi pascas in meridie*, quia in illa plaga mundi illi erant; & reijcit, quia tantum symbolice arguerent. Et D. Hieronymus Matth. 13. qui excludit illos qui per Sata tria, Trinitatem intelligebant, dicens esse pium, &c. Denique D. Thomas 1. p. q. 1. art. 10. docet quod omnes sensus fundantur super vnum litteralem, ex quo solo potest trahi argumentũ, non verò ex his quæ per allegoriam dicuntur.

Respondetur Dionysium ibi locutum fuisse de sensu metaphorico, vt ostendit Antonius num. 125. Vel non esse arguendum ex mysticis quando tales sensus præcisse summuntur, & non est traditione, scriptura, vel consensu Patrum, secus alias, de quo Augustinus lib. 2. contra adversarium legis cap. 1. Ad cuius auctoritatem respondetur: quod benè reijciebat Donatistas, cum solum innitterentur argumento mystico, nec alio loco, traditione, nec Patribus corroborato, sed ad ipsorum tantum libitum excogitato. D. etiam Hieronymus rectè dixit, talem sensum esse pium, nec ad dogmata confirmanda satis idoneum, & tunc in talibus sensibus libertas relinquitur. Et sic dixit Cassian. collat. 8. cap. 4. Ea verò quæ meditationi, & exercitio nostro reservantur, &c. non numquam enim cum super vna re diversa promatur sententia, potest vtraque rationabilis iudicari, vt ei nec plena credulitas, nec absoluta refutatio deputetur.

De

De mente D. Thomæ difficilius est iudicare propter illa verba citata. Ex quo solo, &c. Sed respondetur, quod ly *solum* intelligitur sic: ex litterali sensu solitarie, & absque alio adminiculo potest trahi efficax argumentum; non verò ex mystico, nisi cognito vt intento à Spiritu Sancto, ex Sacra Scriptura, traditione, vel Patribus qui ab Apostolis id acceperunt. Quandiu tamen de talibus signis, & conditionibus non constat; solum intra gradus probabilitatis, opinionis, & suasionis reponuntur. Et D. Thom. vsus fuit hoc sensu dum 3. p. q. 62. art. 5. probat Sacramenta habere efficaciã ex Christi Passione; quia fluxerunt ex latere Christi pendentis in Cruce; quod argumentum colligi poterat, quia Sancti Patres ita mystice exponunt.

Secundo arguitur, quia tales sensus sunt infiniti, & de novo semper reperiuntur; incertumque est quisnam illorum ab Spiritu Sancto intentus sit; ex qua oritur incertitudine, quod cuiuscumque sensus, non litteralis, veritas vacillet, & titubet; & vnusquisque mysticum sensum suum, vt irrefragabilem introducere contendat.

Resp. quod pluralitas præcisè non obstat firmitati arguendi secundum se, vt diximus de multiplici sensu litterali in vno loco: & quilibet sensus suã haberet firmitatem, si ex capitibus, & signis supra adductis eliceretur. Sed quia vnusquisque ex suo captu, & beneplacito talis sensus mysticos in medium producit, non mirum si allucinentur eorum mentes in abstrusis sensibus eruendis: quod nihil afferret nocumenti, si publico Ecclesiæ, vel Patrum magisterio examinanda proponerentur, vt ponderat Gravina citatus.

§. V.

Regulæ de sensibus mysticis intentis ab Spiritu Sancto.

Denique pro veritatis colophone libet recensere regulas, vt colligi valeat, quis sensus mysticus ab Authore, Scripturæ intentus sit, & quis non? Prima sit ex Antonio Perez volum. 3. dub. 12. c. 5. cum Augustino D. Thoma, & alijs, scilicet, quod in scriptura ipsa debent tales sensus constare, si alicubi per litteralẽ sensum illa prodat spiritualitatẽ; ita vt sensus quem in præsenti res important, qui est sensus mysticus; alibi verba referant, qui est sensus litteralis.

Aliæ adducuntur ab Scalan. cap. 21. Secunda est, si in veteri testamento aliquid dicitur de aliqua insigni persona Christum repræsentante, & quod aptè possit Christo convenire, potest talis sensus mysticè Christo accomodari, vt victoria David de Golia. Tertia si aliqua dicuntur de aliquo, quæ Christo, & illi sunt communia, iudicandum illa ad primum litteraliter pertinere, & ad Christum mysticè; quæ tamen Christo conveniunt, litteraliter illi competere tenendum, vt patet Psalm. 2. 42. & 71.

Quarta regula. Si sensus litteralis sit valdè humilis, mysticus per se intenditur, vt Paulus 1. Corint. 9. illud Deuter. 25. non alligabis os &c. quod præcipuè de Prædicatoribus, & Ministris intelligitur Evangelicis. Quinta regula; sensus mysticus vsurpatus in novo testamento, est intentus principaliter à Spiritu Sancto, vt arca Noe figura Ecclesiæ 1. Petr. 3. Sexta regula, quando ferè omnes Patres ex aliqua veteris testamenti scriptura confirmant aliquod dogma, hoc præcipuè intẽdi censendum est, vt casus Luciferi ex illo Isai. 14. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer?* non enim alium locum in veteri testamento de casu Luciferi dicit Scalante reperiri. Sed poterat videre alium Ezech. 28. communiter de Luciferi etiam casu explicatum.

DVBIVM QVINTVM.

Vtrum ex personis, & rebus malis, sensus morales boni possint inferri?

In præsenti dubio certamen ineundum, videtur cum D. Hieronymo: sed quis non timeat cum tanto duce manus conserere, etiam aliorum stipatus caterva Do-

ctorum? Cum solus ille in campo Scripturarum pro millibus computandus veniat: taliter ergo cum Doctore maximo contendemus, & illius verba, & mentem, in bonum sensum, pro lite finienda, paceque cum alijs firmanda enodemus, & emolliamus. Igitur D. Hieronymus varijs in locis adducendis negat personas impias, vel iniquas actiones, Christi, iustorum, & actionum bonarum posse figuram, & typum præseferre. Quod ante videtur tenuisse Origines hom. 5. in Genes. & de actionibus malis idem asserunt Machin. 1. p. disp. 8. sect. 4. Arrubal disp. 8. cap. 11. & Ribera in prooem. Malachiæ num. 8. & 9.

Opposita tamen sententia vtrumque affirmat, tam scil. homines iniquos, quam actiones peccaminosas signare posse iustos, & opera virtutum, & è contrario res bonas signa posse existere turpiū, & pravarum. Ita August. lib. 22. contra Faust. cap. 83. Ambros. serm. 31. Gregor. lib. 3. moral. cap. 16. D. Antoninus 4. p. tract. 11. cap. 2. §. 12. & alij apud Cantimprat. lib. 7. col. 505. Mendozam tom. 3. Reg. cap. 11. annot. 1. Salmer. prolog. 15. canon. 9. & Anton. prælud. 3. dub. 18. & 19. Cornelius tamen à Lapide, 2. Reg. cap. 11. inquit istas allegorias non proprias, & primæ clasis, sed secundæ, & improprias vocat illas, quia laxiores sunt, ex in æquo correspondent litteræ, & historiæ.

Dico primo, homines impij, & peccatores, Christi, & Sanctorum figuræ, & symbola, in sacra extiterunt Scriptura. Probatur conclusio. Primo ex Tertul. lib. 4. adversus Praxeam versante illud Isai. 45. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius aprehendi dexteram &c.* quæ verba de Christo exponit dicens: cui enim dexteram tenet Pater Deus, nisi Christo Filio suo: vbi Cyrillus, & glossa. Mortem Saulis impij; Christi mortem signasse, scripsit Gregor. cap. 4. cit. Salomonem de æterna salute ancipitem Christum figurasse docuit Augustinus lib. 17. de Civit. cap. 8. David in solario ambulans Christum designavit ex Ambrosio lib. de Appol. David lib. 3. Et quod mirum videtur Absalon filiorum pessimus equercu pendens Christum in Cruce nō sua, sed nostra luentem peccata ostendit Nissenus tract. 2. in Psal. cap. 11. D. Thom. Assuerum typum Christi gessisse affirmat, & Genes. 34. Sychem Dynam depereuntem, Christum prætulisse, & sic de pluribus alijs quæ afferri possent.

Sed iam Augustini verba in Psalm. 57. attendamus. Sicut aspidis, inquit Propheta, surdæ, & obturantis aures suas, quæ nō exaudit vocem incantantium, & benefici incantantis sapienter. Non igitur confugiendum est ad incantationem, quia similitudo aspidis adducta est, quæ incantantem morsum non audit. Non laudavit Dominus iniquum Iudicem, qui nolebat audire illam viduam, qui nec Deum timebat, nec homines reverebatur, & tamen indè similitudinem Dominus dedit. Nec illum laudavit pigrum, qui tres panes nō propter amicitiam dedit petenti, sed tædio victus; & tamen indè similitudinem dedit de rebus, ergo non laudandis traduntur secundum modum, quædam similitudines.

Vt autem huius demus rationem. Notandum, quod licet detur aliquod summū bonum, nil mali secum admiscens, nec admittens, de quo D. Thomas 1. p. q. 6. non tamen datur summum malum, vt ipse ait 1. p. q. 49. art. 3. & ratio ipsius est. Quia cum malum fundetur in bono, si daretur summum malum, destrueret totaliter bonum, & per consequens se ipsum, cum fundetur in bono. Cum ergo quam plurimi homines, & fœminæ scelestissimæ extiterint in vita, & moribus; potuit tamen in eis actio, vel opus non ita deforme inveniri, ex quo bonum præfigurare possent. Et vltra exempla Augustini adducta. Sichem, v. g. Dinam adamavit intemperanter quidem (inquit D. Thomas) abscinde hoc superfluum, & tunc Sichem designat Christum, & Dina Synagogam, & eius decorem, pro qua Christus etiam mortem pertulit.

Secundo probatur ex Iona, Christi sine dubio figuram gerente, Matth. 12. vt latè expendit Chrisologus serm. 17. Imò Esau reprobus, vel reproborum typus, Gen. 33. quia maior frater, & cui Iacob munera

detulit, & adoravit, vt illum redderet placitum, Patris Æterni figuram tulisse docet Augustinus sermone de Purificat. Et hoc impletum cum Beata Virgo puerum Iesum in Teplo præsentavit. Et alij etiam probant ex illo Zachar. 13. vbi dicitur: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Quod aliqui dictũ putant de falso Propheta propter mendaciũ crucifixo; & tamen Christo Domino adaptatur ab Ecclesia in Missa passionis.

Non me latet aliquos negasse, in re talem extitisse Prophetam, & ita historialiter de Christo intelligi. Et quia si litteraliter non intelligeretur, non adduceretur ab Ecclesia. Sed his benè occurrit Anton. num. 162. plures affirmare vere Prophetam talem extitisse: & hoc non concesso, non requiri: quia non semper exigitur, quod in litterali, sed sat est si in spirituali dicatur: vt patet; quia Ioanni Baptistæ adaptat Ecclesia, quod dictum fuit Ieremiæ 1. & 2. Reg. 1. dictum fuit de Saule, & Ionatha; *in morte quoque non sunt separati*, & mistice Petro, & Paulo Apostolis adaptat Ecclesia.

Dico secundo, etiam res, & actiones turpes, & malæ, bonarum, & virtutum possunt signa consistere. Conclusio probatur primo au&oritate. Genes. 38. vbi refertur historia cõcubitus Thamar, cũ socero suo Iuda; ex quo, vno conceptu, duos peperit gemellos Phares, & Zaram; in qua nil Castum, neque pudicum præsefertur. Et tamen Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 86. hoc bonum invenit; quia Thamar interpretatur amaritudo, & Iudas confessio, pœnitentiæ figuram prætendit, in qua confessio, & amaritudo copullantur. Et D. Thomas, per Thamar designatur plebs ad cultum vnius Dei designata, quæ à Sanctis Patribus finaliter concipit, primo quidem Iudaicum populum, deinde Christianum.

Longe lateque hanc historiam elucidat Bercorius in moralibus dicens; Iudam Christum, Thamar animam peccatricem sedentem in vivio, idest declinantem à via veritatis in peccata, repræsentari. Quam Christus respiciens misericorditer, vult illam per gratiam spondere: & in pignus nuptiarum dat illi annulum fidei, baculum spei, armillam charitatis; & duplici fætu effectionis, & operationis illam gravitat, & cũ dæmones in peccatorũ pœnã illam in gehennã trahere intẽdunt, eam liberat, ostendens signa fidei, spei, & charitatis. Loth etiam historiam cum filiabus Genes. 19. Simili methodo expendit, quæ brevitate ommittitur.

Sed celebris Davidis 2. Reg. 11. adulterantis, & Vriam occidentis historia. De qua optimè Gregor. 3. moral. 21. Historiam etiã de duabus meretricibus 3. Reg. 6. coram Salomone de filio mortuo contendentibus. Salomon etiam 3. Reg. 11. ad mulieres idolatras accedens peccavit, cum lege prohibitum esset. Sed etiam in hoc figuram gessit Salvatoris coniungens sibi animas gentiles connubio spirituali, quod lege non interdicebatur. Et similiter de meretrice, quam in vxorem accepit Oseas cap. 1. Et alia, præcipuè parabola de villico iniquitatis Luc. 16. de qua optimè Hieronymus.

Somnum etiam, vel visionem Iacob expendere opportet. Genes. 31. *Levavi*, inquit, *oculos meos, & vidi in somnis, ascendentes masculos in fæminas*. Et hoc videre præcepit illi Dominus. Super quem locum inquirit D. Thomas: an fuerit decens, vel credibile, quod Deus tam turpé visionem ostenderet? aut quod de causa vili, & operi turpi se intromitteret? Et respondet primo, quod si hoc decens non fuisset, non fecisset Deus, nec Iacob assensisset. Triplex autem ibi fuit decentia. Prima vt ostendatur, quod ex turpibus, & fœdis, nil defectus acquirat. Secunda, vt intelligatur, quod sua potentia, & providentia omnibus adest; & iustum est vt in corporalibus etiam Sanctos remuneret. Tertia, ex bonitate omnium naturalium, inter quæ nil altius, & profundius, quam ista vis formativa animalium. Et Pepinius; Levavi oculos meos, & vidi mares, &c. idest, desideria meditationibus copulantur, & inde concipiuntur fœtus varij bonorum operum.

Audiamus etiam Augustinum cap. 83. cit.

cit. Sit inquit prima ratio; quia sicut cum homo adulteratur, ex opere malo elicitur opus bonum Dei, scilicet, homo: ita cum Sacra Scriptura aliqua turpia narrat, potest ibi aliqua bona significare; non ratione malitiæ formaliter, sed ratione entitatis, vel alicuius similitudinis. Secunda ratio, quia dupliciter aliqua actio potest proponi, vel vt imitanda, & sic debet esse bona; si ad fugiẽdum, nil obest quod mala sit, dummodo in eius entitate aliqua similitudo, vel proportio reperiatur in rem, quam significare volumus.

Denique attendenda sunt verba D. Thomæ Genes. 34. Neque mirandum si idem opus secundum aliquid sui est rectum, & ex zelo pudoris; & secundum aliquid sit temerarium, & excessivum: quando etiam verbum Cayphæ, pro quanto fuit ab occulto Dei instinctu, fuit propheticum; pro quanto verò à prava intentione Cayphæ fuit impium. Et D. Augustinus cit. nequem offendat, quod de quibusdam malis operibus hominum, in Scripturis Sanctis quædam non mala, sed bona futura significantur.

Dico tertio, possunt aliquando bona, malum aliquod significare. Probatur, auctoritatibus. Prima, ex historia David 2. Reg. 23. Cum sitivit, & aquam è cisterna Bethleem oblatam recusavit. In quo Sophronius oratione de Christi Nativitate, ait: Populus Iudæorum designatur, qui Messiam sitivit, vt veniret, & in Bethleem natum recipere noluit. Secunda, ex casu quo Matth. 12. Virgo stabat foris quærens Christum. In quo nil reperitur mali; & tamen Hieronymus dicit signasse Synagogam, quæ noluit credendo in Christum, introire. Tertia, ex Reg. 2. 11. Vrias Sanctus, & Iustus, & tamen typum gerit populi Iudaici legem portantis; qui dum mandata legis retinens implere renititur, ipse nimirum refert iudicium vnde damnetur. Ita Gregor. 3. mor. lib. 16.

Ratio conclusionis sumitur à contrario sensu; sicut enim homines improbi, & pravæ actionis, propter aliquam proportionem, vel similitudinem, bonorum possunt imagines existere: à contrario sensu, bona actio, vel persona iusta propter aliquam convenientiam, & circunstantiam, alicuius rei pravæ poterunt esse repræsentationes; vt patet in Moyse, qui vultũ splendescentem operiebat, quod bonum erat; & tamen significat Prælatos, & Doctores, qui lumen scientiæ, qua alios possunt illuminare inerter abscondunt contra Domini præceptum. Matth. 7. *Sic luceat lux vestra coram hominibus.*

CONTRA SVPERIORA.

In primam, & secundam conclusionem obijcies primo, ad imaginem, & repræsentationem requiritur, aliqua similitudo vt constat; sed inter actionem peccaminosam scilicet accessum ad Thamar, vel adulterium David, & puritatem Christi, nil cõmune, imò repugnãs reperitur. Et quia vt prima res alterius rei signũ existat, requiretur ex dictis vt à Deo fiat ea intentione, vt secundæ rei imago evadat, quod non videtur stare, cum tales res pravæ solum permissivè à Deo causentur.

Huic argumento solet responderi, tales res, vel actiones aliquam habere convenientiam, & proportionem cum rebus signatis, vt constat in exemplis adductis; & sic in significatione rerum non oportere esse in omnibus similitudinem. Salomon ingrediens ad mulieres gentiles peccavit, sed non Christus animas gentilium sibi per gratiam copulando. Et ad confirmationem respondetur, verum esse opera mala solum à Deo permitti quo ad malitiam formaliter, & causari efficienter quo ad entitatem vt talem, & sic posse esse similitudinem aliarum. Et vt dixit Augustinus cap. 83. cit. mala significant bona non peccantis opere, quia tale opus vtpotè malũ, homo, & non Deus causat; sed vt est opus scribentis, id quod est materiale in peccato, & quia vt sic causatur à Deo, potest ordinari ad significandum.

Probabilis quidem responsio, sed quæ adversariorum non satisfacit animis. Quia si Absalon patri inobediens pendens in quercu Christum præfigurat: quare Gestas latro malus etiam in Cruce, & non

solum in arbore pendens, Christum non repræsentet? quod nullus hucusque dixit. Vel quod Achan tur regulæ, Iosue 7. quia lapidatus, Stephanum non præfiguret? Eo magis, quia Stephanus extra Civitatem, ille in valle Achor; quod videtur absurdū, & sic de alijs. Quare mihi videtur sensus Cornelij à Lapide tenendus, scilicet quod tales allegoriæ, non sunt primæ clasis, sed secundæ; licet propter aliquam proportionem, & Sanctorum vsum, & frequentiam, aliquæ retinendæ sunt, nō verò aliæ; & vltra ab illis acceptatæ, raró aliæ vsurpandæ, nisi his duabus adhibitis conditionibus, nempè quod similitudo sit clara, & quod alicuius gravis Authoris approbatione suffulta reperiatur.

Neque exempla adducta de Absalon, & Achan, aliquid convincūt, quia si vterque casus rectè perpendatūr, nil neque in substantia, neque in aliqua circunstantia in illis reperiri potest boni, ex quo aliorum similitudo esse possint, secus in alijs adductis, in quibus, vel in se ipsis, vel in effectibus, reperitur aliquid boni ex Augustino, D. Thoma, & Bercorio. Mori autem in Cruce, lapidibus obrutus, vel extra castra, alijs etiam fuit commune quam pluribus.

Tertio arguitur in tertiam conclusionem. Non valet ista consequentia; mala possunt repræsentare aliquod bonum, ergo & bonum aliquod malum: probatur consequentia; ideò malum potest repræsentare aliquod bonum, quia ex dictis, & D. Thoma 1.2. quæst. 73. art. 2. in aliquibus actibus malis reperitur aliquid boni, quia non privantur omni ordine ad rationem; & sic ea parte qua remanet talis qualis bonitas, potest repræsentare aliquod bonū: sed sic est, quod in actu bono nil est mali, quia bonum est ex integra causa: ergo nullum datur fundamentum, vt bonum posit esse figura, vel imago alicuius defectus, vel mali.

Huic argumento, respondet Antonius num. 158. quod vt bonum sit typus malorum, non necesse est, vt habeat in se, & ex se aliquid malitiæ, sed satis esse quod secundum entitatem physicam, & sensibilem habeat aliquam convenientiam cum alio actu, vt patet in casu Vriæ, & Beatæ Virginis adducto. Sed quis non videat solutionem petere principium? cum exempla non admittantur à contrarijs, & consequenter illos dicere, omnia loca in quibus aliqua male facta referuntur, carere sensu mystico, & solum gaudere accomodatitio. Ita Machin citat. disp. 8. Insuper inconvenientia, solutione ad primum inducta, vrgent etiam, & ita tales sensus vocandos esse allegoriæ impropriæ dictæ.

Sed quia Augustinus citatus loquens de filiabus Loth, ait: Aliud esse quod vt hoc facerent, intenderunt, aliud Deus, qui vt fieret permisit, vt inde aliquid demonstraret. Et Gregor. 3. mor. cap. 16. Virtus sacri eloquij sic tran facta narrat, vt ventura exprimat, sic in facto rem approbat, vt in mysterio non contradicat: sic gesta damnat, & hæc mystice gerenda persuadeat. Et loquendo de David, ita ait: ille per vitæ culpam prophetiæ signat innocētiam. Ex quibus verbis colligitur, quod si est prophetia; & mystice gerenda persuadeat, plusquam sensus accomodatitius insinuatur. Et quod à Spiritu Sancto intendatur, vt saltem quoad materiale typus sit, & figura alterius, sed semper minus propriè, vt diximus.

§. I.

Mens D. Hieronymi explicatur.

IAm ad mentem Hieronymi, ob magnam in tanti Doctoris observantiam, explanandam accedamus. Ille igitur omissis Commentarijs in Iob vt suppositis, apologia contra Elvidium cap. 13. inquit, quod Sampson licet coniugalis pudicitiæ exempla non præbuerit, typum tamen tenet Salvatoris, quod ex gentibus meretricem adamavit Ecclesiam. Et epist. 131. Loquens de contentione illarum meretricū coram Salomone, dicit esse typum Ecclesiæ, & Synagogæ: quarum hæc filium suū idest populum Iudaicum occidit, per incredulitatem; & postea populum Gentilem sibi arrogare voluit, vt vel observet legalia, vel vt interficiat, &c. Et Oseæ 1.

Meretrix copulata Oseæ, significare Magdalenam peccatricem; quam fluxa carnis scandala famosam fecerant; ex vase contumeliæ sibi eam despondendo, in vas gloriæ transtulit. Idem dicit Abacuch 1. *Ecce ego suscitabo Caldæos, &c.* & alibi sæpè.

Ex alia verò parte aperte contrarium videtur tenere, scilicet Oseæ 10. *Siquidē & ipse in Assur delatus est munus Regi ultori*, & dicit: Impium esse historiam hominis pessimi iuxta sensum moralem ad Christum refferri. Et carpit Tertulianum lib. 4. contra Martionem cap. 42. Quia dixerat, Oseam Prophetam vaticinasse Christum vinctum quale xenium missum à Pilato Herodi: quem sensum dicit Hieronym. impium esse: quia vitulus, qui Idolum est, nequeat typus esse Christi. Et Isai. 45. vbi latè de Ciro: *Quem dicit Christum suum, & aprehendisse dexterā, &c.* Stultum inquit esse aptare Christo; quia sequentia repugnant, scilicet *non cognovisti me &c.* & Ezech. 12. Vbi introducitur Deus dicere Prophetæ: *Fac tibi vasa transmigrationis, &c.* Quæ verba cum indicarent transmigrationem Regis Sedeciæ in Babylonem; aliqui de Christo aptant, quod ille migrans de Cœlo in terram compleverit typum Sedeciæ, quod improbat Hieronymus.

Cum ergo ita contrariæ istæ appareant auctoritates, vt Hieronymū explicemus. Censeo ex primis locis, nostram tenere sententiam, cum ita expresse loquatur: in secundis autem rectè perpensis facilem admittere explicationē. Nam. cap. 10. Oseæ solum dicitur: quod aliquis scriptum reliquit: Regem idest vltorem Christum intelligendum, quod impium dicit, talem historiam sub tali ratione scilicet vltionis, & Regis iniusti Christo adaptari, secus in alijs. Et ad locum Isai. respondetur: quod solum dicit ista verba. Sed quod sequitur: *Vere tu es Deus absconditus: Deus Israel Salvator, &c.* Quomodò possit Ciri personæ convenire non intelligo. Hoc ergo, & aliqua alia, quæ propriè conveniunt Christo, negat à Ciro posse repræsentari; & multo minus illa verba: *Et non cognovisti me.*

In alijs verò non negat, nempè quod liberavit populum, restituit templum, &c. imò postea explicat illa verba: *Et vocabi te nomine meo sic.* Possumus iuxta tropologiam, hic de viro Ecclesiastico dicere: cui Deus dedit sermonem, & sapientiam, vt omnes sectas contrarias veritati sua disputatione subertat, sicut Stephanus, &c. ad locum Ezechielis dicit. Hæc quidem ponere, sed non probare. Qui autem referūt captivitatem Sedeciæ, & transmigrationem de loco ad locum ad Christum, descensionem eius à cœlestibus ad terrena significare putant, quo quid frigidius? Et ineptius vt patet. Ergo rectè dixit Hieronymus in hoc non significari. Neque enim Rex impius in figuram potest præcedere illius, qui totius pietatis exemplum est. Hæc pro Hieronymo sufficiant. Videatur M. Ioannes à S. Thoma 3. p. disp. 10. art. 3. contra Vazquez optimè ipsum defensans.

§. II.

Duo adnotanda proponuntur.

SEd pro dubij coronide duo observanda. Primum, doctrina D. Thomæ in 4. dist. q. 2. art. 1. & 1. 2. q. 79. art. 1. Quod omnes loquutiones in quibus significatur Deum esse causam peccati, & mali moralis, absolutè negandæ sunt, & sic ait: quodcumque nomen deformitatem simul cum actu significat, sivè in generali, sivè in particulari, non potest dici quod hoc à Deo sit simpliciter. Vndè non potest dici absolutè, quod peccatum sit à Deo, vt homicidium, & aliquid huiusmodi: benè tamen cum addito scilicet in quantum est actus, & in quantum est ens, &c. Ita in præsenti, non videtur absolutè dicendum, quod homo pravus, vel actio mala, sint figuræ iustorum, & operum bonorum; sed in quantum sunt talem habentia similitudinem, & proportionem in entitate, &c. Sed non in formalitate malitiæ, quod omnes concedunt. Cohibenda ergo videtur lingua, licet sententia tenenda; vel loquendum cum pluribus, & sentiendum cum paucioribus; & hac fortè causa Hieronymus oppositam vide-

videtur tenuisse sententiam; & Cornelius ita caute locutus.

Secundum, quod adnotandum venit est, quod fortè hoc dubium resolvi potest si dicamus, esse magnum descrimen inter res bonas, & malas, vt aliarum existant imagines, & figuræ. Quia cum vt diximus res mala semper aliquam retineat bonitatem (talis qualis illa sit) ex se & ab intrinseco habet vndè possit rem bonam repræsentare. Res autem bona, si nulla circunstantia vitiata, & sic nil malitiæ in se continens solum ab extrinseco, nempè ratione temporis, vel loci potest rem malam significare, vt patet, in Vria portante litteras, & in Beatissima Virgine, & sic de alijs, quæ sub censura dicta sint.

DVBIVM SEXTVM.

Vtrum habere sensum spiritualem, Sacræ Scripturæ sit proprium?

SVperfluum videbitur præsens dubiũ, cum iam ex superioribus constet, proprium esse Sacræ Scripturæ plures habere sensus scilicet litteralem, & mysticum. Sed re benè introspecta non ita censeri debet: quia aliud est inquirere, & determinare Sacram Scripturam habere sensum spiritualem; & aliud quomodò illum habeat, & proprium sit ipsi illum habere? Illud iam enodatum, hoc in præsenti videndum.

Pro quo ex Logica cap. de proprio, meminisse opportet, quod quadrupliciter potest proprium alicui convenire. Primo, quia convenit soli speciei, vt esse medicum, quod solum convenit homini, sed non omni. Secundo, quod convenit omni individuo speciei, sed non soli, vt duos habere pedes, quia hoc etiam alijs convenit animalibus. Tertio, quod convenit speciei, & omni individuo eius, sed non semper, vt canescere. Quarto, quod convenit omni soli, & semper individuo talis speciei, vt discurrere. Inquirimus ergo in præsenti, quomodò sit proprium Sacræ Scripturæ sensum habere spiritualem, an scilicet omni, soli, & semper conveniat, taliter quod nulli competat alteri?

Quod dubium, vt advertit Anton. dub. 18. vix ab aliquo ex professo tractatur; sed sibi satisfecisse videatur, supposito, quod talem sensum habeat, præsse breviterque hoc examinare: cum tamen, vt videbimus, plures vrgeant dubitandi rationes. In præsenti verò solum elucidabimus, an habere sensum spiritualem soli conveniat Sacræ Scripturæ? Et postea inquirendum remittimus, an in quolibet ipsius loco omnes quatuor sensus reperiantur? Cum diversæ rationis dubia existant. Et claritatis gratia duabus conclusionibus difficultatem resolvemus, in prima, an cõveniat Sacræ Scripturæ, in secunda an soli? Quod non ita præstiterunt Antonius cit. Perez volum. 3. dub. 12. cap. 5. Molina, Vazq. Gonzal. Rua contr. 9. dub. 4. Magister à S. Thoma, & Benavid. dub. 11.

Dico primo, proprium est Sacræ Scripturæ sensum spiritualem habere. Conclusio est communis, & ex supra dictis iam satis constat: ibi enim ostendimus ex fide Sacram Scripturam vltra sensum litteralem, sensu etiam spirituali gaudere. Ita Augustinus epist. 45. Gregor. 20. Moral. cap. 1. Dicens Sacra Scriptura scientias omnes atque doctrinas ipso etiam locutionis suæ more transcendit: quia vno eodemque sermone, dum narrat gestum pandit mysterium. Et D. Thomas quodl. 7. art. 16. & probatur ratione. Sensus mysticus, vel spiritualis ille dicitur, qui resultat ex rebus immediatè significatis per voces, sed hoc frequentissimè reperitur in Sacra Scriptura; ergo proprium est illi talem sensum habere. Neque in hac parte potest esse cõtroversia, aut dubitatio suppositis quæ supra diximus.

Dico secundo. Nedum Sacræ Scripturæ proprium est sensum habere spiritualem; sed ita proprium, vt illi soli conveniat. Conclusio ita proposita à nullo (vt arbitror) Catholico Authore videtur posse negari. Sed duo in illa occurrunt difficilia. Primum, rationem efficacem reddere; secundum, obiectionibus adversantium plenè satisfacere. Primum, autem nullo modo melius præstabitur, quam rationem D. Thomæ in quodlib. cit. expen-

den-

dendo; ita ergo procedit. Spiritualis sensus Sacræ Scripturæ accipitur, ex hoc quod res cursum suum per agentes significant aliquid aliud; quod per spiritualem sensum accipitur. Sic autem ordinantur res in suo cursu, vt ex eis talis sensus possit accipi: quod eius solius est, qui sua providentia res gubernat, qui solus Deus est. Et concludit post alia: vndè in nulla alia scientia, humana industria inventa, propriè loquendo, potest inveniri nisi litteralis sensus. Sed solum in ista scriptura, cuius Spiritus Sanctus est Author, homo verò instrumentum secundum illud Psalm. 44. *Lingua mea calamus scribæ, &c.* Hæc D. Thomas.

Similis est ratio quam habet, 1. p. q. 1. art. 10. Solus Deus, qui est Author Sacræ Scripturæ, potest accomodare res ad significandum: ergo in sola Sacra Scriptura reperiri potest sensus spiritualis: quia talis sensus invenitur tantum, vbi res ipsæ per voces significatæ aliarum rerum signa existunt. Antecedens probatur: quia solus Deus facere potest, quod res quatenus res sunt, vel actione qua consequuntur vt res sint, habeant hoc, vt sint signa, & figuræ ad aliud significandum. Circa has rationes Antonius plurima dicit subtilia, & theologica, quæ lectorem valdè requirunt eruditum: nos quæ ad rem pertinent, breviter, & clarè vt facilius percipiantur, adducemus.

Supponendum tamen, quod suprà cap. 2. dub. 2. ad secundum argumentum, duas assignavimus solutiones, & prima admissa vt vera; secunda videtur contraria D. Thomæ cap. 4. ad Galat. lect. 7. vbi sic loquitur. Duplex est significatio vna per voces, alia est per res quas voces significant, & hæc specialiter est in Sacra Scriptura; & sic dicere, quod potest homo in aliquo casu adaptare res ad significandum, videtur contrariari huic doctrinæ. Sed adhuc probabiliter potest dici, quod D. Thomas solum dicit esse speciale, & valet intelligi vniversaliter, & propriè, sed non in casu particulari, & minus propriè; & sic plures dicunt esse propriũ Sacræ Scripturæ, sed prima solutio tenenda iuxta quã dicimus; quod fundatur discursus, & doctrina D. Thomæ, in vno fidei principio, scilicet, quod Deus est Author rerum. Ex quo infert primo, quod quia talis est, potest ordinare res taliter, vt in isto cursu aliarum existant signa rerum, ex quo, sensus consequitur spiritualis. Secundo infert, quod solus Deus potest facere, vt res quatenus res ab ipso productæ, & ab eadem actione habeant, vt aliarum rerum sint imagines, & signa. Tertio infert, quod cum Deus sit specialis Author Sacræ Scripturæ, vtitur hac potestate in illa tradenda, vt res per voces significatæ alias significent.

§. I.

Tres obiectiones proponuntur.

SEd contra has rationes, & consequentias, triplex consurgit difficultas. Prima dato, quod quia Author potest sic ordinare res: cur hoc requiratur, & non sufficiat sine illarum rerum productione, quod ab alio in signa instituantur? Secunda, quia potest quis opus artefactum à se, ideò construere, vt alterius signum evadat. Tertia, quia per accidens videtur ad rationẽ signi, vt res sit facta ab alio, quam ab illo, qui illa vtitur ad aliquid significandum. Si has enodaverimus obiectiones, rem aliquo modo perspicuam reddemus.

Ad primam ergo dicimus, quod cum Deus sit omnium Dominus, potest vti rebus creatis ad quorumcumque vsus suæ providentiæ conducentes. Creavit autem res in duplici serie: alias absolutas, vt essent tantum, sicut terra, aer, &c. alias vt essent quasi signa aliarum, & quasi relativas; sicut dicitur de Sole, & Luna, Gen. 1. Et hoc habent ex vi suæ creationis, quod intendit dicere D. Thomas, in illis verbis: Res quatenus res, idest vt habent entitatem à suo Authore. Deinde etiam dicimus cũ Augustino tract. 24. in Ioan. quod Deus nõ solum loquitur verbis, sed etiam suis operibus, ex Psal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei*, & Christus suis miraculis. Interrogemus ipsa miracula, quid nobis loquantur de Christo: habent enim si intel-

telligantur linguam suam, qua ipsius possumus intelligere voluntatem.

Ex hac doctrina talis potest efformari discursus. Deus qui est Author rerum potest illa creare, vt sint aliarum rerum signa ex vi creationis: ergo quando tales res continentur in Sacra Scriptura per voces significatæ, ex vi suæ productionis alia significabunt. Sed hoc in nullius hominis potestate existit: ergo hoc modo significare res in Sacra Scriptura contentas proprium erit illius, & nullius alterius doctrinæ Authoris, cum non ita in potestate sua res habeat, & reducat.

Deinde ex alia doctrina D. Thomæ 1. p. q. 12. art. 3. ad. 2. Sicut voces ab homine formatæ sunt signa intellectualis scientiæ suæ, ita creaturæ à Deo conditæ, sunt signa sapientiæ eius. Vndè dicitur Ecclesi. 1. *Quod Deus effudit sapiẽtiam suam super omnia opera sua*. Modo sic: sicut voces ab homine formatæ sunt signa scientiæ ipsus: ita creaturæ scientiæ Dei; sed voces ideò sunt signa, quia procedunt ab illo homine; ergo etiam creaturæ erunt signa, & voces vt procedunt à Deo, & ordinantur ad aliquid significandum ex vi talis productionis: homo autem quando vtitur tali re, iam supponit illam productam, & sic solum dat illi extrinsecam ordinationem, & non vtitur rebus, vt res sunt, sed vt signis ad placitum ex voluntate illius.

Ad secundam obiectionem de artefacto. Respondetur primo, quod artefactum solum dependet ab homine in fieri, à Deo verò etiã in conservari, & sic potest Deus vti rebus vt vult, & non homo. Vel respõdetur secundo, quod artefactum dupliciter potest sumi. Primo, vt signum præcisè; sicut si mitterem coronam vt significarem alicui, quod futurus esset Rex, tunc non vteretur corona vt re aliqua, sed vt signo præcisè. Secundo modo, tale artefactum potest significare ratione alicuius intrinseci, vt si mitterem Imaginem Christi pedes lavantis Discipulorum, vt eius humilitas imitaretur: tunc cum à me non esset facta illa imago, & artefactum, non esset verbum meum cum à me non procederet, & sic per accidẽs ordinaretur ad illam significationem.

Ex quo ad tertiam obiectionem respondetur. Quod cum res creatæ respectu Dei sint quasi voces ipsius, & de ratione vocis sit quod procedat ab alio cum intentione aliquid significandi, vel repræsentandi, in illis respectu Dei talis repræsentatio non est per accidens: cum ex August. lib. 26. contra Faust. Id erit cuicumque rei naturale, quod ille fecerit; à quo est omnis modus, numerus, & ordo naturæ. Vndè communiter infertur cum D. Thoma 1. 2. q. 10. art. 4. Quod non potest violentiam causare in rebus: at verò cum res in suo esse per accidens se habeant respectu hominũ, ita etiam se habebunt in esse signi, & repræsentationis.

Sed audiamus iam Antonium Perez citatum, ita loquentem. Aliud est res loco rerum adhiberi, vt cum signo, vel gestu aliquid ostendere volumus: & aliud est per res significatas per voces, aliud ostendere, & significare. Primum, non habet sensum mysticum, quia res illæ, vel voces, sunt signa rerum ex impositione. Secundum verò id habet; quia res non significant idem vbique ac voces. Vndè sensus litteralis à mystico, non tam in significatione, quam in re significata distinguitur. In hieroglificis ergo, vox *Apis*, in sensu proprio significat apiculam, & ista ex institutione Ægyptiaca significat Regem. In sensu autem metaphorico, tam vox, quam Rex, significat Regem, qui sensus vt diximus litteralis est. De ratione autem sensus mystici est, quod non à verbis, sed à rebus assumatur. Ionas in sensu litterali, Ionam significat, & non Christum; at ipse Ionas Christum mysticè significat, quia persona Ionæ, neque est vox, neque viam vocis habet, sed est res significata per ly, Ionas: & sic est sensus mysticus, & res ita significantes dicuntur ab Agustino verba visibilia, quia vicem verborum substituunt.

CONTRA SVPERIORA.

Licet ex doctrina tradita facilè sit argumenta contrariorum dissolvere; at claritatis gratia vnum vel alterum in medium adducemus. Primũ, ex Isopo, Ægiptijs,

tijs, & alijs Poetis in quibus valdè familiare fuit teste Macrobio lib. 1. Saturn. cap. 8. & Plutharcho, & Pierio, vti symbolis ad aliquid significandum, & apud Ægyptios apis sine aculeo, Regem significabat, & sceptrum cum oculis, curam à superioribus gerendam. Vnde Macrobius lib. 1. in somnio Scipi. cap. 1. dicit: quia sciunt Philosophi inimicam esse naturæ apertam, nudamque expositionem sui, sic ipsa mysteria figurarum cuniculis operuit. Et familiarius quam vti signis campanarum, vexillijs, & alijs ad sensa animi declaranda.

Solet responderi. Primo, huic argumento; omnibus illis fabulis vti non vt rebus, sed vt signis, quod non obstare iam diximus. Secundo, cum D. Thoma, quod fictiones poeticæ, non sunt ordinatæ ad aliud, nisi ad significandum: Vndè talis significatio, non supergreditur modum litteralis sensus. Sed prima solutio, vt sustineatur debet fulciri cum doctrina tradita de rebus, vt res sunt, & vt à Deo procedunt in hunc finem ordinatæ, & non vt præcisè sunt signa ab hominibus extrinsecè ordinata, & applicata ad significandum. Vel ex D. Thoma, quod res ordinantur ex suo cursu, & institutione, vt ex eis talis sensus possit accipi; quod hominum fugit potentiam, qui solum vti possunt rebus, vt accidentaliter extractis à proprio cursu eis à Deo præfixo, & instituto.

Secunda etiam solutio videtur pati difficultatem: quia cum tales res fictæ ordinentur ad significandum aliud, quid illis deest vt sensum constituant mysticum, & non supergrediantur modum sensus litteralis? Scio quod ex doctrinis traditis, scilicet quod assumuntur, vt præcisè signa, non iuxta cursum suum, &c. sufficienter illi satisfactum sit. Et vt dicit Anton. Perez nu. 52. talia symbola sunt veluti res incomplexæ, consulto assumptæ ad significandum breviter, quod pluribus verbis dici debebat, vt patet in apicula, vexillis, &c. res verò de quibus agit Sacra Scriptura, sunt historiæ, & hominũ eventus, significantes res alias à se distinctas, vt egressus, & ingressus Israelitarum in Ægyptum, mysticè Christi ingressum, & egressum in eosdem Ægyptios designantes.

Bene quidem dictum: sed ex eodem D. Thoma opusculo cit. potest responderi: quod omnia illa symbola, & fictiones Poeticæ, solum impropriè, & similitudinarie attingunt rationem sensus mystici: verba illius talia sunt. Vndè in nulla scientia humana industria inventa, propriè loquendo, potest inveniri, nisi litteralis sensus; & rationem similitudinis assignat. Sicut enim homo potest adhibere ad aliquid significandum aliquas voces, vel aliquas similitudines fictas: ita Deus adhibet ad significationem aliquorum, ipsum cursum rerum suæ providentiæ subiectarum: Cum ergo in applicatione rerum, vel symbolorum ab homine tot deficiant, non fit propriè sensus mysticus, sed quia aliquam præseferunt similitudinem; ideò impropriè talis dicitur sensus mysticus.

Et denique respondetur breviter, ex Benavides: quod licet ita sit, sed id non habent ex intentione dum fiunt, sed post factum, & significare solum facta, & non facienda: vt in rebus mysticis, quibus vtitur Spiritus Sanctus præscius futurorum, in quo Sacra Scriptura alias excedit scientias.

Secundo arguitur, quia in talibus symbolis, & signis reperitur aliquis sensus, non litteralis vt patet: non metaphoricus, quia iste non in rebus, sed in vocibus impropriè assumptis: non moralis, quia nihil ad mores: neque in anagogico, cum non pertineat ad statum gloriæ: quomodo ergo dixit D. Thomas, quod talis sensus non supergreditur modum litteralis sensus?

Respondetur, quod talia symbola, & fictiones, non assumuntur, vt res sunt, sed vt præcisè ordinantur ad significandum: & sic vt supra iam diximus, signa vt talia non cognoscuntur, vt quod, sed vt quo, nisi fortè actu reflexo. Et ita quæ vt signa assumuntur non ponunt in numero cum vocibus: sed ex voce, & re fit quasi vnum adæquatum signum, & terminus à quo ad cognoscendum, vel repræsentandũ aliud. Cum ergo symbola, & res fictæ solùm ac-

cipiuntur, vt alia repræsentent, non habent rationem rerum in rigore, & sic non mediant inter voces, & res significatas, & per consequens non constituunt mysticum sensum, nisi impropriè; proprius autem ad sensum litteralem metaphoricum reducuntur, vt expressè dicit Antonius Perez citatus.

DIGRESSIO DE FABVLIS Gentilium, & Poetarum.

QVia præcipuum argumentum contra resolutionem dubij præcedentis consistit in frequenti vsu symbolorũ, & fabularum apud Gentiles, Poetas, & maximè Ægyptios, ex quo videtur etiam apud illos sensus extitisse mysticos, vt ipsi etiam dicebant: ad hoc ergo vt illius penitus evacuetur difficultas, & nostra resolutio illustrior evadat, placuit de hoc in præsenti brevem digressionem instituere: & ne consuetum tractatus stylum inverteremus seorsim apponere, vt aliquã antiquorum Poetarum, & Gentilium in tradendis doctrinis cognitio habeatur, quod non iniucundum Lectori speramus futurum.

Statuit D. Thomas cit. proprium esse huius scientiæ plures habere sensus, nedum intellige litterales, sed etiam mysticos; & Augustinus lib. 6. de Civit. cap. 5. ex doctrina Varronis triplicem Theologiam, Mysticam, Physicam, & Civilem adstruit. Prima, Poetæ. Secunda, Phylosophi, & tertia vtebantur populi. Eandem fere divisionem faciunt Pluthаrcus lib. 1. cap. 6. Eusebius in præfat. lib. 4. de præparatione Evangelica. Prima mystica, vel fabularis, confictas de dijs fabulas ad aliam transferens significationem, vt dum fingit Minervam ex Iovis cerebro natam, signare intendebant Deum voluntate, & intellectu genuisse verbum, & sic de Bacco, Mercurio, &c. In alijs duabus conveniunt cum Varrone. Rodiginus etiam lib. 18. cap. 6. Ex Hesiodo tres modos adducit allegoriæ fabularis, Physicum, Ethicum, & Theologicum; ille fabularum rimatur naturam; ille ad mores reflectitur; tertius Deorum facta, & virtutes explicandas assumit. De quo latè Lanctant. lib. 1. cap. 12. August. lib. 18. de Civit. cap. 13. & Christophorus Rufus in critico fol. 581.

Plures & plurimum in hac re insudarunt methologi, Fornutus, Syginius, Fulgentius, Natalis Comes integro tomo, & Bocatius de generatione Deorum. Qui omnes quatuor sensus (quos Sacræ adaptavimus Scripturæ) in medium proferunt. Pro mille sufficiat historia Persæi Iovis filij occidentis gorgonem, & iam victoris in æthera evolantis. Littera historialem sensum præstat: moralis prudentis victoria in vitium, & ad virtutem accessio: allegoria, piæ mentis ad Cœlestia evolatio: anagogica Christi in Cœlũ ascensio mundi Principe superato. De his multa apud Moyam in Phisilophia secreta.

Tam familiare illis hoc erat, vt quoties à Patribus de suorũ criminibus Deorum incusabantur, vt illa tuerentur ad allegorias confugiebant. Sic Tertul. lib. 1. contr. Martionem cap. 13. Ipsa quoque vulgaris superstitio cõmunis Idololatriæ, cum in simulachris de nominibus, & fabulis veterum mortuorum pudet, ad interpretationem naturalium refugit, & dedecus suum ingenio obumbrat, figurans Iovẽ in substantiam fervidam, Iunonem eius vxorem in aerem, Vestam in ignem, magnam matrem in terram conversas, &c. Idem habet Origen. lib. 3. & 4. contra Celsum: Et Arnobius lib. 5. cum obiecisset has Deorum fabulas turpes; ex ore Gentilium hæc subijcit. Istæ omnes historiæ, quæ tibi videntur, atque ad labem pertinere divinam; mysteria in se continent sancta, & allegorijs, & sensibus, intelliguntur omnia illa secretis. Itaque qui dicit, cum sua concubuit Iupiter matre; non incestas significat, & propudiosas veneris complexiones; sed Iovem pro pluvia, & Cererem pro tellure nominat, & sic de alijs. Consimili ratione, & in historijs cæteris aliud quidem dicitur, sed aliud intelligitur, & sub vulgari simplicitate sermonis, latet ratio secreta, & altitudo involuta mysterij.

Hoc autem genus explicandi fabulas, nedum Christiani improbant Authores, vt

ii. Theodoretus serm. 3. Iulius Firmicus lib. 2. & alij. Sed etiam Plato in Phedro introducit Socratem improbantem studium quærendi, quid fabulæ significent. Et Plutarcus lib. de Poetarum scriptis, dicit: pertinentes ad naturam rerum, & Astrologicas explicationes esse coactas detortasque. Dionysius Alicarn. lib. 2. dicit: Istã Theologiam Græcorum, sivè Orphæi, sivè aliorum Poetarum etiam oraculis confirmatam, inutilem esse, & plures alij apud Camerarium part. 4. cap. 10.

Nazianzenus valdè cõsulendus est oratione 3. num. 104. & 112. Vbi eleganter ostendit allegoriarum nostrarum, & ethnicarum discrimen, & differentiam. & D. Thomas 1. 2. q. 104. Inquirens vtrum præcepta iudicialia aliquid figurarent? Et obijciens, quod quemadmodum Iudæorum populo, ita Gentilibus iudicialia præcepta sunt, sed ista nil figurabant, ergo neque illa. Respondet disparem esse vtrorumque rationem: eo quod cum Iudæorum populus electus esset à Deo, vt ex quo Christus nasceretur, ideò opportuit statum illius populi esse figuralem; & propter hoc etiã iudicialia illi populo tradita magis sunt figuralia, quam iudicialia alijs populis tradita. Sic etiam bella, & gesta illius populi exponuntur mysticè, non autem bella, vel gesta Assyriorum, & Romanorum, quamvis longe clariora secundum homines fuerint.

Veniat iam Cayetanus qui 3. p. q. 60. art. 5. expendens rationem D. Thomæ dicentis. Spiritus Sancti iudicio determinatum esse, quibus similitudinibus in certis scripturæ locis, res spirituales significentur, sicut & in Sacramentis. Nunc Cayetanus. Adverte quam præsumptuosa, iniuriosa, & sacrilega sit eorum solertia, qui proprias aut Poetarum similitudines, tamquam spiritualium simulacra interpretantur, scribunt aut prædicant; vsurpant enim officium Spiritus Sancti, cuius iudicio res aliquæ institutæ sunt in figuram aliarum dicente Apostolo: *Omnia in figuram contingebant illis.*

Doctissimus Seraphinus 1. p. q. 1. art. 10. ex verbis D. Thom. scilicet. Proprium esse Sacræ Scripturæ, quod res significatæ per voces aliàs significent. Infert. Ex illis haberi quam derilibiles sint, qui mysticas expositiones in scientijs humanis faciunt; & cum propriam Sacræ Scripturæ dignitatem scientijs attribuãt inferioribus, magnis peccatis gravari tales Allegoristas. Idem etiam 1. 2. q. 104. cit. Rursus in illos invehitur, de quo D. Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 16. Vbi expressè vetat Poetarum fabulas allegoricè interpretari.

Legendus sæpè venit D. Thom. quodl. 7. ar. 16. de hac re optimè disserens. Et post verba in dubio allata art. 15. dicit: quod si aliquæ similitudines imaginariæ, & fictæ sint in Sacra Scriptura significantes, vel Christum, vt Dan. 2. Lapis abscisus de monte sine manibus, vel aliàs res vt ibidem cap. 8. Hircus caprarum Regem Assyriorum significant. Et tantum faciunt sensum historicum. Si verò sint res, quæ in veritate contigerint, & signant alia, faciunt sensum mysticum. Et quia fictiones poeticè non sunt ordinatæ ad aliud (id est ex se) nisi ad significandum aliud, talis significatio non super greditur modum sensus litteralis. Et si aliquæ moralitates ex illis fictionibus deducuntur, non est quia per illas significentur, sed quia per quandam argumentationem à simili, & exemplo trahuntur ex eisdem. Notanda quidem verba.

Pater verò Acosta de Christo revelato lib. 3. cap. 14. sic fatur. Itaque impiè illi facere putandi sunt, qui fabulas Poetarum, aut commenta veterum allegorizant. Qui verò ad res sacras, aut morales accomodant, minus quidem peccant, sed Sacræ Scripturæ mihi facere etiam videntur iniuriam, quod illius maiestatem ad ista prophana traducant, &c. Et adducta D. Ambrosij expositione de Vlyse Syrenarum cantum malo navis alligato evitante, & ad Christum Crucem amplectentẽ, applicantis, dicit. At hæc propter Authoris magnitudinem, veneranda potius, quam imitanda sunt. Et ne in custodia Tabernaculi alienigena misceatur nobiscum, ne vel semen Filiorũ Dei, ad alienigenas transeat.

Magister etiam Gravina tom. 2. tract. 3. contr. 2. art. 5. Cum obiecisset omnes libros Prophetarum allegoriarum plenos esse. Respondent. Prophani libri vt suos habent tropos, sic habent suas allegorias, sed Grammaticas, & Rethoricas, & fabulosas, vt detraherent rebus fidei, eo proposito à Poetis frabrefactas. Vnde dixerunt, v.g. ad exprimendam sapientiam ex Iovis cerebro Minervam exortam, Venerem ad designandam libidinem ex spuma maris, &c. sed tu homo Christianus in Sacra Scriptura exercitatus, his opus non habes. Et Catharinus, Clavi. 2. §. 10. post plura inquit. Mittamus ergo illa, quæ (si quæ sunt) ab hominum ingenijs sunt, & fabulas habent pro fundamento.

Concludit thesim Anton. à Matre Dei, in appendice de notitia eruditionis prophanæ: in quo dub. 4. resolvit, etiam symbola, & fabulas quibus licitus est vsus, non posse interpretari in sensu spirituali, propter rationes adductas in dubio. Licet in sensu improprio, & metaphorico explicari possint; quia aliæ ab avaritia nos abstrahunt, vt sitis Tantali; aliæ timorem incutiunt, vt tres Iudices Orci, aliæ temeritatem coercent, vt Bellerefontis Calamitas, &c. Aliæ verò nihil significant, sed omnino reijciendæ, & si aliqui Patres aliquas applicant, illæ sunt quæ nullam videntur implicare imperfectionem videatur Can. 3. & 4.

DVBIVM VLTIMVM.

De regulis pro spirituali, & mystico sensu servandis.

Difficulter pro sensibus mysticis regulæ assignari possunt cum in hac re de Expositoribus, & præcipuè de Dei verbi prædicatoribus vsurpari liceat: pictoribus, atque Poetis &c. Vndè illis terminos præfigere, idem erit, ac ostijs mare concludere. Nilominus tamen vt si quis lectionibus, vel contionibus interfuerint, de talibus iudicium ferre possint, & videant quam ad libitum confingantur, proponanturque, nulla frequenter servata regula, spretaque connexione inter antecedentia cum consequentibus, quod plurium, si non errorum, delectui in origo, & causa existit; qua in re Origenes culpatur; vt hæc evadamus aliquas in medium proponemus, & assignabimus regulas.

Cum autem allegoria inter sensus mysticos principem obtineat locum, de illa loquendo ex D. Augustino lib. 1. de Doctr. cap. 9. est tropus vbi ex alio aliud colligitur. Et dicitur typus ratione quadam communi cum re vera à typo discernatur. Typus enim dicitur figura, quandocumque ostenditur aliquid è veteri testamento adumbrare quippiam, gestum, vel gerendum, factum, vel faciendum in novo; vt si victoriam Gedeonis contra Madianitas, Christi triumphum de diabolo, & mundo designet: at verò allegoria erit, cum aliquid ex vno, vel altero testamento, novo sensu declaratur, & ad mores adaptatur, vt in eadem historia, rumpere vasa fictilia, quibus lumen occultabatur, vel confessionis pœnitētia, vel Martyrum triumphus, quibus Ecclesia illustratur, exprimetur.

Admonitos autem omnes volo ne in figuras, vel allegorias confugiendum iri, quam sequentia rectè expensa fuerint. Scilicet sensus, & intelligentia vocum grammaticalis, quæ sperni non debet cum dicat Hieronymus, minima contemnenda non sunt, sine quibus magna esse non possunt, his suppositis.

§. I.

Regulæ pro sensu spirituali, & mystico.

Prima regula: tunc sensus spiritualis investigari debet, quando ad illum cogit necessitas orationis, vel vtilitas auditorum. Ex his enim duobus capitibus mensura allegoriæ desumienda venit, necessitate scilicet, vel vtilitate. Necessitas quidem quando nisi allegoricè explicetur locus falsitatem, contineret. Vt si de Christo dicatur Psal. 90. *Super aspidem, & basiliscum ambulabis, &c.* Cum hoc ad litteram falsum sit, licet de aliquo sancto, & raro contigerit; in his enim casibus ad allegoriam confugiendum, scilicet de superatis

ratis per Christum, & Sanctos, diabolo, & mundo.

Secunda regula, debet attendi, si ex littera sequatur aliquod absurdum, vel indecens, vt si membra, vel affectus humani attribuantur Deo, vel quando in cœlesti patria, cibus, & potus videntur induci corporales, *vt beatus qui gustaverit panem in Regno meo.* Et illud, *donec bibam illud novum in Regno meo.* Tertia regula, etiam propter necessitatem, vt quando sensus litteræ videtur pugnare cum sana doctrina, & bonis moribus, *vt qui sordidus est, sordescat adhuc.* Et *lætare iuvenis, &c.* Et de Deo, *cum perverso perverteris*, de quibus iam supra diximus.

Quarta regula, quando in historijs, vel præceptis, &c. Verba Sacræ Scripturæ gramatice sumpta nullam præleferre videntur vtilitatem, vel infima, & villia Authori supremo videntur. Sit exemplum in historia Iacob, qui deceptus à Laban supposita Lia, pro Rachel; seductio in Gregibus; appositio in virgis multicoloribus, &c. Vbi nihil certè aliud quam fraus, cupiditas, vindicta, &c. apparent. Si autem introspexeris rem, videbis prius Liam desponsatam quam Rachel in figuram Synagogæ, & istam, in Ecclesiæ typũ. Sampsonis historia in desponsatione cum Dalida, Christi ad Ecclesiam designat amorẽ. Et sic de alijs. In cæteris autem locis, vt Psalmis, Proverbijs, Iob, &c. Vbi satis moralia patent præcepta; allegorias excogitare superfluum videtur.

Quinta regula, temeritatis indicium est in quolibet Sacræ Scripturæ loco allegorias confingere: hac enim de causa Origenis in culpam datum est, vt etiam Hieronymus non semel advertit. Imò Iulianus Apostata, Porphyrius, & alij, nostræ religionis, quosdam irrisere Authores. Et merito quidem, quia legentibus, vel auditoribus causa, & ansa præbetur, de Sacra Scriptura minùs alte sentiendi, cum nihil certi in illa contineri existiment: videntes cuilibet loco ad libitum asui, & consui, quicquid in buccã venerit mentis Authori adstruere, & dicere placeat; quod valdè vitandum, ne Sacræ Scripturæ puram castitatem, vt meretricem, cuilibet imaginationis fribolæ exponere videamus.

Pro quo obser. maximè, quod si quis vtatur allegoria debet advertere, si aliquo in loco Sacræ Scripturæ illa allegoria, quam suadere intendit, reperiatur clare, & absque typo, & figura, & sic ad eius similitudinem allegoria debet formari. Ratio huius est, quia cum talis allegoria ad nostrã institutionem efformanda sit: contingere potest, vt aliquid à nobis excogitatũ, alibi à Spiritu Sancto iam clarè prædictum sit. Ita expresse Augustinus lib. 2. de Doctrina cap. 1. dicens. Nil fere de obscuritatibus Sacræ Scripturæ eruitur, quod non planissimè alibi dictum reperiatur.

Et epistola 48. ita ponderose proclamat. Quis autem non imprudentissime nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat manifesta testimonia quibus illustrãtur obscura? Concinit D. Thom. quodl. 7. art. 14. ad. 3. dicens: Spiritualis expositio semper debet habere fundamentum ab aliqua litterali expositione: & concludit his aureis verbis. Et ita vitatur omnis erroris occasio. Minus ergo tutum videtur quaslibet allegorias à se, vel ab alijs fabricatas recipere, vel divulgare; expedit ergo eas expendere ad Dei verbi normam, & secundum analogiam fidei eas eruere, & adaptare.

Sexta regula, quod non circa quãcumque rem allegoriæ debent efformari, & proponi: limitandæ ergo sunt, & restringendæ certis limitibus, & finibus, quatenùs eo solum versentur circa loca communia, virtutum, & vitiorum, doctrinæ Evangelicæ, & Christianæ eruditionis, & vt etiam vmbræ fictionis notam effugiant, quodam amictu, & ornatu supervestiri, & aliquo Sacræ Scripturæ, vel SS. Patrum evidenti, vel verosimili adminus suffragio fulciri, & probari; vt sic quasi domina ancillarum committiva vallata incedat. quod advertit D. Thomas 1. p. q. 1. art. 5. ex illo prob. 9. *Misit ancillas suas vocare ad arcem*; probans Sacram Scripturam alijs scientijs esse digniorem.

Septima regula, curandum est allegorias

rias non longius, quam causa, & ocasio expostulant tangere protrahendas, sed verbis paucissimis prosequendas, & proponendas. Sit optimum exemplum, quod Matt. 16. Christus concisa fermenti allegoria Discipulis præcipit abstinere, & cavere à fermento (idest doctrina) Pharisæorum. Et Paul. 1. Corint. 9. *Non alligabis os bobi trituranti*: quod concisis verbis deflectit ad allegoriam inquiens: *Num de bobus cura est Deo, an propter nos hæc dicta sunt?* & 2. Corint. 3. Velamen faciei Moysis splendenti appositum, de cæcitate exponit Iudæorum. Et ad Ephes. 5. amorem coniugalem, ad allegoriam transtulit dicens: *Ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Sed curandum nedum nimium brevitati attenditur, vitium obscuritatis incurramus, vt dicebat Hugo in Didasc. dum brevis esse intendo, obscurus fio.

Denique tam Expositores, quam Prædicatores præ oculis habere curent, vt raro & sobriè vtatur allegorijs: sin minus apud Legentes, vel Auditores, auctoritas naufragatur Scripturarum; cum illas Gentilium fabularum more tractantes, in omnemque versantes partem, nihil firmum solidumque in illis permanere reliquunt, sed proprio affectu quoquo intendunt illas destrahunt, & contorquent. Exemplum in D. Ambrosio Petri negationem exponente, vel potius excussantes ita severe illum, sed verè corripit D. Hieronym⁹: scio quosdam præ affectu erga Apostolum, ita locum hunc interpretatos vt dixerint: Petrum non Deum negasse sed hominem, & esse sensum: nescio hominem, quem scio Deum. Quod quam frivolum sit, prudens Lector intelligit, si sic defendunt Apostolum, vt Deum mendacij reum faciant.

Idem circa Magdalenam contigit aliquibus, qui eius crimina dum attenuare intendunt, gratiæ Dei efficaciam incaute detrahunt, & vires diminuunt, vt optimè concinit Chrisologus ser. 39. dicens: Exagerat Evangelista facinus mulieris, vt accumulet indulgentiam largitoris. Sed etiã alij nimis litteræ intendentes admonendi, nõ omnia ad normam posse reduci, vt vivacitati, & ingeniorum sublimitati circa conceptuum subtilitatem, non sit aliquid indulgendum.

Finem imponimus advertentes, quod sicut aliqua historia, vel parabola propter vnum solum verbum, non tota metaphoricè interpretanda venit, vt diccmus: ita et si plura contineat litteralia, non ita sanè omnia esse intelligenda; v. g. de parabola hominis cõducentis Operarios in vineam suam, Matth. 20. Vbi quia idem præmium præstitum dicitur plus, & minus laborantibus; verbum denarium, quo communiter beatitudo signatur ab Expositoribus, in aliũ sensum intorsit Vazq. 1. p. disp. 47. quem omnes Interpretes singularitatis culpa insimulant. Aliqua ergo propriè, & alia impropriè, & alia mysticè veniunt explicanda; sed non omnia; vt ille qui Crucis laudes intonuit, nil ad lignorum genera intactum reliquit, etiam vsque ad hastam, & cyphum Saulis, quo quid insipidius excogitari potest?

CAPVT QVARTVM.

De comparatione sensuum Sacræ Scripturæ.

EXplicatis iam, tam in cõmuni, quam in particulari, Sacræ Scripturæ sensibus, de illorum excellentia recta methodo agendũ occurrit. Familiare est enim omnibus, cum de pluribus viris sermonem instituunt, quis illorum sit alijs præstantior, inquirere, & interrogare, maximè si illi aliàs aliqua fulgeant dignitate, vel prerogativa, vt de D. Petro, & Ioanne, & de vtroque Ioanne (vtinam devotionis discretæ fervore) excitatum videmus. Cũ ergo sensus Sacræ Scripturæ tanta gaudeant claritate, & necessitate, vti ab Spiritu Sancto intenti, & præordinati, de illorum excessu, & perfectione verba faciemus vnde sit.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrum sensus litteralis potior sit quam spiritualis.

VT præsens dubium Authores resolvant, præstantiamque inter Sacræ Scripturæ sensus assignent, pro vniuscuiusque captu varias causas, capita, & radices proponunt, & adducunt. Alij quatuor causas, scilicet efficientem, finalem, materialem, & formalem, ex aliqua, vel in omnibus his desumendam contendunt. Alij plures scilicet Sancti Spiritus intentum, certitudinem, generationis prioritatem dependentiam, vel independentiam, dignitatem materiæ, modum significandi, ac vniversitatem, & extensionem significationes expendendas autumant. Alij solum principiũ illorum, materiam, & formam esse considerandas. Sed hæc diversitas parum ad rem, cum ad quatuor causas, aliquibus additis, facilè ista reduci possint.

Advertendum tamen venit, quod comparatio inter sensum litteralem, & spiritualem, varie considerari potest. Primo, vniversaliter in ordine ad totam Sacram Scripturam. Secundo, in ordine ad vetus testamentum tantum, vel ad novum tantum. Tertio, si sensus litteralis, & spiritualis respectu eiusdem loci comparentur. Quarto, si litteralis cum spirituali cõparetur respectu diversi loci; sed in ordine ad eandem veritatem. His suppositis.

Supponendum primo, vacare à quæstione si ordine generationis sensus isti veniant considerandi. Certum enim debet esse apud omnes prioritate generationis præstare litteralem, cum sit vasis, & fundamentum omnium aliorum, quo ignorato omnes alios corruere necessum sit: sicut solet dici, quod ablatis primis substantijs auferuntur secundæ. Et etiam quia rerum significationes, quæ sensum constituunt mysticum, in vocum fundantur significatione. Ordine ergo generationis antecedit litteralis spiritualem. Sicut etiam vt certum habendum in amplitudine, & vniversalitate, litteralem excedere spiritualem; quia ille vt videmus per omnem Sacram vagatur Scripturam: iste verò, scilicet spiritualis, ad certa coartatur spatia, vt dubio expendemus sequenti.

Procedit ergo dubium in alijs convinationibus, Vazq. ergo. 1.p.disp.16. dicit, quod si consideretur ipsa ratio formalis, sensus litteralis est præstantior cæteris. Ribera prælud.15. in Prophetas, ex Patrũ sententia dicit sensum spiritualem esse præstantiorem. Sed pro explicatione not. ex Aristotele 6.metaph.tex.2. & D. Thoma 1.p. q.1. art.5. quod nobilitas, & prælatio alicuius rei ex duplici capite pensari potest. Primo, ratione materiæ, & obiecti circa quod versatur, & sic dicit, quod Theologia est præstantior omnibus scientijs, quia agit de Deo, & de his quæ ad ipsum Deum ordinantur, & referuntur. Secundo, excellere potest ratione certitudinis, qua ratione illud certius dicitur, quod principia habet certiora, & securiora, & securiori modo ex ipsis elicit conclusiones: qua etiam ratione Theologia alias antecellit scientias, cum divinæ innitatur revelationi, omni ratione naturali præstantiori.

Dico primo: Ex parte agentis, vel efficientis æqualiter se habet vterque sensus, intellige de sensu mystico proprio. Conclusio cõmunis esse debet. Quia cum omnis Sacra Scriptura sit à Deo, vt ab Authore speciali, ex supra dictis, tam sensus litteralis, quam spiritualis est à Deo dictatus, & inspiratus. Et cum finis correspondeat efficienti, & è converso: etiam ex parte finis vterque gaudebit omnimoda æqualitate; cum omnes sensus Sacræ Scripturæ Deum, & Christum, ex supradictis, tanquam præcipuum obiectum respiciãt. Neque in his diversitas debet esse inter Authores.

Dico secundo: Ex parte materiæ intentæ ab Spiritu Sancto isti sensus possunt se habere sicut magis, & minus in præstantia, & excellentia. Conclusio statuitur cõtra Burgens. in Prologo Bibliæ. & contra Vazq. cit. dicentes, quod si consideretur ratio formalis sensus litteralis cæteris præstantior est. Et contra Riber. qui absolu-

tè

tè dicit sensum spiritualem esse præstantiorem. Sed nostra conclusio probatur, quia certum est, quod Sacra Scriptura sæpè loquitur de Deo, & eius perfectionibus, de Christo Domino, & eius mysterijs, ergo in his locis, litteralis sine dubio præstat. E contra, quando litteralis humilis apparet, & parvi momenti, vt quod non frangerentur ossa agni, &c. certũ est quod spiritualis præstantior est litterali.

Dico tertio. Quoad nos certior apparet sensus litteralis, quam spiritualis, licet æqualis sint in se certitudinis. De hac distinctione rei quoad se, & quo ad nos cognoscibilis, dixi supra, & sic prima pars probatur. Quia litteralis cum sit ille quem littera manifeste explicat, ex legitima vocum significatione percipi valet: spiritualis autem inclusus manet, vti anima in corpore, & medulla in corticè, difficilius iste eruitur, multoque maiora requirit subsidia, vt possit ellici rectè. Maximè quia ex iam dictis, non quilibet sensus spiritualis censendus est talis, sed tantum ille qui requisita obtinet recensita, quod raro apparet. Deindè ille sensus est certior quo ad nos ex quo efficaciter vti ex proprio aliquid deduci possit, quod convenit litterali communiter, spirituali verò non nisi rarissime, ergo ille certior censendus est quoad nos.

Et quia omnis sẽsus S. Scripturæ fundatur super litterali, ex eius certitudine reliqui nobis firmi redduntur. Si enim vocis significatio ignoretur, rem per illam designatam te fugere necesse est. Et quia sensus litteralis circa homines communior est, cum etiã rudes, & parum formati aliquali diligentia, quid significent verba, percipere possunt. Et respectu metaphorici per similitudines corporeas, etiam illi qui modica gaudent intelligentia aliquo modo percipere valent. Cum hoc nobis sit naturale ex D. Thoma 1. p. q. 1. art. 9. Sensui autem spirituali non nisi difficulter hoc adaptari potest.

Dico quarto. Si autem comparatio fiat inter sensum litteralem, & spiritualem respectu eiusdem loci, spiritualis solet litteralem excellere. Probatur hoc primo, ex historijs veteris testamenti, cum pleraque sint figura, & typus rerum in novo gerendarum: vnde necesse est, vt res significatæ signis præstent significantibus. Et quia finis (maximè qualis est finis qui) præstantior est rebus, quæ ordinantur ad finem: ergo cum res, vel verba veteris testamenti ordinentur ad res novi tanquam adsignata, præstantiora illis esse debent. Et quia apud omnes cum D. Thoma 1. 2. q. 98. Testamentum vetus ad novum ordinatur, ab ipsoque quasi vmbra à corpore pendet iuxta illud Pauli ad Hebr. 10. *Vmbram habens lex futurorum bonorũ, non ipsam imaginem rerum*; necessum ergo fit sensum spiritualem, litteralem antecedere.

Vrgetur hoc. Quia plura quæ significantur per sensum litteralem veteris testamenti, superflua, inutilia, infima, & indigna suo videntur Authori, si intentio, & fructus eorum in ipsis consisteret. Quid enim vtilitatis in osse agni Paschalis non frangendo, si in illo tantum remaneret intelligentia? Quid de non alligando ore bobis triturantis, si Ministros, vel Prælatos non attenderet Evangelicos? Quid Genes. 22. de duabus vxoribus, & filijs Abrahæ; si non significarent duo testamenta, & duos populos? quid tot ceremonialia, & iudicialia, & tot veteris testamenti historiæ, si in sublimius non ordinarentur significatum? Et quia cum per sensum anagogicum æterna significetur beatitudo, illaque sit noster finis, præstantior erit sensus illam significans. Ex qua doctrina confirmatur, quod aliquando sensus litteralis præstat spirituali ex parte rei intentæ, scilicet cum significat Deum, Christum, & nostram gloriam, & beatitudinem.

Dico quinto. Ex parte intentionis scribentis sensus spiritualis præstantior videtur sensu litterali. Est communis apud Riberam citatum. Et inductione probatur de omnibus sensibus. Allegoricus præstat ex dictis, quia respicit novum testamentum, quod perfectius est. De sensu anagogico constat, quia ipsam gloriam respicit, ac tandem de morali, cũ nostram atten-

attendat doctrinam, & correctionem, quæ respectu rerum veteris testamenti, præstantiora sunt. Vide Benavid. dub. 14.

CONTRA SVPERIORA.

PLura possunt obijci contra nostram resolutionem. Primo, illud vulgatum Pauli. 2. Corinth. 3. *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Quomodo autem litteralis præstare potest alijs sensibus, qui vitam inspirant, & conferunt? Et quomodo superior, cum dicatur Ezech. 20. *Dedi eis præcepta non bona?* Et ab ipso Domino revocata, cum Exodi 34. dicitur: *Reddis peccata patrum in filios vsque ad tertiã, & quartam generationem.* Et per Ezechielẽ Deus dicit: *Vivo ego dicit Dominus, si vltra erit hæc parabola, sed obstupescent dentes eorum, qui comederunt vvam acerbam, &c.*

Circa verba Apostoli semel, & iterum explicandi illa Provinciam suscepimus. Sed communem illorum expositionem, scilicet, quod tunc littera occidit, cum translata verba accipiuntur vt propria, reijcere videtur D. Augustinus lib. 3. de Doctr. cap. 5. dicens; quod Apostolus ibi non vult aliam intelligi litteram quam ipsum decalogum. Sensus ergo iuxta Augustinum erit, quod littera dicatur occidere (non vt aliud implens) quam tibi per litteram iuvetur, sed sola littera reum facit, gratia, & à peccato liberat, & litteram donat impleri; sed ibi, & cap. 10. & 11. illam acceptat addens; cum ergo figurate dictũ, tanquam propriè dictum sit, accipitur, carnaliter sapitur. Vel si omnia præcepta antiqua, & historiæ intelligantur, littera occidit ex Greg. lib. 18. mor. quia quædam leguntur, quæ quidem sunt omnino digna despectui, &c. Vel ex Chrisostomo proæmio in Psal. si inhereremus dictioni, & observaremus; nihil vltra cogitantes, vt si vellemus vti circuncisione, & ceremonialibus. Vel ex Athanas. serm. de communi essentia; si solam historiã sequamur, & nõ testimonia de Christo perscrutemur.

Ad locum Ezech. respondetur, quod non dicuntur illa præcepta mala simpliciter, quia erant à Deo, nec bona simpliciter, quia non sufficiebant ad vitam, sed nõ bona negativè, non privativè, quia erant imperfecta. Ad locum Exodi, & Ezechielis nullam reperiri contrarietatem, cum in primo de morte corporali filiorum loquatur, in quibus patres puniuntur, quia sunt quasi partes illorum: in alio verò de morte spirituali, quæ propria est vnicuiq; ob sua peccata. Vndè Hieronymus; multorum ergo malorum occasio est, si quis in scripturæ carne permaneat.

Secundo arguitur, quia ex dictis per sensum allegoricum instruimur in fide, per moralem circa charitatem, per anagogicum circa spem ad cœlestia, quæ sunt tres præcipuè virtutes, & quia sensus litteralis ex dictis est fundamentum aliorum, ergo imperfectius. Et quia sensus litteralis continet multas imperfectiones, vt patet in loqutionibus tropicis. Et quia litteralis est corpus, & cortex, spiritualis spiritus, & medulla. Denique quia vbi litteralis, humile, vel absurdum docere videtur, id suplet, & complet spiritualis.

Respondetur, quod etiam de illis virtutibus, & alijs pluribus per sensum instruimur litteralem, vt patet. Et quia Christus etiam est fundamentum, 1. Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, quod est Christus Iesus.* Et tamen nobilior est à quo omnia habent esse, & sustentantur. Et quod subsequitur concludit, quando sensus spiritualis est præcipuè intentus. Et ad vltimum dicimus, quod spiritus non suplet in rigore litteram, sed explicat ea, quæ in illa implicita, & absconsa sunt.

Vltimo arguitur: In testamento novo plura de Christo dicuntur litteraliter vt patet, quæ tamen spiritualiter explicantur, ergo falsa est vltima conclusio. Probatur primo antecedens, in ablutione pedum Apostolorum, qua peracta intulit Christus. Ioann. 13. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Secundo, ex illo ad Hebræos 3. vbi de Passione Christi dicitur: *Extra portam passus est.* Et statim subiungit Apostolus; *exeamus igitur ad eum extra castra, improperum eius portan-*

tes; quod de omni Passione protulit Petrus 1. cap. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis exempla relinquens vt sequamini vestigia eius.* Ergo sensus mysticus, non perfectior litterali in his saltem locis.

Respondetur ad argumentum primo, aliud esse typum, & aliud exemplum: ex typo enim qui est figura, rectè sensus colligitur spiritualis: at verò exemplum solum proponitur, vt imitandum, & sic attributa Dei, & Christi opera, non vt figura actionum nostrarum proponuntur, sed vt exempla ad quæ aspicientes instruamur ex Apost. ad Hebræos 12. *Aspicientes in Authorem fidei, &c.* Secundo respondetur, quod iam in nostris conclusionibus diximus, quod aliquando ex parte materiæ intentæ præstabat sensus litteralis mystico, & in his exceptionem assignavimus, vel doctrinam exemplificavimus. Vel denique respondetur, quod quãdo duo ita se habent, quod vnum sit finis qui, & alter, cui, primum non ordinatur ad secundum, vt imperfectius ad perfectius, imò vt quid perfectius ad imperfectius, vt patet in Incarnatione Verbi. Ita in præsenti, sensus litteralis de Deo, vel Christo, non ordinantur ad mysticum, sed solum deservit, vt exemplum.

DVBIVM SECVNDVM.

Vtrum in quolibet loco Sacræ Scripturæ reperiantur quatuor dicti sensus?

IN omni Sacræ Scripturæ loco sensum reperiri mysticum, plures attribuunt Origeni: sed licet hac in re nimius fuerit, vt sæpè testatur Hieronymus, attamen homil. 11. in Levit. asserit clarè, non esse vbique allegorias in scripturis. Huic verò sententiæ adhærere videtur Payva lib. 1. cap. 20. contendens nullum in Sacra Scriptura reperiri locum, qui præter litteralẽ, non possit spiritualem recipere sensum. Abulensis denique insimulatur à plerisque sentire in novo testamento, non reperiri sensum mysticum, sed certè non ita absolutè loquitur, sed allegoricum in novo testamento, non reperiri constanter defendit propter rationem infra adducendam. Tertia sententia est Lirani dicentis, in novo, & veteri testamento, non inveniri, nisi litteralem sensum, vbi verba sunt in propria acceptione.

Communis tamen sententia est, non omnes quatuor sensus in quolibet Sacræ Scripturæ reperiri loco. Ita D. August. lib. 16. de Civit. cap. 2. expressè asserens, non omnia loca Sacræ Scripturæ, quatuor sensus recipere. D. Thomas citandus, & alij apud Vazq. 1. p. d. 16. cap. 3. Serarium in Prolog. cap. 21. q. 8. Antonium Perez num. 45. Scalant. lib. 1. cap. 15. Antonium à Matre Dei prælud. 3. dub. 16. & 17. Benavid. dub. 9. & licet plures præsenti dubio optimè satisfecerint, sed sine dubio D. Thom. quodl. 7. art. 15. facilè inter omnes primatum tenet, dum ita affatur.

Dicendum ergo, quod quatuor isti sensus non attribuuntur Sacræ Scripturæ, ita vt in qualibet eius parte sit istis quatuor sensibus exponenda: sed quandoque istis quatuor, aliquando tribus, aliquando vnó tantum. Quam resolutionẽ quinque subdivisionibus probat D. Thomas. In prima, quod possit explicari quatuor sensibus in veteri testamento. In secunda, quod eisdem quatuor in novo etiam. In tertia, quod ea quæ sunt novi testamenti possunt explicari tribus. In quarta, quod duobus. In quinta, quod vno tantum; quem ordinem præssius insequentes.

Dico primo: Aliquando Sacra Scriptura in veteri testamento admittit quatuor sensus, ita D. Thomas sic alloquitur. In Sacra Scriptura præcipuè ex prioribus posteriora significantur, & ideò quandoque in Sacra Scriptura secundum sensum litteralem dicitur aliquid de priori, quod potest spiritualiter de posterioribus exponi, sed non convertuntur. Inter omnia autem, quæ in Sacra Scriptura narrantur prima sunt illa, quæ ad vetus testamentum pertinent: & ideò quæ secundum litteralem sensum ad facta veteris testamenti spectant, quatuor possunt sensibus exponi. Ita D. Thomas.

Iam hoc exemplo demonstremus ad Galat. 4. Apostolus historiam illam de duabus

bus vxoribus, & de duobus filijs Abrahæ litteraliter narratam in Genes.22. allegoricè dicit significare duo testamenta, & duos populos Iudaicum,& Gentilicum.Et sicut Ismael persequebatur Isaac, ita nunc qui sensum carnis sequuntur, eos qui secundum spiritum ambulant persequûtur, quod pertinet ad moralem. Et sicut ibi altera illarum vxorum libera erat,& altera ancilla, sic ex duabus Ecclesijs,quæ nûc militat servit; alia verò quæ sursum est Hierusalem mater nostra libera est, quod sensum concernit anagogicum.

Secundo. Sic exemplificatur ex principio Genes. illis verbis: *In principio creavit Cælum,& terram.* Litteraliter creatio Cœlorum, & elementorum describitur. Per Cœlum, decem orbes cœlestes cum igne, & aere, per terramque etiam aquam intelligendo. In morali per Cœlû boni,& electi,per terram,mali, & peccatores: vel per Cœlum spiritus humanus à Deo cœlitus donatus; per terram humana caro, quæ duo à principio Deus in homine creat. Allegoricè per Cœlum, Ecclesia designatur Christiana, in qua habitat Christus, Matth. vlt. *Ecce ego vobiscum sum.* Et per terram Synagoga,quæ terrena semper appetijt. Isai.1. bona terræ comedetis. Anagogicè nomine Cœli boni Angeli,nomine terræ malij illi clari. Ego feci in Cœlis (idest Angelis) oriri lumen indeficiens;isti per terram,quæ est elementum opacum,& immundum, Luc.11. cum immundus spiritus,&c.

Dico secundo. Etiam in novo testamento possunt reperiri isti quatuor sensus est contra Abulens. Probatur conclusio ex D. Thoma, sic asserente. Secunda sunt illa quæ pertinent ad statum præsentis Ecclesiæ: in quibus illa sunt priora,quæ pertinent ad caput,respectu eorum quæ pertinent ad membra: quia ipsum corpus verum Christi, & ea quæ in ipso gesta sunt, sunt figura corporis mystici Christi, & eorum quæ in ipso geruntur, vt in ipso scilicet Christo exemplum vivendi sumere debeamus. In Christo etiam futura gloria nobis demonstrata est, vnde ea quæ ad litteram de Christo ipso capite dicuntur, possunt exponi etiam allegoricè, referendo ad corpus eius mysticum, & moraliter referendo ad actus nostros,qui secundum ipsum debent informari,& anagogicè, in quantum in Christo est iter gloriæ nobis demonstratum, quæ etiam habet 1.p. q.1. art.10.

Sit iam exemplum Matth.21. in ingressu Christi in Ierusalem sedentis super asinam, & pullum, Apostolorum vestimentis stratis, iste est sensus litteralis:allegoricus ex Chrisostomo significat per illa duo animalia vocationem gentiû immundarum,scilicet quod non solos Iudæos vocaret,& admitteret ad suam fidem, significatos per asinam animal assuetum iam oneri legis, sed etiam gentes indomitas, per pullum designatas. Moralis ex eodem designatur; ne, scilicet maiora quam necesse sit requiramus, hoc obsequium humile iumentorum designat, quo Christus vsus ad humilitatis exemplum. Anagogicus indicat Christi ingressum in cœlestem Hierusalem commitari omnibus turbis sibi per fidem obedientibus.

Apponamus aliud ad rem non aptum, minus inDivite,& Lazaro,Luc.16. In quo sensus litteralis est parabolicus, & non vera historia apud aliquos,licet oppositum communius teneatur. In sensu allegorico dives significat populum Iudaicum superbum ceremonijs legis, quibus quasi vestimentis amicitur, & epulatur splendidè; vtens cibis legis concessis,ad luxum,& voluptatem: Lazarus populum Gentilium designat vlceribus peccatorum plenum, iacentem ad ianuam divitis,qui fastu Pharisaico, reijcit illum à cognitione legis. Huius vulnera lingunt canes Apostolici, prædicatione medentes ipsius vlceribus, qui tandem ab Angelis, idest Angelicis virtutibus propter vitæ puritatem deducitur in Ecclesiam. Populus verò Iudaicus scilicet dives, saltem sua æstimatione, ligatis manibus, & pedibus eijcitur in infernum, hoc est in tenerebras exterioris ignorantiæ Evangelicæ veritatis.

Augustinus autem alia allegoria sic exponit,Lazarum significare Christum liboribus passionis plenum, eiectum à populo

Iudaico, vt extra portam pateretur, obsecrantem ipsum, & tota die expandentem manus suas ad populum, non credentem, & contradicentem. Huius vlcera, & plagas Gentiles lambût; qui à Christo in persona Cananeæ canes dicti sunt; & inde suavissimum haurientes rorem gratiæ Sacramentorum: qui tandem in sinum Patris rapiuntur, Iudæus verò in baratrum detruditur. Sensus moralis suadet nó sperandum in incerto divitiarum cum divite, neque pauperes eijciendos. Sensus anagogicus significat, quam diversa sors vtrique maneat; gloria bono, & pœna malo.

Dico tertio. Quæ litteraliter dicuntur in novo testamento: aliquando tres, aliquando duos tantum habent mysticos sensus. Audiamus D. Thomam. Sed quando secundum litteralem sensum dicitur aliquid de Ecclesia, non possunt exponi allegoricè (nisi forte ea quæ dicuntur de primitiva Ecclesia, exponantur quantum ad statum futurum Ecclesiæ præsentis) possunt tamen exponi moraliter, & anagogicè. In quibus verbis duo docet D. Thomas. Primum, quod quæ litteraliter dicuntur, de Ecclesia exponuntur triplici sensu spirituali. Secundum, quod duplici, scilicet morali, & anagogico.

Celebris apud Expositores cursus Ioannis, & Petri ad monumentum Ioann. 20. Ex quibus licet Ioannes prior pervenerit, sed non prior introivit, sed Petrus qui vidit linteamina, & sudarium separatim involutum. Litteralis de Ecclesia primitiva. Sensus allegoricus ex D. Gregor. homil. 22. quod per Ioannem Synagoga, per Petrum Ecclesia gentium, quæ admissa est prior ad fidem Dominicæ Resurrectionis, & in mortuum, quem illa occiderat, credidit. Anagogicus, per hoc quod sudarium capitis Domini cum linteaminibus non invenitur: quia caput Christi Deus, & divinitatis incomprehensibilia Sacramenta ab infirmitatis nostræ cognitione seiuncta sunt. Et involutum dicitur invenire; quia lintei, quo involvitur, nec initium neque finis aspicitur. Sensus moralis in hoc designatur, quod sudarium repertum repertum est separatum involutum in vnū locum; quia ex scisura mentium, Deus non est. Seorsim invenitur, quia Redemptoris nostri passio à nostra passione seiuncta est, quia ipse sine culpa pertulit, quod nos culpæ merito tolleramus.

Exemplum secundæ partis est locus ad Ephes. 5. vbi dicitur: *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, vt eam mundaret lavacro aquæ, vt sit sancta non habens maculam, neque rugam.* Quæ verba litteraliter intellecta de Ecclesia Militante, est commune apud Auctores: moraliter de anima cuiuslibet iusti; anagogicè verò de Ecclesia Triumphante, de qua dicit Ioannes in Apocal. 21. *Nil inquinatum introibit in illam.*

Dico quarto: Cum aliquid dicitur de moribus litteraliter, non solet exponi, nisi allegoricè. Ita D. Thomas: qui nomine sensus moralis videtur omnia illa comprehendere, quæ ad mores pertinent formandos, sive respiciant Deum, vt ceremonialia, sive proximum attendant, vt iudicialia; sive se ipsum, vt præcepta communiter dicta moralia, de quibus D. Thomas latè 1. 2. q. 49. Ratio huius in promptu est, quia cum per Evangelium, iam sint abrrogata; quoad id solum videntur remansisse vbi aliquem sensum habere possint, ea parte qua in novo testamento aliquid præfigurabant.

Præsentis regulæ quam plura possent in medium adduci exempla in omnibus præceptis iudicialibus, ceremonialibus, & moralibus, quæ omnia in lata significatione moralia dicuntur ex D. Thoma cit. qui quæst. 101. art. 1. superaddit. Si autem moralia strictè accipiantur, dicimus esse duplicia: alia quæ ex lumine rationis manifesta sunt, qualia sunt præcepta, vel principia vniversalissima, quod tibi non vis: malum est fugiendum, &c. & etiam præcepta Decalogi, & his immediatè connexa, vt idem D. Thomas testatur q. 103. art. 11. & ista dicit nullam patiuntur expositionem mysticam.

Sunt autem alia præcepta, quæ continentur in istis, remote tamen, & ab his multo discursu deducta, qualia sunt illud

Deu-

Deuteron. 22. *De non alligando ore bobis triturantis*; & illud, *de non interficienda matre avicula cubante super filios.* Et illud Exod. 23. *De non coquendo agno cum matris lacte, &c.* De his ergo, & talibus præceptis moralibus loquitur D. Thomas posse exponi allegoricè. Primum, de ministrandis necessarijs Ministris Evangelicis. Secundum, de dimittenda littera, & admittendis sensibus spiritualibus. Tertium, de non occidendo Christo lactente ex Chriso stomo.

Dico vltimo: Illa quæ secundum sensum litteralem pertinent ad statum gloriæ, nullum alium sensum recipere solent, quia ipsa non sunt figura aliorum, sed ab omnibus alijs figurata præexistunt; ita D. Thomas. Exempla illa omnia loca, quæ de beatitudine loquuntur: *Vt satiabor cum apparuerit gloria tua*, Psal. 17. Et præcipuè in novo testamento, & maximè in libro Apocalipsis.

CONTRA SVPERIORA.

Arguitur primo. De Sacra Scriptura solet dici: *Quod sit liber signatus intus, & foris*, Apocal. 5. Ergo sicut totus foris scriptus est, ita etiam intus, vt similitudo teneat; & per septem sigilla sensuum multiplicitas percipiatur latentiũ. Et quia cum Spiritus Sanctus Sacram dictaverit Scripturam, non est maior ratio, cur sensus magis abundet litteralis, quam spiritualis.

Respondetur. Sacram Scripturam multis abundare mysterijs; sed iuxta vniuscuiusque rei naturam, & rationem formalẽ. Ex dictis enim supra constat, non posse dari locum sine litterali sensu, cum fundamentum existat, & vasis aliorum. Et sic opportet foris sit totus scriptus. At cum sensus mysticus in rebus fundetur, & ex illis aliæ sunt quasi respectivæ, & aliæ absolutæ, & aliarum finis, non possunt semper esse aliarum similitudines, sicque non potest esse totus scriptus intus.

Secundo. Obijcies cum Abulen. quia August. lib. de vtilit. cred. cap. 3. dicit, quod allegoriæ in Evangelio cessarunt. Et quia allegoria designat figuratam veritatem eorum, quæ ad Christum pertinent; cognita autem veritate, & ipsa præsente, necesse est cessent vmbræ, & signa præfigurantia.

Respondetur. Cessasse allegorias, quoad illa præcisè quæ in lege veteri Christum significabant venturum, non quoad alia. Et quæ in se clara sunt possunt esse aliarum rerum imagines, & exemplaria. Et illa quæ initio vitæ Christi gesta sunt, signa esse aliorum, scilicet Resurrectionis, Ascensionis, &c. Vnde si baptismus noster Christi mortem repræsentat, Roman. 6. Ita Christi baptismus eius mortem: & vocatio Magorum, Gentilium præfiguravit vocationem, ex Augustino serm. 30. de temp. & Leone serm. 2. Epiphaniæ.

Vltimo contra quartam, in qua diximus præcepta Decalogi, nullam admittere expositionem mysticam. Sumo præceptũ illud Deuter. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c.* Sensus litteralis est ibi expressus: datur etiam allegoricus; quia tale præceptum non poterat impleri in lege veteri, quia cum talis sit perfectissimus actus, rationem illius legis superabat, & vires; quia nil ad perfectum adduxit lex; ergo respiciebat legem novam, quæ lex est amoris, & charitatis perfectæ; moralis etiam datur cum ad mores formandas in actu præcipuo versetur. Denique etiam anagogicus; quia cum ex Theologis supposito lumine gloriæ necessario diligatur Deus secundum totam intensionem charitatis beati; ibi præceptum de diligendo Deo, ex toto corde adimpletur ex parte diligentis.

Propter hoc argumentum aliqui non ita vniversaliter veram quartam censent conclusionem. Sed immerito cum facilem habeat solutionẽ. Concedimus enim, quod in lege nova perfectius (vt in plurimum) & in gloria perfectissimè Deus diligitur: non tamen ideò dantur diversi sensus: isti enim non multiplicantur ex perfectiori modo exequendi rem significatam, sed ex diverso modo significandi per voces, vel res, vt patet in illis verbis Genes. 1. *Fiat lux*; litteraliter de ista luce visibili, allego-

goricè de Christo: *Ego sum lux mundi.* Ioann. 8. Moraliter gratiam, & virtutes. Ecclesi.24. *Ego feci in Cœlis* (idest Sanctis) *oriretur lumen.* Et tandem anagogicè gloriam designat: *Lux perpetua lucebit Sãctis tuis.* 4. Esdræ. 2. Hi sunt sensus diversi, quia vnus per voces immediatè, & alij per res secundum diversas cõsiderationes explicati consistunt.

Pro coronide dubij nota doctrinam Benavides cit. qui dicit non in omni parte scripturæ sensum reperiri mysticum, vt 2. Reg. 12. *Misit Dominus Nathan ad David.* Vbi præter rem gestam nil aliud indicatur. Licet quis inde valeat elicere aliquid ad mores pertinens, sed non ideò erit scripturæ sensus cum libere sit excogitatus, & aliàs omnia essent mystica: imò & conclusiones Theologicæ ex scriptura deductæ, possent dici illius mystici sensus. Sed quicquid sit de doctrina, circa locum adductum posset quis dicere; inde colligi, & Dei curam circa iustum in peccatũ lapsum, & Davidis Prophetæ pœnitentiam.

CAPVT QVINTVM.

De sensu accommodatitio.

SVperfluum si non alienum videbitur præsenti tractatui, in quo de Sacræ Scripturæ sensibus sermonẽ instituimus, de sensu per accomodationem verba facere, cum vt videbimus, talis sensus valdè impropriè, Sacræ Scripturæ appelletur sensus: sed licet ita res se habeat; tamen quia aliqui, etiam Scriptores sacros illo vsos fuisse contendunt, & SS. Patres frequenter, & verbi Dei Concionatores sæpissimè ad illum confugiunt, vt tempori morem geramus breviter de illo agemus. Vnde sit.

DVBIVM PRIMVM.

Quid sit sensus accommodatitius, & an in Sacra Scriptura reperiatur?

DAri sensum accommodatitium, omnibus notum exsistit, cum sit commune ethnicis Scriptoribus, & maximè Poetis, imò etiam, & Catholicis Doctoribus, & Authoribus, nec in hoc immorandum. Sed vt ad rem deveniamus, quid sit? investigandum prius. Igitur Vazq. 1. p. disp. 14. cap. 1. accomodationem nil aliud esse dicit, ad præsens, quam applicare, vel aptare aliquem locum Sacræ Scripturæ alicui intento, vel proposito, quod sacer Scriptor non intendit, neque litteraliter, neque mysticè; vt Ecclesia in Officio Divino aptat cuilibet Confessori illud. Eccl. 45. *Non est inventus similis illi.* Et *in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* Et plura in Officio Ecclesiastico. Et si quis illis verbis Pauli de Christo, *omnia ex ipso, & per ipsum constant*, applicaret verba Virgilij, omnis in te domus, reclinata recumbit. Vel etiam illud. Omnis in Ascanio chari stat cura parentis. Vel si Christo Cruci affixo adaptaret illud. Talia perstabat memorans, fixusque manebat. Vel homerocentonas, vel vergilocentonas, de quibus meminit Hieronymus Præfat. ad Blibiam.

Scalante verò lib. 7. cap. 3. sic inscribit illum; scilicet quod sit verba Sacræ Scripturæ applicare per quandam extensionem ad rem illam, qua sacer Scriptor nec historice, nec spiritualiter indicavit, vt patet in exemplis adductis, & in illo Ecclesi. 24. *Ab initio, & ante sæcula creata sum*, quod aptat B. Virgini Ecclesia, cum tamen propriè de Filio Dei decantatum sit. Benavid. dub. 12. dicit esse illum, qui præter institutum, & mentẽ Authoris, & verborum proximè, aut remotè fingitur figuratus, & applicatur, seu accommodatur rebus alijs, prout se offert occasio. Deniq; Ioannes à S. Thoma 1. p. q. 2. art. 12. dicit, sensum accommodatitium esse solam allusionem vnius rei ad aliam. Sed omnes istæ explicationes parum differunt in re.

Dico primo. Talis sensus accommodatitius, non est sensus Sacræ Scripturæ; & sic iste adæquatè dividitur in litteralem, & spiritualem. Conclusio est communis, & probatur breviter: quia ex dictis supra, omnis sensus Sacræ Scripturæ propriè talis, est intentus ab Spiritu Sancto;

sed

ſed ſenſus accommodatitius apud omnes talis non eſt, vt ex eius definitionibus adductis conſtat, ergo. Confirmatur, quia vel talis ſenſus eſt intentus ab Spiritu Sancto; & ſic non erit accommodatitius, vel immediatè ſignificatus per voces, & ſic, erit litteralis, vel per res, & ſic myſticus, quod obſtat rationi ſenſus accommodatitij, vt vidimus ergo.

Sed dices Sacra Scriptura eſt ſuprema inter omnes ſcientias, vel doctrinas, vt patet, ergo quod alijs ſine imperfectione attribuitur, quare non iſti? ergo ſi in libris Homeri, vel Virgilij, talis ſenſus myſticus reperitur, vt patet in verſibus ex illis compactis, & compoſitis, ergo idem de Sacra dicendum ſcriptura.

Reſpondetur primo, talem ſenſum erectum ex libris Homeri, vel Virgilij, non eſſe illorum Authorum, cum nil minus illi cogitaverint ſentire, vel dicere; ſed ab alijs tales ſenſus excogitati ſunt pro ipſorum captu, & libito; vt ſi diceremus, Virgiliū loqutum de Chriſto, cum dixit. Iam redit, & Virgo, redeunt Saturnia Regno, iam nova progenies Cœlo dimittitur alto. Secundo reſpondetur, aliud eſſe ſenſum accommodatitium erui ex aliquibus verbis, aliud quod illa verba talem ſenſum contineant. Primum, eſt verum, & ſic Eccleſia plura ex Sacra Scriptura accomodat Sanctis in Officio Divino, vt illud Zachar. 4. *Iſti ſunt duæ Olivæ, &c.* Adaptat Sanctis Ioanni, & Paulo, & Damianus, Petro, & Paulo, & Sixtus Quintus, D. Thomæ, & D. Bonaventuræ. Et ſic alia. Secundum, autem quod ipſa Sacra Scriptura tali vtatur ſenſu, iam pergimus explicare.

§. I.

An Sacra Scriptura vtatur ſenſu accomodatitio.

Eſt igitur diſcrimen inter Authores, an Sacra Scriptura, vel Scriptor ſacer ſenſu vtatur accōmodatitio? affirmat Vazq. cit. Ianſenius in concordia cap. 11. cenſet illa verba Oſeæ. 11. vſurpata fuiſſe à Matthæo cap. 2. in ſenſu accommodatitio; ſcilicet *ex Ægypto vocavi filium meum*. Et ſic de alijs, inclinat Maldonatus, Matth. 15. & Bonfrer. & Scalante cit. dicit etiam Chriſtum tali vſum ſenſu, Matth. 7. & Luc. 13. illis verbis Pſal. 6. *Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem*, & Benavid. dub. 13. Sed negativam ſententiam ſequuntur Bañes, Gonzalez diſp. 10. ſect. 4. M. à Sancto Thoma, & alij. Et ex parte Acoſta lib. 3. de Chriſto revelato à cap. 5.

Dico ſecundo. Verba Sacræ Scripturæ, quæ citant Authores, & Canonici Scriptores, non vſurpantur in ſenſu accommodatitio tantum, ſed in litterali, vel myſtico adminus. Probatur concluſio primo. Quia res ſignificatæ per verba Scripturæ Sacræ, quæ ex antiquiori ſcriptura referuntur à Canonico Scriptore fuerunt figuræ rerum quas hiſtoriæ narrāt, vt patet in locis adductis, cur enim negabitur egreſſum filiorum Iſrael, ex Ægypto figuram fuiſſe egreſſus Chriſti etiam ex Ægypto? Vel quod illæ duæ olivæ, vel candelabra Zachariæ, nō ſignificaverint Eliā, & Enoch? Et ſic de alijs. Et quia ſi per accommodationē adducta referuntur, etiam adduci poſſunt hiſtoriæ prophanæ, vt Bañes expendit.

Dico tertio. Teſtimonia quæ ex veteri teſtamento adducunt Evangeliſtæ, non debent ſolum accipi per accommodationem, ſed in aliquo ſenſu litterali, vel myſtico proprio. Ita Matth. 2. Hieronymus, Chriſoſtomus, Theophilatus, D. Thomas, & alij. Et probatur. Ex ipſa verborū Sacræ Scripturæ proprietate; quia Evangeliſta nedum dixit, quod verba Ieremiæ, aut Iſaiæ adaptarentur benè cum myſterio, de quo agebat, ſic enim benè poſſet dici, quod per ſolam accommodationem adducerentur: at verò nō ita res ſe habet, cum dicat Evangeliſta: *Benè prophetavit de verbis Iſaias.* Et, *vt adimpleretur in eis illud Iſaiæ.* Et, *vt impleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam, ex Ægypto vocavi filium meum*: quæ omnia cum poſſint, & debeant in proprio, & rigoroſo ſenſu intelligi, nefas videtur ad ſolum accōmodatitiū ſenſum recurrere.

Con-

Confirmatur; quia ex communi Doctorum sensu, & sententia constat, ea quæ in veteri testamento dicta, vel gesta fuere, extitisse figuras, & imagines eorum, quæ in novo acciderunt; dicente Apost. Hebr. 10. *Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, &c.* Ergo hoc præcipuè in Christo verificandum, cum vt diximus finis sit omnium in scriptura contentorum, ergo quando Evangelistæ de Christo verba faciunt, testimonia quæ in confirmationem adducunt, non solum per allusionem, vel extensionem, sed magis propriè accipienda, vt dicemus.

§. II.

Expenduntur loca, quæ in contrarium adducuntur.

Denique probantur istæ conclusiones expendendo loca scripturæ, quæ in suæ sententiæ favorem adducit Vazquez. Primus est Zachariæ 4. Vbi loquens de Iesu filio Iosedech, & Zorobabele filio Halathiel, dicit: *Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra.* Quæ verba Ioannes Apoc. 11. applicat Eliæ, & Enoch, venturis in fine sæculi. Hanc applicationem inquit Vazquez, & Benavid. cit. debere sumi accommodatitiæ; nempè quod Spiritus Sanctus, neque litteraliter, neque mysticè illos respexit; sed quod Ioannes, ipsis accommodaverit verba illa. Attamen Alcazar, & à Lapide ibidem in sensu mystico dicunt prophetasse Zachariam de Elia, & Enoch. Nempè in allegorico, quo viri Sancti veteris testamenti præfigurarunt Sanctos novi; ita D. Thomas ibidem, & Gregor. homil. 12. in Ezechielem; & Ribera in Zachariam. Accommodatitius autem illorũ verborum sensus est quem præstat Ecclesia Sanctis Ioãni, & Paulo, & Sixtus Quintus, Sanctis Thomæ, & Bonaventuræ.

Secundus locus est Amos 8. *Dies festi vestri vertentur in lamentationem, & luctum*, quem locum Tobias cap. 2. accepit de diebus suis, & Auctor. lib. 1. Machab. cap. 14. intelligit etiam de suis. Sed Lyra apertis verbis asserit, prophetasse Amos tempore Oziæ illam captivitatem, & tẽporibus Ezechiæ Regis completum fuisse, quando captivus ductus est Tobias, & recordatus verba Amos, dixit verba illa; quæ nil repugnat impleta secundo fuisse temporibus Machabæorum. Vel secundo potest dici Tobiam intellexisse verificatam fuisse prophetiam Amos; quæ cum vniversalis esset sine determinatione loci, & temporis, comminante Deo filijs Israel, propter peccata facturum, vt omnes eorũ festivitates converterentur in luctum, ex illa generali, particularem illam calamitatem intulit Tobias discursu Theologico. Qua etiam ratione illã attulit Author. 1. Machab. pro temporibus suis.

Tertius locus est Isaiæ 29. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Et adductus est à Christo, Matth. 15. sed D. Thomas, Rabanus, Abul. q. 29. & Maldonatus ad litteram illum vsurpasse Christum affirmant. Et Isaiam prævidisse propheticè simultatem, & fictionem nedum Iudæorum sui temporis, sed etiam eorum qui tempore Christi extituri erãt. Vndè secundum litteram, Christus applicavit eum Iudæis sui temporis, quibus familiaris erat illa quasi nativa, & genuina hypochrisis, atque durities, secundum quã dixit Stephanus actu. 7. *Vos dura cervice semper Spiritui Sancto resistitis.* Eandem explicationem admittunt alia verba eiusdem Prophetæ cap. 6. adducta à Christo. Matth. 13. & ab alijs dicens: *In parabolis loquar populo huic; aure audietis, & non intelligetis &c.*

Sed quod ibidem subditur. *Sine parabolis non loquebatur eis vt adimpleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem. Aperiam in parabolis os meum.* Duplicem accipit explicationem. Prima est mystica ex D. Thoma dicente. Quod factum est in Prophetis signum erat eius quod præstandum erat per Christum. Vel secundo, quod litteraliter est impletum in Christo Domino; in illo enim Psal. 77. introducitur Deus loquẽs in persona David. *Attendite popule meus.* Ille ergo idem qui locutus est in David, etiam in Christo, & ipse Christus, qui est Deus, & homo, qui

quon-

quondam dixit: *Aperiam in parabolis os meum*; ipsemet loquens Iudæis, parabolas proponebat, vndè secundum D. Thomam sensus est: Ego Dominus qui aperui os prophetarum in parabolis, aperiam in me ipso, & eructabo absconditas à constitutione mundi.

Maius negotium facessit quod D. Paulus ad Titum 1. dixit de Cretensibus. *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventre pigri.* Et hoc asseruit dictum per proprium illorum Prophetam, vel Epimenidem, vel Calimacum. Resp. litteraliter adduci à Paulo; quia Poeta locutus est de omnibus Cretensibus, quibus illa quæ ibi Paulus impingit innata, & gentilitia erant, sicut aliquibus nationibus aliqua vitia videntur quasi propria, vt Græci mendaces &c. alia plura dubio sequenti.

His tamen non obstantibus respondent Gravina tom. 2. lib. 4. art. 8. & Antonius à Matre Dei prælud. 3. dub. 2. & dicunt: Ille, quod cum Scriptor sacer, locum adducit Scripturæ in confirmationē alicuius mysterij, vel veritatis, nunquam in sola accomodatione, sed litteraliter, vel mysticè accipi; sed quando vtuntur simplici verborum vsu ad exemplum, vel similitudinem, tunc congruè sensus potest dici accommodatitius; & sic explicat, quod Christus dixit Matth. 12. factum Davidis comedentis panem propositionis, ad tuendum discipulos licuisse spicas manibus conterere, vt manducarent.

Antonius verò dicit, quod Scriptor sacer alterius libri sacri cum verba adducit superaddens compleri tunc, quæ dixerat ille, in hoc casu dicendum, verba priora habuisse sensum illum ad quem à secundo Scriptore afferuntur. Si verò secundus Scriptor, prioris non meminerit, nec dicta illius in casu quo agit esse completa, tunc talis res à primo Scriptore, nec litteraliter, nec mysticè significata fuit, & sic tantum erit sensus accommodatitius respectu prioris, & tantæ auctoritatis, quanta gaudeat, qui hoc secundum præstitit. Probabilis vterque modus dicendi, sed si Scriptor à Spiritu Sancto excitetur ad illa verba adducenda verius nedum in accommodatitio, sed in litterali, vel spirituali sensu afferri, & adduci.

Sed notandum venit, quod Acosta cit. inquit: illa loca, quæ Ecclesia adducit in sensu accommodatitio, verbis plerumque mutatis, eadem pollere auctoritate, ac ipsa Sacra Scriptura. Et hanc mutationem vocum esse canonicæ auctoritatis, persuasus verbis D. Bernardi serm. 3. de Nativ. Domini dicentis: compositionem factam ab Ecclesia, fortiorem esse ipsa Sacræ Scripturæ prima positione; alias, inquit Acosta, illuderetur populus Christianus.

Sed hoc non consonat, neque menti ipsius Authoris asserentis cap. 4. sensum accommodatium non esse directè intentum, neque significatum à Sacra Scriptura; & cum Ecclesia non possit novam condere scripturam, talis vsus, & applicatio, non erit æqualis certitudinis; cum in divino officio multæ historiæ probabiles contineantur. De quo Canus de locis, lib. 5. cap. 5. & lib. 11. cap. 5. Driedo de dogmatibus lib. 4. qui cap. 6. dicit. Contingit interdum aliquem librum nil continere, nisi divinas sententias, & canonicas, & catholicas veritates in Sacra Scriptura tacitè, vel explicitè significatas alia verborum ordine, vel dictatas, vel abbrebiatas, vel elucidatas, non tamen inde mox consequens est, talem librum recipiendum, vt canonicum, &c.

Denique sciendum, quod Benavides concl. 2. dicit: esse in Sacra Scriptura aliquem sensum accommodatitium: seclusis imperfectionibus superflui, & falsi. Quia hoc reperitur in Virgilio, & Cicerone. Sed resp. aliud esse, quod Sacra Scriptura in se talem habeat, vel intendat sensum, quod negamus: aliud quod propter aliquam similitudinem Ecclesia, vel Authores tales accommodationes eliciant, vel meditentur. Sed quia non intentæ, neque per Spiritum Sanctum, neque per Sacros Scriptores; ideò negamus in Sacra Scriptura talem sensum reperiri, si propriè loquamur; licet dicta loca sint exposita vsui, applicationi, & accommodationi ad aliam rem similem; quia hoc extrinsecum illis,

quæ doctrina in hac parte maximè adnotanda.

DVBIVM SECVNDVM.

Quomodo loca veteris testamenti adducta in novo deventur adimpleri? & de regulis sensus accommodatitij.

VIso iam quid sensus sit accomodatitius, & qua ratione dici posit, quod Sacra Scriptura aliquando illo vtatur: Restat examinare, quomodo talia veteris testamenti loca citentur, & dicantur in novo adimpleri? In qua re Cornel. Iansenius, vt vidimus dubio præced. cap. 11. concord. inquit: Triphariam Sacram Scripturam posse impleri. Primo ad litteram, vt illud Micheæ 5. *Tu Bethleem terra Iuda, ex te exiet dux, &c.* Secundo mysticè vt illud Exod. 12. *Os non comminuetis ex eo*, quod litteraliter de illo agno Paschali, & mysticè de Christo dictum fuit à Ioanne Evangelista. 19. Tertio, quando illud fit, quod scriptura commemorat, & si illud non sit præcipuè ab Authore intentum. Et sic explicat locum Oseæ 11. *ex Ægypto.* Ierem. 31. *Vox in Rama.* Isaiæ 25. relatū à Christo, Matth. 13. Inquit ergo Iansenius pro his locis, & illo Isaiæ, Prophetam hoc dixisse de Iudæis suæ ætatis; Christum verò illa verba applicasse ad illos quibus prædicabat, qui claudebant oculos, &c.

Adhuc etiam dissensio versatur inter Authores, quomodo talia loca sunt accipienda, alijs absolutè affirmantibus talia loca, etiam in sensu proprio litterali esse accipienda: & sic in vnoquoque duplicem esse sensum litteralem æquè proximum. Alij etsi aliqua litteraliter, non tamen omnia, sed solum in sensu mystico. Supponendum, quod cum Evangelistæ, vel Apostoli citant aliqua loca veteris testamenti, licet in verbis aliqua differentia appareat, secus in sensu, & veritate, & sic semper reperitur summa concordia, vt legenti constare potest. De quo Benavid. dub. 20. Vbi latè expendit locum Micheæ 5. Et tu Bethleem Ephrata parvulus, &c. at Matt. 2. Et tu Bethleem terra Iuda, &c. Et quinque differentias concordat. Vel dici potest, quod Evangelista retulit, quod Sacerdotes dixerunt, licet verum in re, sed verbis aliquantulum immutatis, quod non est inconveniens, vt de Evangelistis idem narrantibus diversis verbis dicitur.

Dico primo. Sententia Iansenij, vt ab ipso explicata communiter reijcitur, & meritò quidem. Et probatur rationibus iam supra adductis. Quia quomodo potest dici, novi testamenti Scriptor, & Author verè affirmare aliquid impleri in aliquo, quod de illo fuerit prædictum, si re vera de illo non fuerat prædictum? Deinde hoc vrgetur; quia si Evangelista affirmaret coram Iudæis talem prophetiam impletam fuisse in Christo; si re vera de Christo non intelligebatur; possent etiam respondere Iudæi, nil ad rem facere auctoritatem adductam, cū primo Authori, tale quippiam in mentem non venerit. Et sic falsum diceret Evangelista asserens; tunc impleri quod dictum erat, cum tale non præviderit, nec dixerit prior Scriptor.

Redarguit etiam ipsum benè Scalante exemplo adducto à Iansenio, in patre de filio solicito, in quo impletur illud Virgilij: Omnis in Aschanio cari stat cura parentis. Hoc enim in ipsum militat; quia licet ipsi adaptari posit, sed non impleri in ipso, cum non de illo, sed de Ænea, qui pro Aschanio solicitus erat dictum fuerit, non ergo admittendum quando aliquid veteris testamenti impleri dicitur in novo, quod solum per accomodationem à Scriptore novi testamenti adducatur.

Dico secundo. Testimonia aliqua Sacræ Scripturæ veteris testamenti citantur ab Evangelistis in sensu historico, & litterali; & alia solum in sensu mystico. Prima pars probatur. Primò, quia illud Genes. 1. Masculum, & fœminam fecit eos, citatur Matth 19. litteraliter. Et illud Genes. 21. in semine tuo benedicentur, Act. 13. Et illud Genes. 15. credidit Abraham Deo. Rom. 4. quia adducuntur in sensu signato immediatè per voces. Secundo probatur, ex regula communi sæpè attacta, quod verba Sacræ Scripturæ debent intelligi in sensu litterali proprio, nisi aliquod sequatur incon-

conveniens, ergo cum nullum tale sequatur, ex hoc quod aliqua verba adducta duplicem sensum litteralem habeant, id affirmandum venit. Et sic illud Oseæ 11. *Ex Ægypto vocavi filium meum*, de populo Israel sine dubio Propheta loquebatur, & etiam de ipso Christo; imò principalius, cum ille populus de Christo extiterit figura imperfecta. Idem dicendum in alijs locis adductis, & hoc videtur cedere in maiorem Sacræ Scripturæ dignitatem, quod in veteri testamento, non solum res tunc gestas aspiceret, sed etiam futuras prævideret, & maximè Christum eius finem.

Secunda pars, quod illa testimonia, scicil. Oseæ 11. citatum Matth. 2. & illud os non comminuetis Exod. 12. citatum. Ioan. 19. & alia huiusmodi afferantur ab Evangelistis in sensu mystico, communior est cum Ribera Oseæ 11. & Gonzalez cit. & Scalan. vbi supra, cap. 4. Quia illa verba Oseæ ex Ægypto &c. adduci à Matthæo mysticè tenent D. Hieronymus ibi. Chrisostomus hom. 8. in Matth. & glossa cum Burgensi, D. Thomas, Cayet. Drudo lib. 2. de Sacra Scriptura, cap. 1. Benavid. dub. 16. 19. & alij. Ratio est, quia certum videtur, quod illa res significata in loco Oseæ, & etiam in Exodo, *os non comminuetis ex eo*; fuere figura Christi; quia Israel filius adoptivus ex Ægypto vocatus, figura fuit Christi filij Dei naturalis, etiam ex Ægypto vocati: & agnus, &c. Ergo in sensu mystico Christũ significabant. Consequentia probatur, ex diffinitione sensus mystici, scilicet quod sit qui significatur, non per voces immediatè, sed per res. Sed ista ratio non convincit, quia ex dictis figura potest sumi vt quo, & sic non ponit in numero cum voce.

Secundo probat Scalante, quia in lege veteri paucissima, inquit, litteraliter de Christo inveniuntur, vt legenti patebit, simbola autem typi, & imagines quam plures, vt constat: ergo licet aliquis locus afferatur, & adimpleatur litteraliter; non tamen multi, & sic possunt Authores cõcordare. Si tamen teneamus aliqua de Christo litteraliter intelligi cõtra Theodorum Mopscust. qui dicta de Christo interpretabatur secundum rei eventum, & accommodationem: qui damnatus est à Vigilio Papa his verbis. In prophetia, quæ ex Christi persona loquens ait; *non derelinques animam meam in inferno*, non de ipso Christo prædictam fuisse, sed de populo; hoc autem verum eventum ex ipsis rebus accepisse in Domino, & Beatum Petrum ad Christum per eventum hanc prophetiam aptare voluisse: qui hæc ita sapit, & credit, anathema sit.

Et certè hac doctrina vtraque conclusionis pars potest in concordiam reducis si dicamus aliqua litteraliter designare Christum (licet forte non plura) vnde redarguendus venit Scalante cit. asserens, paucissima in veteri lege de Christo dici secundũ litteram. Legantur Psalmi multi, Isaias, Ieremias, Baruch, Agæus. 1. Machab. 14. & alibi sæpè. Ex quibus locis aliqua in Concilio Romano, secundum litteram sunt explicata de Christo.

Quomodo autem possit dici Sacram Scripturam impleri in sensu mystico? iam supra ostendimus, resolvẽtes, ex quo sensu mystico efficax poterat desumi argumentum. Respondet ergo Gonzalez cit. quod sensus mysticus quando communiter accipitur valet ad arguendum, & convincendum adversarios; receptum autem erat apud Iudæos; agnum illum Paschalem figuram esse Messiæ, & sic benè potest dici scripturã impleri. Et etiã quia quæ mysticè significantur in alijs locis, si ad salutem pertineant, alibi explicantur litteraliter. Ex D. Thoma 1. p. q. 1. art. 10. quia nil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod scriptura per litteralem sensum alicubi manifestè non tradat.

Antonius verò à Matre Dei prælud. 3. dub. 2. §. 9. dicit impleri; quia licet litteralis sensus sit etiam intentus à Spiritu Sancto: spiritualis verò respectu veteris testamenti præstantior est: cum Christi, & Ecclesiæ mysteria sint excellentiora, vel quod cum Christus sit finis Sacræ Scripturæ, & veteris testamenti; tunc illa adimpleta dicuntur, cum ipse finis ad quem or-

dinabantur, iam executioni sit mandatus, quod in nova lege contigisse narrant Evangelistæ, & confirmant veteris testamenti auctoritatibus id præfigurantibus.

Verum autem ex sensu accommodatitio efficax possit desumi argumentum? communiter, & benè negativè respondetur; cum in rigore non sit Sacræ Scripturæ sensus; & si difficulter ex sensu mystico valet desumi (vt iam vidimus) quanto minus ab isto; nihilo minus Vazquez 1.p. dub.16.cap.7. dicit in historijs plurimum valere ab exemplo, & simili si non ad cõvincendum ad persuadendum valdè: vt patet in historia, 1.Reg.21. cum David panes comedit propositionis: ex quo Christus probavit licuisse Apostolis vellere spicas die Sabbati. Luc.6. quia lex in casu necessitatis non obligat. Sed hoc vt benè advertit Antonius, potius ad spiritualem, vel litteralem sensum pertinere videtur. Idem dicit Benavid. dub.15.

Si dicas, quod locus, vel antecedens argumenti est in sensu litterali vt patet; ergo etiam illud, quod ex illo infertur. Respondetur, talem locum non induci secundum se, & vt habet vim inferendi litteraliter locum, vel auctoritatem sequentem. Sed affertur in ratione similis, quod est accidentale, & superadditum, & sic solum accõmodatitie præsupponitur. Vnde sensus litteralis præsupponitur materialiter, & additur similitudo, & applicatio secundario.

§. I.

Regulæ pro sensu accommodatitio.

CVm ita latè pateat sensus accommodatitius, vt de illo dici possit: eris vagus, & profugus super terram; vtpotè ad cuiusvis libitum, & pactum excogitatum, iuxta illud Portij relatum à glossa in lege Barbarus, ff. de Officio Prætoris. Mille hominum species, & rerũ discolor vsus. Velle suum cuique est, nec voto vivitur vno. Vnde leges proscribere pro illius observantia, in quibus confringantur tumentes impetus illius, impossibile videatur affatu, vt nil tamen præsenti desit tractatui aliquas breviter proponemus.

Prima regula sit. Quod pietas spectetur, nec ad prophana detorqueantur verba scripturæ, vt in Trident. sess. 4. gravissimè præcipitur. Vnde omnes spurcitiæ, & facetiæ penitus abligandæ veniũt. De quo D. Thomas 2.2. q. 168. art.2. Ex Ambrosio docet: à sacra doctrina omne ridiculum, & iocosum reijciendum. Vbi Cayetanus docet; quomodo in hoc delinquant Prædicatores. Cum & Cicero lib. de Inventione doceat: fabula aliquandò posse vti, nisi rei dignitas adimat iocandi facultatem. Nil autem ita sacrum, & dignum Scriptura, quam Concionatores annuntiant.

Et vt ipse expendit Antonius cit. num. 167. cum Christus D. sit exemplar, & norma Prædicatorum, cui toto nisu intendere debent, si digne munus exequi præsumant; nec ipse, nec Apostoli, nec Sancti talibus facetijs vsi invenientur. Hic enim mixtum Dei verbum vilescit, & suavitatem amittit, vt hic benè illud Eccles.10. *Muscæ morientes perdũt suavitatem vnguenti*; ex concioneque in auditoribus, non risus, non plausus, sed fletus, peccatorumque dolor, & mundialium contemptus exhauriri debet; hic finis, hic fructus ex Hieronymo.

Secunda regula, vt rei propositæ locus adductus quantum fieri potest conveniat, qua in re valdè peccant, qui ad fribola: inania, & adulatoria scripturam inflectunt violenter, & dum ignorantis plebis auram captant, & attonitam tenent, Sacram Scripturam exhibent deridendam. Tertia, ne accommodatitius sensus, vt proprius intrudatur; neque verba Scripturæ impio adaptentur sensui: de quo Hieronym⁹ epist. ad Paulin. Quarta, quod apud solos fideles hoc sensu vtatur, nam apud renitentes, & infideles nil proficit. Denique caveat Concionator, ne ex verbis, quæ adfert per accõmodationem, aliquid addat, vel diminuat, hoc enim minus Religiosum videtur. Plura de hoc puncto apud Scalante cap. 5. cit. Vbi plura ad Christum, Eucharistiam, B. Virginem, Ioannem Evangelistam adaptat, & ad-

adducit, quod Prædicatoribus non parum vtilitatis potest afferre. Et M. Bonaventura in Institut. Concion. lib. 2. cap. 6.

DVBIVM TERTIVM.

Vtrum Sacra Scriptura argumentetur ex suasorijs, & probabilibus?

SAcram Scripturam ex Apostolo vtilem esse ad arguendum, & corripiendum, iam constat ex dictis, sed quia argumentum non semper ijsdem innititur principijs, ideò neque eiusdem firmitatis, & efficatiæ evadit; de quo de singulis sensibus agentes expendimus. Restat ergo pro doctrinæ coronide elucidare, an Sacra Scriptura aliquando etiam topicis, probabilibus, & suasorijs vtatur argumétis, & rationibus? Cum non semper suppetant loca in sensu litterali, ex quo vt diximus efficax semper desumatur argumentum.

In hac ergo re Cano lib. 2. de loc. cap. 2. dicit, omne argumentum, vel à ratione, vel auctoritate deduci. Et Sacra Scriptura præcipuè auctoritatem quærit, vt docet D. Thomas 1. p. q. 1. art. 8. dicens: quod argumentari ex auctoritate est maximè proprium huius doctrinæ, eo quod principia illius per revelationé habeatur, &c. rationem tamen veluti pedisequam, & peregrinam admittit, propter imbecillitatem, & hebitudinem nostri intellectus, quo in assensum illarum rerum quas tradit, nos inducat; & hoc vt dicit D. Thomas probabiliter. Cum ergo duplicia esse posſint argumenta ex auctoritate, & ratione: viso iam in præcedentibus de argumento necessario ex sensu litterali, vel mystico deprompto, inquirendum restabat an Sacra Scriptura aliquando arguat argumento probabili, & suasorio, sive ex auctoritate, sive ex ratione desumpto?

Adnotatum tamen volumus, non nostræ intentionis esse affirmare, vel asserere; ea quæ in Sacra traduntur Scriptura, siue ad fidem, sive ad mores attinentia, probabilia esse tantũ. Pro constito enim debet esse, eo ipso quod Sacri Scriptores, faciendum, vel fugiendum aliquid præcipiunt, statim, & nullo superaddito credendum, & faciendum id esse, necessario si præceptum contineat, libere si consilium existit.

Insuper sciendum, quod si Sacra Scriptura ad aliquid probandum, vel confirmandum aliquas rationes adducat, & proponat, sine dubio ad rem illam, de qua agit, conducere. Ratio est in promptu; quia si ex dictis Sacra Scriptura Spiritu Sancto dictante, & inspirante fuit edita, & conscripta, si in alijs Authoribus adducere rationes, vel auctoritates extra rem, indecens videtur; quanto magis in doctrina sacra, quæ omnes excellit, & antecedit, intelligere debemus, quæ in alicuius confirmationem adducuntur, ad rem maximè pertinere, & conducere. Superest ergo dubium, an tales rationes adductæ ita efficaces semper sint, vt necessario intentum concludant, vel solum probabiliter?

Denique observandum ex D. Thoma in 3. d. 1. q. 2. quod si in rebus ad fidem pertinentibus confirmandis aliquæ inducuntur rationes, tales non possunt esse evidentes, nec demonstrationes, nec necessario convincentes; sed tantum congruentes, & probabiles. Quia cum fides, divinæ innitatur revelationi, quæ obscura est, demonstratio autem clara, & evidens, nequeunt simul compati vt dicitur. 2. 2. q. 1. art. 4. & quia respectu eorum, quæ ex libera Dei revelatione, & voluntate dependent, nec causa datur, nec etiam ratio à priori.

Dico primo. Si rationes quæ afferuntur in Sacra Scriptura procedant in sensu mystico, plures Authores asserunt tantum esse probabiles. Ita Cayet. Matth. 11. Cano. lib. 2. cap. 11. & lib. 9. cap. 8. Iansen. in concord. cap. 47. Estio, Iustinian. ad Hebr. 1. Velazq. & alij ad Philip. 1. & Zumel. 1. p. q. 1. art. 10. dub. 5. & alij. Fundamentum tamen illorum est: quia fere omnes isti Authores asserunt, quæ ex veteri testamento in novo adducuntur id esse tantum in mystico sensu, & sic solum facere argumentum probabile. Et ita intelli-

telligunt illud, 1. Cor. 9. de ore bobus non claudendo. Et ad Hebræ. 1. illud: *Ego ero illi in patrem*. Et ad Rom. 10. illud Psal. 18. *In omnem terram, &c.*

Probatur etiam ex Matth. 11. Vbi Christus loquens de Baptista sic ait: *Si vultis recipere ipse est Elias.* Super quæ verba Cayetanus ait: Dixisse Dominum. Si vultis recipere. Quia id relinquebat arbitrio auditorum: quia nimirum illud dictum, non erat verum secundum sensum litteralem, sed mysticum. Et voluit monere, sensum mysticum non cogere Auditores ad assentiendum, sed ad ædificationem eorum, qui libenter audiunt, & proficiunt ex sensibus mysticis. Idem docet Iansen. cit. & Zumel. cit. inquit: Apostolos vsos fuisse scripturis aliquot spiritualibus, & sic argumentatos probabiliter. Et licet talis sensus non convincat, mire tamen suadet, maximè apud scientes, quod omnia in figura contingebant illis.

Audiamus iam Riberam ad Hebræ. 1. Existimantem locum de Salomone adduci à Paulo allegoricè: nec tamen illum male argumentari in sensu spirituali. Quia in omnibus disciplinis moris est, vt cum argumentis certioribus, etiam probabilia afferantur; vnde cum locum firmiorem iam induxisset Paulus. *Filius meus es tu, &c.* Secundo loco hūc probabilem adducit. *Ego ero illi in Patrem, &c.* Hoc fieri præcipuè in Evangelistis, & epistolis, etiam cum argumenta necessaria non præcedunt; hoc autem ita familiare est, vt non egeat probatione: cum aliquando à simili, aliquando à priori, aliquando à minori, à contrarijs, effectibus, causis: nec talis probatio, inquit Estius, inutilis est, cum disputatio fit cum his qui rationes suasorias non ægre admittunt, & non cum adversarijs, qui omnia sibi liquido volunt demonstrari.

Hæc omnia etiam roborari possunt ex parabolis in Evangelijs adductis. Etenim Quintilianus lib. 5. cap. 11. dicit: Parabolam (quam Cicero vocat collationem, & Aristoteles 2. rethor. cap. 22. exemplum) assignari, & poni inter argumenta, non apodictica, & firma, sed inter extrinseca: Christus autem frequentissimè illis vsus est. Quia est modus quo melius rudis populus, & plebs edocentur, non valentes capere, & librare pondera, & syllogismos, sicut similitudines, quibus ex sensibilibus ratiocinamur. Et ideò Christus hoc attendens, similitudinibus plebem edocebat. Et sic Marc. 4. dicitur: *Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, provt poterant audire; sine parabolis autem nō loquebatur eis*: ergo cum parabolæ probabile tantum præstent argumentum, illis Christus sæpè vtens, probabiliter persuadebat.

Et si benè obseruetur in Evangelijs aliqua suppetunt exempla. Etenim Luc. 10. vt Christus Apostolis suadeat propter hominum timorem, non debere à prædicatione desistere, ita est argumentatus: *Nolite, inquit, timere multis passeribus, pluris estis vos*; quæ ratiocinatio procedit à minori, & sic tantum probabiliter convincens. Et cap. 12. ex eo quod non possunt cogitando adijcere sibi ad staturam suam cubitum vnum, infert: *Si ergo nec quod minimum est potestis, quid de cæteris sollicisi estis*; difficilis quidem consequentia, cum possim curare de necessarijs ad vitam, & tamen non possum me facere maiorem, & arguitur à minimo ad maius, de quo videantur Expositores ad ista verba.

Sed circa istam conclusionem, nota (quod illa admissa) ratio qua plures illam probant scilicet, quia loca veteris testamenti tantum mysticè in novo adducuntur (vt contendit Ribera) vniversaliter non est vera, cum plura ex illis litteraliter accipi, vidimus supra, & probat Acosta lib. 2. de Christo revelato, à cap. 9. Deinde, ex sensu mystico, cum conditionibus supra præscriptis, efficax desumi argumentum, iam expendimus. Ac tandē locus ille ad Hebr. 1. *Ego ero illi in patrem, &c.* desumptus ex 2. Reg. 7. etiam litteraliter de Christo intelligi, plures affirmant; Catharinus, quod de solo Christo, Cano, Lira, & Abul. etiam de Christo, & Salomone. Videatur Tena cap. 1. ad

He-

Hebræos difficultate 11. qui latè hoc examinat.

Dico secundo. Cum Sacra Scriptura ex ratione argumentatur, tunc probabiliter procedit. Communis etiam debet esse cóclusio; quæ solet probari ex celebri, sed difficili loco. Actu. 2. Vbi Petrus rationẽ reddens, quod Apostoli Spiritu Sancto afflati, non verò vino æbrij, varijs loquebantur linguis. Ita dicit: *Non enim sicut vos æstimatis hi æbrij sunt: cum sit hora diei tertia.* Quæ ratio etsi aliqualiter videatur persuadere, sed convincere non apparet. Non enim esset impossibile hora tunc tertia, quæ nunc incidit inter nonam, & duodecimam meridianam, homines labori, & piscationi deditos viro præoccupari: præcipuè cum id fieri posset levissima culpa, & alijs de causis: quo argumento vtitur Cano lib. 9. cap. 8. & Razius ibidem lib. 3. & Gaspar Sancius dicens; esse argumentum topicum ex communiter accidentibus, nec pro tunc gravius afferri potuisse, & Salmer. tract. 12. dicit; esse argumentum probabile: & quod mirum Chrisostomus dixit rationem Petri Lerem. Videatur Basilius Legion. 1. p. varia. q. 3. expositiva.

Pergit Cano lib. 2. cap. 10. idem confirmare ex 1. Corin. 9. Vbi Apostolus ostendens posse Prædicatorem victum accipere ab auditoribus, id probat militis exemplo, non suis militantis stipendijs, & Agricolæ commedétis de fructibus vineæ quã plantavit, & pastoris, &c. & præcepto de nó alligando ore bovi trituranti in sensu allegorico. Quæ omnia probabilia sunt, & non necessario concludentia. Cum fieri possit, vt quis suis militet Stipendijs; plantet vineam, & de fructibus non edat (vt dicitur Deuter. 28.) & licet conclusio sit vera, nempè dignum esse Operarium mercede sua, sed inductæ probationes probabilitatis metam non excedunt.

Confirmatur hoc, doctrina D. Thom. 1. p. q. 1. art. 8. Vbi sermonem instituens de argumentis, quibus vtitur sacra doctrina dicit: eam vti auctoritatibus Philosophorum, vbi per rationem naturalem cognoscere potuerunt veritatem: sicut Paulus inducit verbum arari. Act. 17. dicentis: *Sicut & quidam vestrorum poetarum dixerunt, genus Dei sumus.* Sed tamen (dicit D. Thomas) sacra doctrina huiusmodi auctoritatibus vtitur, quasi extraneis argumentis, & probabilibus. Ad quod genus arguendi reducitur argumétum confectum à ratione humana, quæ obsequitur fidei; sicut naturalis inclinatio volũtatis, charitati: quod familiare est in scriptura. Vt ad Roman. 7. vt probet Apostolus nos per Christum solutos à lege veteri, affert similitudinem mulieris, cuius vir est defunctus. Et Galat. 4. probat Iudæos contineri sub lege, tanquam sub tutore parvuli continentur; adducitque similitudinem hæredis adhuc vt parvuli, sub tutoribus, & actoribus vsque ad tempus præfinitum degentis. Et sic de alijs.

Sed ad maiorem conclusionis firmitatem, gravium Authorum in medium verba proferamus. Valentia 1. p. disput. 1. q. 8. puncto 1. in fine; agens de Dei existentia in rebus, adducens ad illam comprobandam locum Pauli. Act. 17. *In quo vivimus movemur, & sumus*: qui communis in scholis est, dicit non inferri præcisè ex eo Dei existentiam, nisi adiuncta infinitate. Nec opportere consequentias omnes, quæ fiunt in Scriptura, & Patribus esse formales, & evidentes. Et Fasolius ibidem dub. 3. dicit in illo argumento, nó procedi per causam rei, & cognitionis, sed more humano. Sed cum D. Thom. 1. p. q. 8. doceat Deum esse in omnibus rebus per actionem virtualiter transeuntem, locus adductus saltem à posteriori efficaciter probat Dei existentiam in rebus; infinitas verò, ad plura alia requiritur, cum sit attributum trãscendens, & sic caute isti Authores legendi; videantur Cayet. Bañes, Gonzalez, Ioannes à S. Thoma, Alphonsus, & Lezana.

Meratius etiam tom. 1. disp. 4. inquit causas quas affert scriptura, non semper esse formales, & affert locum ex Ierem. 23. Vbi causam cognoscendi, & videndi omnia assignatur: *Quia Deus Cœlum, & terram impleat*; quæ formalis non est,

sed

sed infinita scientia Dei, quia scriptura procedit more humano. Molina autem hoc assertum parum tutum adstruit esse in fide, cum ex ea videatur inferri, Spiritum Sanctum ineptam reddidisse rationem, & argumentum ad probandam Dei præscientiam.

Denique Maldon. Ioann. 7. expendens illa verba Ioan. 7. *Qui a semetipso loquitur gloriam propriam quærit.* Ex quibus Christus tale efformat argumentum: qui à semetipso loquitur, idest, qui suæ doctrinæ Author, & Inventor est ipse; suam idest ingenij, atque inventionis propriæ, gloriam quærit, ego gloriam meam non quæro, non ergo ex me ipso loquor, idest doctrina mea, non est mea. Quo proposito argumento, subdit Maldon: morale enim, non necessarium est argumentum. Fieri enim potest (& ita vere fieri deberet) vt aliquis eius sententiæ, quam invenerit, gloriam, non ad se, sed ad Deum referat; sed hoc raro accidit, contrarium morale est; itaque non argumentatur ex causis rei, sed ex corruptis hominum moribus.

Sed sciendum quod sicut Deus homo factus ita inter homines conversatus est, vt vitam communem elegerit 3. p. q. 40. vt sic homines ad se attraherit. Ita etsi in illo sint omnes thesauri sapietiæ, & scietiæ Dei, non illa vsus est, ita vt potuit; sed vt magis conveniens fuit ad hoc, vt ab hominibus intelligeretur; & sic ex D. Thoma vsus est metaphoris, similitudinibus, & exemplis, & probabilibus; quæ facilè percipi possent; sed non ita ista accipienda, vt si omnia non sint demostrationes, ideò contemni possint, cum aliquando res, & materiæ non illas petant, nec admittant, sed rationibus topicis, ad rem tamen pertinentibus proponantur.

Dico tertio. Etiam quādo Sacra Scriptura procedit argumentando ex facto ad aliquid convincendum, vtitur ratione probabili. Probatur ex D. Thoma 3. p. q. 55. art. 6. cum obiecisset, quod aliqua argumenta, quæ Christus induxit ad probandam Resurrectionem ipsius: nempe quod locutus est, conversatus, commederit cum Discipulis: quibus actionibus paria Angeli exhibuerunt apparentes. Respondet, quod licet singula argumentorū non sufficerent ad manifestandam perfectam Christi Resurrectionem: tamen omnia simul accepta perfectè manifestarent, maximè propter assertionem Christi dicentis se esse verè hominem. Et in 3. d. 22. q. 2. art. 4. Cum obiecisset argumentum de commestione Angelorum apud Abraham Genes. 18. & 19. & tamen non sequitur fuisse veros homines; igitur nec Christus commestione probavit veram Resurrectionem humanæ naturæ. Respondet, quod licet vnum argumentorum ex se non sufficeret; tamen omnia simul certitudinem faciebant, & ideò multiplicata sunt.

Cornelius à Lapide, Luc. 24. Inquirit, an commestio Christi, & palpatio corporis eius fuerit sufficiens argumentum Resurrectionis corporis eius? Respōdet non fuisse omnino physicè certum, cum Angeli in corpore assumpto palpati fuerint ab Abrahamo, & Loth; fuisse tamen certum certitudine morali, & humana. Tyrinus Luc. 24. dicit. Palpationem, esum, potum, locutionem, se solis non fuisse infalibile signum Resurrectionis Christi, nam & Angeli similia fecerunt; fuerunt tamen infalibilia quatenus fuerunt adiuncta verbis, & miraculis Christi.

Quod autem illi, qui introducuntur in Sacra Scriptura argumentantes, vtantur rationibus non modo probabilibus, sed etiam non valdè conducentibus dixit Pererius Genes. 18. vers. 24. Elucidans illam argumentationem, quā Abraham nititur Deo persuadere, parcendum esse Sodomitis dicens: *Nunquid perdes iustum cum impio.* Et dicit, Abraham existere similem Oratori patrocinanti pessimam causam, & in omnem se partem vertenti, vt vndecumque possit qualecumque defensionis præsidium accipiat, miscet verba, sententias involvit, & rationes etiam non valdè probabiles, nec proposito suo admodum congruentes attingit. Sed hoc non scripturæ detrahit auctoritati, cum ipsa

ipsa solum referat, quæ ab alijs dicta, vel gesta reperiuntur.

CAPVT SEXTVM.

De parte inventiva.

DEdimus iam partem primam methodi, scilicet diffinitivam, & explicativam Sacræ Scripturæ, & sensuum illius enucleatam. Ad secundam ergo, quæ inventiva dicitur, quia scilicet exponit regulas, & tradit præcepta investigandi reconditas sensuum varietates, tam litterales, quam mysticas, pergimus iam explicãdam. Ab istis Sixtus Senensis brevissimè se absolvit: & nos compendio etiam vtemur, cum si pro dignitate res lustranda esset, multum temporis insumendum veniebat: plura videri possunt in dubijs, in quibus pro omnibus sensibus regulas assignavimus.

Duo igitur investiganda se offerunt. Primum; qui illi sint in quibus resideat potestas, & auctoritas interpretãdi scripturas? Secundum; quibus medijs, vel regulis vtuntur, qui tali gaudent potestate, sive talis potestas publica sit ad fidem generandam, & adstruendam, vt Ecclesia Papa, &c. sive privata, quæ sit ad docendum, & confirmandos mores, vt hæc ergo sub brevitate transcurramus sit.

DVBIVM PRIMVM.

Vnde publica scripturarum interpretatio desumenda sit?

PLurima, quæ hic examinanda veniebant aliquibus conclusionibus comprehensa Laconice expendemus. Supponendo, quod parum Ecclesiæ prodesset Sacram habere Scripturam, si illius careret interpretatione, & intelligentia; vt enim optimè dicebat Hieronymus scriptura non consistit in cortice, sed in medulla. Hæretici ergo, qui Sacram recipiunt Scripturam, illius interpretationẽ, vel ab ipsa Sacra Scriptura, vel ab interno Spiritus Sancti magisterio, & instinctu, vel ab Hebræorum libris, vel à proprio sensu, & humana prudentia, quæ variæ eorum sunt sententiæ, desumendam contendunt.

Dico primo. Ecclesia Catholica, & Sũmus Pontifex, infallibiles Sacræ Scripturæ sunt Interpretes. Conclusio probatur, ex ipsis Sacris Scripturis. Quia Exod. 20. Moyses ad dubia legis respondebat. Et Deuter. 17. de dubijs Religionis decidendis, populus ad Summum Sacerdotem mittebatur consulendum. Et Paralip. 2. cap. 15. Sacerdotibus præcipitur ostendere solutionem; vbicumque dubium occurrerat de lege, de mandato ceremonijs, &c. Ergo à fortiori in novo testamento Tribunal esse debet, vbi Papa verum sensum ex ipsa scriptura proponat, & credenda demonstret.

Probatur etiam ex Matth. 6. vbi dicitur: *Tibi dabo claves Regni Cælorum.* Inter has claves datur etiam clavis scientiæ, qua significatur auctoritas scripturas interpretandi, ex communi. Et etiam facultas removendi omnia obstacula Regnum Cœlorum adeundi; perversa autem intelligentia, & ignorantia Sacræ Scripturæ, poterat esse impedimentum apertionis Regni Cœlorum: conveniens ergo fuit vt Petro, & Successoribus daretur potestas, vt per doctrinam, & Sacrarum Scripturarũ intelligentiam rectam, dogmatum cœlestium fluentu aperire, & illarum obstacula removere possent.

Probatur denique ex perpetuo vsu, & praxi Ecclesiæ ab initio decurrentis, quæ omnes difficultates, & dubia decrevit, & declaravit. Apostoli Præsidente Petro, Act. 15. circa legalia. Contra Sabellium negantem plures personas in Deo ex mala intelligentia Scripturarum, Christus secundus processit. Contra Manichæos, Felix primus. Contra Arrium, Sylvester Primus, & Concilium Nicænum. Contra Macedonium, Damasus. Contra Nestorium, Concilium Nissænum. Et sic de alijs. Qui omnes, ex mala Scripturarum intelligentia dilapsi sunt. Vndè Augustinus epist. 122. dixit: intellectum valdè arma, & quia ipsæ Scripturæ, nisi eas rectè intelli-

ligas vtiles esse non possunt omnes enim Hæretici, qui eas in auctoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cum suos potius sectentur errores, & per hoc non quod eas contemnant, sed quia non intelligant, Hæretici.

Vltimo suadetur ratione: quia fides nostra, quæ in Scripturis, & traditionibus continetur, cum vna sit, vna etiam debet esse intelligentia Scripturarũ, quod fieri non posset, nisi convenirent in eadem intelligentia, & ad illam tenendam possent constringi, ab Ecclesiæ præside, vel generali Concilio. Et cum quotidie novæ exoriantur quæstiones; necessarium fuit esse iudicem, qui auditis partibus lites sedaret exortas: quod præstare nõ possunt libri mortui, qui easdem patiuntur difficultates, & sic deveniendum ad Ecclesiam.

Dico secundo. Interpretatio Sacræ Scripturæ, & intelligentia non est desumenda, ex Spiritu Sancto secũdum quod vnusquisque instinctum sui proprium existimet esse Spiritum Sanctum, qui in singulorum cordibus operetur, sed qui in Ecclesia publica, vt ex Cathedra docet. Probatur, ex Sacra Scriptura, Matth. 12. vbi Christus loquitur dicens Apostolis: *Quia vobis datũ est nosse mysteria Regni Cælorum, illis autem non est datum.* Vbi distinguit duplex genus fidelium, Apostolis enim, & successoribus indita est notitia mysteriorum Ecclesiæ, alijs, vulgo, turbis nequaquam.

Et hoc sæpè in Sacra Scriptura Act. 10. dixit Petrus; *Manifestationem Resurrectionis factam fuisse non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo, nempè Apostolis.* Et 2. Pet. 2. dicit: *Omnis prophetia propria authoritate non fit.* Et 1. Ioann. 4. *Præcipit Apostolus non credendum omni spiritui, sed probandos spiritus si ex Deo sint, quoniam multi Prophetæ exierunt in mundum*; ergo constat ex Sacra Scriptura, non omnes esse æqualiter capaces, & idoneos Interpretes Sacræ Scripturæ.

Ratione probatur: quia interpretatio privata Sacræ Scripturæ, à speciali, & particulari profecta, est vt minimum incerta, & dubia. Neque enim certitudinem habet ex se, neque ex Interprete; non primum, cum littera sit difficilis, vt patet: neque secundum, quia particularis sibi tale munus arrogat propria auctoritate, quod est inconveniens etiam in politicis: auctoritas interpretandi legem iuridice non residet in singularibus, sed in Iudice constituto. Et quia interpretatio si communis esset, distinctio charismatum esset innanis: contra id quod dicit Apostolus 1. Cor. 12. Et quia inter ipsos Hæreticos talis distinctio, & diversitas reperitur, vt solum circa illa verba: *Hoc est corpus meum*, plusquam triginta reperiantur explicationes.

Dico tertio. Ad Sacram intelligendam Scripturam, non sufficit collatio vnius loci cum alio præcisè. Dum id quod vno loco obscurius, alio apertius exponunt. Vel ex his quæ antecedunt, & consequuntur, vera intelligentia consequatur: sed hæc sententia multiplici errori viam aperit. Primo, quia ipse textus Sacræ Scripturæ varius, & interruptus, dum idem locus, & vox in diverso sensu accipitur, & ab vna materia subito in aliam transit, vt in Psalm. 71. de Salomone ad Christum. Et Gregor. annotavit hom. 7. in Ezech. vt verbo *mundus* Ioan. 1. & Genes. 3. Verbo *oculus*, & alibi sæpè.

Deinde diversus stylus, & phrases prophetarum, vt patet in Isaia, Amos, &c. Et quia plura loca sunt quæ comparari non possunt inter se, vt sunt locutiones plures Pauli de lege, & corpore mortis, de novo, & veteri homine, &c. Et his omnibus æqualibus existentibus adhuc potest esse perversa scripturæ intelligentia. Vt patet in illis verbis: *Hoc est corpus meum*; & collata cum illis, *caro factum est*, inferebant Lutherani, vt sicut Deus manens verbum assumpsit hominem, sic panis manente substantia, assumat Corpus Christi in communionem naturæ. Et Zuinglius conferens cum illis Ioan. 6. caro non prodest quidquam, intelligunt non realiter de Christi corpore, sed de aliqua spirituali virtute.

De-

Denique quia interpretatio S. Scripturæ, vel desumenda ex ipsa littera vt exterius sonat, vel à sensu, & intelligentia: non primum, tum quia littera occidit, & hoc Iudæis cõtingit, & Hæreticis, & quia ex hoc præcisè in varios prolapsi sunt errores, vt Arriani dicentes Christum, nõ Deum, sed inferiorem, ex illo, Ioann. 14. *Pater maior me est.* Et Sabelliani vnam tantum personam sub diversis nominibus. Ex illo Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus.* Et Macedoniani negabant Spiritum Sanctum esse Deum, ex illo 2. Cor. 2. *Spiritus scrutatur omnia, etiam profunda Dei*, & sic de alijs.

Quod autem neque ipse sensus scripturæ præcisè sufficiat, constat ex Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, colligunt Catholici necessitatem baptismi in aqua. Et Luc. 8. dixit Baptista de Christo, *ipse baptizabit vos in Spiritu Sancto, & igne*, ex quo intulerunt Hermiani, baptismum faciendum cum igne, vt ipsos facere solitos refert Prælus, ex Augustino, & alijs. Vnde ergo colligitur ex ipsa Sacra Scriptura nude sumpta, baptismũ debere fieri in aqua sola, & non in igne, cum neque etiam Christus præcipiens baptismũ, Marc. vlt. expresserit materiam, & solum dixerit baptizate eos, &c. & tamen Ecclesia in sola aqua fieri præcipit.

Insuper Christus præcipit dicens: *Accipite, & commedite, &c.* Et etiam præcepit post lotionem pedum: *Ita & vos debetis alter alterius pedes lavare.* Vnde scriptura explicat illud primum esse præceptum, & non secundum. Deinde si manducatio est præcepta illo verbo *commedites* cur etiam potatio, non intelligitur præcepta illo verbo, *bibite?* Et cum Christus dixerit manducate omnes, cur non etiam datur modo parvulis vt antea? Ergo ex sola Sacra Scriptura, & illius sensu nequit vera illius colligi interpretatio.

Dico quarto. Neque ab Iudæorum interpretatione, & Hæreticorum expositione, Sacræ Scripturæ desumenda est intelligentia. De prima parte conclusionis latè tractat Scalant. lib. 7. cap. 6. 7. & 8. In quibus dicit, Rabinis post Christi Passionem parum credendum esse; licet traditiones eorum, si à recta ratione non dissentiant, neque à divina Scriptura, nõ sunt reijcienda. Et quod interpretatio scripturæ per ipsos ante Christi Incarnationem maximè facienda est: quæ cum grano salis intellecta, observanda veniunt.

Sed nostra conclusio probatur ex 1. Cor. 3. ibi dicitur: *Velamen quod ponebat Moyses super faciem suam vsque in hodiernum diem in lectione novi testamenti non manere revelatum; quoniam in Christo evacuatur*; ergo Iudæi non recipientes Christum, adhuc velamen habent positum super cor eorum, ita vt intendere nõ possint in faciem Moysi, idest intelligentiam legis. Et Isai. 6. minatur Propheta, excæcationem cordis, & obdurationem aurium. Quod impletum dixit Christus. Matth. 13. & Apost. ad Tit. 1. præcipit non intendere Iudaicis fabulis. De quo Augustinus lib. 12. contra Fausi. cap. 27.

Et ratio videtur convincere. Quia Iudæis ablatum est regnum, & datum gentibus facientibus fructum eius, Matth. 21. quod de intelligentia scripturarum plerique intelligunt. Et cum Christus ex dictis sit finis legis, & scopus Scripturarũ, hoc ignorato, necessum est, & ipsas scripturas ignorari. Et quia Iudæi multis attriti captivitatibus, linguæ propriæ notitiam ammiserunt, & ipsarum vocum significationem. Et quia verba Hebraica quibus illi insistunt valdè ambigua sunt, ita vt plures habeãt significationes vt vidimus. Ac denique Iudæi varijs commentis, & fictionibus, ex Cabala desumptis, Sacram deturpant Scripturam.

Secunda pars de Hæreticis parum habet difficultatis, cum ex communi Ecclesiæ, & Patrum consensu à Sacra excludantur Scriptura. Cum ex Tertul. cap. 38. de præscrip. sint falsi Prophetæ, qui vestimentis ovium, idest pellibus, & vellere Scripturarum Lupinam, contegunt rabiem, vt Christus dixit. Matth. 7. Et quia

à Christo per Apostolos intelligentia Scripturarum invecta est in Ecclesiam; & cum apud illos non sit vna, nec vera Apostolorum successio, nec scriptura erit. Denique ex verò non sequitur falsum; illi autem ex illo, 1. Cor. 2. *Spiritus omnia scrutatur*, inferunt Spiritum Sanctum non esse Deum. Et ex illo Ioann. 8. *Vos ex Patre, diabolo estis*, colligunt mundum ab isto factum, & sic de alijs. Divus autem Hieronymus omnium sententias etiam falsas solet colligere, vt falsæ reijciantur, & veræ amplectantur: quod pro intelligentia D. Hieronymi est adnotandum. Ex Sixto Senensi lib. 4.

Dico quinto. Neque ratio humana sola sufficit, vt percipiatur verus Sacræ Scripturæ sensus. Est contra Petrum Abaylardum, & plures Hæreticos. Sed hoc falsum est nisi rectè intelligatur. Dicitur enim, 2. Petr. 1. *Omnis prophetia propria interpretatione non fit; non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia*. Idest Sacræ Scripturæ explicatio, & quia vniversa Sacra Scriptura non ex intellectu humano, sed ex divina habetur revelatione, nedum effectivè, quia illius notitia est à Deo revelante, sed etiam obiectivè, quia mysteria quæ continet, rationem superant naturalem, vt Trinitas, Incarnatio, Eucharistia, Iudicium, & alia huiusmodi.

Ratione etiam ostenditur, quia si ratio humana, & naturalis valeret sensum scripturæ investigare; vel esset propria, vel aliena: non propria, quia etiam in humanis, nil tam certum est, vt intellectus hominis non possit diversum sentire, & in alteram partem declinare, & saltem in contingentibus, alijs rationibus mutare Iudicium; cum hoc sæpè fallatur vt constat. Respectu verò divinorum, cum intellectus se habeat, vt oculus noctuæ respectu Solis, quis humanæ rationis modus? cum videamus in scientijs nil iam fixum, & certum reperiri, cum tot sectæ, & scholæ inductæ fuerint, quid in historia? cum vox vna cũ altera nõ conveniat. Et quod magis mirandum, etiam in ipsa Theologia, & in rebus ad salutem conducentibus, contentione partium omnia in disputationem variam conversa.

Sed quid de ratione aliena? cum conspicuum sit, quod nullus ferè hominum alterius iudicio acquiescat. Et vt dixit Martialis: facilè quis alium ditiorem, & robustiorem fatebitur, sed suo præstantiorem ingenio nullus invenietur cõcedere. Hinc proprias cogitationes licet futiles, & exiles alienis, etsi certissimis præfert. Sed hoc non obstante dicimus, quod vbi fides non contradicit, nec additum præcludit, nec mores, nec Patres interdicunt; libera est rationis electio, vt v. g. si sint duæ eiusdem loci interpretationes, vel diversæ, vel dissidentes, qua tamen fides Catholica capit, liberum etiam erit, vtram vellis eligere partem.

Dico sexto. Fides Divina, & Catholica est regula requisita, & prævia ad Sacræ Scripturæ intelligentiam. Pro quo not. quod Ecclesia, & fides priores sunt ipsa Sacra Scriptura, cum vt ex ipsa colligitur, primos libros Moyses scripsit iam fideli populo, quod non solũ in veteri, sed etiam in novo id contigit, cum multi fideles extiterint ante Evangelium. Est etiam fides, & Ecclesia notior, quia per Ecclesiam innotescit nobis, quæ sit vera scriptura, quæ recipienda, quæ verò reijcienda veniat.

Probatur ergo conclusio, ex Isai. 7. vbi dicitur: *Si non credideritis, non permanebitis*. Septuaginta, & alij legunt: *Si non credideritis, non intelligetis*. Et Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis dicit: prius Sacræ Scripturæ Auctoritatibus colla subdenda sunt, vt ad intellectum per fidem quisque perveniat, & lib. 15. de Trinit. cap. 1. vt intelligat homo, debet prius credere. Et Ioann. 5. Petrus dixit; *Nos credimus, & cognovimus*. Quam regulam sequti sunt Patres in expositione Sacræ Scripturæ. Explicaturus Augustinus librum Genesis ad litteram inquit, Ante tractationẽ huius libri fides Catholica explicanda est. Et iterum: In locis, & varijs intelligentijs illud tantum sequendum est, quod vera fides præscribit.

Ratio autem, & congruentia optima esse

esse potest. Quia sicut ex Arist. 8. Physicorum, & D. Thom. 1.p. q. 2. art. 2. in motibus necessarium est devenire ad vnũ movens immobile, quod cætera moveat, & gubernet; sic etiam in speculabilibus, & actibus intellectualibus, omnis cognitio reducenda est ad principiorum intelligentiam, quæ certa sit, & firma: sin minus, si in illo principio error accidere posset, nulla esset certitudo in sequentium conclusionum intelligentia, & cognitione. Ex quo in moralibus omnis operatio reducitur ad synderesim, quæ norma existit operabilium: ergo similiter in Sacræ Scripturæ intelligentia, necessarium est aliquod statuatur principium firmum, & stabile; & cum nullum aliud assignari possit ipsa fide firmius, & stabilius, illa vt primum principium statuendum est, respectu scripturarum intelligentiæ.

Non negant Hæretici hanc doctrinam, cum etiam ipsi dicant, & adstruant fidem pro norma, & regula, ad quam omnis scripturæ interpretatio redigẽda est. Sed mirum quam varij reperiuntur in hac regula assignanda. Dum alij scripturam, alij Concilia, alij traditiones, vel Patres, &c. Sed vnusquisque iuxta suum captum, & intelligentiam, & futilibus argumentis, & rationibus debilibus. Nos autem dicimus, regulam esse ipsam scripturam, & supradicta, sed non nisi, vt concordant cum fide Catholica, quæ primũ, & principale principium debet esse, ad cuius amusim cætera coordinari debent.

Dico septimo. Intelligẽtia Sacræ Scripturæ, maximè pendet ex traditionibus Ecclesiasticis, & Apostolicis. Vnde dixit D. Petrus apud D. Clement. lib. 10. recog. nit. Traditionem esse clavem verbi Dei; absque dubio eam de qua Christus Luc. 11. reprehendit legis peritos, *quia tulistis, inquit, clavem scientiæ*. De quo Cano latissimè lib. 3. vbi ostendit, & dicit traditiones esse Sacræ Scripturæ commentaria, & lib. 7. cap. 4. Ecclesiam interpretari Sacram Scripturam, ex traditione maiorum, & commune Catholicorum proloquium est, omnem legitimum sensum scripturæ, ex traditione dimanare.

Semper ergò Ecclesia, & Patres in Sacris exponendis Scripturis traditionem attendunt, & illa quasi certissima regula vsi sunt. De quo Augustinus epist. 174. quia cum præcipuum nostræ fidei dogma sit Trinitatis confessio, qua vnum Deum in essentia, & triplicem in Personis, æqualibus natura, potentia, &c. Ex quibus Pater ingenitus, Filius vnigenitus, & Spiritus Sanctus ab vtroque procedens, &c. quæ licet certissima; obscure tamen in Sacra continentur Scriptura, & ex traditione Ecclesiæ clarè habetur, vt constat ex Nicena Synodo prima, & alijs.

Et ad particularia devenientes de B. Virgine plura tenet Ecclesia traditione, quæ alias non nisi obscure continentur, de Christo dicitur, Luc. 1. *Quod ex te nascetur Sanctum*. Ex quo per Theologiam benè deducitur, quod si Filius Dei sit nasciturus ex Virgine, ipsa quoque Filij Dei Mater sit dicenda, licet ab ea tantum naturam acceperit, licet hæc deducantur ex scriptura, sed ex illa solum videtur inferri esse Matrem Christi, vel pueri Iesu. Synodus tamen Ephesina legitimam tradit expositionem ex traditione, vt dicit D. Thom. 3. p. q. 35. art. 4.

Idem dicendum de virginitate B. Mariæ, ex illo Isai. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium*. Et Ezech. 4. dicitur de Virgine. *Porta hæc clausa est, per quam vir nullus transiturus est*. Quod autem ex his locis perpetua virginitas inferatur, ex traditione accepit Ecclesia. Idem circa peccatum originale, nam loca quæ de hoc tractant, possent explicari de peccato originali per imitationem, vel exemplũ; & tamen ex traditione Ecclesiæ, habetur quod verè cõtrahatur originale. Et quæstio illa de rebaptizandis, diffinita est ex traditione ex Augustino lib. 5. de Baptismo ad Vincentium. Sed sciendum quod talis interpretatio ex traditione, debet esse quæ pro conclusione infertur, & cõcluditur. De quo videantur Bellarm. Stapleton. Gravina, & alij.

Dico vltimo. Certa etiam regula interpretandi Sacram Scripturam est consensus Patrum, quando vel omnes idem te-

nent, vel magna pars, reliquis non repugnantibus, vel tacentibus de re ad fidem pertinente, non de subtilitatibus, quæ salva fide ignorari possunt, vt de Paradyso si extet? Vbi degat Helias? Et alia similia. Quia Lucæ 12. Doctor & Magister constitutus à Domino super familiam debet illis impertiri in tempore tritici mensuram, nempè panem vitæ, & intellectus, intelligentiam inquam eloquiorum Dei. Et Ioann. 21. dixit Petro, & in illo omnibus Pastoribus: *Pasce oves meas*. Et Paulus 1. Corin. 12. *Dedit quosdam Doctores, &c.* Et in Lateranensi, & Tridét. sess. 4. etiam in fidei professione præcipitur Doctoribus, & Magistris interpretari Sacram Scripturam, iuxta vnanimen Sanctorum Patrum consensum.

Deinde, quia debemus fidem accómodare ipsis traditionibus; hoc autem neque nobis, neque ipsi Ecclesiæ, nisi per scripta Sanctorum Patrum competit; & sic continuo præ manibus versanda sunt. Et quia ex D. Thom. q. 24. de Verit. art. 1. quãto aliquod corpus mobile, est propinquius motori, tanto maior vis imprimitur corpori moto. Similiter quanto propinquius est primo ignienti, perfectius etiam ignit. Cum igitur primus Doctor Scripturæ sit Spiritus Sanctus, per Ecclesiam, & Sanctos Patres docens, quanto conformior erit scripturæ interpretatio, Sanctorum Patrum consensui, tanto verior illa erit. Hos enim elegit tanquam fontes, & canales, per quos in sequentes transfunderet notitiam, & sensum scripturarum.

Confirmatur hoc ex D. Thoma 2. 2. q. 174. ar. 6. vbi agẽdo de prophetia inquit, quod quãto fideles proximiores fuerunt temporibus Christi, & Apostolorum, tanto vberiora charismata Spiritus Sancti consequuti sunt. Nec tamen prohibitum est nobis sensus litterales, & mysticos inquirere, si non discrepent à doctrina fidei, & charitatis. Et quia neque etiam Patres ita insistunt propriæ interpretationi in rebus extra fidem, & bonos mores, quin liberũ sensum relinquant alijs aliàs interpretandi.

Denique sectandi sunt Sancti Patres. Primo, quia viventes erant Magistri, & Doctores suorum temporum, quibus ex instituto incumbebat docere fideles, & Sacræ Scripturæ intelligentiam instilare. Et cum Spiritus Sanctus proposuisset eos regere Ecclesiã Dei, Act. 20. Necessarium erat conferre illis sacrarum intelligentiam scripturarum, qua possent sibi, & vniverso gregi attendere, & oves commissas pascere. Et quia fuerunt testes communis fidei, vel pro tota Ecclesia, vel prò Regione aliqua, & deinceps in Concilio vniversali; & quia Ecclesia, & Concilia, illorum vtuntur scriptis, & auctoritatibus.

Plura obijciunt Hæretici; quia verbum Dei non est alligatum, & si Patribus insistẽdum esset, auferretur spes aliter interpretandi. Et etiã quia fuerunt homines, & sic falli potuerunt, & in aliquos errores lapsi fuere, & sæpè repugnantia scripserint.

Respondetur ad primũ, quod verbum Dei non est alligatum; quia Apostoli vinculis detenti poterant libere loqui. Neque aufertur spes interpretandi, quia vt dixit Lyrinensis etiam sunt infinita hucvsque inconcusa, & in quibus liberum est vnicuique intra fidei, & traditionis cancellos suum intromittere iudicium. Et Patrum auctoritas sequenda, nõ quia homines, sed quia pastores erãt, quo in munere si omnes errassent, similiter Ecclesia omnis errasset ipsis labentibus, quod est impossibile. Et cum discordent, standum iudicio Ecclesiæ. De quo Peña in directorio, 2. p. com. num. 27. Gravina lib. Description. & de sacro deposito. Et Monrroy apologia. & M. Baptista apol. ad iudices veritatis.

DVBIVM SECVNDVM.

Vtrum liceat cuilibet Doctori novum sensum invenire?

EXplicatis iam quæ de publica explicatione, & faciente fidem in Ecclesia præmitti visa sũt necessario: superest agere

re de expositione privata; per quos nempè facienda sit? Vtrum scilicet quilibet fidelium id possit? Quod facilius præstabimus si prius in memoriam revocemus; in qualibet Republica triplicem posse excogitari potestatem in leges. Prima, quæ auctoritativè potest, & leges condere, & illas abrrogare, quod munus conditoribus legum competit tantum. Secunda, est interpretandi, & explicandi mentem Legislatoris, quæ omnibus viris doctis, & prudentibus convenit, etiam si à Republica ad id facultatem non habeant. Tertia, denique quæ mixta vocari potest, & quã Aristotelis Epichejam nominat per quam absque abrrogatione legis, suppletur id quod videtur omissum, aut quod si in tali adesset casu Conditor legis efficeret, quæ præcipuè residet in Reipublicæ Magistratibus, & si non pari potestate cum Legislatore. Sed ex D. Thoma 1.2.q.96. art.6. & 2.2.q.120.art.2. Archiepiscopus Tapia tom.1.lib.4. de legibus, q.18.art.2. in subdito ponit Epijkiam, & in superiore posse interpretari, & dispensare in lege, sed hoc intelligitur absolutè; sed non in casu particulari, in quo subditus non servat legem, quia deficit à rectitudine. Ita Cayetanus, & alij.

Pari etiam passu philosophandum est, in Sacræ Scripturæ interpretatione, & expositione hæc tria reperiri. Prima ergo potestas revelandi, & quasi ferédi legem, propria Deo censetur in Republica Ecclesiæ, ipse enim solum ex dictis revelare potest scripturam, quæ Sacra, & Divina sit. Tertia, auctoritas quasi mixta residet ordinarie in Summo Pontifice, cui Matt.16. dictum est in persona Petri: *Pasce oves meas*, nempè doctrinæ verbo. Extraordinarie autem reperitur in Concilijs legitimè congregatis, quibus solis convenit interpretationem facere, quæ authentica, & juridica sit, & cui omnes fideles assentiri teneãtur, & si novam (vt dictum est) non possint condere scripturam.

Secunda, autem potestas interpretandi, & explicandi citra vim cogentem, cõpetit omnibus, qui pro studio in lege Domini meditantur; & captivantes intellectum in obsequium fidei, Dei mentem in sacra exquirunt doctrina; quorum duo sunt ordines. Alij quos percipimus scientiæ magnitudine, vitæ sanctitate, & miraculorum splendore exornatos quibus, & si necessario parendum non sit, temerarium tamen iudicandum, communi eorum contraire consensui, de quo supra. Alij sunt de quibus tantam plenitudinem accepisse ignoramus, vti sunt alij Expositores, & Interpretes, quos possumus non recipere, & liberum est illis refragari. Et de his inquirimus vtrum cuilibet eorum liceat novum sensum invenire?

Quod non liceat videtur apertè prohiberi in decreto. dist. 37. cap. *relatum*, vbi ex D. Clemente epist.5. dicitur. Non nisi ab his, qui à maioribus dedecerint, & omni scientia imbuti sint, scripturam explicandam esse. Et in 6. Synodo gener. actio. 13. in epistola Sophronij. & Constantinop. in Trul. Canone 19. & Peña in direct.2.p.q.2. Commen.27. regula 4. & Cano lib.7. cap 3. conclus.5. Æleazar annot. 19. proem. & Ribera in proemium Agæi.

His tamen non obstantibus contrariũ dicendum venit cum Bañes 1.p.q.1.ar.10. dub. 6. Iulio Rugerio Opuscul. de sensibus, cap. 3. nec refragatur Cano, cum limitationibus statim apponendis, quæ ad tres reduci possunt. Prima, quod talis sensus sit verus. Secunda, quod congruat Sacræ Scripturæ, & Patribus. Tertia, quod conducat ad charitatem, & morum instructionem. His enim servatis conditionibus licitum dicimus, cuilibet Doctori Christiano novum sensum adinvenire. Sed supponendum, vt optimè advertit Bañes, aliud esse sensum esse contrarium Sanctis Patribus, aliud esse distinctum; illud prohibitum in Trident. sess.4. Vbi præcipitur non interpretandam esse Sacram Scripturam contra vnanimen consensum SS. Patrum; diversum autẽ posse invenire in præsenti adstruimus.

In qua Tridentini prohibitione observandum, consultò in illa dici, contra vnanimen consensum SS. Patrum. Quia vt do-

docet Cano citatus conclus. 2. Vnius, aut alterius Sanctorum auctoritas, etiam in his quæ ad sacras litteras, & doctrinam fidei pertinent, probabile præstant argumentum, sed non firmum. Imò etsi plures conveniant, pauci tamen reclament, non omnino stabile subministrat argumentum. At verò si omnes in Sacrarum litterarum expositione conveniant, illis contraire non licet, quia (inquit Cano) Sanctorum omnium sensus, Spiritus Sancti spiritus est censendus, videatur Scalan. lib. 7. cap. 10. & in hoc sensu Tridentini prohibitio intelligenda venit.

Probatur ergo. Primo nostra conclusio, quia ex supradictis cum D. Augustino lib. 3. de doctr. Christiana, cap. 27. & D. Thoma q. 4. de potent. art. 1. omnis sensus ædificativus charitatis, & non contrarius cōtextui fuit prævisus à Spiritu Sancto, sed sensus qui tribus gaudet conditionibus propositis talis esse videtur; ergo. Secundo, quia vt ipsa dicit Sacra Scriptura, Spiritus Sanctus multiplex est, & fœcundus. Sapien. 7. Vnde Vincentius Lyrinens. Opusc. contra prophan. novit dixit. Pene quot sunt homines, tot ex Sacra Scriptura sententiæ erui possunt. Et D. Chrisost. homil. 13. in Genes. inquit: Sacram Scripturam similem esse fonti scaturienti, cuius aquam siccare non potuerunt, qui nos præcesserunt, sed amplius sufficiunt, & novas fundunt nobis, & his qui post nos venient; neque sic tamen evacuari poterunt, sed magis augescent, & crescent.

Probatur etiam ex Hieronymo ad Augustinum epist. 89. à quo cum reprehenderetur, quod novas Sacræ Scripturæ translationes molireturs retorquet in illum novas suas expositiones in Psalmos post antiquos. Et dicit licere vtrisque post veteres Scriptores noviter Sacram Scripturam interpretari. Denique ex verbis Cayetani initio Commentariorum in Genes. sic loquentis. Si quando occurrerit novus sensus textui cōsonus, quamvis à torrente Sacrorum Doctorum alienus (sed non contrarius addendum) æquū se præbeat Lector censor. Et postea, nullus, ait, detestetur novum Sacræ Scripturæ sensum, ex hoc quod disonat (idest diversus est) à priscis Doctoribus: nō enim alligavit Deus expositionem Sacrarum Scripturarum sensibus priscorum Doctorum, sed scripturæ ipsæ integræ sub Catholicæ Ecclesiæ censura. Alioqui spes nobis, & posteris tolleretur exponendi Scripturam Sacram, nisi transferendo, vt aiunt, de libro in quinternium. Quæ verba postea trutinabimus, egent enim Lima, ex Cano citato.

§. I.

Exempla circa novos sensus.

Deinde probatur conclusio, vno, vel altero exemplo. Primum sit, ex illo Luc. 1. Vbi B. Virgo Angelo respondens, inquit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Asserit Bañes, ita explicatum audivisse, vt per eam potius Angelus examinaretur, quam ab eo aliquid discere intenderet. Cum ergo B. Virgo Prophetarum omnium scripta Spiritu Sancto illuminante, nō minus quam Prophetæ intellexisset, cognoscebat profecto Virginem, quæ conceptura erat Dei Filium, non ammissuram virginitatem, sed Spiritus Sancti genituram, pariturамque virtute. De quo D. Thom. 3. p. q. 27. art. 5. ergo non interrogabat, vt erudiretur, sed potius vt examinaret prudenter, vtrū Angeli nuntium, cum Prophetarum vaticiniјs concineret? qui sensus cum ad Virginis dignitatem extollendam sit vtilis, & ratione fundetur, non vitiosam, sed laudabilem continet novitatem.

Secundum sit ex Ioann. 20. dum Christus dixit Magdalenæ: *Noli me tangere*; quæ verba diversimode sunt explicata; & Divus Augustinus tract. 121. in Ioann. sic elucidavit, nondum enim in corde tuo, & fide tua æqualis sum Patri. Sed alius sic. Ac si Dominus dixisset. Non sis occupata in me tangendo, nondum enim discedo: nā totos quadraginta dies apud vos futurus sum, quibus me per otium contingere, & amplecti poteris, sed potius

tius

tius festina ire ad Apostolos meam renuntiare Resurrectionem, qui etiam sensus aptus esse videtur.

Placet denique subijcere illa verba Christi, Matth. 11. *Pauperes Evangelizantur.* Quæ communiter de paupertate intelliguntur, qua discipuli armati mundū Evangelio subiecerunt. De quo Chrisostomus. Et ab omni temporalium rerum cura liberatos, &c. Alij verò de ipsis intelligunt Apostolis noviter, sed iam Theophilatus ante. Pauperes autem qui Evangelizantur intellige, vel Apostolos Evangelium prædicantes (pauperes enim erant, & piscatores, & vt privati contéptibiles) Quod concludamus verbis D. Augustini lib. 1. de Genes. ad litteram cap. 18. sic loquentis. Si qua divina scripta in rebus obscuris legerimus, quæ possunt salva fide alijs parere sentētijs, in nullam earum nos præcipiti affirmatione, ita proijciamus; vt si forte diligentius discussa veritas eam rectè labefactaverit, corruamus: non pro sententia divinarum Scripturarum, sed pro nostra est, cum potius eam quæ Scripturarum est, nostram velle esse debeamus.

In Concilio ergo Trident. & Lateran. sub Leone 10. Can. 11. & alijs statutum est, vt nemo prudentiæ suæ innixus in rebus fidei, & morum ædificationem ad doctrinam Christianam, Sacram Scripturam ad novos sensus detorqueat. Quod si innitatur eidem Sacræ Scripturæ (vt D. Augustinus dixit) fieri poterit. Sicut etiā si non sit contra Sanctorum PP. doctrinam, licet sit præter illam. Optimè D. Bernardus *Super missus est* homil. 4. dicens, & excusans suam novam expositionem. Sed si quid dictum est post Patres, quod non sit contra Patres, nec Patribus arbitror, nec cuiquā displicere debere. Idem Gregorius proemio expositionis Regū, excusans novas suas expositiones. Videatur Alcazar in Apocalipsim plura circa hoc adducens.

Ad auctoritatem Sanctorum Patrum, & Conciliorum suadentium veteres sequendos, nil novi tentandum, & innuendum per semitas antiquas. Respondetur id omne dici, & afferri contra Hæreticos, qui vt novam doctrinam confirment abutuntur scripturis; & ad stabiliendam doctrinam, & fidem novam, novas expositiones commiscuntur. Et nihil mirum, quia si vt dixit Seneca: scelera sceleribus deffendenda sunt, etiam nova doctrina, nova intelligentia fulciatur. Non enim prohibent Patres, & Concilia fidem veterem, & antiquam, nova expositione confirmare, vt dixit Origenes homil. 22. in Numer.

Sed inquiret aliquis, cui hæc nova explicatio permittatur; vtrum omnibus, vel illis tantum qui ex munere docent, & Doctoris Laurea fruuntur, vt Episcopi Doctores, & Lectores Theologiæ? Hoc rationabilius amplectēdum videtur: quia cum in professione fidei præscripta à Pio IV. his omnibus hoc præcipiatur, quod non explicent Sacram Scripturam, nisi iuxta vnanimem Sanctorum Patrum cósensum, & id quod semper tenuit, ac tenet Sancta Mater Ecclesia: illis solis permitti videtur scripturæ explicatio, quibus forma perscribitur eam explicandi. Et quia tales cum egregiam in litteras operam navaverint, aptiores ad hoc munus iudicandi videntur.

§. II.

De mente Cayetani.

IAm ad verba Cayetani, vt nostræ resolutioni opponi possunt, placet respondere cum verbis Magistri Cano (& si in tantum virum nimis acriter calamum acuerit, & verba diffuderit). Inquit ergo Cayetanus: non alligavit Deus expositionem Scripturæ Sacræ, priscorum Doctorum sensibus, &c. Respondet Cano: Imò verò alligavit si omnes in eandem sententiam cócurrerint. Tenentur enim vniversi Catholici sensum Ecclesiæ sequi; sensum autem Ecclesiæ fuisse, qui idem fuit Doctorum Ecclesiasticorum omniū, constat. Et si fidei quæstio occurrerit, maiorum antiquam in ea re fidem, & inquirit, & sequitur. Spes obijciunt, nobis,

bis, & posteris tolletur exponendi Sacras Scripturas, nisi transferendo de libro in quinternium. Sed contra, quia in Sacris Blibijs multi adhuc reperiuntur loci, & difficultates, imò, & libri, qui magna indigent Expositorum diligentia, vt constat, in quorum enodatione iuniores vires, ingenij, & eruditionis impendere possunt. At Cayetanus de novo sensu, non de contrario PP. locutus est, & sic non tanta dignus animadversione.

In antiquorum etiam monumentis multum laborare possumus, scilicet novitatem dare, obscura elucidare, dubijs fidem adferre, & etiam stylum immutare. De quo elegantissimè Lirinensis citatus. Sed præmenda illa verba. Quodcumque igitur in Ecclesiæ Paradiso, Dei agricultura, Patrum labore satum est; hoc idem filiorum industria colatur, floreat, maturescat, proficiat. Accipiant ergo evidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem. Det finem Ezech. cap. 34. *Suscitabo super eam Pastorem vnum, qui pascat eam; ipse erit eis in Pastorē.* Cui addatur pro Colofone dubij Ierem. cap. 3. *Dabo vobis Pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina*, qui sine dubio fuere Apostoli, & postea Patres, & Ecclesiæ Doctores.

§. III.

Circa sensus novos eruendos.

IAm præsenti dubio manum admoveram, sed pro tutando novo (sed non adverso) sensu, iterum illam apponere placuit. In medium ipsam proferendo Ecclesiam, cuius triplex exemplum, omissis alijs, proponamus. Primum, sit Lucæ 1. ad illa verba de Virgine, quæ cum audisset turbata est in sermone eius, &c. D. Bern. ita exponit: turbata. Quia nihil ita humilē conturbat ac proprias audire laudes. Ita planè, sed Ecclesia, ita explicat. Et expavescit Virgo de lumine: licet enim Angelorum assistentia, familiaris esset Virgini vt constat, quia tamen tunc ex Gregorio summum mysterium anuntiare veniebat, summe exornatum fulgidumque, & lumine amictum Virginis aspectui efferre se debebat: & hac de causa fuit turbata, vel attonita.

Sit secundū, ex Sapient. 18. Cum enim quietum silentium tenerent omnia, &c. Omnipotens sermo tuus de Cœlo à regalibus sedibus durus debellator in mediam exterminij terram prosilivit, &c. Qui de transitu Angeli percutientis prime genita Ægyptiorum, Exod. 12. Et tamen Ecclesia, Dominica intra octavam Nativitatis, Christo recenter nato in medio noctis applicat, & explicat dicens: Dum mediū silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter perageret, omnipotens sermo tuus Domine à regalibus sedibus venit.

Tertium, denique sit ex Psalm. 2. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quæ de æterna Christi generatione plures Psalmi Expositores: alij cum Apost. Actuum 3. de Resurrectione, ac tandem ipsa Ecclesia intelligit, & explicat de ipsius Nativitate, vt patet ex Missa mediæ noctis Nativitatis dum incipit: Dominus, &c. *Ego hodie genui te*, quia tunc res dicitur fieri cum manifestatur, & in aliorum venit notitiam. Dices hos sensus mysticos esse, non inficias ita, sed in exemplum, & normam sunt adducti, & fortè primus, & tertius (si non etiā secundus) litterales possunt censeri, cum vterque possit esse intentus, & prævisus à Sacro Scriptore.

DVBIVM TERTIVM.

Quibus præsidijs, & regulis munitus, possit quis accedere ad inquisitionem sensus Sacræ Scripturæ?

CVm Sacra Scriptura omnium aliarum scientiarum Domina, & Regina existat, ad sui intelligentiam omnes advocat, & vt sibi deserviant, præcipit ex D. Thoma 1. p. q. 1. art. 5. iuxta illud Prover. 9. *Misit ancillas ad arcem, &c.* Sed ante omnia fidei lumen, vt iam diximus

præ-

præire necesse est ex illo Isai. 7. *Nisi credideritis, non intelligetis.* Et Augustinus serm. 5. de verbis Domini: Prius hæreamus per fidem, vt vivificemur per intellectum. Et expositio quæ in hac vita fit, nil intuetur, nisi per fidem fit.

Qua supposita, ad scientias prærequisitas devenientes, in duo capita illas distinxit Sixtus Senen. scilicet in topographiã, quæ descriptiones Regnorum, Vrbium, fluminum, &c. exhibet. De quo Montanus in libro Phaluc; & in Chronicam, quæ annos, menses, dies observat, ex quibus variæ diiudicantur dubietates, de quo Petavius, Genebrardus, Hordonus, & alij. Tamen Villavincëtius aliter dividit scientiarum numerum. Scilicet in Logicam, idest in scientias, quæ agunt de sermone, quales sunt, Grammatica, Dialectica, & Rethorica; Grammatica divisa in Hebræam, Græcam, & Latinam, quæ valdè conducunt; vt illud Genes. 24. Egressus Iacob, vt meditaretur in agrum, idest vt oraret, iuxta illud Virgilij: Sylvestrẽ tenui Musam meditaris abena: Græca, & Hebræa valdè conducunt, sed non simpliciter, cùm plures libri de hoc suppetant. Dialectica dividitur in ipsam Dialecticam, Arithmeticam, Geometriam, Musicam, & Astronomiam, quarum necessitaté valdè exagerat Augustinus. sine Astronomia librum Iob, sine Musica cur spiritus malus Saul reliquerit David pulsante; sine Geometria, totum Ezechielem, sine Arithmetica, tot Numerorum computationes. Sine Dialectica, quid antecedens, quid consequens, quid sequatur, &c. Rethorica opportet ad tropos, & figuras intelligendas. Si Physicam ignorat etiam multas similitudines vt renovabitur, vt aquilæ iuventus tua. Si Philosophiam fabularum, quid de Phitone, 1. Reg. 14. & de insigni Castorum, Actuum 24. de Adonide Ezechiel. cap. 8. poterit intelligere? & sic de alijs.

Si ethicam, politicam, & economicam non calleat, ignorabit plura. Sicut & historiam prophanam, non percipiet plurima Danielis de Monarchijs Persarum, Græcorum, &c. & etiam circa Machabæorum libros. Consideranda est etiam connexio antecedentium, & consequentium, observatio phrasium, Sacræ Scripturæ; facienda etiam collatio locorum inter se. Adhibenda etiam alia media intrinseca, vt oratio, iejunium, frequens studiũ, &c. De his, & alijs plenissimè August. lib. de Doctrina Christiana. Driedo lib. 10. de Sacra Scriptura. Arias Montanus in præfationibus, & alij. Veniamus iam ad regulas.

§. I.

Regulæ pro intelligentia Sacræ Scripturæ.

PRima sit regula vt sensus Sacræ Scripturæ integer servetur, vti fundamentum totius structuræ. In primis ergo expendendum, quot habeat vox significationes, vt in illa Ioann. 13. *In finem dilexit eos*, ly, in finem, plurima significat. Augustinus in illud Psal. 137. *Confitebor tibi Domine*, quam plura expendit. Iam si vox vnam habeat significationem, debet præmi si communis, si individualis, si vnivocè, vel analogicè conveniat, vt optimè D. Ambrosius expedit illud Lucæ 1. *Quoniam multi conati sunt.* Idest valdè, & toto nisu.

Distinctionem significatam penes activè, & passivè consideravit rectè D. Leo explicans illud ad Philip. 2. *Exinanivit semetipsum*; ostendens propria voluntate non aliundè humiliatum &c. Ex consideratione etiam temporis, subtiles colligit considerationes D. Thomas opusc. 61. cap. 14. ex illis verbis Marthæ ad Christũ *Ecce quem amas infirmatur.* Quem amas dicit in præsenti, non quem in præterito amasti. Ex consideratione etiam personæ loquentis advertit D. Augustinus, quod Christus loquens de sua Persona loquitur in tertia Persona: *Filius hominis tradetur, &c.* Alij in prima, vt David: *Veni in altitudinẽ maris, ego sum vermis*, vt sciremus ita pati, ac si in alia Persona pateretur.

Secunda regula, quantum ad ethimologiam vocis, & occasionem impositio-

nis illius si consilio, vel casu, propriè, vel metaphoricè. Quis primus vsum vocis obser vavit. Vt Hebræor. 2. *Semē Abrahæ aprehendit.* Consulto non dixit suscepit, sed vsus est hac dictione, aprehendit, à metaphora eorum qui persequuntur fugientes, & omnia faciunt, vt illos comprehendant: sic Deus naturam humanam. Longè enim eramus, sed nos comprehendit motus sola nostri charitate.

Tertia regula, verba debent conferri, & referri ad alia, vt ex antellatione, & ex coniunctione possit elici sensus. Ita Bernardus ad illa verba, Ioann. 1. *Erat lucerna ardens, & lucens.* Prius dicitur ardens quam lucens, quia lux ab ardore, nō ardor à luce. Et Chrisostomus in illud Matth. 2. *Tolle Puerum, & Matrem eius;* non dixit Matrem, & Puerum, sed Puerū, & Matrem, quia non propter illam Matrem, ille Filius natus est, sed propter illū filium præparata est mater. Considerari etiam debet vtrum sit aliqua relatio, vel connexio inter ipsa verba, ita vt vnum aliud ampliet, vel restringat, vt causa, vel effectus. Ita Augustinus in illud Psal. 95. *Confessio, & pulchritudo in conspectu eius.* Prius dixit confessionem, vt sequatur pulchritudo.

Quarta regula, nullum verbum in Sacra Scriptura superfluum censeri debet. Ita Bernardus. *Aperiens os suum docebat eos.* Matt. 5. Chrisostomus, cum semper Christus doceret operibus, vt hæc intelligatur docere verbis, illa verba præmittit. Augustinus, qui quondam aperire solet ora Prophetarum, nunc ore proprio loquitur ad Hebræos 1. Expendi etiam debent verba, quæ antecedant, & sequantur auctoritatem. Vt Psalm. 110. *Memoriam fecit mirabilium suorum.* De Eucharistia, in memoriam operum Dei instituta. Si sequentia attendantur novus elicitur sensus: scilicet quod Deus illam instituerit, vt sit illi recordatio gratiæ suæ nobis impendendæ. Sicut dicit de arca Noe, Genes. 9. quod colligitur ex verbis sequentibus: *Memor erit in sæculum testamenti sui;* ac si diceret; huius recordatione, Deū promissorum suorum nunquam oblitum fore.

Quinta regula, plures etiam circumstantiæ præmittendæ sunt, vt persona loquens, cui loquitur, locus, tempus, occasio, finis, modus, &c. Ita ille Eunuchus Candacis Reginæ Æthiopū legendo Isaiā Prophetam, a Philippo personæ circumstantiam petit, vtrùm scilicet Propheta de se ipso an de alio loquatur? Rationes etiam loci, & personarum. Ambrosius expendit ascensum Christi in montem, & prædicationem. Dicens, adverte omnia diligenter quomodo cū Apostolis ascendat, & descendat ad turbas; infirmi enim in excelsis esse non possunt. Et Chrisostomus in illud: *Audistis quia dictum est antiquis.* Lectio est antiqua, sed nova tractari, & proponi debent, non iam tanquam parvulis, sed vt viris perfectis.

Sexta regula, debet scrutari congruentia sentētiæ, vt fuit Bernard. in illud Matt. 19. Sedebitis iudicantes. Hæc duo Sanctis rectè esse promissa, sessionem, & iudicium; sessionem contra laborem, & auctoritatem contra contemptum. Insuper possunt plures quæstiones moveri, & quot responsa, tot formare conceptus. Rectè Augustinus in illud Psal. 128. *Dominus concidit cervices peccatorum.* Inde argumētatur hoc pacto: nullus salvabitur, quia omnes sumus peccatores. Respondet; verba Psalmi nō de quibuscūq; peccatoribus, sed de superbis qui sua nolunt agnoscere peccata, intelligēda. Videatur ob idem qui de Iacob, & Esau circa illa verba maior serviet minori, plura dicit.

Possunt etiam varij conceptus ex cōparatione, & connexione, contrarietate, ex causa, & ratione. Optimè enim Africanus adnotavit primos mundi dies mane, & sero habuisse, sed de Sabbato nil tale dicitur; & huius discriminis talem affert rationem: quia sic intelligeremus beatitudinem cœlestem per diem Sabbati figuratam, sine nocte esse, idest æternam, & sine vlla mæroris obscuritate. Videatur Augustinus in Psalmis præcipue.

Septima regula, ex ipsa Sacra Scriptura possunt formari similitudines, & dissimilitudines, ex causis, historijs, &c. D. Gregor. in illud, Iob 6. *Nec fortitudo lapidum*

dem fortitudo mea, nec caro mea ænea. Inter afflictos alios esse sicut lapides, qui in tribulatione culpam suam non confitentur. Et alios sicut æs, qui afflicti se reos confitentur. Dissimilia etiam valdè rem exornant. Sic Chrisostomus ad Christi verbum, Matt. 5. *Tu autem cum oraveris clauso ostio, &c.* Et *Pater tuus reddet tibi*: dicit in hoc differre Deū à Principibus terræ; quod hi ad summum dant aliquid postulantibus: at Deus, quasi beneficium acciperet ab orante, dicitur reddere postulata, quasi debita, vel commendata deposita.

Octavâ regula, potest etiam vti loco scripturæ arguendo ad maiora, antecedentia, & contraria. Ita Chrisologus Luc. 15. de filio Prodigo, *qui in se reversus*, ita argumentatur ad antecedentia, & dicit; ergo antea extra se exierat, & cum non ascendisset supra se, descendisse debuit infra. Et vno verbo, evasisset aliquod irrationale. D. Chrisostomus à causa arguit ex illo, Matt. 6. *Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis*, dicens. Non ergo rogas, vt doceas, sed vt flectas, vt familiaris efficiaris, &c. & D. Bernardus à contrario epist. 32. ex Pauli verbis: *Tribulatio patientiam operatur; patientia probationem, &c.* A contrario inquit in malis tribulatio parit pusilanimitatem, ista perturbationem, &c.

Nona regula, debent etiam variæ attendi translationes. D. Augustinus videns in Hebræo, & vulgata haberi, Ion. 3. *Adhuc, & quadraginta dies Ninive subvertetur.* Septuaginta verò dicunt adhuc tres dies: neutri volens iniuriam inferre, ad mysterium recurrit dicens. Remissionem peccatorum nostrorum pendere è Resurrectione Christi Domini, quæ tribus diebus à morte ipsius perfecta est, & ab Ascensione, quæ post quadraginta. Vel forte dici potest, quod Ionas vsus est verbis æquivocis, vt suspensos redderet peccantes.

Decima regula, proverbia phrases, & locutiones Sacræ Scripturæ expendere opportet, de quibus Arias Montanus in libris de Ioseph, & Ieremia. Et latissimè Bartholomæus Besthamerus correctus à Villavincētio. Sit pro phrasum intelligentia exemplum. Ezech. 36. minatur Dominus populum, & dicit: *Ascendistis super labium linguæ*; obscura sanè locutio, sed Hispanus facilè intelligit; dicere enim solemus de his qui populi fabula facti sunt, & de quibus male loquitur. *Le llevan en lenguas.* Eodem modo versu tertio dicitur verbis ipsius Dei. *Levo manum meam.* Et Exod. 6. dicit Deus: *Eo daturum Israelitis terram pro qua levavit manum.* Et etiam Numer. 14. Hispanice facilè intelligitur, cum à pueris aliquid vt faciunt exigitur, illis dici solet, *que levanten el dedo*, quod apud illos quasi forma iurandi habetur.

Iam difficilis locus, explicandus venit. Ioan. 2. in nuptijs Canà Matri respondit Christus: *Quid tibi, & mihi mulier?* Refutatis Hæreticis, qui indè nullum comercium cum Matre, & sic nec eius esse Filium contendunt, & aliquibus Catholicis reiectis, qui in Matre aliquam gloriam in miraculi petitione intercessisse putant. Contra quos Tridentinum expressè definivit sess. 6. can. 23. Si ergo stylum, & phrasim Sacræ Scripturæ inspiciamus videbimus Christum illis verbis non modo Matris dignitati non derogasse, sed summo modo obsequentissimum se illi exhibuisse; ex illo Luc. 4. de Dæmonibus: *Quid tibi, & nobis Iesu Nazarene?* Quasi dicerent; nihil contra te facimus, in nullo te læsimus, vt veneris ad nos perdendos. Et ex illo mulieris Pilati, Matth. 27. *Nihil tibi, & iusto illi.* Quasi diceret. Nulla est causa qua illum condemnes, cum tibi non nocuerit. Ita sic, ac si Christus diceret; nihil tibi, nec mihi tecum Mater, vt non debeam petitionibus tuis favere, & anuntiare: quod sic intellectum in Matris cedit laudem.

Vndecima regula, in sensu accommodatitio sequemur vestigia Ecclesiæ, & Sanctorum, de quo iam supra, v. g. D. Thomas in sermone Apostolorum Petri, & Pauli vtitur illis verbis, Genes. 1. *Fecit Deus duo luminaria magna.* Quod semper valdè familiare fuit antiquis. De quo latè

latè Ioannes Decanus in collectanea, & Amuseus in apiario, & Biblia Magna, & Maxima. Quod etiam cum aliqua verborum commutatione facit Ecclesia aliquando, vt vidimus in fine dubij præced. Et D. Bernardus serm. 1. in Vigilia Natalis Domini, vsurpans, & mutans illa verba, Marc. 12. *Fratres hic est hæres* devote suscipiamus eum, & nostra erit hæreditas.

Duodecima regula sit, considerare genus, & species causæ, & effectus, & alia loca topica. Optimè Gregor. lib. 5. moral. à cap. 5. explicat illa verba, Iob. 4. *Vidi eos qui operantur iniquitatem flante Deo periisse.* Non abs re, dicit, malos perire per flatum Dei: quia sicut flatus quo aliquid à nobis repellimus fit retrahendo, & quasi prius sorbendo eundem aerem, quem reflaturi sumus, ita Deus non punit malos nisi prius accepta, & quasi retracta occasione à nobis ipsis, & peccatis nostris, & ita ab exterioribus causis consilium concipit, & sententiam emittit.

Iam pro coronidè magnum audiamus Basilium, qui illud Psal. 25. *Vox tonitrui tui in rota*, explicans de Prædicatoribus docet ex Philosophia; quod sicut corpus perfectè sphericum nó tangit planum nisi in puncto; ita Prædicatores, quorum vox tonitrui est, debent à rebus terrenis ita avelli, vt eas nisi necessitatis causa, non tangant. Similiter idem expendens illud Matth. 1. *Quod enim in ea natum est, &c.* Acute colligit Christum ab ipso iam matris vtero hominem fuisse perfectum. Quia cum naturaliter non nascatur homo, nisi perfectè formatus, & organizatus: sic Christus quando in eo, scilicet in Virginis vtero natus est, iam erat perfectè formatus. Quod clare dixit Cayetanus dupliciter nempè Christum dici natum, & duplicem habere Nativitatem; prima, quando conceptus est in ea; secunda, quando in Bethlem in lucem prodijt.

Plura alia hic adnotanda veniebant; sed studium, & labor R. P. Antonij à Matre Dei magnũ nobis atulere subsidium; dum in præludio 4. de modo adiscendi, & explicandi Sacras litteras optimè expendit rem istam. Cum in dubio quarto exactam methodũ proponit circa regulas in obscurioribus locis servandas, pro faciliori Prophetarum intelligentia, pro sensu litterali; & dub. 5. multiplicem methodum explicandi assignat; (quod antea præstiterat Gravina in fine tomi secundi); & in appendice de vsu eruditionis prophanæ, quantum vtilitatis indè colligi possit, ex Poetis, fabulis, symbolis, erudite ostendit, illuc videnda remittimus.

DVBIVM QVARTVM.

De norma, & methodo, quæ in his regulis applicandis, observari debent.

QVia res in particulari fortius movent sensum, ex Arist. & sic facilius percipiuntur ab intellectu; supradictas regulas ad locum in singulari reducere, & applicare conveniens visum fuit.

§. I.

Expenditur locus Eccles. 2. Præpara animam tuam.

ERit ergo locus lustrandus, Eccles. 2. *Præpara animam tuam ad tentationem.* Primum verbum est, *præpara*, cuius significatio vna est, sed extensa ad plura; cum dicamus nos præparare ad iter agendum, ad cœnam, ad pugnam, ad mortem, ad confitendum, ad communicandum, &c. Ex quo sic eliciam: quod si nulla res tam minima existat, quæ aliquam non requirat præparationẽ; quanto magis necessaria erit ad tentationem superandam, quæ tanto difficilior est? Vel aliter; si congressurus cum homine fragili, prævia, & multa vteris præparatione, quanto magis hæc requiretur si cũ diabolo manum conserturus es; qui Leo rugiens? Non est potestas super terram, &c. Vel etiam quam parum à te Dominus requirat, vt te victorem tam difficilis pugnæ faciat, cum nihil amplius exigat, quã quod tu pro re minima facere velles.

Secundo attende, verbum esse compositũ ex *paro paras*, & præpositione *præ*:

ex quo sic infertur, quod licet certum sit omnem praeparationem debere praecedere rem, cui deservire debet; hoc tanto magis monemur fieri debere ante tentationem, non admodum illorum quos saepissimè tentationes invadunt, imparatos, & infirmos invenientes, & ita succumbunt. Est etiam vox activa, vt doceat in hoc opere me debere divinae gratiae cooperari. In imperativo, quia sic, & modo exequendum est. De tempore praesenti, quia non debet in longum, & posterius tempus differri, cum semper tentationes immineant. In singulari quia vnicuique haec cura peculiariter incumbit, licet praeceptum vniversale sit; in secunda Persona, quia affabilitatis est.

Quoad significationem, & modum, adverte, translatum esse verbum à rebus corporeis ad spirituales; vt innuat non minorem curam impendendam esse in istis, quam in illis. Quoad ethimologiam verbi *Paro*, quae secundum aliquos deducitur à verbo *Pario*, illud notandum significare haec, quod similes dolores (si opus sit) ferendi sunt ad vincendas tentationes illis, quos parturientes perpetiuntur, sed tamen fructum eorum dulcem esse, qualis nativitas filij, & victoria tentationis.

In secunda voce, *animam tuam* nota interdum vox, anima, significare vitam, vt Ioan. 15. *Vt animā suam ponat quis: &c.* Secundo significat facultatem appetitivam ciborum, Psal. 105. *Misit saturitatem in animas eorum*; idest satiavit appetitum ipsorum, & Deuter. 1. *Et volueris vesci carnibus, quas desiderat anima tua.* Ex quo deducitur, quod si anima significat facultatem appetitivam; cibus communis, & frequens illius, qui ad serviendum Deo se accingit sunt tentationes, vt Threnor. 3. *Saturabitur opprobrijs.* Et Psal. 79. *Cibabis nos pane lachrimarum, & potum dabis nobis in mensura.*

Dicit etiam animam in singulari, vt significet summo studio esse curandum à te, cum vnica sit: quod significavit David dicens, Psal. 21. *Salvam fac ex ore Leonis vnicam meam.* Deducitur etiam à voce Graeca *animos*, quae significat ventum, & Graece dicitur, *physique*, à verbo *Physico*, eo quod significat refrigerare: quia tantum vivimus quantum spiramus, vt videas nil tibi futurum in maiori pretio, nec magis necessarium, quam anima tua, & etiam nil debilius.

§. II.

Quid significet tentatio?

Tentatio in primis significat, idem quod probatio, & experimētum de aliquo. Genes. 21. *Tentavit Deus Abraham.* Secundo significat tribulationem. Eccles. 34. *Qui non est tentatus quid scit?* vt significet nullam maiorem probationem, quam sit tentatio. Quia licet dixerit D. Gregorius. Probatio amoris exhibitio est operis. Subiunxit tamen D. Thomas, validiorem esse sustinentiam tentationis. In singulari dicit, vt non terreat novum militem Christi, si ipsi proponat multas tentationes in ipso itineris initio; & etiam *vnica* proposita, vt inijciat spē, quod illa superata pace gaudebit, & securus existet. Potest etiam sumi tentatio activè, quasi accedens ad servitutem Dei ipsum tentes, & probes, vtrum tibi expediēs sit ipsi adhaerere. Sumitur etiam passivè, qua tu proberis ab ipso. Vtrum fidelis illi futurus sis? Ex quo inferes, sine dubio non activè, sed passivè proprius sumendam esse, ideòque te opportere strenuè tentationi resistere, cum scias illam a Deo ideò esse immissam, vt probet num ipsius famulitio aptus futurus sis, vel ineptus?

Ex ipsis etiam verbis simul sumptis: *Praepara animam tuam.* Deduces, omnē curā eorum qui ad Deum accessuri sunt, debere esse, circa animae praeparationem, ommissa corporis cura. Secundo, quod anima tua ex sua natura ornata, & praeparata non est, nec sine praeparatione posse diabolo resistere. Tertio, quod diabolus hunc finem sibi propositum habet, inhiando solum destructioni animarum nostrarum: quia vt praemit Chrisologus.

No-

Nostris vivit ex mortibus, nostra saturatur ex carne, &c. Animam tuam. Ex quo elicies, quod illi qui Deo famulantur, habent animam quasi suam, & propriam: illi verò qui serviunt diabolo, non suam, sed inimici, vtpotè cum acceperint in vanum animas suas. Præpara animam tuam ad tentationem; non quidem acceptandam, & exequendam, sed absque dubio reffellendam. Et tamen sunt aliqui, quorum animas diabolus invenit pacatas, & ornatas, & scopis mundatas, ex Luca cap. 11. & illi sucumbentes, habitat in illis.

Si autem alio modo copulentur omnia verba, scilicet: *Præpara animam tuam ad tentationem*; docebit nos quemlibet præparandum iri ad resistendum illi tentationi ad quam magis se propensum esse cognoscit, quasi hæc sit sua tentatio. Si verò consideretur inter hæc verba aliqua connexio, vel dependentia causæ, & effectus, colligitur, quod eo ipso, ac statim quis vult habere animam quasi suã, mox diabolus parat tentationes, quia eam sibi eripere conatur. Si verò cõterantur hæc verba cum antecedentibus, & consequentibus, suggerit nobis quomodo in hoc spirituali bello, simul coniungere debeamus, timorem, & audaciam. Præmisit enim sapiens: *Sta in timore*, sed ne te timor nimis præmat, & fugam suadeat, subiunxit, *præpara animam tuam*. Et sicut duces in prælio nil nó faciunt, vt abigant timorem à suis militibus; Deus è contra, hortatur ad timorem sciens esse initium sapientiæ, & prosperi eventus. In sequentibus dicens: *Deprime cor tuum*, docet optimum præsidium ad vincendas tentationes esse humilitatem.

§. III.

Lustratur locus per quæstiones, & dubia.

PRo maiori etiam explicatione dubitari potest, & inquiri: an superflue sit positum, illud verbum, *tuam*, cum à nullo, aliorum animæ præparandæ sint, sed sua tantum? Respondetur non otiose poni, vt doceat tyrones recenter accedentes ad servitutem Dei, debere tantum curare de animabus proprijs, non aliorum curam assumendam. Nec debere fieri Magistros cum boni discipuli non sint. Si verò observes quis Author fuerit sententiæ? Scias esse Spiritum Sanctum, qui etsi potuerit tutos nos reddere à tentationibus, vult tamen nos tali curæ incumbere, vt & vtilitas, & gloria si eas superemus, nostra sit. Tempus etiam monet, quod ex illo, quo incipit talis Dei obsequio se mancipare, debet tentari. Si verò tentationibus careat, nondum incepit servire Deo. Cum illæ sint caracter, & signaculum filiorum, corripit enim omnem filium quem recipit. Et rursus, quod illum quo cum loquitur, vocat filium: si enim filium non liberat à tentationibus, quis se existimet liberandum? Non exprimit ad quam tentationem te debeas præparare, vt declaret multas tibi imminere, & in medio laqueorum ambulare, vt docet Propheta: & vndequaque inimicis circundari.

Si verò dubia excitare vellis, multa poteris. Primum cur Deus permittat suos tentari? Secundum cur præcipuè incipientes? quorum multæ erunt evasiones. Vel quia nullo magis poteris tuam erga Deũ charitatem ostendere, & probare, quam tollerantia tribulationum. Vel quia eas immitit, vt suos probet. Vel vt maiorum meritorum præparet, & tribuat occasiones. Vel vt Deum diligas recisis vitæ cõmoditatibus. Tum etiam quærere poteris, cur tentationes prædicantur? Et respõdetur, hoc fieri ne sit tibi occasio, quærellæ, si te imparatum aggrediantur. Vel quia iacula prævisa minus feriunt, vt dicit Gregorius. Vel quia meritorium est, non solum illas tollerare, & vincere, sed etiam ad ipsas te præpare. Vel tandem vt numquam speres in Dei famulatu te delitijs vacaturum.

Poteris etiam argumenta excitare circa istam materiam. Primum, quia vana videtur præparatio mea, cum sine auxilio Dei fieri non possit; & cum illud prius sit, cur præmoneor de præparatione, non de

au-

auxilio? Secundo, quia vel te præparabis ad omnes quod impossibile est, cum propè infinitæ sint. Vel ad aliquas? Et ignoras quas, cum nescias quas diabolus suggesturus sit. Tertio, quia potius videntur tentationes fugiendæ, vt docent Sancti Patres, quam aggrediendæ, & excipiendæ. Quarto, quia hoc monitum potuis dari deberet his qui mũdo servire volunt, qui maiores tentationes patiuntur; quia inter maiora pericula versantur, quam his qui Deo serviunt. Quinto, quia non videbatur istud novis Dei servis intimari debere, ne in initio terreantur, sed potius illis blandiri. Sexto, quia videtur dicendum esse ad tentationes, cum sint plures, non ad tentationem.

Respondetur ergo ad primam; verum esse nos non sufficere absque Dei auxilio, sed hoc nulli deesse volenti excipere. Ad secundum, quod licet infinitæ sint, vnica præparatione vinci possunt, humilitate, fortitudine, fide, charitate in Christum, vt Divus dicebat Antonius. Ad tertium, quod fugiendæ sunt si id in nostra situm sit potestate; sed cum hoc semper fieri non posit, nos præpare debere. Vel aliquas fugiendas, vt tentationes carnis, ad alias animum præparandum. Ad quartum, quod illi qui serviunt mundo iam succubuere tentationibus, & ideò opus non esse, vt moneantur de præparando animo ad illas vincendas. Ad quintum, quod Dei servi, non terrentur tentationibus, imò tanto plus confidunt in Deo inter illas, quia fidelis est, & novit iustos de tentationibus eripere. Ad sextum, quod & si multæ sint propter frequentiam, & continuitatem vnica censetur, sicut & fluvius dicitur vnus: vel quia ad quamlibet ita te debes præparare, ac si illa sola esset vincenda.

Et si hunc locum iterum conferas cum alijs Sacræ Scripturæ, multa elicies. Iudic. 8. dicitur: *In timore Domini non susceperunt tentationem*: quod confirmant illa verba quæ hic dicuntur; *sta in timore*, & simul explicat hunc timorem futurum. Deinde Matt. 6. dicitur in illa formula dominicæ præcationis: *Et ne nos inducas in tentationem*. Ex quo infertur, præparationem quam hic prædicit, debere fieri oratione. Et Iob cap. 6. dicitur: *Militia est vita hominis super terram;* alij vertunt *tentatio*: ex quo inferas, totam vitam vnicam esse tentationem. Vel si semper præsentes sunt tentationes, cur de futuris monemur? Vt ad eas scilicet nos præparemus.

§. IV.

Explicatur locus à simili, & dissimili, &c.

Inferri etiam potest ex loco similitudinum, & dissimilitudinum: quod sicut miles ante bellum præparat arma, &c. Sic nos debere præparari. Ex dissimilitudine sic; eques volens emere equum prius examinat, & probat vrgens calcaribus, incitans ad cursum, &c. At Deus è contra prius recipit in domum suam, & post probat, ostendens se summopere sitire nostram salutem, nisi prius probaret resiliremus. Vel alio modo, licet similiter Deus, & diabolus suos invitent; sed iste ad delitias. Sap. 2. *Venite fruamur bonis*, at Deus ad labores, *filij accedens ad servitutẽ præpara, &c.* Sed quam dispar erit eventus ille, panem ostentat, & ferit baculo: *Lassati sumus in via iniquitatis.* Deus autem in fronte crucis, in recessis tribuit consolationes.

Etiam à minori ad maius ex locis topicis, ita argumentabimur. Si qui in domo Dei sunt, vbi omnia secura, & læta, indigent armari ad tentationes, quanto potius hoc facere debent, qui in hoc versantur mundo turbido, & inquieto? Vel à maiori ad minus. Si qui Deo famulantur tentati sunt, quanto magis qui mundo? vel etiã mutando verba, vt si dicamus. Multi præparant se ad delectationem, nõ ad tentationem. Sicut Bernardus advertit in natali Ioannis Baptistæ, de aliquibus, qui non gaudent de Nativitate, vt præmonuit Angelus, sed de vanitate.

Per enalogem numeri dicit tentationem, non tentationes; vt eas minuat, &

extenuet. Secundo accedens ad servitutem,&c. quæ dura videntur, temperavit nomine filij: qua voce simul docuit, ab adolescentia esse portandum iugum Domini.

Tertio, quod etsi nos Deo offeramus, vt servos, accedentes ad servitutem; tamē ipse tanquam filios recipit nos. Et denique quod consilium præparationis ad tentationem est potissimum, quod à Patre filio dari potuit. Præter hæc considerando naturam, & subiectum alicuius, præparationem futuram esse spiritualē, qualis est anima. Et quod præparandus est intellectus sanctis cogitationibus; memoria, obliuione rerum mundialium,&c. Ex quibus omnibus liquet quàm facilè sit ex quolibet Sacræ Scripturæ loco, quantumvis sterilis,& siccus videatur, beneficio dictarum regularum propè infinita colligi. Quod nisi brevitati studeremus, in alijs: & maximè in illo celebri Apostoli,2.Timot.2. *Non coronabitur nisi qui legitimè certaverit.* Facilè exemplificari,& demonstrari posset.

CAPVT SEPTIMVM.

De parte dispositiua.

MVltum conducit res cognoscere, & invenire, sed si non disponātur, & executioni mandentur parum referūt vtilitatis. Quantum David divitiarum,lapidum, & lignorum quæsivit, & invenit? Vix credibile; sed quia dispositio, & ædificatio Templi, in quod omnia ista ordinabantur, Salomoni reservata fuerunt, huius,& non illius dicitur Templum, & gloria decantatur. Egimus hucvsque de parte diffinitiva Sacræ Scripturæ, & illius sensuum: deinde inventivam lustravimus circa eius regulas,& præcepta; parum esset hæc omnia tradidisse, invenisseque,nisi etiam ostenderemus,qua ratione, tam multa in vnam formam coalescere, & convenire possent. Plures, varios,& multiplices modos tradidit,& adduxit Sixtus Senensis lib. 3. Bibliotecæ Sanctæ, qui digni existunt, vt à studiosis videantur, & scrutentur, cum ex illis magna, & eruditio, & doctrina colligi possit,non omnes illos percurrere vacat, duos tantum, qui aliorum quasi capita,& fontes apparent, nempè litteralem scholasticam,& moralem,in medium adducemus.

DVBIVM PRIMVM.

De dispositione litterali.

FRequenter quidem se offert explicatio facienda, vel Sacræ Scripturæ lectio explananda, vndè necesse visum est methodum,& normam proponere illam adaptandi. Et vt doctrina vtilior evadat, non alicui capiti, vel libro alligata, sed vniversalior, & in communi, non pro libito, sed ex continua lectione observata apud Expositores Scripturæ, non ea methodo oratoria, & antiqua ab Origene, Augustino, Gregorio,&c. vsurpata, cum iam in vsu non sit, sed forma scholastica observata à Magno Alberto, D. Thoma, Bonaventura,Hugone,& alijs.

§. I.

Regulæ in communi proponuntur.

PRimo, igitur si aliquis explicandus sit liber; præmittenda sunt aliqua, quæ lucem præferant expositioni; tales sunt, quis fuerit Author? ad quod genus pertineat? nomen,conditio,vocatio, vitæ genus,doctrina,& phrases. Secundo,modus loquendi, ratio explicandi, ad quos scripserit, nempè qui fuerint? qui nunc sunt? quo ingenio, vel moribus? Tertio, explicanda est occasio data, vel accepta talis libri scribendi; Vbi expendi poterunt status Reipublicæ, vel personæ: ad quem locum reducuntur illius mutationes,virtutes,facinora,vitia,& alia. Quarto,peractis quæ ad Scriptorem spectant, assumenda venit ipsa scriptura dividendo illam, vel subdividendo in partes minores. Quinto,denique tractanda est vtilitas libri, respectu totius Ecclesiæ, vel singulorum. Sed non hæc omnia ita proponūtur,

tur, vt ſingula in quolibet libro, vel capite, vel clauſula pertractāda ſint, ſed quod ad iſta poſſet ſumma capitum reduci, vt conſtat ex Expoſitoribus in ſuis Commentarijs.

Exemplum, & forma iſtorum contueri poteſt in epiſtolis Pauli, qui fere ſemper (niſi aliud doctrina exigat) hanc proſequitur methodum. v.g. In epiſtola ad Romanos hæc omnia videre licet. Nam primam partem quæ eſt de Scriptore ipſo, optimè explicat, nomen apponendo ſuum ſcilicet Paulum: conditionem indicat, ſeruum ſe Ieſu Chriſti indigitando: vocationem, afferendo munus ſuum, videlicet vocatus Apoſtolus; vitæ genus, dicendo, omnem ſuam impendere prædicationem, ſegregatus in Evangeliū Dei. Si verò phraſis conſideretur, eſt epiſtola generis iudicialis. Quoad ſecundam partem ſcilicet ad quos ſcribit, ait, ſe ſcribere omnibus qui ſunt Romæ, & conditiones eorum depingit dicens: *Eſſe dilectos Dei, & vocatos vt ſint Sancti*, vbi Expoſitores ſolent ſtatum illius Eccleſiæ declarare.

Iam ad tertium de examinanda occaſione ſcribendi; perſtringit vitia illius Reipublicæ: proxima autem occaſio fuit diſſenſio inter Gentiles recenter converſos, quos Græcos, & barbaros appellat, & inter Iudæos proſelytos; decertabant enim inter ſe, qui in Evangelio præferendi erant, vtriſque primatum ambientibus. Priores fore Iudæos, quia ipſis promiſſus fuerat Evangelium, vt dicit Apoſtolus cap. 1. è contra Gentiles, cum ipſis etiam eſſe prophetatum vt in locis adductis cap. nono oſtendit.

In ſecunda parte, ſcriptum dividit in partes maiores, & minores: illæ ſunt tres principales quæſtiones, quas in tota epiſtola pertractat. Prima, de iuſtificatione hominis nō per opera legis, ſed per fidem Chriſti; quam exagitat à cap. 1. vſq; ad 8. Secunda eſt, de vocatione gentium, & reiectione Iudæorum, quam elucidat à cap. 9. vſque ad 11. Tertia eſt, de vita iuſtificatorum, vſque ad finem epiſtolæ per immitationem operum Ieſu Chriſti, ſubiectionem ad maiores, mutua obſequia, & vivendo in timore, & tremore. Expendēda etiam venit vtilitas libri, quæ ex omnibus eius partibus, & rationibus ſupradictis colligi poterit. Similem etiam formam retinet in epiſtolis ſequentibus.

In libris verò vbi ipſe Scriptor hæc non pertractat, vt ſunt Sapientiales, Pſalmi, &c. munus erit diligentis Expoſitoris, hæc omnia præmittere, vt præſtant Comentatores, maximè neoterici. Speciē harum diviſionum exactiſsimam pro omnibus Sacræ Scripturæ libris tradunt Petrus Aureolus in Compendio Scripturæ, Georgius Æderus in Æconomia Bibliorum, & D. Thomas præcipuè in expoſitione Epiſtolarum D. Pauli.

Si non librum integrum, ſed caput aliquod explicandum ſuſcipiatur: ſupra dicta de libri Authore breviter indicato, & adducta diviſione illius, ad quam partem illud caput attineat, & quomodo cū præcedentibus cōnectatur, deſignetur. Deinde hæc obſerventur. Primo, quid Author intendat in illo capite? Secundo, quas, & qualis probationes inducat? Tertio, quam vim habeant probationes? Quarto, ſi fuerint ex auctoritate cuius ſint; & ſi ad mentem Authoris? Deinde expeditis proprijs illius loci, ex Sacra Scriptura alias afferre probationes. Deinde proponere ſcholia ex Interpretibus, proprio, ſed mature, iudicio interpoſito. Deinceps aliqua loca ſi Concilijs diſidere videantur aperire. Tandem rationes, ſi quæ ſunt cōtra ſuam interpretationem, afferat, & diſſolvat.

At circa verba quibus res explicantur, Primo, expendat propriam ſignificationem Latinam, & ſi norit Græcam, & Hebraicam. Secundo, diverſam ſignificationem eiuſdem loci, ſi eſt in alijs Scripturæ locis, examinet. Tertio, an ſubſit voci tropus aliquis. Quarto, an alludat ad aliū locum, hiſtoriam, vel materiam. Quinto, probet quæ dixerit ex Patrum Commentarijs, vel probatis Auctoribus. Sexto, ſi quid ad fidem, vel mores trahi poteſt.

Septimo, explicabit dubium aliquod principali concluſioni annexum.

§. II.

Regulæ ad cap. 3. ad Galatas adaptantur.

SEd vt hæc perfectius intelligantur proferamus exemplum ex cap. 3. ad Galat. Circa quod proposita divisione epistolæ, ipsius Authore, qui fuerint Galatæ, & cæteris quæ præmonuimus. Intentum Apostoli est hominem iustificari, nō per opera legis, sed per fidem in Iesum Christum: Ideóque illam non observandam, sed in Christo credendū. Circa quod tria facit Apostolus. Primo, proponit quæstionem per modum obiurgationis, vers. 1. Secundo, eam probat tribus auctoritatibus, & rationibus. Et tertio, respondet duplici obiectioni.

Circa primam partem conclusio est. Galatas fascinatos esse non obediendo veritati de fide Christi. In secunda parte argumentatur ab experientia, & hoc dupliciter; primo, ex parte ipsorum; secundo, ex parte Apostoli. Ex parte ipsorum tripliciter. Primo, ex bono quod acceperant ammisso; & ex malis in quæ reciderant. Bonum acceptum ponderat dupliciter: tum quia Spiritum Sanctum accepistis ex fide non ex operibus: ergo fidei non operibus insistendum est. Versu secundo: secunda via in perfectione acquirenda, vel accipienda, est via ab imperfecto ad perfectum, sed vos recepistis spiritum ad carnalem circuncisionem, ergo non rectè progressi estis. Versu tertio, malum in quod reciderant probat. Si aliquis patiatur pro aliquo bono, & dimittat illud, hic patitur sine causa, sed vos multa passi estis propter Christum, ergo si reliquistis eum, sine causa passi estis.

Versu quarto, ex parte experientiæ sic: *Qui dedit vobis spiritum fidei prædicando, operatus est miracula, non ex lege, sed ex fide,* ergo hæc non illa sequenda est. Probationes ex auctoritate duæ sunt. Prima, probat virtutem fidei; secunda, defectum legis. Primam, probat hoc syllogismo. Deus dixit Abrahæ, nempè Genes. 15. Quod in semine eius benedicendæ essent omnes gentes; sed qui quærunt iustificari, sunt filij Abrahæ, ergo iustificati per fidem benedicentur. Secundā autem, scilicet defectum legis probat dupliciter. Primo, ex damno illato per ipsam, & insufficientia ipsius supleta per Christum. Damnum explicat sic: *Qui non facit omnia legis maledictus est.* v. 10. Sed non potest tota lex impleri. Actu. 15. Ergo nullus ex operibus legis non maledictus. Insufficientia autem legis sic ostenditur: quod non liberat à maledicto, non iustificat, sed non liberat lex, sed fides, ergo illa insufficiens, & hæc sufficiens. Quod Christus supleat hanc insufficientiā probatur, quia Christus subijt hanc maledictionem pendendo in ligno. Deuter. 2. quo liberavit nos à maledictione culpæ, & pœnæ.

Deindè probatio qua vtitur ex ratione est simplex sub hac forma. Nihil validius testamento Dei, maximè iuramento confirmato, sed Deus iuramento firmavit, in vno semine Abrahæ, nempè Christo benedicendas gentes, ergo firmum manet.

Iam Apostolus in tertia parte proponit, & solvit obiectiones duas. Prima est, si lex iustificare non poterat, igitur erat invalida, & inutilis. Respondet datam esse ad reprimenda mala per prohibitionem, & pœnam impositam transgressoribus. Vel datam esse ad ostensionem infirmitatis non potentis exequi rem prohibitam. Tertio, ad domandam concupiscentiam fatigando populum ceremonijs. Quarto, ad instruenda vera in figura indicata. Secunda verò obiectio talis est, lex posita est propter transgressionem, quod contrariari videtur præmissis; si enim lex transgressiones removit, igitur inutilem reddit gratiam promissam. Respondet vers. 25. Legem non obstare, imò obsequi gratiæ, quia manifestat morbum, & impotentiam infirmi; & quasi pedagogus continet timore pœnæ animos pueriles; non tamen sanat infirmitatem, nec hæreditatem tradit.

In secunda parte principali, poterunt præmitti observationes, quæ multiplices

esse

esse possunt. Prima circa verba. v. 1. quid sit fascinare: & vtrum detur fascinatio? Ite in eodem versu vtrum proscriptus, vel perscriptus legendum sit? Tertio v. 3. quid significet carne consumari? Quarto v. 16. cur nomine singulari semini, & non plurali seminibus vsus sit D. Paulus? Ad versum 11. examinat D. Thomas syllogismum Pauli esse in prima figura. Et Cornelius v. 10. rationem Apostoli ad primã reducit figuram. Et ad v. 13. inquiri potest cur Christum maledictum appellaverit passivè, non quasi activè maledictum? vel potius cur illud neutraliter, non masculine dictum sit, quæ in speciem debent observari verborum.

In tertia, & præcipua parte quæstionis examinari poterunt sequentia. Primum, circa versum primum. Vtrum licuerit Paulo vocare Galatas insensatos: cum in Evangelio prohibitum sit fratrem fatuum appellare? Secundum, si fides ex auditu quomodò surdis subveniendum est? Ad v. 5. quæstio est; quomodò tribuere potuerit Galatis spiritum, nisi instrumentaliter? Ad v. 6. quomodo eadem auctoritate, ex Genes. 15. Probet Paulus iustificari homines per fidem; cum Iacobi 2. Ex eisdem verbis probetur iustificari per opera, & non ex sola fide? Ad v. 10. qua facultate Apostolus mutaverit textum veteris testamenti in auctoritate adducta? Ad v. 13. quid sit Christum esse factum pro nobis maledictum? Et cur Patres qui observaverunt leges dicantur maledicti? Ad v. 17. est implexa quæstio chronologica de 430. annis, de qua alibi dicemus.

§. III.

De loco incomplexo, & complexo.

SI verò locus simplex tractandus sit, vt de fide, traditionibus, necessitate operum, &c. assumpto aliquo Sacræ Scripturæ loco pro themate; circa illam materiam dupliciter poterit procedere. Primo si proponat significationem vocis, definitionem rei, conclusionem statuat, confirmet scriptura, traditionibus, Canonibus Sacris, Patribus, & Scholasticis. Deinde confutet conclusiones contrarias. Vel si res exigit, partiatur, & materiam dividat, & vtramque partem præscripta methodo tractet, epilogum faciat, proposita vtilitate loci ad fidem, vel mores.

At si non locus simplex, sed implexa exagitanda est sententia, varius est modus. Aliqui (quod Augustino, & D. Thoma solemne) proponunt dubium, & argumenta in vtramque partem, sententias referunt, propriam proponunt, scriptura confirmant, & alijs exteris adminiculis, & ad argumenta respondent. Sed non est in hac parte vir cum viro; illa ergo servanda methodus, quæ materiæ congruentior videatur. Plura exempla etiam ex scriptura. Vt patet in loco ad Galat. enodato. Et in epistola ad Hebræos illud Psal. 95. hodie si vocem eius audieritis, & illud Psal. 105. tu es Sacerdos in æternum. Extra Sacram Scripturam occurrunt plures inspiciendæ in laurea Salmantina Antonij Perez. In relectionibus Alphonsi Mendoza in Basilio Ponce 1. parte variarum quæstionum, Ioanne à S. Thoma in fine, 2. 2. Hieronymo Rua in controversis. Maluenda lib. de Antechristo, de paradiso, & opusculis: & Claudius Espinzeus in epist. ad Timoth. optimè hoc pertractat.

DVBIVM SECVNDVM.

De dispositione morali.

VLtimam tandem manum huic apponibus tractatui breviter proponentes aliquas formulas, vel methodos Sacram exponendi Scripturam pro concione ad populum facienda: de quo plura apud Didacum Stella tract. de modo concionandi, Rethoricam venerabilis Granatensis, Ludovicum Carhen. Rethorica divina, Cornelium Valerium, Rethorica Ecclesiastica, & alios recentiores. Prænotando, primo Evangelium accurate legendum, & introspiciendum adhibito aliquo Commentario; vtilis valdè Catena Aurea D. Tho-

D. Thomæ, vbi omnes Sancti Patres veluti annuli inferuntur, Albertus Magnus, & Hugo de Sancto Charo, si pro morali. Pro litterali post Hieronymum, Lyra, Cayetanus, Cornelius, Ianlenius, Maldonatus, & à Lapide: ex quorum lectione quæ observaverit seponere, eligere, & ad capita reducere debet, vt iam dicimus.

§. I.

Exemplificatur in verbis, Ioan. 7.

SIt ergo, primum exemplum, ex Ioan. 7. 1. *Ambulabat Iesus in Galilæam*, vsque ad v. 12. ad versum primum quærebant eum interficere. Primo, hominum cæcitatem, qui cum nil possunt sine Deo facere, intra semetipsos occidunt peccato, & crucifigunt. Secundo, quam diversa est Dei voluntas, nempè sanctificatio nostra, à voluntate hominum iniquissima. Tertio, non volebat in Iudæa ambulare, quod Græci dicunt non poterat; hominum enim ingratitudo Deum impotentem videtur reddere. Ad vers. 4. Vbi fratres Christi suadebant ipsi, se hominibus manifestare, illo renuente: docet non propriam, sed Dei gloriam exquirendam. In v. 6. ad pœnitendum, semper tempus esse paratum. In v. 8. quod ad festa, quæ gloria divina peraguntur, ascendere animum ad superna opportet; fugere verò quæ mundana sunt, & carnalia. In v. 9. docet in ordine ad Deum nullā cognatorum rationem habendam esse.

In v. 10. quod ascendit occulte, docuit populares plausus fugiendos, & cum tot se tormētis exposuerit, suspicionem propriæ gloriæ exclusit, ad v. 13. ostendit imperfectionem hominum erubescentium Christum confiteri. Liquet ex istis multiplex, & varia seges considerationum moralium super vnumquemque locum, quarum confirmationes plures apud dictos reperiet Interpretes, quas iudicio, & prudentia selectas in medium proferre poterit.

Poterit etiam si maluerit hoc prosequi per modum quæstionis ad vnum caput intentum reducendo. Quæstio igitur erit. Cur Christus cum ne occideretur defendere se posset, recussat in Iudæam ambulare, eo quod ad mortem quæreretur? Triplex potest adferri responsio, & totidem quæstionis propositiones. Prima, dat Christus exemplum declinandi persecutionem consulens infirmitati humanæ, vt alibi præcipit Matt. 10. *Si vos persecuti fuerint*. Quod & fecere Paulus, & Moyses, ille in sporta dimissus, iste fugiendo Pharaonem. Secunda responsio, quod cum posset Christus signis, & miraculis se defendere ad ostensionem potentiæ, maluit fugiendo humilitate vti ad ostensionem humanitatis. Tertia, quia noluit ascendere, quia nondum erat tempus patiendi: omnia enim in domo Dei ordinata sunt, & proprium tempus habent.

Vel si illi placuerit in aliam speciem reducere poterit concionem ad tria capita. In primo agendo de congruentia temporis, & quod quælibet opera Dei perficienda circa illud v. 6. *Tempus meū nondum advenit*. In secundo, in forma, & modo disponendorum operum ad v. 7. *Non potest mundus odisse vos*. In tertio, de disparitate intentionis in operando bonorum, & malorum ad v. 8. *Vos autem ascendite, ego autem non ascendam*. Alij modi possunt excogitari, qui præcipuè ex Authoribus maximè veteribus, apud quos magna fuit cura de ordine, methodo, & lectione, colligi poterunt.

§. II.

Locus Ioann. 10. oves meæ vocem meam audiunt.

ALio etiam modo si libuerit tractatus moralis efformari poterit, determinatis verbis assumptis pro themate, vt Ioann. 10. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & cognoscunt me meæ, & ego vitam æternam do eis*. Quæ auctoritas in quatuor potest dissecari partes. Proponendo duo munera Christi erga oves; & duo ovium erga Christum. Primum ovium, est audire vocem

cem Christi: *Vocem meam audiunt*, credendo, & audiendo, vbi ponderari potest veras oves, non multis vocibus egere, sed vno, imò tenui sibilo Zach. 10. cui respódet in Christo ergà oves cognitio, *ego cognosco eas.* Secundò, oves sequuntur Christum, *sequuntur me* per imitationem, quibus Christus correspondet, *vitam æternam do eis.*

Sed etiam magis scholasticè hoc elucidari potest afferendo discursum prædestinationis insinuatum à D. Paulo ad Roman. 8. nempè prædestinationem, vocationem, iustificationem, & glorificationem. Quæ omnia verbis thematis explicantur. Prima, prædestinatio, quia per illam fiunt oves Christi. Secunda, iustificatio, quæ fit audiendo, & obediendo vocationi. Tertia, prævisio mediorum, scilicet præparatio bonorum operum, quæ significantur per, sequuntur me. Quarta, ipse finis glorificationis, ego vitam æternam do eis, quæ in Expositoribus maximè in D. Thoma videri possunt.

§. III.

Locus Marci 8. de miraculo panum.

Sed quia exemplis facilius res percipietur, aliqua alia libet adijcere. Sit præcipuum Marci 8. de miraculo panum, quod Dominica quarta Quadragesimæ, & 6. post octavam Trinitatis recitatur. Ex Expositorum ergo lectione potest colligi. Primo, turba plurima convenit ad audiendum Iesum, in hoc monemur, vt magno studio desideremus cognitionem, & auditionem verbi divini. Secundo, reprehensio illorum, qui in eo audiendo segnes sunt. Tertio, illa turba non habebat, quid manducaret. Auditoribus illis maiorem curam fuisse in his quæ mentis quam quæ ventris erant, & spiritualia præ temporalibus dilexisse, evidens fuit argumentum. Quarto, subest similis correctio eorum qui cœlestibus spretis, terrenis inhiant.

Quinto, Christus miseratur super turbam, ex quo deduces Deum nunquam curam nostram abijecisse; & antequam petamus, necessitatibus occurrere. Sexto, providet non tantum spiritualia, sed etiam temporalia. Septimo, illis præ omnibus subenit, qui apud illud diutius manent, & triduo saltem sustinent, & perseverant. Octavo, ingens eorum consolatio, qui toti à Deo pendent. Nono, si dimissero ieiunos deficient in via, quo significatur nil nos posse sine Deo in spiritualibus, & temporalibus. Ex quo decimo, elicies quantum cogimur nostram agnoscere infirmitatem. 11. Deum continuo interpellandum ne nos deserat. 12. Quis poterit istos saturare in solitudine? Stupescit humana sapientia, quoties casus aliquis, vel periculum minatur. 13. Hinc fiducia in solo Deo collocanda est, & totos nos debere ipsi concedere. 14. Præcipit Christus turbas discumbere, non patitur Christus suos diu tentare. 15. Semper in Deo spem nostram collocandam esse. 16. Discumbere, serio agit, & quasi sedens in nostris subveniendis necessitatibus.

17. Saturati sunt; terrena non faciant, id præstant cœlestia. 18. Saturati, solus Deus replere potest quasi infinitam capacitatem cordis nostri. 19. Panibus ordeaceis, in Deo aspera dulcia fiunt, & cibat nos dulcissimo pane, & si lachrimarum. 20. Superaverunt fragmenta, eleemosyna non diminuit dispersa sed auget. Et his & alijs pluribus aliquas eliges, quæ auditoribus magis expedire iudicabis.

§. IV.

Aliæ proponuntur auctoritates.

Ad libitum etiam illius relinquitur, vt ex tota Evangelij, vel loci serie duas, vel tres considerationes eliciat, quæ in eundem finem collimet. v.g. Si feria 6. cinerum tractãdum veniat de dilectione inimicorum, quæ erit conclusio statuenda, & probanda; poterit adiungere tres probationes. Prima, quia Christus præcipit: *Ego autem dico vobis diligite.* Secunda, quia honorificum est, *vt sitis filij*

Pa-

Patris vestri. Tertia vtile, *si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis.* Vel etiam Evangelium cinerum sic poterit adaptari. Intendit hodie Christus de avocandis affectibus nostris ab omnibus rebus terrenis,& caducis;& cum tribus præcipuè catenis vinciantur scilicet luxuria,avaritia,ambitione;has tres rumpit; delitias carnis, ieiunio; ambitionem, fuga hipochresis, avaritiam, promittendo thesauros in Cœlo.

Poterit etiam Evangelium adaptare ad aliquã similitudinem,vt si eadem proponat. Cupit Christus nos fieri probos, & fructuosos mercatores, quod præstamus ieiunio, & alijs bonis operibus incumbendo. Secundum, vt curemus vendere merces, quod facimus si non imitati fuerimus hipochritas, qui pro fumo gloriæ vanæ vendunt sua opera. Tertium, servare divitias acquisitas, quod implemus thesaurizando nobis in Cœlo. Facilè etiam in Evangelio sequentis diei scilicet, Centurionis potest exemplificari, qui totius vitæ Christianæ nobis se exemplum exhibuit. Primo, erga Deum ad quem *accessit rogans,& supplicans.* Secundo, respectu proximi cuius salutem nimia charitate curavit: *Puer meus,&c.* Tertio, erga se ipsum propriã vilitatem profitendo: *Domine non sum dignus.*

Non minùs aptè,& iocundè hoc potest disponi per modum quæstionis circa Evãgelium scilicet Ioannis Evangelistæ, illis verbis: *Discipulus quæ diligebat Iesus,& qui recubuit in Cæna supra pectus Domini;* hac ratione. Duo hic præcipua de Ioanne; primum, quod eximie sit inter cæteros dilectus, & quod recubuit, &c. Sed in his, & Christum pungit & notat, quod videtur ipsum facere acceptorem personarum,& Evangelistam notat in vrbanitatis, in eo quod recumbat,&c. Quæ duo dubia propositis argumentis tractabo,& solvam dicendo. Ad primum,quod merita excelentiora præ cæteris Apostolis extorquebant maiorem amorem. Ad secundum, quod nimius amor, & familiaritas cum Christo fecerat eum quasi æqualem.

Aptè etiam hoc præstatur vtendo aliqua historia,fabula vel loco ex humanioribus litteris, quod non infrequens fuit Sanctis Patribus, & illas Evangelio, vel festivitati adaptare. Si in die Sancti Stephani assumat emblema Alciati,qui super acerbum lapidum pingit statuam Mercurij viam ostendentis. Poterit accommodare nomen,& rem Mercurij,Stephano, cuius sapientiæ, & spiritui non poterant resistere; acerbus lapidum idest Iudæis; & dextra extensa monstrat viam: *Ecce video Cælos apertos,&c.* Similiter si convivia Antonij, & Cleopatræ aptet Evangelio Lazari,& divitis epulonis, proposito convivio, & delitijs, *qui epulabatur quotidie,&c.* Quod est convivum mundi,& diaboli, & ex alia parte convivum Dei, & Abrahæ excipientis Lazarum, cuius aquæ guta sola extinguere potest omnem ignem inferni, & sic de alijs exemplis.

Sed quia huic tractatui finem imponimus ipso die Sacro D. Thomæ Aquinatis naturæ prodigio,gratiæ miraculo, sapientiæ fonti, scientiarum abysso, & Ecclesiæ Militantis contra Hæreses Clypeo inexpugnabili;in illius die potest adduci emblema Herculis, cuius sapientia, & eloquentia quasi quibusdam catenis hominẽs post se vinctos trahebat,cuius fortitudini omnia cesserunt difficilia. Ita propter D. Thomæ sapientiam summam, omnes sequuntur Academiæ, & ipsum tanquam Ducem,ac Patronum suscipiunt,& venerantur, & vt Sanctissimus Pius Quintus dixit: Vi,& veritate eius doctrinæ, multæ quæ deinceps exorta sunt Hæreses cõfusæ,& convictæ sunt,& dissipatæ. Cuius ope, & auxilio labor præsens fœliciter finiatur, & Deus ingressum instruat, progressum dirigat, & egressum compleat. Ex hac vita in gloriam.

TRAC-

TRACTATUS SECUNDUS.

DE CLAVIBUS, ET REGULIS AD INTELLIGENTIAM SACRÆ SCRIPTURAE.

PROLOGUS.

QVID sit Sacra Scriptura, & eius sensus varius (pro prima intellectus operatione) præcedenti tractatu dedimus enucleatum. In præsenti ergo, pro secunda, quæ est compositio, & divisio, Claves, vel Regulas, quibus Sacra Scriptura explicari, & applicari valeat, tradere intendimus, quem tractatum auditoribus dictavimus in Academia Cæsaraugustana, cum R. P. M. Fr. Iosephus Bonaventura Ponz, meus in Sacra Scriptura Substitutus, & Discipulus (sed certè maior ipse suo Magistro, vt eius scripta cum in lucem prodeant liquido ostendent) gravi oppirmeretur infirmitate, ex qua diem clausit extremũ magna litteratum iactura. Brevitate autem temporis præpediti tunc, compendio vsi sumus, nunc occasionem nacti illum ex professo expendemus.

Inscribitur tractatus de Clavibus, seu Regulis. Pro cuius intelligẽtia proponendus, & lustrandus prius venit celebris locus Prover. 9. *Sapientia ædificavit sibi domum, miscuit vinum, & posuit mensam. Misit ancillas vt vocarent. Venite commedite panem, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Sapientia (idest Christus Dominus) sic Paulus 1. Cor. 1. illum appellavit: *Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam*, ædificavit sibi domum, scilicet Sanctam Ecclesiam, ex glossa: in qua ne illius habitatores fame perirent, posuit mensam varijs deliciarum spiritualium ferculis refertam, in quibus Sacræ designantur Scripturæ. Vnde Ezech. 3. & Ioannes Apocal. 10. vterque commedere volumen iubetur, & D. Hieronymus tom. 1. epistola ad Sabinianum ait: Liber ille quem Propheta commedit, omnis series Scripturarum est.

Hinc Eccles. 15. dicitur: *Cibavit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua sapientiæ potavit illum.* Et David concinebat Psal. 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua.* Et iterum: *In iustificationibus tuis meditabor*, Hebraice, deliciabor. Ad has ergo delibandas delicias, mittit ancillas, idest Prædicatores, & Magistros, vt vocent parvulos, vt sic pascantur, & illuminentur. Ideo ad sponsam (mystice ad Ecclesiam) dixit Christus: *Favus distillans labia tua.* Quia ex Philone Carpatio: favus est divina Scriptura; vt enim in favo, mel, & cera latent, quorum altero pascimur, altero lumen accendimus, sic in litteris sacris, suavissimus cibus animæ, & lumen mentis insunt.

Sed quia domum lustrare impedimur dum fores existunt occlusæ, clavium vtimur arbitrio, vt patefactæ ingrediamur. Sic in præsenti, vt ad cœlestes Sacræ Scripturæ dapes accedamus, quæ pluribus difficultatum nodis præcluduntur; claves dabimus, quibus ingressi, earum vsu, pascamur, & illuminemur. Fuit autem huius artis inventor, Tyconius natione Afer, Scripturæ Sacræ studiosus (licet Donatista) qui floruit circa annum Domini 390. Excogitavit iste septem regulas, quibus doctrina sacra pervia nobis redderetur, quas regulas explicarunt Augustinus lib. 3. de Doctr. Christiana cap. 30. Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 20. Sancles

Pagninus in Isag. cap. 30. Catarinus in speciali libro. Petrus Antonius Beuter. annot. 8. Cantaprat. lib. 10. regul. 39. & sequentibus, & alij.

Præsentem autem tractatum in duas dividimus sectiones; in quarum prima septem Tyconij regulas lustravimus. Sed quamvis esse vtiles, insufficientes tamen, vt dixit Augustinus, ad tam laboriosum perficiendum opus reperiuntur. In secunda sectione, plures alias adijcimus, non minus proficuas, vt sic præsens tractatus quantum fieri possit, completus evadat.

SECTIO PRIMA.

DE SEPTEM CLAVIBVS, VEL *Regulis Tyconij.*

CAPVT PRIMVM.

De prima Clavi, vel Regula scilicet de Corpore Christi mystico.

CVm præsentem tractatum in Vniversitate perlegerem, necessum fuit vt melius perciperetur, aliqua circa Sacram Scripturam, & eius sensus præfari: sed quia ex supra dictis hæc satis cõstant. Solum ad notandum venit ad nostram rem, cum tractatus iste de Clavibus inscribatur, quod non est accipiendum in sensu litterali proprio, sed metaphorico; semel enim propriè tantum reperitur hæc vox, Clavis, vsurpata in sacro textu, nempè Iudic. 3. 25. circa historiam Aoth, & Eglon; in sensu autem metaphorico septem in locis, scilicet Isai. 22. Matt. 16. Luc. 11. & Apocal. 1. 9. 20. sed celebris cap. 3. vbi de Christo dicitur: *Qui habet Clavem David, aperit & nemo claudit.* & Lucæ vltimo: *Aperuit illis sensum Scripturarum.* Stat autem in hoc similitudo; quia sicut per Clavem materialem ostium domus aperitur; ita per istas Regulas, quasi per Claves, Scripturæ Sacræ consequimur intelligentiã, & sic in præsenti loquimur.

Et cum Regula ista inscribatur de corpore mystico; supponendum: quod vt pulsime protulit D. Bernard. serm. de B. Maria Magdalena: Christus duo habet corpora: vnum, quod suscepit ex Virgine; alterum, corpus est Ecclesia, quod charius habet benignitas redimentis: quia illud pro isto exposuit morti, & tormentis, addictus Cruci, iustus pro sceleratis, morte turpissima condemnatus. Ex quibus verbis duo colligere licet. Primum, quod ista vox, corpus, & sumitur propriè pro corpore naturali, & metaphoricè, & impropriè pro corpore mystico simili naturali.

Secundo sequitur, quod in Christo etiam duplex corpus reperitur, alterum naturale quod virtute Spiritus Sancti in visceribus Beatissimæ Virginis formatum est, constans materia, & forma, & subsistentia verbi divini (imò ex D. Thoma etiam divina existentia) de quo Theologi 3. par. q. 31. Alterum corpus dicitur mysticum, vel spirituale, quod est Ecclesia, vt loquitur Apost. 1. Corint. 10. *Sicut enim corpus vnum est, & multa habet membra, omnia autem membra vnum corpus: ita, & Christus.* & subdit de corpore mystico: *Vos autem estis Corpus Christi, & membra de membro.*

Ratio autem similitudinis consistit in hoc. Quod sicut corpus naturale plura habet membra, & quodlibet actum distinctum, oculus videt, os loquitur, manus operatur, pes ambulat, &c. Ita in corpore mystico, datur caput quod est Christus, *quod est caput corporis Ecclesiæ*, ad Colos. 1. & sicut à capite spiritus, & directio promanant, ita à Christo omnis gratia. Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia.* Quod David in-

insinuavit Psalm. 132. *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, &c.* Collum Beatissima Virgo: *Collum tuum sicut turris David.* Cantic. 4. quia sicut à capite per collum descendunt spiritus in corpus, ita ad nos per Virginem teste Bernardo serm. de Nativit. Virg. vt si quid spei, si quid gratiæ, ab ea noverimus redundare.

Humeri quibus onera portantur, sunt Patriarchæ, ita Christus ad Apostolos Ioann. 4. *Alij laboraverunt vos, &c.* Oculi sunt Prophetæ, à procul videntes, & prænuntiantes futura: brachia, & manus quibus opera perficiuntur, sunt Apostoli, quibus totus mundus est conversus. Scapulæ quæ vulnera suscipiunt sunt martyres. Vbera propter pulchritudinem, Cant. 4. *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ*, Virgines; quia ex Cypriano virginitas flos est Ecclesiastici germinis. Crura quibus corpus fulcitur, & sustentat Ecclesiæ, Doctores. Proverb. 9. *Excidit columnas septem.* Pedes circa terram ambulantes confessores, & pœnitentes; qui licet in terra ambulantes, eorum autem conversatio in Cœlis erat. En similitudo corporis mystici ad naturale.

Sicut ergo in corpore naturali ex vnius partis perfectione totum solet tale denominari, & illi attribui, sicut ex facie pulchra, dicitur aliquis pulcher: ita in corpore mystico, aliquando quæ sunt capiti propria, corpori adaptãtur: & hoc propter maximam, & excellentem vnionem, qua Christus vnitur Ecclesiæ per charitatẽ, vt sic propria vnius, alteri apropnientur; quod maximè ad pluriũ Sacræ Scripturæ locorum intelligentiam conducit, aliqua expendamus.

§. I.

Adducuntur varia loca S. Scripturæ.

SIt primus ex cap. 3. ad Galat. qui sic concludit: *Omnes vos vnum estis in Christo Iesu: si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ estis.* Pro cuius luce sciendum, quod Genes. 12. promisit Abrahæ Deus, quod benedicentur in te, idest in semine tuo omnes gentes. Quod sic explicat Paulus: *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius: non dicit in seminibus quasi in multis, sed quasi vno, & semini tuo qui est Christus*: ergo semen Abrahæ propriè est Christus in Sacra Scriptura. Nihilominus tamen non dubitavit Apostolus pro Christo computare omnes fideles signaculo fidei, & alijs Sacramentis initiatos.

Alter locus se offert Isai. 61. in quo quasi coadunantur, & congeruntur, ea quæ sunt Christi propria, & Ecclesiæ. Sic enim loquitur Propheta: *Sicut sponso imposuit michi mitram; & sicut sponsam ornavit me ornamento.* Primum cõcernit Christum, qui sæpè spõsus appellatur. Matth. 25. *Exierunt obviam sponso.* Secundum indicat sponsam, quam Ioannes Apoc. 21. vidit descendentem tanquã sponsam ornatam viro suo. Sic etiam venit intelligendum illud, Cant. 1. *Osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt vbera tua vino.* In prima enim parte ex communi precatur Ecclesia Christi Incarnationem, ex simili; quia sicut in osculo, os ori coniungitur, sic in Incarnatione Verbum Divinum, quod in Sacra Scriptura os dicitur, iuxta illud Isai. 1. *Os enim Domini locutum est*, vnitum fuit humanæ naturæ. In secunda parte loci per vbera, Ecclesiæ fœcunditas prædicitur in vberibus significata. Et *vbera mea sicut turris.* Quia tales intra me cõtineo, qui vice vberum alios nutrire possunt doctrina. Sicut è contra non habere vbera significat sterilitatem. Cant. 8. *Quid faciemus sorori nostræ, quia parvula est, & vbera non habet.* Vbi D. Thomas dicit, quia parvitate credentium parva existebat.

Sit etiam alius ex Apost. 2. Corint. 5. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Prima pars loci facilis intellectu. Noverat quidem Christus speculativè peccatum quid esset; sed non noverat practice, quia ex 1. Petr. 1. *Peccatũ non fecit.* Secunda pars est difficilis, quia videtur insinuare in Christo fuisse, vel fecisse peccatum, quod in prima parte dici-

tur non novisse, sed respondetur. Primo, ex regula nostra fecisse peccatum, idest in similitudinem peccati: Rom. 8. *Misit Deus Filium suum in similitudinem peccati.* Vel fecisse peccatum, ac si fecisset peccatum, ipsum propter nostra peccata puniendo. Tertio, quia in lege veteri, hostia pro peccato, dicebatur peccatum. Oseæ 4. *Peccata, idest oblata, populi cõmedent*; quia pro nostris oblatus peccatis, peccatum dicitur factum.

Secundo Regum 7. loquitur Deus cum David: *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium: quod si inique egerit, arguam eum, &c.* Quod Apostolus ad Hebr. 1. de Christo intelligit. Sed obijcies quomodo de Christo accipiendum illud, quod si inique egerit, &c. Respondetur, propter membra, vt expendemus postea. Insuper ad Ephes. 2. *Convivificavit nos in Christo, & conresuscitavit, & consedere fecit, in cœlestibus, &c.* Vbi quæ facta sunt tantũ in capite attribuuntur membris ex D. Gregorio, 3. moral. 11. & Zachar. 2. dicitur: *Post gloriam misit me Dominus ad gentes.* Et ibi loquitur de prædicatione Evangelij post Christi Ascensionem, & non de missione Christi in se, sed in Discipulis, & Apostolis. Vnde Abdias: *Legatum ad gentes misit me.* Quod de Christo non in se, sed in Apostolis impletum est cum ipse dicat se missum tantum ad oves Israel. Et sic Paulus 2. Cor. 5. *Pro Christo legatione fungor.* Et Isai. 45. *Dedi te in lucem gentium, &c.* Quod Paulus de Christo accipit, Act. 13. quod non in ipso, sed in Apostolis verificari debet. Et Psal. 2. *Astiterunt Reges terræ, &c.* Act. 4. intelligit Petrus de Christo, cum tamen dicat Augustinus, quotidie impleri in membris, & corpore suo iuxta illud. Act. 8. *Saule quid me persequeris?*

Imò ex hac Regula infertur, quod aliquando in Sacra Scriptura alicui vt capite promittuntur, quod non in ipso, sed in successoribus complentur. Genes. 9. *Maledictus Canahan, sit servus fratrum suorum.* Quod non in ipso, sed in posteris fuit impletum scilicet Iosue 19. Vbi sunt damnati vt afferrent aquam, & ligna ad Templum. Et Genes. 13. promisit Deus Abraham dicens: *Terram quam conspicis dabo tibi, & semini tuo*; quod in posteris completum est, cum Act. 7. dicatur: *Quod Abraham nec passum pedis in ipsa possederit.* Similiter promissio Isaac, Genes. 26. Et servitus Esau ad Iacob, Genes. 27. fuit completa in Regibus Iuda, dominantibus Idumæis. Et Benedictiones 12. Patriarcharum impletæ sunt in suis successoribus.

§. II.

Explicantur verba Psalm. 21. & 68. Verba delictorum meorum.

Sed iam pro coronidè capitis, & regulæ, enodanda suscipiamus difficillima verba, ex Psalm. 21. vbi Regius vates sic habet: *Deus Deus meus respice in me quare me dereliquisti? Longè à salute mea verba delictorum meorum.* Similia dicuntur Psal. 68. *Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita.* Circa quod suppon. 1. quod Psalm. 21. ad litteram de Christo intelligitur ex communi interpretum consensu. Quod etiam probatur; quia prædicta verba protulit Christus in Cruce pendens, vt tradunt Matt. 22. & Marc. 15. & aliqui contemplativi dicunt, quod in Cruce recitavit Deum Psalmos, ab isto asque ad illa verba Psal. 30. *In manus tuas, &c.* Et quia omnia fere, quæ Christus pertulit in passione clarissimè prænuntiantur in illo. Nec vacat nec ad nostrum pertinet institutum, priora versus verba explicare. Scilicet quare me dereliquisti? Quomodò, inquam, à Patre sit derelictus; videantur Expositores, sed breviter aliqua insinuare liceat.

Verbum illud, dereliquisti, varie exponitur D. Hilarius sic: Clamor verò ad Deum corporis, vox est recedentis à se verbi Dei contestata desidium. Et D. Ambrosius. Clamavit homo divinitatis separatione moriturus, nam cum divinitas mortis libera sit, vtique mors esse non posset, nisi vita discederit. Videntur enim sen-

sentire Christum derelictum ita vt ab eo divinitas secreta, vel separata fuerit. De quo statim.

Sed primo responderi potest; quod dicatur derelictus, non divinitatis substractione, sed quia ipsum dereliquit, non à sua gratia, & benevolentia sicut peccatori; sed quia illum tradidit voluntati hominum, vt pro illorum salute tot tantaque pateretur, ac si purus esset homo, nil auxilij conferens illi, & defensionis. Et sic Hilarius, & Ambrosius intelligendi; quia aliàs ex fide, quod simul assumpsit nunquam dimisit. Secundo, Euthimius; humanæ est formidinis sermo, quodque verus ac perfectus homo fuerit Christus, & naturali obnoxius timori.

Tertio, potest responderi Christum non suo nomine, sed nostro clamasse, nempè pro vetere homine peccatis infecto, & secum crucifixo, & à Patre propter peccatum derelicto, quæ explicatio conformis est nostræ Regulæ. Quarto. Cano lib. 11. de locis cap. 14. dixit: tempore passionis, Christi animam caruisse gaudio, & delectatione quæ ex Dei visione in animam, vel voluntatem redundare debebant; vt sic copiosior esset nostra redemptio ratione summæ tristitiæ, & doloris, quod videtur insinuare D. Ambros. lib. 10. in Lucam. Per me doluit, qui pro se nil habuit quod doleret, ex sequestrata delectatione divinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur: quasi derelictus dicatur, quia gaudio pro illo tempore caruit. De qua opinione non superest modo ferre iudicum. Videatur Cornejo tom. 2. in 3. p. q. 9. disp. vnic. dub. 1. & 2.

Sequentia autem verba, scil. *Longè à salute mea verba delictorum meorum*, maius facessunt negotium; & quia præsentis loci propria, operosius enodanda veniunt: quia videntur in Christo peccata ponere propria, quod est contra fidem ex illo 1. Petr. 2. *qui peccatum non fecit* &c. De quo Theologi cum D. Thom. 3. p. q. 15. Quod si litteram attendamus Hebræam carent difficultate; quia ex Cayet. Genebrar. Hieron. & Maluenda habetur verbum *Habag*, idest rugitus, clamor, eiulatus, & erit sensus verborum ex Cayetano, *quare me dereliquisti?* idest, longinquum te exhibes, non à me, sed à salute mea, non præservans eam à passione, & morte, propter talem elongationem dixi illa verba, quæ non sunt mea secundum partem superiorem, & rationalem, sed secundum inferiorem, & sensualem, refugientem naturaliter passionem, mortem, &c. Et intendit ad litteram, quod patietur, & satisfaciet pro his ad quæ non tenebatur, pro peccatis quæ nō commisssit, pro debitis non suis, sed alienis. Et Genebrar. salus remota est à verbis, quæ fundo ob delicta mea, idest quæ mihi causa generis humani imputātur. Nostra enim peccata sibi propria suaque fecit, eorum vt pœnas pendeat, sed vt hæc intelligantur videantur Theol. 3. p. q. 18.

Si autem sequamur vulgatam facile intelliguntur verba illa: *Verba delictorum meorum*. Iuxta nostram regulā, de Christo, & eius corpore mystico, per quam propria capiti, attribuuntur membris, & è contra. Et sic dixit Augustinus lib. de gratia novi test. cap. 6. totum hoc verbum dici partim ex persona Christi, partim ex persona sui corporis, quod est Ecclesia. Et Genebrardus meorum, quæ ego expianda suscepi. Vndè apud Isaiam c. 53. decies repetitur Christum peccata aliena expiasse, & quasi sua fecisse. Et B. Albertus Magnus. Verba delictorum meorum. Idest humani generis, quæ ego mea feci, & luenda recepi. Et Maluenda. Delictorū meorum idest humani generis, quæ ego mea feci, & luenda recepi, quoad pœnam, non quoad culpam: induit hic Christus personam corporis, cuius ipse est caput.

Euthimium iam audiamus. Reatus (inquit) peccatorum meorum, procul sunt à salute mea, hoc est, nullo impedimento sunt saluti meæ; quia nulla omnino sunt delicta, quæ commisserim. Vel aliter, subijt Dominus, atque accepit in se totius humanæ naturæ personam, vt cognatæ. Et Bellarminus. Delicta nostra, quæ Christus vocat sua iuxta illud, Isai. 53. *Posuit delicta omnium nostrū in eo*. Et 1. Petr. 2. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo*

suo super lignum. Talia, inquit, peccata longè esse à salute sua, nec posse cum ea coniungi, quia vt purgentur necesse est illum pati, & mori, quasi diceret; nó possum non mori, cum in me sint omnium hominum peccata, quæ aliter remitti nó possunt, nisi passione, & morte mea.

Sed certè omnium optimè D. Thomas: *Verba delictorum meorum*, hæc dixit Christus, in persona peccatoris, vel Ecclesiæ. Et hæc est vna regula secũdum quam eá quæ pertinent ad membra dixit Christus de se: quia sunt, sicut vnum corpus mysticum Christus, & Ecclesia: & ideò dicuntur sicut vna persona; & Christus transformat se in Ecclesiam, & Ecclesia in Christum, Roma. 12. *Multi vnum corpus sumus in Christo.* In membris autẽ Christi, idest Ecclesia, sunt delicta, vel peccata, non verò in Christo, sed similitudo delicti. Roman. 8. *Misit Deus Filium suũ in similitudinem carnis peccati.* Et breviter Lira: delicta populi, sua dicit, tum propter membrorum, & capitis affinitatem: tum quia fecit illa sua sustinendo pro eis pœnam. Videatur Hugo Cardinalis.

Adversus tamen istam cõmunem expositionem insurgũt Iansenius, & Vazq. 3. p. disp. 61. cap. 1. dicentes: Nefas esse regulam Tyconij ad actiones peccaminosas transferre, alias hæc propositio esset concedenda: Christus quotidie peccat, quia membra eius scilicet fideles quotidie peccant: quod tamen in Concilio Romano sess. 22. contra Augustinum de Roma, damnatum est. Secundo, quia Christus in Cruce pendens, primam versus partem, de se ipso, & non de membris vsurpavit, ergo tota de ipso est intelligenda. Tertio, quia inconveniens videtur, vt animus Christi sic afflictus, & in quærimonia perseverans, statim à principio Psalmi redderet rationem propter quam magis à quærimonia cessare debuisset. Vndè inferunt totum versum de Christo intelligendum tantum, & cum interrogatione sic terminandum: Deus Deus, &c. Longè à salute mea verba delictorum meorum?

Sed his obiectionibus facilè potest occurri cum Araujo 3. p. q. 15. art. 10. dub. 1. Negando sequellam primæ. Nam licet in scriptura peccata fidelium Christo attribuantur: at non licet inferre, Christum quotidie in suis peccare fidelibus: quia verbum illud *peccat*, propriè significat actionem egredientem, in fieri à supposito; quod non colligitur ex alijs locutionibus. Neque versus debet terminari interrogatione, sed interrogatio debet poni post illa verba: *Vt quid dereliquisti me?* Et benè potest prima pars de Christo intelligi, & secunda de fidelibus, vt dixit Augustinus citatus, vt sunt vnum cum Christo; per quod patet ad secundam. Ad tertiam, quod non obstat, quia illa verba protulit Christus, vt ostenderet quanta pro hominibus afficiebatur tristitia, & dolore.

Tot tantisque Authoribus adductis satis locus lustratus videtur, & eius difficultas superata. Placet tamen sensum illius aliter sic declarare. Petit Christus vt Pater illum respiciat; quia solent qui aliquem carnifici tradunt, oculos ab illo avertere. Et derelictus à Patre Christus conqueritur: vel quia hominum traditus voluntati, vel addictus vt tot tantaque patiatur; vel quia privatus pro illo tempore gaudio visionis beatæ: *Longè*, inquit, *à salute mea verba delictorum meorum*, idest; verba vel clamor delictorum meorum, idest hominum, in Genes. 18. *Clamor Sodomorum, &c.* Valdè vrgent, vel instant contra salutem, & vitam meam, vt illam exponam tormentis, & morti, cum pro illis expiandis fideiiussoris in me onus susceperim. Vt constat ex pluribus Isai. locis.

Consona quidem litteræ videtur expositio, sed voluntaria in hoc, quod verbum, *Longè*, vsurpo pro valdè vel multo, & illam propositionem *à* pro *contra.* Sed vtrumque sic probo, longè enim apud Lexicon Ecclesiasticum, idem est, ac multum, videatur ibi, & etiam idem est ac valdè. Deindè propositio *à*, accipitur pro *contra*, Psalm. 139. *Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori*, idest contra desiderium meum. Et illud; *defendo à frigore*

gare myrèèt, idest contra frigus: ergo benè littera explicatur dicendo: quod verba, vel clamor peccatorum meorum idest hominum instant, vel vrgent *Longè*, idest valdè, vel multum à salute idest contra salutem, vt eam morti exponam pro hominum expiandis delictis, quorum peccata super me posita sunt. Nec obstat quod in illo hemistichio non est verbum vt patet. Sed respondetur ex dictis linguam Hebræam vti sæpè sermone Laconico, & decurtato, & ita nomina, vel verba superaddenda esse. Vt Psalm. 107. *Iudà Rex meus, Moab lebes spei meæ*, vbi bis verbum, est, repetendum venit, & Psalm. 72. *Quid enim est mihi in Cœlo*, supplendum *quid aliud*. Et alibi sæpè.

CAPVT SECVNDVM.

De secunda Claui, vel Regula, scilicet de corpore Christi bipartito.

ITa inscribit hanc regulam Tyconius; sed D. August. lib. 3. de Doct. Christiana cap. 32. dicit: Quod non sic debuit appellari, quia re vera corpus Domini non est, quod cum illo non manet in æternum, dicendum ergo erat de corpore Domini vero, atque permixto, vel simulato, & facilius de permixta Ecclesia, vt ait Pagninus in Isagoge cap. 30.

Proposuit Christus, Matth. 13. parabolam dicens: *Simile est Regnum Cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, quam cum impleta esset educentes, & secus litus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.* Per sagenam istam Ecclesiam repræsentari, asserit Augustinus. Sed D. Hieronymus, ad nostram rem sic inscribit. Impleto Ieremiæ 16. Vaticinio: *Ecce ego mittam ad vos piscatores multos.* Postquam audierunt Petrus, & Andræas, Iacobus, & Ioannes: *Sequimini me, & faciam vos piscatores hominum.* Contexerunt sibi ex veteri, & nouo testamento sagenam Evangelicorum dogmatum, & miserunt eam in mare huius sæculi, quæ vsque hodie in medijs fluctibus tenditur, capiens, & bonos homines, & malos, & optimos pisces, & pessimos.

Secundam regulam assignavit Tyconius animadvertens, quod propter mixtionem temporalem bonorum, & malorum intra Ecclesiæ sagenam, de vtrisque multa dicuntur permixte. Ecclesia enim in sagena signata duplicem habet statum, alterum Militantis, & inter huius sæculi fluctus procedentis, alterum in sæculi fine, vt dicit Evangelista: *Sic erit in consummatione sæculi.* Inter hos status tale versatur discrimen; quod in primo omnia sunt confusa, boni, & mali, Catholici, & Hæretici, &c. In secundo autem per Angelos separabuntur mali à bonis. Cum ergo in ista Militanti Ecclesia, ita boni, & mali permixti sint, ratione huius societatis contingit, vt Sacræ Scripturæ locutio, quæ ad bonos dirigitur, ad malos etiam pertinere videatur, licet ad eos verè non pertineant, & è contra; tanquam vnum sit vtrorumque corpus propter temporalem commixtionem, & communionē Sacramentorum. Vel vt dicit Augustinus cit. & lib. de vnitate Ecclesiæ cap. 15. aliquando Sacra Scriptura de aliquibus loquens transit ad alios, cum tamen ad eosdem quos prius loquebatur videtur loqui, tanquam vtrique idem sint propter temporalem commixtionem, & Sacramentorum communionem. Et epist. 48. habent Scripturæ hunc morem, vt de omnibus dicant, quod ad quosdam attinet.

Iam exempla proferamus. Primum & præcipuum sit. Cant. 1. *Nigra sum sed formosa sicut Tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Super quæ verba diserte Augustinus. Non dicit nigra fui, sed sum, propter temporalem vnitatem intra eadem retia bonorum, & malorum piscium. Prima pars ad malos. Secunda pertinet ad bonos. Non enim absolutè dixit. Nigra sum, vt Tabernacula Cedar, & speciosa vt pelles Salomonis; sed vtraque esse dixit propter temporalem vnitatem intra vna retia bonorum, & malorum. Tabernacula enim Cedar ad Ismael pertinent, qui non erit hæres cum filio libe-

ræ, in quo significantur mali, & per aliam partem boni.

Isai. 42. *Ducam cæcos in viam quam nesciunt,* & indè quasi ad eosdem loquatur: *Conversi sunt retrorsum;* cum tamẽ ex primo loco cum bonis, & in secundo cum malis loquatur. Et Isai. 1. *Israel me non cognovit.* Certum est enim quod aliqui erant iusti in Israel: nihilominus tamen propter malorum admissionem, in afflictionibus debitis ipsis peccatoribus propter ipsorum demerita, comprehenduntur. Et etiam Isai. 44. *Servus meus es tu Israel, ecce delevi vt nubem iniquitatem tuam.* & postea: *Cõvertere ad me, & redimam te.* Prima pars ad bonos, quibus sunt dimissa peccata. Secunda ad malos, vt convertantur, & deleantur peccata eorum. Et etiam illud Isai. 43. *Dedi populo meo in deserto aquas.* & postea: *Non me invocasti Iacob, &c.* Primum, de populo electo: secundum, de infideli.

Apostolus etiam 1. Corint. 3. reprehendit eos dicendo: *Cum sint inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Cum tamen cap. 1. dicat. *In omnibus divites facti estis, ita vt nihil vobis desit in vlla gratia;* ex quo patet, in primo loco de malis. In secũdo verò de bonis loqui. Ioã. etiam 3. cap. dicitur: *Testimonium eius nemò accipit:* cum tamen Versu 33. dicat, *qui autem acceperit eius testimonium, &c.* Vbi in primo loco de malis, in secundo de bonis loquitur. Similiter Ezech. 16. *Radix tua, & generatio tua de terra Canahã, Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Zetæa.* Vbi non de omni populo, sed de malis loquitur, Sicut Daniel. 13. *Semen Canaham.* & Matt. 23. *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus.* de malis.

Alia sunt loca in quibus manifestè loquitur de bonis sub nomine tamen vniversorum, & non intelliguntur de omnibus, sed de illis solum quibus competere possunt, vt Psal. 23. *Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciẽ Dei Iacob.* Et etiam Psal. 111. *Potens in terra erit semen eius, generatio rectorum benedicetur:* quæ verò solum intelliguntur de bonis, cum tamen alibi eandem generationem, non inter bonos numeret, sed inter malos, vt illud. *generatio prava, & perversa signum quærit.* Et alibi, *venient hæc omnia super generationem istam.* Et Matth. 13. *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus.* Vbi versu 36. loquitur de generatione ista, quæ omnia de malis intelliguntur. Sicut etiam illud 2. Timoth. 3. de habentibus speciem pietatis, &c. sicut etiam Psal. 112. & Psal. 11. *Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum.* Et *tu Domine servabis nos à generatione hac in æternum.*

Michæas etiam cap. 4. loquitur de tempore Evangelij dicens: *Concident gladios suos in vomeres; & hastas suas in ligones. Non sumet gens contra gentem gladium, & non discent vltrà belligerare.* Isai. etiam 24. *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium.* Et Psal. 71. *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.* Quæ omnia loca, & similia, Hæretici arripiunt, vt probent inter Christianos, non debere bella intercedere, sed si quis vellit ab eis tunicam tollere, debere, & dimittere pallium. Sed tamen verba illa: *Abundantia pacis.* Debent intelligi, non de omnibus fidelibus, & si cum omnibus loqui videatur, sed tantum de viris Religiosis, & asceticis. Sicut etiam similiter illud Ierem. 3. vbi dicit: *Se legem daturum in visceribus, & cordibus, & se futurum in Deum illorũ, &c.* non de omnibus, sed de solis bonis intelliguntur, vt illud Isai. 11. *Habitabit lupus cum agno, vitulus, & leo morabuntur simul,* de bonis intelliguntur.

§. I.

Expenditur locus Pauli ad Ephes. 1.

Sit iam vltimus locus ex Apostolo ad Ephes. 1. *Paulus Apostolus Iesu Christi omnibus Sanctis, qui sunt Ephesi, &c.* Loquitur ibi Apostolus cum omnibus fidelibus Ephesi, ex quibus aliqui debebant

esse reprobri, & non Sancti, neque ad gloriam electi, & constat ex cap. 4. sequenti; hortatur enim illos ad solicitudinem, & vigiliam, & opera bona, quæ omnia videntur indicare, non omnes illos esse Sanctos, neque electos: quomodò ergo Apostolus omnes illos Sanctos vocat, & electos?

Sed ex nostra Regula his omnibus facilè occuritur, si dicamus; loqui Paulum cum omnibus Ephesijs, & omnes illos Sanctos, & electos vocare: non certè quia omnes illi Sancti essent, & electi; sed per quãdam figuram, quæ dicitur sinedoche, quæ sumit totum pro parte: & sic omnes illos in Ecclesia permixtos ab vna parte omnes Sanctos, & electos nominare voluit; sicut tota Ecclesia Militans vocatur Sancta, à principaliori eius parte, scilicet Christo, & aliquibus iustis in quibus Sanctitas resides. Et sic etiam Ierosolima Civitas, vocabatur Sion, & eius cives filij Sion, à Templo, & parte nobiliore illius, quæ erat in arce Sion.

Secundo responderi potest per aliam figuram, quæ toti attribuit communitati, quod in vno, vel altero invenitur ita Cantapratensis lib. 10. regula 40. & sic Stephanus Actu 7. dixit quod duodecim Prophetæ translati sunt in Sichem, & positi in sepulchro, quod emit Abraham, & tamen ex Iosepho lib. 2. antiquitatum, cap. 4. solus Ioseph translatus est in Sichem; cæteri verò conditi sunt in Hebron, de quo infra, & Iosue 1. dicit textus: *Tollensque mulier, idest Raab viros abscondit.* Hebræus autem dicit: accepit duos viros, & abscondit eum, scilicet Caleb; quia Phines, inquiunt, factus est invisibilis. Vel tertio responderi potest per figuram Sylepsim, sumpto singulari pro plurali, vt Marc. 13. dicitur. Et qui cum eo crucifixi erant conviciabantur ei. Non quia vterque, sed quia vnus ex eis blasphemabat, vt constat ex Luc. cap. 23. Vnus autem de his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum, & quod vnus faciebat ambobus tribuitur. Ita Paulus propter quosdam Sanctos, & electos, omnes Sanctos vocat, & electos. Videatur D. Isidorus lib. 19.

In hac Regula poterant exemplificari omnes species figuræ Sinedoche Græce, quæ Latine dicitur intellectio, vel comprehẽsio: & fit quoties aliud ex alio, quocunque modo intelligimus, vt dicit Quintilianus, cuius loci in genere, sunt duo, vnus, cum id quod est minus, ex eo quod est plus intelligitur. Alter è contra, cum plus percipitur ex eo quod minùs est, & vterque modus variatur per antecedentia, & consequentia, novem modis, de quo in tractatu de tropis.

Frequenter ergo totum ex parte intelligimus, vel pars ponitur pro toto, vt si dicamus. Lepidum os, pro homine vrbano, & politico, & tectum pro domo. Et in Sacra Scriptura Genes. 49. *In septuaginta duabus animabus ingressus est Iacob in Ægyptum*, cum non solum animæ, sed etiam corpora ingressa sint. Et Ioann. 1. *Verbum caro factum est*, idest homo. Secundo modo contingit cum totum accipitur pro parte, vt Cœlum rubet, hoc est aliqua pars Cœli versus Orientem, vel Occidentem. Et Ioan. 19. Magdalena: *Tulerunt Dominum meum*; Dominum dixit cum solum Christi quæreret corpus. Et cap. 19. dicit Evangelista: *Propter parasceven quia propè erat, posuerunt illum*, idest Christum in monumento. Aliæ huius figuræ species, in tractatu de tropis, ex professo veniunt examinandæ.

CAPVT TERTIVM.

De tertia Clavi, vel Regula, scilicet de spiritu, & littera.

Confutatis Scribis, & Phariseis, Matt. 15. vocatisq; turbis dixit illis Iesus: *Non quod intrat in os, coinquinat hominẽ; sed quod procedit ex ore coinquinat hominẽ.* Et accedentes discipuli dixerunt ei: *Scis quia audito hoc verbo Pharisæi scãdalizati sunt?* Quia scilicet non perceperunt finem, & scopum verborum; sicut nec discipuli; vnde Petrus dixit Iesu: *Edisfere nobis parabolam istam.* Illi enim intelligebant de cibo, & commestione ma-

seriali, sed Christus in sensu morali de illis loquebatur. Ex quo patet, quod in Scriptura Sacra, sub verbis patentibus, & claris, alius sensus magis reconditus, & subtilis continetur, vt constat in verbis supradictis.

Hac de causa Tyconius præsentē assignavit Clavem vel Regulam, inscriptam de spiritu, & littera, & Augustinus, 3. de Doctrina Christiana, cap. 34. quam inscripsit ipse de promissis, & lege, quæ diligentem, & attentum requirunt lectorem, quam diversimodè explicant Isidorus lib. 19. Driedo. lib. 3. cap. 2. & Beuter annot. 8. sed duplici à nobis expendetur sensu. Primus, supradictus scilicet, quod sub verbis Sacræ Scripturæ patentibus, alius sensus magis reconditus latet. Secūdus, quod multa sunt in Sacra Scriptura, quæ non secundum litteram, sed spiritualiter intelligenda veniunt.

§. I.

Quod sub verbis Sacræ Scripturæ patentibus, alius sensus magis reconditus latet.

IAm de primo sensu, vnus vel alter locus explicādus se offert. Primus sit ex Genes. 21. quando Abraham è domo sua Agar amandavit, & addit textus: *Quod imposuit humeris Agar panem, & vtrem aquæ, & sic tradidit illi puerum*, scilicet Ismaelem. Qui enim fieri potest, vt homo ita dives, & misericors, de quo scripsit Chrisostomus, quod non ita lætatur venator capta præda, sicut ille invento paupere. Quomodò ergo compatitur, tam crudelis eiectio vxoris & filij, cū visceribus ita misericordia, & charitate affluētibus?

Sed licet prima facie, talē factum indignum tanto videatur viro, sed ad mysterium ibi inclusum excitat attentionem, vt per Agar Synagoga intelligatur, per panes vero sui alimēti, legis ceremoniæ, per aquā vero, consolatio, & refrigerium in libris Prophetarum contenta, & quod hæc omnia, Agar idest curæ, ac dispensationi Synagogæ cōmissa sunt, vt servaret.

Difficilior tamen historia ad rem Genes. 9. *Cæpit post Diluviū Noe vir agricola exercere terram, & plantavit vineam: bibensque vinum inebriatus est, & nudatus iacuit in tabernaculo suo, quod cum vidisset Cham pater Chanam, patris sui verenda esse nudata, nuntiavit fratribus suis, propter quod Noe maledixit illum.* Clara quidem in superficie videtur historia, sed tantæ in illa appositæ circunstantiæ, lectorem admonent, vt aliquid in illa sublimius contentum perquirat. Et sicut dixit August. serm. 4. de Verbis Domini: Quando possumus de divinis operibus quæ leguntur, intellectum alicuius mysticæ significationis exculpere, quasi de abstrusis, favorum mellis cella producimus. Vel Christi Discipulos imitantes, spicas manibus confricamus, vt ad latentia grana perveniamus.

Ad rem ergo: Noe egressus de arca obtulit Deo sacrificium, quod valdè placuit Deo, & Noe benedixit, & revelavit pactum futurum cum semine suo, & conscius evasit Sacramenti Incarnationis, & divini amoris in Sacramento futuro Eucharistiæ in pane, & vino, & ideò vineam plantavit, vt cum pane vinum offerre posset, vt postea cap. 14. dicitur de Melchisedech, & Paulus attestatur ad Hebr. 7. Intelligamus ergo, Noe vineam ideo plantasse, vt vinum in oblationem deserviret; & revelatione illustratus, & supra se elevatus, dono eximiæ posteritatis prædictus, in qua ipse etiam Messias numerandus erat. Advertit hoc Cham filius eius, videt virilia patris, idest virtutem patri iam seni 650. annorum cælitus datam, vt plures generaret filios (de quo Berosus in historia) & hoc incidens renuentibus alijs duobus fratribus Sem, & Iaphet, patrem infrigidavit, vel maleficiavit herbis, vel potione, vt amplius generare non posset, propter quod à Patre Noe maledictione mulctatus est.

Genes. etiā 27. genuit Isaac, & vocavit Esau filium maiorem, & dixit illi, vt venatum exiret; indeque cibum faceret, vt commederet, & benediceret illum. Audivit hoc Rebeca, & dixit Iacob: vt afferret

reo hædum, quam coxit, vestivitque Iacob vestibus Esau, & ingressus Iacob ad Isaac Patrem, & interrogatus quis esset? Respondit quod Esau: & sic Patris accepit benedictionem. D. Augustinus lib. contra mendacium sic optimè fatur. Si factum solum inspiciatur mendacium videtur: si autem mysterium, per vestes hædinas peccata nostra, per illum qui vestitus est, Christus, qui non sua sed aliena peccata portavit. Eum interrogatus Iacob quis esset, & respondit quod Esau, si ad duos fratres referatur, mendacium videtur: si ad mysterium verum est: quia minor frater maioris fratris primatum tenuit, atque in se transtulit: & quia minor emerat primogenituram, & Sacerdotium à maiore, qua ratione repræsentabat Ecclesiam.

Frequens est huius Regulæ vsus in Sacra Scriptura, sed in Psalmis hoc præcipuè cernere licet, in quibus frequenter de littera transitus fit ad spiritum: vti in Psalm. 2. qui de Christo certum est intelligi, ex Actuum 2. Item Psalm. 15. ex actu. cit. & cap. 13. & etiam Psalm. 71. qui licet in aliquibus Salomoni conveniat, sed alia omninò propria sunt Christo: *Et dominabitur à mari vsque ad mare. Reges Tharsis. Adorabūt eum omnes Reges terræ, &c.* Et alia plura scripturæ loca, quis poterit facilè iuxta presentem explicare Regulam.

§. II.

Quod multa in Sacra Scriptura, non ad litteram, sed spiritualiter sunt accipienda.

IAm ad alterum sensum Regulæ, scilicet multa in Sacra reperiri Scriptura, quæ non secundum litteram, sed spiritualiter accipienda veniunt, accedamus. Cuius quidem vsus validus, & multiplex existit in Iudæos, Gentiles, & Hæreticos; prodestque vt maximas dissolvamus difficultates. Omnes etenim illi, plura nobis objiciunt loca, quæ secundum litteram intelligi non possunt, vt statim dicemus. Gentiles verò indè; inferunt scripturam non esse à Deo, cum impossibilia adstruat, & contra naturam. Iudæi, vt convincant nondum Christum advenisse, cum prædicta à Prophetis de ipso, nondum impleta cernantur. Hæretici, vt suos errores inducant, aliquibus locis abutuntur, quæ in sensu litterali intellecta, omninò pro illis stare videntur.

Ducat agmen Hieronymus, qui Matth. 21. dicit: Cum historia turpitudinem habeat, & impossibilitatem ad altiora transmittit, & adducit exemplum, ex eodem Matth. 21. Vbi dicitur Christus ingressus Hierosolymam sedens super asinam, & pullum subiugalis. Quod impossibile videtur super vtrumque simul consedisse, & maximè asserentibus, & insinuantibus Evangelistis solum pullum ibi, & non asinam extitisse. Et sic dixit Hieronymus confugiendum esse ad spiritum scilicet ad Iudæos nomine asinæ, & Gentiles per pullum præfiguratos. Et lib. 7. in Isaiam cap. 11. eandem Regulam tradit explicans illud: *Habitavit lupus cum agno, pardus cum hædo, leo & ovis*; quem locum Iudæi objiciunt contra Christi adventum, cum nondum impleta videantur. Et idem dicendum de errore Millenariorum, de annis mille, quibus iustis in hoc mundo degent, & alijs.

Plura de hoc apud Isaiam cap. 14. quorum intelligentia litteralis esse non potest. v. g. Assumpta parabola contra Regem Babylonis, infert plurima sub lignarij metaphora, qui totus est ad scindendas arbores, propositoque ipsius casu, & morte, inducit gaudentes, & orantes de illius interitu dicens v. 8. *Abietes lætatæ sunt super te, & cedri Libani, ex quo dormisti; non ascendit qui succidat nos.* & v. 9. Introducens descensum ipsius in infernum inducit dæmones, vel damnatos commotos ipsius inopinato adventu, admixta irrisione vehementi. *Infernus super te conturbatus est: suscitabit tibi gigantes, &c.* Ac deinceps v. 12. Sub metaphora Luciferi dicit: *Quomodò cecidisti de Cœlo Lucifer, qui manè oriebaris, &c.* Et deindè per totum caput plurima addit quæ nullo modo in sensu litterali pro-

prio verificari possunt, neque apud Iudæos varias explicationes fingentes, neque apud Catholicos; & sic ad allegoriam confugiendum.

Capite etiam 29. hæc habet: *Adhuc in modico, & in brevi convertetur Libanus in Carmel; Carmel in saltũ reputabitur;* quæ verba de conversione montium intelligi non possunt, sed necessario dicendum est allegoriam subesse, qua declaratur Libanum montem asperrimum, & opertum nive, & gelu, relicta asperitate convertendum esse in Carmel, montem vberrimum, & frugiferum. Idest Gentiles, quondam idolis servientes, fruituros donis, quæ promissa erant Iudæis. Ac si diceret. Illi quondam inculti, Dei agricultura erunt; è contra autem vos, quibus antea Dei favor præsto adesat, expellimini, iuxta illud Evangelij: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur &c.* Et iuxta illud Actu. cap. 13. *Vobis oportebat prædicare primum regnum Dei, sed quia repellitis illud, ecce convertimur ad gentes.*

Trigesimo etiam capite de aliquibus rebus, quæ communiter ab interpretibus ad vltimum referuntur diem, sic dicit. Erit lux Lunæ sicut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum. Quæ verba Millenarij ad suũ errorem confirmandũ inflectunt ex Lactant. lib. 7. cap. 23. sed nihil aliud significant, nisi magnam lætitiam quam habuit populus, interfectis Assyrijs. Nam sicut tenebræ, & obscuritas calamitatem indicant, ita similiter lux omnem prosperitatem figurate repræsentat. Idem etiam Isai. cap. 43. plura dicit, quæ Origenes lib. 4. Periar. cap. 22. & Iudæi ad litteram intelligunt complenda post iudicium, & illud Isai. 43. Ponam in deserto viam, & in via flumina, vt darem potum populo meo; glorificavit me bestia agri &c. sicut & illa quæ in Apocalypsi de civitate gemmata, & aurea describuntur, quæ non secundum litteram quidem, sed mysticè intelligi debent, ne cum Iudaizantibus consentire vellimus.

Denique Prover. 26. 9. *Quomodo si spina nascatur, in manu temulenti, sic parabola in ore stultorum.* Quæ verba si ad litteram intelligantur, nullo modo, nec ratio inducere potest, nec fieri, vt in manu alicuius spina oriatur. Sed secundum spiritum, & allegoriam necessario intelligẽda sunt. Quasi dicat, sicut enim ebrius à vino possessus, si rosam carpere intendit, incaute spinis confoditur; sic etiam stultus, dum aliquam sentẽtiam profert, suam prodit stultitiam. Eundem recipiũt sensũ illa verba Mat. 5. *Si manus tua, vel pes tuus scãdalizat te, abscinde, & proijce abs te.* Et etiam illud eiusdem 19. de Eunuchis qui se castraverunt, cũ vtrumque sic fieri non debeat, nec possit: Quod secundum, fecisse dicitur Originem, sed mysticè accipienda sunt de abscindenda occasione peccati per manum, & oculum significata; & reprimendis proprijs voluptatibus propter Regnum cœlorum.

§. III.

Quomodo de littera ad spiritum transeundum sit.

ALiqui ergo, attendentes hoc argumentum ita latum esse, & transcendens, aliquas contenderunt assignare regulas, vt certis limitibus comprehenderetur, & intelligi posset quando de littera ad spiritum transitum facere possimus. Et licet supra agentes de sensu metaphorico & spirituali, quasdam iam tradiderimus, libet tres breviter proponere ex Augustino lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 5. 6. & 16. Prima, sit si ex litterali propriè accepta sequatur absurdum, ad spiritualem cõfugiendum. Secus aliàs. Vnde Tertul. lib. de carne Christi, cap. 13. Perversissimum quidem est, vt carnem nominantes animam intelligamus, & è converso. Vndè reijciendus venit Georgius Venetus contendens tom. 1. proble. 110. Noe non inebriatum fuisse vino, sed nimia suorum affectione.

Secunda: si ex voce propriè vsurpata sequitur aliquod impossibile, ad spiritum recurrendum, ne in Hæresi Antropomor-

mi-

[illegible], qui Deo attribuit mébra corporea, vt caput, oculos, pedes &c. quorum magnam cōgeriem retulit, & explicavit D. August. lib. de essentia divinitatis. Idem sentiendum cum Christus dixit, & præcepit, semper orare; quod præceptum iuxta ingruentes huius vitæ necessitates impossibile videtur, cum id vetent, & impediant; ad spiritum ergo receptus canamus cum Augustino dicente: Semper orare, cum quis benè operatur.

Tertia: Si verba aliquod falsum præseferant, ad spiritum transmeandum, vt quando Deus promisisit terram lacte, & melle manantem. Et etiam, cum Baptista dixit se non esse Eliam, cū è contra Christus dixerit Eliam esse, nempè in spiritu, & virtute. Idem tenendum, cum aliquid rationi obstare videtur Apocal. 22. qui in sordibus est, sordescat adhuc. Et si alijs Sacræ Scripturæ locis repugnare videatur, vt cum Christus Marc. 13. dixit, se nescire diem iudicij: cum è contra Paulus ad Coloss. 2. dicat: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.* Vel denique si Ecclesia declaravit talia verba spiritualiter esse accipienda, vt 1. Petr. 2. dicitur de omnibus fidelibus, esse Sacerdotes; vbi Sacerdotium non propriè, & litteraliter, sed mysticè contra Hæreticos vsurpandum est. Alia, locis supra citatis videantur.

CAPVT QVARTVM.

De quarta Regula, vel Clavi, scilicet de genere, & specie.

POstquam Christus Dominus Iudicij diei incertitudinem prædicavit, ad Discipulos conversus, dixit illis Marc. 13. *Quod autem vobis dico, omnibus dico.* Ex quo constat verba scripturæ aliquando loqui de parte, ac si esset totum, & è contra: & de aliquibus ac si de omnibus. Itaque non sumuntur genus, & species dialecticè, scilicet pro natura, quæ dicitur de pluribus numero, vel specie differentibus: sed genus & species, ex Augustino, idem significant quod totum & pars, sicut vnaquæque Civitas pars est vniversitatis gentium, & hanc voco speciem: omnes verò gentes: & vniversum mundū dicitur genus. Vel sicut in rescriptis, vel diplomatibus Regijs, vel Pontificijs, alia sunt ad omnes, & communem materiam concernunt, alia verò ad particulares personas, & negotia.

Veniat iam vnus, vel alter locus, Isaias 13. in illis verbis: *Onus Babylonis. Super montem Sion levate signum. Ecce venit dies Domini crudelis, & indignatione plenus, ad ponendam terram in solitudinem, &c. Ecce ego suscitabo Medos super vos.* Vt autem dicit Hieronymus, quoties in Prophetis ponitur ista vox, *Onus*, significat afflictioné, vel supplicium, &c. Et sicut Ierusalem caput Regni Iudæorū ob sua scelera destructa fuit à Nabucodonosor, Rege Chaldæorū, ità Babylon Regia Chaldæorū, fuit ob peccata sua à Persis, & Medis devastata. Ex clausulis ergo adductis Isaiæ, prima, & tertia solum pertinent ad Babylonem; secunda verò, ecce venit dies Domini, ad vniversum pertinet orbem, cum dies annuntietur iudicij finalis.

Sed celebris certè locus Ezech. 36. *Domus Israel habitavit in terra, & polluerunt eam in idolis suis, & peccatis. Dispersi eos inter nationes secundum vias eorum &c.* Facilè quidem est hoc de populo illo intelligere secundum carnem. Carnalis enim ille populus, ex 1. Cor. 10. Omnia hæc & fecit, & passus est. Sed cum dicit: *Sanctificabo nomen meum sanctū, quod pollutum est inter vos.* Attente Lector considerare debet, quomodò species excedatur à genere, scilicet Synagoga ab Ecclesia Christi. Sequitur enim: *Et dum sanctificabor in vobis ante oculos eorum, & accipiam vos de gentibus.* Hoc iam de novo intelligitur testamento prophetatum; quod de gentibus, & Iudæis prophetatum est. Ad quod pertinet non solum vna gens illa cum reliquijs suis de quibus dicitur: *Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris reliquiæ salvæ fient*: sed etiam pertinere ad cæteras gen-

tes, facilè percipiet, quisquis intuetur cõversionem omnium gentium, per totum mundũ. Sed altitudo prophetica de vno transit ad alium latenter, & cum iam de isto, vel ad istum loquatur, adhuc de illo, vel ad illum loqui videtur, & de parte, vel specie, quæ est ille populus, ad genus, vel totum quæ est Ecclesia, ex illo & gentibus congregata, divertit.

Expendamus etiam Psalm. 47. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis. Fũdatur exultatione universæ terræ. Deus in domibus eius cognoscetur.* Hebræi primum versum de templo illo. Sed secundus nequit intelligi, neque de Hierusalem, neque de templo, neque de lege illa, quia solus notus Deus in Iudæa: in vniversa autẽ terra reservabatur legi Evangelicæ, quando per Apostolos, exivit sonus eorum in omnem terram per Evangelium, quod est bonus nuntius, exultationis. Tertius autem versus, intelligitur ab aliquibus de cœlesti Hierusalem, vbi omnes Sancti, & electi exultant in proprijs domibus, & mansionibus, ex Ioan. 15. Et ibi Deus ab illis videtur, & clarè cognoscitur: ecce quomodò ex Hierusalem, vel templo, trãsitum fecit scriptura, vsque ad gloriam cœlestem.

Hanc etiam regulam D. Isidorus sic explicavit. Quarta regula est de specie, & genere, per quam pars pro toto, & totum pro parte desumitur; ita vt loquens Deus ad vnum populum, vel civitatem, ad omnem intelligatur mundum facere verba. Optimum exemplum in Isaia. cap. 13. vbi contra Babylonem loquens, statim de specie transit ad genus, & sermonem contra totum mundum convertit. Cum deinde subiungat; *& perdam omnem terram, & visitabo super orbis mala.* Et reliqua ad orbis internetionem pertinẽtia &c. Item postquam sub persona Babylonis arguit mundum totum, iterum ad eandem, quasi de genere ad speciem revertitur dicens; *Ecce ego suscitabo super eos Medos:* vt in primo loco vidimus. Similiter, cum dicitur ex nomine Dei: *Onus Ægypti*, totum mundum vult intelligi, cum dicat. *Et concurrere faciam Ægyptios contra Ægyptios, & Regnum adversus Regnum*: & cum Ægyptus vnum tantum sit Regnum, plura alia indicare intendit.

Notat etiam bene Cantaprat. lib. 10. regula 42 morem Scripturæ esse vt proposita persona, vel aliqua re determinata, & certa, talis significatio etiam ad similes derivetur: Vt loquendo de David Moyse, Isaia; vniversos, vel plures designat iustos. Et de Antiocho, Balaam, &c. tractando: improbos, & sceleratos significet. Pariter (inquit) dicendum, de regionibus, vrbibus, vel fluvijs; quia si istæ sustinent typum rei laudatæ, vt Hierusalẽ, Iuda, piorum cœtum inducent; si verò imaginem præferant rei illaudatæ, vt Babylon, Moab &c. congregationem hostium Ecclesiæ repræsentant. Et sic species pro genere accipitur.

Isai. 19. dicitur, *& erit Altare Domini in terra Ægypti, & Ægyptus Dominum cognoscet:* vbi Ægyptus ponitur pro cunctis idolorum cultoribus, qui idolis relictis Christum receperunt, & cap. 25. loquens de potentia, & virtute populi Dei dicit: *Et triturabitur Moab sub eo*, sicut teruntur palleæ in plaustro. Moab comprehendit omnes infideles, & sub eo populum dicit fidelem. E contra genus ponitur aliquando pro specie, sic potest intelligi illud Evangelij Matth. 27 *Tenebræ factæ sunt in vniversa terra*, idest Iudæa, inquit Cãtaprat. (sed non ita plures intelligunt) & Act. 11. Agabus; sub Claudio famem prædicebat in vniverso terrarum orbe, idest Iudæa (ait ille) quæ est vniversi pars. Et illud Psalm. 13. *Omnes declinaverunt simul, &c.* idest bona pars hominũ per synedochen. Sed quicquid sit de his exẽplis, certũ est, hac Regula plura S. Scripturæ posse loca elucidari.

CAPVT QVINTVM.

De quinta Regula, vel Clavi, scilicet de temporibus.

SI pro dignitate, & amplitudine materiæ, præsens Clavis, vel Regula lustran-

ſtranda eſſet, integer curſus inſumi opporteret, non tam pro difficultate temporis phyſicè conſiderati, de quo Auguſtinus lib.11. Conf. cap.14. Quid ſit tempus? Si nemo ex me quærat, ſcio: ſi quærenti explicare vellim, neſcio. Quæ difficultas ex D. Thom.opuſ.44. Ex eo provenit, propter minimam actualitatem, & entitatem entis ſucceſsivi. Præcipua ergo difficultas in præſenti, conſiſtit in varia acceptione annorum, Hebdomadarum, dierum, & horarum, qua Sacra Scriptura ita abundat, & ſcatet, vt in illorum ſupputatione, & concordia dici poſsit: *Quod gemunt gigantes ſub aquis*, Iob 26. Et adaptari poſſet illud Actu. 1. *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta*. Ex pluribus ſeligemus meliora, ad rem noſtram attinentia, reliqua proprio tractatu enodanda relinquentes.

Quantũ vtilitatis adferat iſta Regula, pro plurium Sacræ Scripturæ locorum intelligentia, vix verbis poteſt explicari, cum nihil difficilius, & frequentius occurat, quam temporum oppoſitio concilianda, vt in illa verſato ſatis patere poteſt; per hanc ergo Regulam, plerumque inveniri vel conijci poteſt, latitans in ſcripturis quantitas temporis. Vel vt D. dicit Iſidorus, per illam aut pars maior temporis per minorem, aut pars minor temporis, per maiorem partem inducitur, & applicatur. Igitur à communioribus incipiendo, duobus modis vtimur iſta Regula. Primo, figura, vel tropo ſynedoche: ſecundo, legitimis numeris.

§. I.

De figura ſynodoche circa tempora.

REctè dicit D.Cyrillus, qui ſcripturas vult intelligere, diligenter tempora inquirere debet, ſic enim facilè errores poterit vitare, hac enim de cauſa Hymenæus, & Philetus ignorantia temporis dixerunt reſurrectionem iam eſſe factam. 2. ad Timoth. 2. & D. Auguſt. ſer. 16. de verbis Domini: Diſtingue tempora, & concordabis ſcripturam. Et Matth. 2. conſulto dixit: *Cum natus eſſet Ieſus in diebus Herodis Regis*, vt ſignaret eſſe Meſsiam qui naſcebatur; cum iam eo tempore, ablatum eſſet à Iudæis Regnum, & ſceptrum.

Igitur contingit ſynedoche, cum pars temporis ſumitur pro toto, vel è contra. Exemplum commune in Chriſti transfiguratione, nam Lucas cap. 9. dicit poſt dies octo fuiſſe transfiguratum. At Matt. 17. habetur quod poſt dies ſex. Vtrumque verum, videtur non poſſe conſiſtere, niſi ille qui dixit poſt dies octo, intelligatur de parte noviſsima illius diei, in qua id Chriſtus dixit, & de altera parte in qua id impletum eſt. Qui vero dixit poſt dies ſex, ſolos dies medios computavit. Vel brevius, qui dixit dies octo, accepit primum, & vltimum incluſivè, qui vero ſex dixit, illos accepit excluſivè. Qua etiã ratione ſignificatur totum per partem, ſoluitur illa quæſtio de Chriſti reſurrectione poſt tres dies; pars enim diei qua paſſus eſt, niſi pro toto die accipiatur, adiuncta etiam nocte præterita; & nox in cuius vltima parte reſurrexit, niſi adiuncta die Dominica illuſceſcẽte, nõ poſſunt conficere tres dies, & noctes, quibus ſe in corde terræ futurum prædixit. Vid. Benavides diſp. 10. dub. 2. & 8.

Hæc ita communiter, & verè dicuntur, ſed ingerit difficultatem non modicam illud adverbium, poſt, in locis iſtis; ſicut etiam Luc. 2. qui loquens de Chriſti circuncisione dixit: *Poſtquam conſumati ſunt dies octo, vt circuncideretur puer*. Videtur enim ex his verbis deſignari, circumciſionem poſt octavum diem eſſe effectam; cum tamen lex, die octava præcipiat id fieri Levit. 12. ſed hæc formula loquendi, debet intelligi in hoc ſenſu; ideſt dies vltima incepta, conſumari. In principio enim diei octavi conſumantur dies octo, ideſt implentur. Vndè non dicitur conſumatus dies octavus, ſed numerus octonarius dierum. Sic etiam Ioan. 20. dicitur. Poſt dies octo Chriſtum diſcipulis apparuiſſe, non die nono; ſed ipſo die octavo iam exiſtente, licet non finito.

Sed

Sed sciendum; quod hac explicatione difficultas plenè superata est, sed falsitatis arguuntur Iudæi, qui Mat. 27. Pilato dixerunt: *Domine recordati sumus, quia seductor ille vivēs dixit, post tres dies resurgam.* Nusquam enim tale Christus dixit, sed solum Ioan. 2. dixit: *Et in tribus diebus excitabo illud: Hoc autem dicebat, de templo corporis sui.* Et Oseæ 6. *Vivificabit nos post duos dies, & die tertia suscitabit nos.* Et dato quod ita dixisset, iuxta nostram Regulā poterat explicari.

Aliquando etiam ponitur tempus inceptionis, & desitionis alicuius actionis. Sic 2. Paral. 34. dicitur: *Quod anno duodecimo postquam regnare cæperat Iosias, mundavit Civitatem Ierusalem ab idolis, & simulachris.* & v. 8. dicitur: *Hoc factum anno* 18. Sed concordantur dicendo anno 12. incepisse, & 18. perfecisse. Cant. 6. dicitur, esse 60. *Reginæ: &* 80. *concubinæ*: & tamen 3. Reg. 11. dicitur: *Fuisse Reginas* 700. *& concubinas* 300. Sed illud fuit in principio, & istud in progressu vitæ, vel Regni. Et Ierem. 52. dicitur: *Mense quinto die* 10. *mensis, venisse Nabuzardan.* Et 4. Reg. 25. dicitur: *Hoc accidisse die* 7. *mensis.* Sed respondetur die 7. decessisse à Reblatā, & die 10. pervenisse ad Hierusalem. Et sic de alijs.

§. II.

De numeris legitimis.

SEcundo autem modo, exercetur ista Regula, per numeros legitimos, qui tales dicuntur, quia illos magis commendat scriptura, & pluribus scatent mysterijs. De numerorum significationibus, & Gentiles, & Sacri Authores plura dixerunt: de quo Petrus Bungus de mysterijs numerorum. Lauretus in Sylva, Eucherius de formulis, & D. Augustinus, vbicumque in scriptura de numeris agitur. Macrobius ait: apud antiquos, vt fatales aliquos annotatos, vt septenarius per octonarium ductus, qui 56. efficiunt, annus vitæ fatalis. Et Gelius lib. 5. cap. 7. cum alijs, numerum novenarium per septenarium ductum, qui construunt 63. annos, qui Clematerici dicuntur, & morti obnoxij; & septenarij per septenariū, qui 49. cōficit. Et horum rationem dant, scilicet harmoniam cum cōpositione corporis humani, & vitæ. Vndè inferebant, Deum septem tantum condidisse Planetas, ex quibus omnis vis effectiva orbium dependebat.

Isti autem numeri legitimi, alij sunt tales in rigore, & proprietate, alij dicuntur mystici, qui non accipiuntur secundum quantitatem significatā, sed in quadam mystica significatione. Sit exemplum ex Psal. 118. *Septies in die, laudem dixi tibi.* Quod videtur obstare verbis Psalm. 33. *Semper laus eius in ore meo.* Sed respondetur, quod septies significat cōtinuitatē, vel quasi infinitatem, ex Gregor. homil. 33. quia semptem diebus omne tempus comprehenditur: rectè septenario numero, vniversitas figuratur. Idem dicendum de illo Prover. 24. *Septies in die cadit iustus,* id est sæpè in venialibus: & ideò Ecclesia in illorū remedium, septem assignavit Psalmos pœnitentiales, qui & energiam magnam, & plura continent motiva, vt peccatores in melius reformētur; & vix alius numerus, ita mysterijs abundat. At Augustinus locum intelligit, non de peccatis, sed de tribulationibus, quibus ad humilitatem iusti inducuntur frequenter. De septenario, Maluenda in opusculis cap. 2. Samuelis, Columna 119. optimè disserit.

Eadem est ratio de denario. Numer. 14. dicit Deus: *Tentaverunt me iam per decem vices,* idest plures. Et Iob 19. *Decies confunditis me;* cum tamen solum ter, cum illo locuti sint. Similiter 1. Corint. 4. *Licet millia pedagogorum habeatis, &c.* Proverbialiter millenarium accipit in præsenti, propter infinitos: vt etiam Psal. 104. *Mille generationes.* Et Apocal. 7. *Illa centum quadraginta quatuor millia signatorum.* Et ibidem: *Annos mille quibus millenarij decepti sunt.* Hæc omnia, non determinatum, sed maiorem, vel minorem numerum designant, iuxta subiectam materiam, de qua agitur.

Ad

Ad numeros ergo iam legitimos devenientes, ad classes reducere, quomodò pro temporibus in Sacra Scriptura designatis deserviant, prolixum, & difficilè valdè: selectiora proponemus, reliqua in alium tractatû remittentes. Sed vel summis labijs delibandû venit aliquid de anno dicere. Qui duplex est apud Hebræos, alter lunaris, & est duratio qua Luna per duodecim menses cum Sole cógreditur: & tales menses constât 29. diebus, & 12. horis, quæ cum alijs 12. horis mensis sequentis, vnum diem constituunt; & ita si primus mensis habuit 29. dies, sequens 30. Et talis annus constabat 354. diebus, & erat minor vndecim diebus, anno solari, qui constat diebus 365. & 6. incompletis horis. Et vt solarem annum æquarent addebant anno secundo, vel tertio vnum mensem, replicãdo vltimum Adar idest Februarium, & dicebatur, secundus Adar, & annus ille embolismalis de quo Beda de ratione temporum cap. 43.

Vterque autem annus sive lunaris iam dictus, sivè solaris, aliàs tropicus, & est spatium temporis, quo Sol à tropico Cancri, vsq; ad Capricorniû deambulans, totum Zodiacum lustrat. Qui annus duplex est; alter vulgaris, seu cõmunis, negotijs deserviens sæcularibus, qui incipiebat à mense Tirsi, seu Septêbri, & colligitur Exod. 23. *Quando congregaveris omnes fruges tuas, &c.* Alter erat annus Sacer, initium sumens à mense Nisan, qui nostro correspondet Martio, & ex parte etiam Aprili; quia incipiebat in Æquinoctio verno, de quo Exod. 12. *Et deserviebat pro rebus sacris, & festis.*

Alij etiam erant anni, scil. Sabbaticus, nempè Sabbatum terræ. Sicut enim post sex dies succedit Sabbatum, quod Deus requiei dedicavit; ita post sex annos, celebrabatur Sabbatum terræ, vt colligitur Exod. 23. Erat etiã annus Iubilei Levit. 25. deserviens rebus præscriptis ibidem, & numerabatur post sex annos Sabbaticos scil. 45. & quinquagesimus sequens annus, erat Iubilei de quo Iof. 14. Veniebat hic disputandum: verum anni, quibus ab initio mundi vtitur scriptura, æquales fuerint nostris? Plerique negant, alij dubitant. Sed cõtrarium videtur colligi, ex Genes. 7. & 8. vbi anni vitæ Noe, & quando diluvium cæpit, desijtq; ex professo describuntur. Videantur Expositores, & nos in chronologia.

Primo ergo deservit hæc regula, pro annorum cõputatione, attendendo quod non semper anni, incipiunt ab eodem tẽpore, de eadem re agentes. Sit ad rem exemplum optimum: Genes. 15. dicitur, quod semen Abrahæ, peregrinum erat futurum in terra non sua, annis 400. & tamen Exod. 12. dicitur, quod mansio filiorum Israel in terra Ægypti, fuit annis 430. nec sufficit respondere; quod in Genesi accipitur numerus quadratus, & integer, & dimittitur numerus fractus, & minor, scil. 30. sed non satisfacit, quia numerus trigesimus, est numerus completus, & magnus, & non ita potest dimitti, sicut alij numeri parvi.

Quare, vno ex duobus modis occurri potest dicendo. Primo, quod si attendamus, quod numerus in Genesi assignatus, 400. fuit, à tẽpore quo natum fuit Abrahæ semen scil. Isaac. Posterior verò numerus Exodi 430. debet computari ab eo tempore quo dictum fuit Abrahæ Genes. 12. egredere de terra tua &c. quod contigit 30. annis ante natum Isaac, vt Expositores tradunt.

Secundo modo potest huic occurri difficultati, ex doctrina D. August. 16. de Civit. cap. 14. Quod consuetudo est Sacræ Scripturæ numerum totalem, illi locò vel actioni attribui, vbi completur, vel consumatur, licet ibi non inceperit. Sic explicat locum Genes. 15. adductum, quæ verba non rectè intelliguntur, si existimetur servitutem, & mansionem fuisse per 400. vel 430. annos, cum loquatur de afflictione, & servitute in Ægypto, quæ tantum duravit 215. annis, qui solum intercesserunt ab adventu Iacob cum filijs in Ægyptum, vsque ad exitum, & ita intelligitur 400. vel 430. annos consumandos, non quod tot fuerint transacti; sed quod ibi completi sint. Et idem sensus debet attribui verbis Achior.

Iudith. 5. dicentis: filios Israel descendisse in Ægyptũ, ibique per 400. annos multiplicatos fuisse; quia scilicet talem annorum numerum ibi compleverunt.

§. III.

De annis, respectu historiæ, & generationis.

VTraque ista solutio habetur in Anticinone interrogatione 9. ait enim: à prima promissione Abrahæ scil. anno 75. vsque ad ingressum in Ægyptum, fluxerunt anni 215. Et vsque ad egressum alij 215. qui constituunt 430. Vel si ab anno 5. nativitatis Isaac vsque ad exitum ab Ægypto, ex quo tempore parvulus ipse Isaac, semen Abrahæ affligi incepit ab Ismael sunt anni 400.

Pro historia etiam Scripturæ, Regula valdè conducit, maximè in libris Regum, & Paralypomenon, in quibus idem aliquando dicitur, plus vel minus regnasse; quod tantis scatet difficultatibus, vt vix vir sit cum viro, & in varias interpretes dividantur explicationes. De quo Ricardus in tractatu de hac materia, & Mendoza tom. 1. in lib. Regum, annot. 3. sect. 5. & alij. In communi autem (quia in particulari prolixum esset cuncta percurrere) dicendum: quod quis cum assignatur plus regnasse, debet computari à tempore quo talis à suo patre fuit admissus, ad simul coregnandum cum patre vivente, & etiã post mortem patris. Quando verò dicitur minus regnasse, debet intelligi de tẽpore, quo defuncto patre, ipse solus regnavit. Notat Benavid. dub. 2. Scripturam recensentem, vitã vel annos, alicuius Regis, aliquando includere annos incompletos, in completis. Et etiam refert numerum rotundum, relictis diebus, mensibus, & etiam annis infra decennium. Et aliquando sumit tempus pro anno, & dimidium temporis, pro dimidio anno, vt Daniel. 7. *Tempus, & tempora, & dimidiũ temporis*, pro vno anno, duobus annis, & dimidio anno.

Deservit etiam pro libris Machabæorum, in quibus diversitas magna intercedit, in annorum computatione. Sit exemplum: 2. Machab. 1. num. 10. dicetur: *Iudas esse vivus anno* 188. in quo, epistola fuit scripta: & tamen constat iam anno 169. ipsum esse defunctũ, ex 1. Machab. 9. inter quos annos, differentia intercedit 15. annorum; quæ quidem differẽtia, nulla regula suppleri potest, & in eisdem libris, sæpè hoc reperitur.

Respondetur ergo: quod isti anni, de quibus fit mẽtio in libris Machabæorum, erant anni Regni Græcorum, vt ex littera constat: tale autem Regnum aliter à Græcis, aliter ab Hebræis incipit computari. Græci enim sumunt initium ab Alexandro Magno, qui vt dicitur 1. Mach. 1. *Primus regnavit in Græcia.* Hebræi autem, numerant à Seleuco Nicanore. Alexander autem præcessit Nicanorem per 16. annos, vt dicit Eusebius, & Ioannes Lucedus lib. 4. cap. 5. Hoc supposito, notandum: quod 2. Mach. 1. duplex epistola continetur, vt benè advertit Ludovicus de Tena in Isag. lib. 2. diffic. 16. sect. 6. prima finitur illis verbis, *anno* 188. & altera incipit. *Populus qui est Hierosolymis.* In prima ergo epistola, non ponitur Iudas, sed in secunda, & sic non obstat obiectio suprapposita. Alia apud interpretes.

De morte Iudæ, facile se expedit Rupertus lib. 10. de victoria verbi, cap. 15. dicens: alium fuisse Machabæũ, qui ponitur 2. Machab. 1. ab illo qui ponitur 1. Machab. 9. quæ solutio si vera sit, penitus dubium evacuat. Sed Sixtus Sen. Cano, & alij apud Tenam citatum, dicunt: quod idem est annus quo mortuus dicitur, licet diversè computatus; quia Græci cõputant ab Alexandro Magno: at Hebræi à Seleuco, & ille, istum præcessit 16. annis. Et sic annus mortis Iudæ fuit 153. à tempore Seleucis at secundum Græcos, fuit annus 165. quia cõputabant ab Alexandro, qui 16. annis, præcessit Seleucũ. Et in Hispania, huius rei optimam habemus instantiam, vt si ego dicerem: anno 1671. Nativitatis Dñi. Canonizata fuit B. Rosa de Sancta Maria, & alius diceret, hoc contigisse æra Cæsaris 1709. diversa vi-

videntur,& idem eſt annus,quia æra præceſsit 38. annis, Chriſti Nativitatem. In dictis libris, hæc doctrina obſervetur, in morte Antiochi, purificatione Templi, & alijs.

Solet etiam Scriptura,eandem rem diverſis generationibus explicare. Difficilia verba illa Geneſ. 15. de filijs Iſrael: *Generatione autem quarta, revertentur huc.* Et vrgetur dubium: quia ſi generatio, ſignificat idem quod genitura, vel nativitas filij ex patre, ægre componitur,cum plures, vel pauciores inveniantur. Si enim intelligatur de linea regali Iacob,cum filio Iuda, ingreſſus eſt in Ægyptũ;hic Iudas,genuit Phares,Phares Efron; hic genuit Arã;hic genuit Aminadab; hic genuit Naaſon, qui cum patre egreſſus eſt ex Ægypto, & videntur eſſe ad minus 6. vel 5. generationes. Si autem computentur,generationes Sacerdotales ſunt tres, quia Levi cum Patre Iacob, & filio Caath, ingreſſus eſt in Ægyptum, Gen.46.Caath genuit Amram,hic genuit Aaron, & Moyſen, Aaron Eleazar, qui cum patre egreſſus eſt ex Ægypto: & ita videntur non compleri quatuor generationes.

Videamus ergo Authorum placita circa hoc. Commentarius in Geneſ.15. D. Thomæ ad notat. & benè, quod in viſionibus propheticis, ſignificationes numerorum,mirabiliter ſunt occultæ,ita quod raro ad plenum claret, à quo tempore ſint illi numeri inchoandi: patet hoc ex Beda, circa numerum ſeptuaginta Hebdomadarum Danielis,qui non venit computandus, à tempore quo dicitur hoc Dani.8. nec à tempore libertatis populi illius; ſed fortè poſt centum annos. De quo benè M. à S. Thoma 1.p.d.1. art.2. Deus enim, numeros temporum ſic vult prædici, quod ad plenum intelligi nequeant, vſque quo ſunt impleti:ita poteſt contingere in præſenti, quando,& quomodo iſtæ generationes inceperint, & ſint completæ.

Obijcit ergo ſibi D. Thomas: quia apud ſeptuaginta Exod.13.dicitur: *Quinta autem generatione aſcendũt.* Ad quod reſpondet (ex quo poſteriores deſumpſerunt) quod computando generationem Sacerdotalem Levi, aſcenderunt generatione quarta; ideſt poſt quatuor ſucceſſivè genitos, ita vt tot ſint generationes, quoties ibi dicitur *genuit.* Caat genuit Amram 1. iſte Aaoron 2. iſte Eleazar 3. iſte Phines 4. qui cũ Aaron egreſsi ſunt; at ſecundum lineam Regiam Iuda, quinta generatione aſcenderunt. Iudas qui cum patre Iacob intravit Ægyptum,genuit Phares; iſte Efron; iſte Aram; iſte Aminadab; iſte Naaſon,qui cum patre egreſſus eſt ex Ægypto. Et ita nota,quomodò etiam hoc obſcure dictum eſt.Non enim prædictum eſt, an à primo filio cuiuscumque filiorum Iacob,intrantium in Ægyptũ, vel à primo filio Levi, hæ quatuor generationes eſſent computandæ. Sed ad veritatem litteræ,ſatis eſt quod in vna linea,ſcilicet Levi,verificetur.

Cayetanus verò,ſic explicat: ſcilicet, quod eſt verum, computando de ingrediente,vſque ad exeuntem. Iacob qui ingreſſus eſt in Ægyptum, genuit Iudam, iſte Phares; iſte Eſron,& iſte Caleb, qui tantum ſunt quatuor. Cornelius à Lapide ita declarat. Quod fuerunt quatuor generationes ex Tribu Iuda,eorum qui ex Iuda,nati ſunt in Ægypto. Eſron qui nepos fuit Iudæ,genuit Aram,hæc prima generatio, Aram genuit, Aminadab, ſecunda. Iſte Naaſon, tertia; iſte Salmon, qui ingreſſus eſt Chanaam, & eſt quarta generatio. Idem Marcilla anot.11.

IamD.Hieronymum audiamus tom.3. epiſt.ad Damaſum q. 2. qui ſolvit dubiũ, dicendo, & numerando filios Levi, qui genuit Cath, iſte Amram,iſte Aaron,iſte Eleazar, iſte Phines. A Cath ergo, qui cum Patre Levi,ingreſſus eſt in Ægyptũ vſque ad Eleazar, qui cum patre Aaron egreſſus eſt de Ægypto, ſuant quatuor generationes. Sed numerando per Tribum Iuda, ſunt quinque. Iudas genuit Phares; iſte Eſron; iſte Aram; iſte Aminadab; iſte Naaſon; iſte Salmon. Phares cum Patre ſuo Iuda ingreſſus eſt Ægyptum.Naaſon,Princeps Tribus Iuda in deſerto deſcribitur, cuius filius Sal-

mon promissionis terram intravit. Computa ergo à Phares, vsque ad Naason, & invenies quinque generationes. Et sic vterque textus concordatur; quia septuaginta numerant ipsum Phares filium Iudæ: Phares enim genuit Esron, non in Ægypto, sed in Canaan, Esron enim cum Phares Patre, & Iuda avo, & Iacob atavo, è Chanaan, intravit Ægyptum. Idem habet Anticim interrog. 12.

Sed post hæc omnia, placet adijcere propter loci difficultatem; quod ista vox *generatio* in Sacra Scriptura, solet vsurpari pro spatio centum annorum, quo hominis vita concludi, & finiri solet. Eccles. 18. numerus dierum hominum, vt multum centum anni. Licet alias etiam acceptiones habeat, vt Baruch 6. sumitur generatio, pro spatio decem annorũ, dicens: mansuros filios Israel in Babylone, vsque ad generationes semptem, scilicet septuaginta annis, vt dicitur Ieremiæ 25. Et ita, generatione quarta; idest annis 400. vt explicatum manet, egressi sunt. Videatur Araujo 2. 2. q. 1. art. 3. dub. 1. solut. ad primum.

§. IV.

De numeris perfectis, & quadratis.

QVæ in hoc paragrapho dicentur, deservire possunt, pro varijs locis, & dificultatibus Sacræ Scripturæ, vt constabit supponendo, quod vt dicitur in Arithmetica, triplex datur numerus, scilicet digitus, & est qui non pervenit ad decimum, vt duo, tres & 9. alius numerus dicitur articulus, & est ille, qui constat vno, vel pluribus decennijs, vt 10. 20. 50. tertius est, numerus compositus ex digito, & articulo, sicut 12. 15. 39. &c.

Hæc supponere opportuit, quia vt inquit Augustinus q. 47. in Exod. Mos est Sacræ Scripturæ, in numeris, aliquando posito numero maiori, vel quadrato, & articulo, numerum minorem, & digitum prætermittere. Exemplum vulgare in 72. Interpretibus Bibliæ, qui dimissis duobus numeris digitis, ex numero quadrato, & articulo, dicũtur Septuaginta. Et idem in senioribus quos elegit Moyses, vt populo præessent, qui & si essent 72: dicuntur tamen Septuaginta, ex numero quadrato, & articulo; hinc ad difficiliora veniamus.

Celebris locus Genes. 5. v. 31. Vbi dicitur quod cum Noe 500. esset annorum genuit Sem, Cham, & Iapheth, &c. & tamen cap. 11. refertur, Sem fuisse annorum 100. post Diluvium, cum genuit Arphaxad, & cap. 7. dicitur advenisse Diluvium anno 600. vitæ Noe. Ex quibus tale consurgit dubium; quomodo stare potest, quod Sem, cum genuit Arphaxad, habuerit solum centum annos, cum transierint centum anni vitæ Noe, vsque ad Diluviũ? Insuper, pertransit annus integer Diluvij, & post Diluvium alij duo anni, qui omnes ad minus constituũt annos 103. Ad quod, primo responderi potest: quod Sacra Scriptura, posuit numerum quadratum, & articulum, ommissis tribus annis, de numero centũ annorum & trium; dicendo eum habuisse centum annos, cum absque aliquo tropo dicẽdum esset, illum habuisse centum & tres annos.

Alio etiam modo, id explicari potest. Quod cum dicitur: Noe vero cum 500. esset annorum &c. intelligendum est; quod tunc habuerit Noe 500. annos, cum scilicet genuit Iaphet, qui è tribus eius filijs videtur esse maior. Genes. 10. 21. in anno verò 501. genuisse Cham. Et anno 502. genuisse Sem, quasi sensus posit esse: quod Noe cum 500. esset annorum, genuit, idest: generare cæpit, istos tres filios, non simul, & eodem cõcubitu, sed inverso, scilicet Iaphet, Cham, & Seth, quod etiam in alijs locis præstat Scriptura.

Numerorum etiam 11. dicitur: quod qui egressi sunt de Ægypto, & ad bella numerati, erant 600000. millia armatorum; & tamen constat ex cap. 2. antecedenti, fuisse 603550. & sic in cap. 11. ommittuntur 3550. vt numerus quadratus servetur. Ibidem etiam cap. 14. dicitur filij vestri erunt vagi in deserto, annis 40, & portabunt fornicationem vestram, &c. iuxta numerum 40. dierum; annus

pro

pro die imputabitur. Et cum hoc contingeret anno secundo post exitũ de Ægypto, dicendum videtur: quod filij Israel, per annos 42. morati fuerint in deserto; vel quod filij eorum, qui murmuraverũt, nõ portaverint pœnam peccati Patrum, nisi 38. annis, quorum vtrumque, textui repugnare videtur.

Respondetur tamen; supponendo ex scriptura, & cõmuni sensu expositorum: filios Israel solum per 40. annos, in deserto commoratos fuisse. Et colligitur ex collatione annorum Moysis, & Aaron, Exod. 7. vbi dicitur, fuisse Moysen 80. annorum, & Aaron 89. cum populus egressus est de Ægypto. Et Deuteron. 34. dicitur, fuisse Aaron 120. quando mortuus est, in ipso fere terræ introitu. Constat ergo, ab egressu vsque ad ingressum, solos intercessisse 40. annos (licet 70. dixerint Iosue 5. 42.) infertur ergo ex dictis: quod Sacra Scriptura, posuit numerum quadratum, & rotundum 40. annorum, amisso numero refracto duorum annorum, & sic additos fuisse duos annos; cum solum 38. erraverint in deserto à tempore murmurationis. Quem etiam sensum, admittunt verba Psal. 99. illis verbis: *Quadraginta annis offensus fui, &c.*

Eadem doctrina, explicandus venit locus Exod. 16. vbi dicitur: quod filij Israel, commederunt manna 40. annis, donec venirent ad terram habitabilem. Constat autem; manna datum fuisse 15. die mensis Nisan, vt dicitur Versu 1. Et defecit anno 41. mense primo, vt dicitur Iosue 5. & ita duravit per 40. annos, minus vno mense: & ita posuit numerum integrum 40. annorum, etsi mensis deesset. Similiter, 4. Reg. 24. dicitur: Ioachin regnasse tribus mensibus in Hierusalem. Et 2. Paral. 36. dicitur: *Quod regnavit tribus mensibus, & 10. diebus.* Et 4. Reg. 24. dicitur: *Regem Babylonis, cæpisse captivum ipsum Regem Ioachin, anno 8. regni sui.* Et Ierem. 52. dicitur: *Quod cæpit eum, anno septimo.* Quod ex eo dicitur: quia Ieremias, posuit integrum numerum septem annorum, omissis aliquot mensibus. Et Scriptor Regum, assumpsit illos menses, qui pertinebant ad annum octavum, & posuit ipsum annum octavum inceptum, pro completo.

Quam plurima alia loca, hic etiam veniunt explicanda; scilicet Danie. 1. vbi dicitur: *Anno 3. regni Ioachin, venisse Nabuchodonosor, Regẽ Babylonis in Hierusalem*; & tamen Ieremiæ 25. dicitur: *Annum quartum Ioachin, esse primum Nabuchodonosor.* Sed cõciliatur: quia annus primus Nabuchodonosor, coincidit cum tertio Ioachin, & parte anni quarti. Similiter Iudi. 9. dicitur, Abimelech interfecisse 70. viros fratres suos; & tamẽ remansit Ioathan, & ipse Abimelech. Sed dicit 70. ob numerum quadratum. Sicut etiam Iepte dixit Iudicum 11: *Habitasse filios Israel 300. annis, in terra Amorrhæorũ; cum tamen, ab egressu solum 266. transierint.* Et 3. Reg. 6. dicitur: *Salomonem ædificasse domum 7. annis*; & tamen constat, durasse etiam alios menses sex, qui incidunt inter Zio, idest Aprilem, & Bul, idest Octobrem.

§. V.

De variatione temporum.

Nihil in Sacra Scriptura frequentius, quam temporum variatio; ex cuius intelligentia, plurium illius locorum notitia, percipi valet. Aliqua breviter proponemus. Sit prima Regula: Præteritum pro futuro, aliquando vsurpatur. Hoc in Prophetis, plerumque accidit. Isai. 53. Christi passio, & illius circunstantiæ futuræ, vt præteritæ prænuntiantur. *Faciem meam non averti. Dedi percutientibus corpus meum. Oblatus est quia voluit*: & cap. 9. *Parvulus natus est nobis, &c.* Psal. 2. *Quare fremuerunt gentes.* De consultatione Iudæorum, contra Christum futura, Ioan. 11. & cap. 15. *Omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Et postea cap. 16. dixit: *Multa habeo vobis dicere.* Et cap. 14. de Spiritu Sancto: *Ille vos docebit omnem veritatem.*

Sed quæsitu dignum est: quare hac loquen-

quendi formula, vtatur Scriptura? ad quod resp. hoc fieri: Primo, propter certitudinem prophetiæ, in qua, futura quasi iam facta sint, recensentur. Secundo: quia vt dicit Augustinus ad Dardan. cap. 12. Deo nihil futurum est. De quo Theophil. Oseæ 5. & Theologi 1. p. q. 10. Tertio, vt dicit Driedo tom. 2. lib. 3. de dogmatibus: quia quando futura talia sunt, vt semel facta, fieri rursus non possint, significantur per præteritum, vt in exemplis propositis. Si verò talia sunt, vt aliquando fienda sint, enunciantur per verba futuri, vt illud Psal. 21. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Sed de veritate huius dicti, non vacat modo disputare.

Secunda regula: sicut præteritum ponitur pro futuro, ita aliquãdo (licet raro) futurum pro præterito. De illa dubitavit Augustinus Psalm. 103. & locum sibi proponi exoptavit. In Hebraico textu plura adducit Pagninus lib. 3. instit. cap. 12. & in Isai. cap. 58. vt illud Exod. 15. *Abyssi operuerunt eos, descenderunt &c.* Hebraicè, *operiet, descendet.* Sed etiam in nostra vulgata hoc inveniemus. Abacuch 3. *Turbabuntur pelles terræ Madian.* Quæ verba ex communi, respiciũt victoriam Gedeonis de Madianitis Iud. 7. & etiam v. 11. *Ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* De victoria Iosue in eodem libro. Et illa: *Deus ab Austro veniet,* referuntur ad legem datam Moysi. Et illa Psal. 103. *Super montes stabant aquæ,* licet de futuro, referuntur ad formationẽ orbis. Et illud Psal. 65. *Qui convertit,* & secundum alios, *qui convertet mare in aridam &c.* & si de futuro, respiciunt transitum maris rubri, filiorum Israel. Et Psal. 17. v. 24. & Psal. 39. v. 10. Denique Isai. 41. *Dabit in conspectu eius gentes, Reges obtinebit &c.* omnia illa futura, respiciunt Abraham, vt constat ex libro Genes.

Tertia regula: præteritũ sumitur pro præsenti aliquando, ex Ambros. lib. 1. de Abraha, cap. 8. qui legit illa verba Genes. 22. *Tolle filium tuum quem dilexisti,* pro diligis. Et Matth. 3. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui,* est præsens; cum semper Pater in filio complaceat. Sed ad rem optimè illud Ioannis 20, quod Christus dixit Magdalenæ: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Quid non dictum, circa huius loci enodationem? Sed vt Bañes 1. p. q. 1. art. 10. dub. 6. ex Batablo advertit: optimus sensus erit, si interpretetur de præsenti: nondum ascendo: ac si dicat. Tempus superest, vt meo fruaris conspectu his quadraginta diebus, quibus meam ascensionem differo: *Vade ad fratres meos &c.* Psal. 18. *Exultavit,* idest: exultat. & Ioan. 15. Ego patris mei præcepta seruaui, idest seruo.

Quarta regula: præsens pro præterito, aliquando invenitur. Iob. 3. *Nunc dormiens silerem cum Regibus, qui ædificant sibi solitudines,* idest ædificaverunt, cum loquatur de mortuis. Et Psalm. 103. *Qui facit Angelos suos spiritus,* idest fecit. Cũ Deus nihil de novo creet. Et Ioa. 1. *Ioannes testimonium perhibet, & clamat,* idest perhibuit, & clamavit. Et Luc. 1. *Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius,* idest fuerunt: & aliquando etiam indifferenter, præsens, præteritum, & futurum apponuntur, vt toto cap. 50. Isai. & Psal. 15. *Salvum fecit Dominus Christum suum,* & Cayetanus Psal. 3. v. 5. notat ex Hebræo legi, voce mea ad Dominum clamabo, & exaudivit me, de prȩterito. In quo celeritas opis divinȩ designatur, quod ante Deus audiat, & succurrat, quã homo ex corde, cõpleatur clamorẽ orationis, iuxta illud. Isai. 65. *Antequam clamet, ego exaudiã.* Præteritum perfectum pro imperfecto accipitur, vt 1. Cor. 2. *Loquimur Dei sapientiam, in mysterio quæ abscondita est,* idest: erat, vel fuerat.

Quinta regula. Præsens etiã pro futuro aliquãdo accipitur, vt Ioan. 11. *Quid facimus,* idest faciemus. Et Luc. 22. *Domine si percutimus,* idest, percutiemus. Futurũ etiã pro præterito. Vt Exod. 3. *Ego sũ qui sum.* Hebræus: ero quia ero; ex Oleastro, ad differentiam veri Dei ab idolis falsis, quæ cum desitura sint, non semper erunt. Et Psal. 35. *In tegmine alarum tuarum spe-*

ſperabunt, ideſt ſperant. Et ad Hebr. 11. *Fides eſt: ſperandarũ ſubſtantia rerum*, ideſt qua ſperant.

Sexta Regula: futurum pro imperativo aliquando ſumitur, vt Deuter. 6. *Diliges* pro, *dilige Dominum Deum tuum.* Quia prædictiones quæ per verba futuri enuntiantur, habẽt vim præcepti, & mandati. Vt Ioſue 1. *Tu divides terram*, ideſt divide. E cõtrario, etiam ſolet accipi imperativum pro futuro. Oſeæ 10. *Seminate vobis in iuſtitia, & metite*, ideſt metetis. Iſai. 55. *Audite audientes me, & comedite*, ideſt comedetis. Et Luc. 11. *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*, ideſt mundabuntur.

Septima Regula: etiam vtitur Scriptura imperativo pro optativo, & è cõtra. Prima pars patet, ex illo Matt. 6. *Fiat voluntas tua.* Et Pſal. 121. *Fiat pax in virtute tua.* Et Canti. 1. *Oſculetur me oſculo.* In iſtis enim locis, imperativum accipitur pro optativo, & hoc frequẽtius in obſecrationibus, vt: *miſerere mei; ſanctificetur nomen tuum.* Licet imperativa videantur; ſenſum tamen habent optantis. Secunda pars probatur, ex Pſal. 68. *Fiat menſa eorum in laqueum.* Et Pſal. 67. *Sicut deficit fumus deficiant, &c.*

Sed pro iſtis imprecationibus, attendi maximè debet D. Thomæ Doctrina 2.2. q 25. art. 6. ad 3. Vbi dicit: ſimilia imperativa, ſumenda eſſe tripliciter. Primo, vt non intelligantur per modum imperantis, & optantis, ſed enuntiantis, vt Pſal. 9. *Cõvertantur peccatores in infernũ*, ideſt convertentur. Secundo, in malis, optativũ, & imperativũ, ſic accipienda eſſe, vt deſiderium non referatur ad pœnam hominis, ſed ad iuſtitiam punientis. Pſal. 57. *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam.* Tertio, vt deſiderium referatur ad remotionem culpæ, non ad pœnam: vt ſcilicet peccata deſtruantur, & homines remaneant.

Denique ſciendum: quod futura, non ſemper ſignificant rei exiſtentiam futuram, ſed exigentiam, debitum, & decentiam. Vt illud Malachiæ 2. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, &c.* ideſt cuſtodire debent. Et Geneſ. 2. *in quacumque die comederis morte morieris*; ideſt ob noxius eris morti. Et Matth. 16. Petrus Chriſto dixit: *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc*, ſcilicet mors, ideſt non decet vt fiat. Et Malac. 1. *filius honorat Patrẽ*, ideſt; debet honorare.

§. VI.

De numeris incertis.

Dicitur aliquis numerus incertus, quia circa eandem rem, varius reperitur, in qua acceptione plura ex dictis elucidari poſsũt. Sed aliqua breviter proponemus. Sit primus locus. Ex Geneſ. 46. Vbi dicitur: Cunctæ animæ, quæ ingreſſæ ſunt Ægyptum, & egreſſæ de fœmore Iacob, abſque vxoribus filiorum eius, ſexaginta ſex. Variant Interpretes; cum immediatè verſu 27. dicatur: *Omnes animæ domus Iacob, quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum, fuere* 70. Et Actu 7. dicitur: *Acerſivit Ioſeph Iacob patrem ſuum, & omnem cognationem ſuam in animabus* 75. Ecce tres numeri de eiſdem perſonis 65. & 70. & 75. Alcuinus, & alij dixerunt, quod Lucas ſecutus eſt 70. quæ verſio cum gentibus eſſet communis, & ſic, maioris auctoritatis quam Lucas, illi ſe conformavit. Sed reijcitur: quia nefas eſt dicere, quod Evangeliſta falſam 70. Hiſtoriam, voluerit approbare, & quia dum 70. ab Hebræo non diſcordant, Apoſtoli, & Evangeliſtæ illorum vſi ſunt verſione.

Sed conciliantur ita; quia in primo loco Geneſis dicuntur 66. Quia eo numero nõ cõputãtur, ipſe Iacob, nec Ioſeph, nec duo eius filij Ephrain, & Manaſſes; quia Iacob non genuit ſe ipſum, Ioſeph & duo filij, non ſunt tunc ingreſsi in Ægyptum, quia iam antea ibi erant. In ſecundo loco Geneſis vbi dicuntur 70. & etiam Exod. 1. & Deuteronomij 10. includuntur Iacob, Ioſeph, & duo eius filij. Cum verò in tertio loco dicuntur 75. intelliguntur, nedum qui erant iam in propria perſona, ſed in ſuis parentibus, filijs ſcilicet Io-

Ioseph. Num Ephraim genuit Sutalanam, & Iaam, & ille Edom ex cap. 20. Num Manasses; alter filius Ioseph, genuit Machir, & iste Galaad, qui omnes nati sunt vivente Ioseph, dicuntur tamen ingressi in Ægyptum, vel per prolepsim, de qua statim. Vel ex Augustino lib. 16. de Civit. cap. 40. Quia totum tempus vitæ Ioseph, dicitur ingressus. Tena verò lib. 3. dis. 9. dicit: quod cum scriptura loquitur de numero minori scilicet 66. ait: *Cunctæ animæ, quæ egressæ sunt de fæmore eius.* Et sic excluditur Iacob, Ioseph, Ephraim, & Manasses existentes in Ægypto. Cum autem loquitur scriptura de numero 70. tunc cum 66. superadduntur, Iacob, Ioseph, Ephraim, & Manasses. Et cum septuaginta dicunt, fuisse 75. includũt quinque nepotes nati in Ægypto. De quo Augustinus quæst. vltima in Genes.

Cur autem isti quinque, inter filios, & nepotes numerentur? fit in gratiã Ioseph, quia fuit Princeps illius ingressus. Quod autem in Sacra Scriptura numerentur filij, & nepotes, patet ad Hebræos 7. Vbi dicitur: Levi dedisse decimas Melchisedech, cum tamen natus fuerit annis 150. post; sed dicitur dedisse in proavo suo Abraham: Sicut etiam v. 12. filij Phares, Esron, & Amul ingressi sunt in lumbis Patris sui. Ita D. Augustinus q. 151. & hoc, quia primogenitus inter filios Iudæ. Idem intelligendum de filijs, & nepotibus Liæ, qui geniti dicuntur in Mesopotamia: cum certum sit, genitos in Chanaan: dicuntur tamen geniti in Mesopotamia, idest in Patribus suis per anticipationem: & dicuntur 33. cum re vera sint 34. & exclusis Her, & Onam, sint 32. Sed occurrit Cayetanus. Inter illos 33. numerari Patrem Iacob, ex illis verbis: *Iacob, & filij eius.* Et v. 21. memorantur filij Benjamin, intelligendi sunt, non solum filij, sed etiam nepotes, & pronepotes, vt dicunt 70. qui tamen numerantur per prolepsim, ex D. Augustino citato. Vel etiam potest responderi, ex Augustino q. 47. in Exod: quod Sacra Scriptura, solet in computationibus, omittere numerum excedentem paululum numerum perfectum, sicut licet 72. fuerint Interpretes; at nos 70. dicimus & sic. Genes. 15. dicitur: quod filios Israel affligit 400. annis cum illi anni fuerint 430. sed 30. omittuntur, ob numerum perfectum

Sed iam D. Thomam audiamus, qui ex textu Hebræo, & Hieronymo, dicit, non fuisse, nisi 70. sed ex Actuum 7. & septuaginta, sunt 75. & subdunt: quod debent computari inter filios Iacob, & nepotes Manasses, & Ephraim filij. Sed contra arguit D. Hieronymus. Primo: quia Manasses, & Ephraim, nõ potuerunt tunc habere filios: nam primus eorum, non potuit aliquo modo, esse plurium quam novem annorum: quia Ioseph duxit matrem eorum postquam fuit sublimatus à Pharaone, & ex tunc vsque in ingressum Ægypti, non fluxerunt, nisi circiter novem anni. Secundo, quia supra cap. 41. dicitur: quod nati sunt Ioseph filij duo, antequam veniret fames, scilicet Manasses, & Ephraim. Et infra cap. 48. dixit Iacob ad eum. Duo filij, qui nati sunt tibi antequam ego venirem ad te, mei erunt; reliquos autem quos genueris post eos, tui erunt. Ex quo videtur etiam, quod tempore mortis, Iacob nõ habuisset nisi duos. Tertio: quia Septuaginta Deuter. cap. 9. habent quod in 70. animabus ingressus est Israel in Ægyptum. Sed & ipsemet Hieronymus subdit, quod 70. Interpretes posuerunt 75. animas per prolepsim, idest, per anticipationem futurorum.

Addit autem Marcilla not. 3. quod prò numero 75. complendo, nedum personas natas; sed etiam in vteris maternis existentes, Septuaginta, & D. Stephanus numerarunt: quia mirum esset, quod inter illas fœminas, aliquæ non fuissent prægnatæ. Sed cum 70. numerent, & nominent, qui fuerint illi quinque, complentes numerum 75. ergo non qui in vteris maternis. Respondetur, nõ curandum de versione Græca. Sed melius dicendum, quod cum ista non repugnat vulgatæ: & aliàs probabiliter per illam apparens solvitur contradictio, standum pro 70. editione, & sic in præsenti dicendum.

Augustinus verò cit. aliter respondet: quod

quod tempus introitus Iacob in Ægyptum, fuit totum illud tempus quod vixit, scilicet 17. annorum; & per totam vitam Ioseph, per quem factum est vt intrarét. Sicut autem ex fine libri huius patet; filij Ioseph ipso vivente habuerunt filios, & nepotes, idest filios filiorum suorum.

Denique Tena cit. dicit, quod supposito numero 66. explicato, potest confici numerus 75. ex novem filijs Ioseph, natis in Ægypto, additis numero 66. licet 70. Interpretes solum explicent quinque de quatuor omisis: videatur Sanchez Actu. 7. num. 35. & de hac difficultate Cano lib. 2. cap. 11. Lorinus Act. 7. & Legionensis q. 4. cap. 5. Et tandem Anticimenon dicit interrog. 16. Constat; in Ægyptum cum Ioseph, Ephraim, & Manasse, 70. tantum animas introisse, sed refertur 75. animarum numerus quasi per anticipationem, & sic etiam filios, & nepotes Ephraim, & Manasse, numerandos putavit; quos postea in Ægypto natos divina relatio lectionis ostendit.

Variæ etiam difficultates consurgunt: quia idem numerus hominum secundum diversa tempora recensitus maior, vel minor describitur. Iudith 7. dicuntur pedites bellatorũ 120000. & equites 22000. cũ tamen cap. 2. dicantur equites 12000. quod eo modo explicandum est, vt dicamus, fuisse prius 12000. & postea alia 8000. accrevisse, provt in exercitibus contingere solet. Idem dicendum est de cócubinis, & vxoribus Salomonis; prius enim dicitur illas fuisse 80. & istas 60. Cant. 6. & tamen 3. Reg. 11. creverunt Reginæ ad 700. & concubinæ ad 300. pariter etiam, & 2. Machab. 8. dicuntur viri 20000. & lib. 1. cap. 3. dicuntur 47000. qui prioribus accreverunt.

Hinc lucem accipit locus 2. Reg. 24. vbi dicitur, quod emit David ab Areuna arcam, & boves, argenti siclis 50. & 1. Paralip. 21. *Dedit ergo David Ornan pro loco, siclos auri iustissimi ponderis* 600. En magna diversitas, quæ componitur dicendo, emisse David arcam bis, vnam pretio 50. alteram 550. quæ duæ portiones, efficiunt 600. siclos. Similiter 2. Paral. 2. dicitur: præpositos operis Tépli, & Palatij, fuisse 3600. qui tamen 3. Reg. 5. dicuntur 3300. Sed cóponuntur, quia illi 300. fuerunt Præpositi, & Decani aliorum. Et 3. Reg. 7. dicitur: mare æneum capere duo mille batos, seu metretas: at 2. Paral. 45. dicitur: capere 3000. Respondetur, tot capere, sed solum 2000. infundebantur. Seu quod ad summum, impletum capiebat 3000. sed communiter 2000. ponebantur.

Eandem habet solutionem locus, ex 2. Reg. 8. & cap. 10. vbi dicitur: *Occidit David de Syrijs* 700. *currus, &* 40000. *æquitum.* At 1. Paral. 19. dicitur: interfecisse de Syrijs 7000. currum, & 4000. peditum. Sed componitur dicendo, currus fuisse 700. in quorũ singulis 10. milites pugnabãt, & ita rectè dicitur 1. Paral. Currus fuisse 7000. per figurã methonimiã, in qua sumitur cótinés pro cótento. Quod verò in vno loco dicũtur pedites, & in alio æquites, solvitur si dicamus suppleri in vno loco, quod in alio ommittitur. Similiter explicatur alter locus, ex c. 8. vbi dicitur: cæpisse 1700. æquites; & 1. Par. 18. 7000. & etiã 2. Reg. 24. dicitur: inventos fuisse à Ioab 83000. viros, & de Iuda 500000. Et tamen 1. Paral. 21. recensentur plures. Sed respondetur dicendo: numerum relatum in Paralipomenon, esse verum, sed minorem dixisse Ioab, 2. Reg. Ne superbiret Rex de tanto numero subditorum.

Claudamus iam Clavim istam prolixã, sed apprime necessariam, adnotando: mos Hebræis esse vti numeris à quinque, & infra ad designãdam diminutionem, vt 3. Reg. 17. *En colligo duo ligna*, idest pauca: A quinque autem vsque ad decem, ad significandam multiplicitatem, vt Prover. 24. septies in die cadit iustus, idest frequenter, de quo supra. Et Matth. 18. Petrus ad Christũ dixit: *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittã ei? vsque septies?* Et respondit Iesus: *Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.* Audiamus Hieronymũ, in cuius gratiã hæc adducuntur. Provocatus Apostolus interrogat, quoties fratri in se pec-

canti dimmittere debeat? Et cum interrogatione profert sententiam, vsque septies? Cui respondit Iesus: Non vsque septies, sed vsque septuagies septies, idest quadringentis nonaginta vicibus, vt toties peccanti fratri, dimmitteret illa die, quoties ille peccare non posset. Plura alia se offerebant circa tempora, & annos, quæ in chronologia (si fas sit) proprijs locis elucidabuntur.

CAPVT SEXTVM.

De sexta Clavi, vel Regula, scilicet de recapitulatione.

QVod dixit Daniel. cap.10. Intelligentia opus est in visione; hoc ad Scripturæ Sacræ notitiam potest adaptari, & hoc maximè contingit in prolepsi, vel recapitulatione; quæ frequenter maximam obscuritaté inducere solet: cum res non ordine proprio, sed inverso, & præpostero enarrantur: quod dupliciter contingere potest. Primo, si illæ res præponantur, quæ postea narrandæ sunt, & sic dicitur prolepsis idest anticipatio; aut fit è converso, scilicet si id quod omissum fuerat, adijcitur, vel suppletur, & vocatur recapitulatio, sive vtrumque fiat in nominibus, vel in rebus.

§. I.

De prolepsi nominum.

CIrca nomina ergo contingit prolepsis, dum minores, prius quam maiores nominantur, & illis subijciuntur. Solet autem attendi duplex ordo in recensendis hominibus, vel nativitatis, vel alicuius excellentiæ; & Sacra Scriptura illos imittare solet. Sic Genes. 4. Licet Caìn cóstet fuisse maiorem, & primogenitum, postponitur, & prius recensetur Abel. Respexit Dominus ad Abel, ad Caìn verò, &c. Idem habet Paulus ad Hebræ. 11. vbi Ambros. lib.1. de Caìn, & Abel c.3. ait: Vbi generatio exprimitur, præcedit Caìn, vbi prædicatio fit disciplinarum, præcurrit Abel, quia & si tempore iunior, sed virtute præstantior erat. Genes. etiam 6. dicitur: Noe genuit tres filios, Sem, Cam, & Iaphet; cum tamen Iaphet fuerit primogenitus: & ratio est, quia Sem, Pater fuerat omnium Hebræorum, & progenitorum Christi, & hac prærrogativa prior nominatur.

Sic etiã, licet Esau maior fuerit Iacob, iste præponitur. Malach.1. & ad Hebr.11. propter virtutem ex August. q.25. in Genes. Et etiam Ismael, maior Isaac, & iste præponitur Genes.25. Ordo filiorum Israel varius, prior Ruben natura, & tamen Genes. 35. series invertitur, & etiam Genes.36. & Deuter.3. & Iosue 15. plures rationes assignant Abul. nu.1. q.21. Lorin. ibi, & Alcazar Apoc. 7. Aaron, Moyses, & Maria fratres. Maria prior, ex Exod.2. Cum Moysem in carectio repertum iam vidisset. Aaron 83. annorum, cum locutus est ad Pharaonem, & Moyses 80. Varie recensentur; sed communiter Moyses præponitur propter Principatum: licet aliquando Aaron propter Sacerdotium anteponatur. Levitici 26. dicitur: recordabor fœderis, quod pepigi cum Iacob, Isaac, & Abraham; licet iste prior natura, sed quia clarior Iacob huic facta fuit revelatio. Et Mat.1. Præponitur David Abrahæ, ob regiam dignitatem, ex aliquibus. Et ibidem v. 2. Iudas anteponitur fratribus, licet quarto genitus, quia ob peccata fratrum, Regnum translatum est in ipsum. Et Hebræ. 11. Præponitur Gedeon Barac, & Sampson Iepte, quia ex D. Thom. lect.7. excellentioris erant virtutis. Et D. Petrus ante omnes Apostolos, licet non prior vocatione, propter prærrogativam Pontificatus. Et si Iacobus ad Galat. 2. Petro præfertur, ideò est, quia erat Hierosolimorũ Episcopus, vbi Concilium celebrabatur.

Hinc intelligitur: quomodo aliquæ Vrbes antequam conditæ, vel tale nomen habentes per plurimum ante tempus, illo insigniuntur. Vt Genes. 12. nominatur Bethel, quod nomen, multis postea annis à Iacob inditum est. Et in eodem capite plures aliæ Misphat, Amalech, Dan, &c.

Ge-

.Genes.c.28.& 1. Reg.4.nominatur lapis adiutorij locus, qui pluribus ab illinc annis, sic vocatus est. Et Ezechiel.30. & Ierem.46.& Naum 3.Hebraice dicitur: Civitas, quæ à vulgata per prolepsim dicitur Alexandria.

§. II.

De prolepsi rerum.

DVplicem esse ordinem narrandi adnotavit Abul.Exod.30. q.1. naturalem alium, cum sic res narratur, vt gesta fuit, alterum artificialem, & rethoricum, cum ordo immutatur, provt ratio intelligendi petit, quia sic melius aliquid narratur permutato ordine naturali, quia si tota res gesta narraretur, cum antequam finiatur incipiat altera, sic plura confunderétur. Vt enim dixit Augustinus: Aliud est, quod littera dicit, & aliud quod ex ordine litteræ colligitur: Aliud quod illa asserit, aliud quod ex eo ordine sequi potest. Primum negari non potest, secundum negari potest. Quia illud non est aliquid scripturæ, sed ordo scribendi, in quo aliquando servatur ordo naturalis rerũ, & aliquando artificialis, ex quo vtraque figura, scilicet anticipatio, & recapitulatio consurgunt.

Iam exempla proponamus. Genes. 1. *Creavit Deus hominem ad imaginem suam, masculum, & fæminam creavit eos, &c.* Et tamen cap.2. sequitur, quod Deus ex vna costa Adæ ædificavit illam, & formavit. Hæc ergo capitis primi narratio, facta est per anticipationé, vel prolepsim. In eodem cap.v.27. dicitur. Creavit Deus hominem ad imaginem suam. Et cap.2.v.7. Formavit Deus hominem de limo terræ. Ex quibus locis Philaster sumpsit occasionem errandi, dicens: primo loco agi, de creatione animæ; in secundo, de formatione corporis; & sic prius animam creatam extra corpus: non intelligens, in vtroque loco agi de toto homine, sed in primo per prolepsim dicit, quod in secundo per recapitulationem.

Hac regula exploditur error Calvini asserentis: in Eucharistia, non existere Christi corpus iuxta verba, Mat. 26. *Accepit Iesus panẽ, & benedixit, ac fregit, deditq; Discipulis suis, & ait: Cõmedite hoc est corpus meum.* Ex eo quod illa verba, hoc est corpus meum, dixit post benedictionem, fractionem, & distributionem: ergo illud, quod dedit, acceperunt, & commederunt, nondum erat corpus Christi. Sed ex D.Thoma 3.p.q.78. ar.1. ad.1. Respondetur: quod Evangelista non servavit in recitando ordinem quo res gesta est, ex August. lib.2. de cons. Evang. a. cap.30. Vnde sic ordo adaptari potest, scilicet: accipiens panem, benedixit dicés: Hoc est corpus meum, deinde fregit deditque Discipulis suis.

Circa vulnus lanceæ, Christi pectori infixum, quidam Petrus Ioannes dixit; illatum Christo, non mortuo, sed vivo, quia inquiebat, fuisse meritorium; quod sine statu vitæ, non salvatur. Sed ex Theologis 3.p.q.19.ar.3. dicimus: fuisse meritorium obiectivè, quia prævisum, & acceptatum ante mortem. Sed erravit dicendo: Ioannem per prolepsim scripsisse, vt viderunt eum iam mortuum, &c. Sed vnus militum lancea latus eius aperuit, quod est contra fidem, & consensum Patrum, quia finxit prolepsim, vbi non erat.

Etiam Exod. 29. 22. & 24. Sacerdotes appellantur multi; cum tamen adhuc Sacerdotio, non essent initiati, vt constat ex c.28. & vt adnotavit Augustinus q.23. in Levit. & Sapient. 10. de primo parente dicitur: *Eduxit illum à delicto suo; & dedit illi virtutem continendi omnia.* Cum tamen prius fuerit habere virtutem intelligendi omnia, quam in peccatum inciderit. Et Apocal. 20. dicitur: Liber apertus est, & iudicati sunt mortui, ex his quæ scripta erant, &c. & dedit mare mortuos qui erant in eo; & tamen prius est resurrexisse mortuos quam iudicium subire. Et Exod. 16. Filij Israel manducáverunt mannà vsque ad introitum terræ. Quod per prolepsim est dictũ: sicut etiam illud. Matt.27. quod multa corpora Sancto-

ctorum surrexerunt, in morte Christi, quod tamen Augustinus dicat contigisse in Christi Resurrectione, est per prolepsim dictum.

Sed non extendenda venit regula ista ad libitum, vt videtur fecisse Ambrosius Catarinus cap.de sensu litterali, & spirituali. Quia in principio Genes. dicitur: Prima die lucem factam, quod videtur obstare, cum illo quod v. 14. dicitur: *Fecit Deus duo luminaria magna, vnum quod praeesset diei, &c.* Et *factũ est vespere, & mane dies quartus.* Hæc, inquit, nisi ita intelligantur contraria videntur, cum Sol die primo sit creatus, ex Dionisio, & D. Thoma. Sed certè fallitur; quia ex eijsdem, Theologi, & Expositores 1.p. q.67.art.4. ad.2. dicunt: quod primo die facta est lux, sub specie nubeculæ, & quarta die, lux illa, divisa, vel applicata est, in vasis Solis, Lunæ, & Stellarum. Vnde, licet eadem substantia lucis præcesserit, sed non sub tali forma, & determinatione, & sic est rei distinctæ narratio.

Idem etiam Author, explicat illud Ioann. 11. *Maria ergo erat, quæ vnxit Dominum vnguento.* Dicens: quod quia non consideraverunt aliqui dictum per prolepsim, vel anticipationem, dixerunt istam vnctionem, aliam esse ab illa, quæ narratur cap. seq. & sic bis illam vnxisse Christum, quod negat ille. Et dat instantiam. Matth.10.& Marc.3. vbi numeratis Apostolis adiungitur Iudas, de quo dicitur: *Qui & tradidit eum.* Cum certum sit, postea, & non antea illum tradidisse. Sic cum dicitur: *Maria est quæ vnxit, &c.* quid prohibet intelligere per anticipationem, idest postea vnxit? Cum etiam Augustinus, qui contrarium docuit, non tamen sine formidine. Non vacat modo veritatem huius doctrinæ enodare: sed si admittatur, per illam nostra Regula confirmatur.

Hac Regula, aliqui existimarunt, posse in concordiam redigi discrimen Evangelistarum circa horam, qua Christus Cruci affixus est. Dum alius circa horam sextam ita Lucas cap.23. & D.Ioannes hora quasi sexta, cap. 19. at Marcus 15. v. 24. dicit: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* Dicunt ergo isti Authores per anticipationem, vel prolepsim, hoc dictum ab Evangelista, & sic cessare apparentem repugnantiam. Sed quia hucusq; nullus Expositorum talè quippiam dixit, licet improbabilitatis argui non possit, aliàs expendamus solutiones.

Ergo Augustinus lib.3.de cons. Evang. cap.13. dicit: *Quod hora tertia clamaverunt Iudæi, crucifige.* Matt.27. Marc.15. Luc.23.& Ioan.19. Et tunc crucifixus fuit linguis Iudæorum, sed re vera hora sexta. Alij dicunt, quod hæc differentia processit errore scribentium, qui putaverunt litteram Græcam *S.* esse *y.* Idest: numerum ternarium acceperunt pro senario: sed hoc expressè contradicit textui, cum dicat hora tertia crucifixum, & hora sexta factas tenebras.

Communis ergo expositio dicit cum D.Hieronymo, quod dies, dupliciter vsurpatur. Primo in ordine ad negotia sæcularia, & sic dividitur in duodecim partes. Vndè Ioann. 11. dixit Christus: *Nonne duodecim horæ sunt diei?* Secundo accipitur in ordine ad Dei cultum, & sic in quatuor horas, vel partes dividitur: ita vt prima incipiat ab hora nunc sexta matutina, vsque ad nonam. Et dicebatur hora prima. Secunda incipit ab hora nona, vsque ad duodecimam meridianam, & dicebatur hora tertia. Iam hora illa sexta incipiebat ab hora duodecima meridiana. Et dicebatur hora sexta; durabatque vsque ad horam tertiam post meridianam. Denique vltima hora incipiebat à tertia post meridianã, vsq; ad sextã vespertinam, & dicebatur hora nona. Et sic quælibet hora sacra, continebat tres horas sæculares. Cum ergo Marcus dixit: Christum hora tertia crucifixum, intelligendus, quod in toto spatio trium horarum sæcularium, & ad finem, vel propè horæ sacræ tertiæ. scilicet, ad nostram vndecimam meridianam, sit crucifixus; ad quod signandum alij dixere Evangelistæ, circa, vel fere horam sextam, crucifixum fuisse.

Vel potest dici, etiam iuxta nostram Re-

regulam: quod quia iam hora tertia clamaverunt Iudæi, crucifige &c. & Pilatus sententiam protulit, & Crux parata erat, & quasi iam incepta fuerit actio crucifigendi, ideo dixit Marcus, quod erat hora quasi tertia, cum fuit crucifixus. Consuetudo etenim est Sacræ Scripturæ, vt res iam dicatur esse, cum aliquid illius incipit fieri. Sit instantia ad rem. Ioann. 10. dixit Christus Iudæis: *Multa bona opera ostendi vobis ex patre meo, propter quod eorum me lapidatis?* Vbi optimè Cayetanus. Certè adhuc non proiecerant lapides in Christum; sed quia iam lapides in manu habebant, & erant in procintu lapidandi, ideò dixit Christus, propter quod me lapidatis. Ita in præsenti.

§. III.

De Recapitulatione.

IAm ad tertiam huius regulæ partem accedamus, scilicet recapitulationem, quæ cótingit iuxta menté Ticonij, quando ita fit aliquarum rerũ narratio, quasi ordine temporis, vel rerum continuatione, à quibus exordium sumpsit, consequatur talis narratio; cum tamen ad priora quæ prætermissa fuerant, latenter illa revocetur narratio. Et brevius, consistit in hoc, quod illa quæ prius facta sunt, posterius referuntur: per quam dixit Augustinus q. 25. in Genes. multas quæstiones solvi, quæ aliàs insolubiles possent videri.

Genes. 2. dicitur. Et plantaverat Dominus Deus Paradisum, & posuit ibi hominem quem formaverat; produxitque Deus de humo omne lignum pulchrum, &c. In quibus verbis insinuari videtur, quod productio lignorum, & ligni scientiæ boni & mali, sit facta postquam homo est formatus; cum tamen Paradisus, & arbores, tertia die sint productæ, ex cap. 1. Genes. Sed sic debet explicari, vt quasi recapitulando dicat, quod in primo capite prætermisserat, quomodo scilicet Paradisus fuerit plantatus, & ligna vitæ, scientiæ boni, & mali: & quod fluvius egrediebatur è Paradiso, &c. Et his dictis sequitur: Et sumpsit Deus hominé quem fecit, & posuit in Paradiso, & sic omnia patent. Sed cum textus dicat, *plantaverat Deus Paradisum*, iam supponitur, antea factus, & sic etiam sine recapitulatione potest intelligi littera.

Genes. etiam 8. dicitur de columba; quod cum non invenisset vbi requiesceret pes eius, reversa est in arcam. Quod difficilè videtur, cum superius; V. 5. dixisset, quod iam apparuerant cacumina montium. Potuit ergo invenire columba vbi requiesceret pes eius. Sed D. Augustinus respondet, illud per recapitulationé subiungi; prius enim dicendũ est: columbam, non invenisse vbi requiesceret, quam apparuisse cacumina montium, plura in Chronologia. Et Genes. 10. Vbi narrantur generationes Noe, scilicet: *Hi filij Cham in tribubus suis, secũdum linguas suas in regionibus suis, & in gentibus suis, &c. ab his dispersæ sunt insulæ gentium super terrã post Diluvium.* Et postea sequitur: *Et erat omnis terra labij vnius.* Quod quidem videtur inordinate dictum; si enim iam erant plures linguæ, quomodo labium vnum, & lingua vna? Ista tamen verba sunt recapitulatio eorum, quæ antea dixerat: & redditur causa quomodo ex vna lingua plures factæ sunt; nempè propter ædificationem turris superbam, propter quam divino iudicio hæc eis pœna, scilicet linguarum divisio inflicta est.

Ibidem etiam cap. 25. dicitur de Iacob. Quod inventa Rachele, & adaquato grege, osculatus est eam, & indicavit ei, quod frater esset patris sui; frater idest consobrinus, filius Rebeccæ, sororis Laban patris Rachelis. Vbi notat Augustinus multum esse, & mirũ, quod illa osculari sit passa ab illo ignoto, & extraneo, &c. Sed respondet Augustinus: reperiri recapitulationem, scilicet quia prius indicavit ei, quod cognatus esset, quam quod osculatus sit eam, aliter nihil tale permissuram.

Genes. 12. narrat scriptura vocationem Abrahæ, quam ponit post mortem Patris

sui; cum tamen Actu. 3. dicat D. Stephanus, factam fuisse adhuc Patre Tharè vivente. Sed respondetur ex D. Augustino, quod quia scriptura præmiserat aliqua de Tharè, subiunxit mortem ipsius, ne postea repetenda esset; & deinde per recapitulationē narrasse vocationē Abrahæ, quæ adhuc Tharè vivente facta fuit, de quo alibi. Et lib. 1. Machab. cap. 9. narratur mors Iudæ Machabæi, & postea lib. 2. cap. 8. narrantur prælia ipsius, quod non aliter intelligendum est, nisi per recapitulationem dici.

Vltimus locus habetur, Luc. 27. in quo Christus sic affatur: *In die qua exijt Loth à Sodomis pluit ignem de Cœlo, & perdidit omnes; secundum hæc erit dies filij hominis, qua revelabitur. In die illa qui erit in tecto, & vasa eius in domo, non descendat tollere ea, meminerit vxoris Loth, &c.* Istæ enim actiones, non sunt intelligendæ vt fiant in illa hora, qua iam Christus sit revelatus: tunc enim iam nō erit tempus pœnitentiæ, sed præmij, secundum cuiuslibet opera; & tamen textus videtur significare, quod tunc sit talis opportunitas. Sed hæc explicanda sunt per recapitulationem, ex alia scriptura 1. Ioann. cap. 2. dicente: *Fili novissima bora est*; tempus ergo ipsum quo Evangelium prædicatur, quousque Dominus reveletur, hora est in qua ista exequi debent: ipsa tamen revelatio Domini, pertinet ad eandem horam, qua dies iudicij finem accipiet.

Reperitur etiam alius modus recapitulationis; cum scilicet referuntur in ea, quæ alio tempore acciderunt: & tamen ex alio scripturæ loco, non constat talia evenisse. Sic Psalm. 104. refertur de Ioseph: *Humiliaverunt in compedibus pedes eius*; quod tamen in Genes. vbi legitur de carcere eius, non reperitur scriptum. Ex Augustino Psalm. 117. & 2. ad Timoth. 3. dicitur: *Quod quemadmodum Ianes, & Mambres restiterunt Möysi, &c.* & tamen in toto Exodo, vbi legitur disceptatio Moysis cum Magis, tales homines non leguntur. Et similiter 1. Corint. 15. dicitur, Christum apparuisse plusquam quingentibus fratribus, & Iacobo; & tamen in nullo Evangelistarum, tale aliquid legitur. Neque quod Actu 20. refertur Christum dixisse: *Beatius est dare quam accipere.*

Non facile est, tot tantasque prolepsis, & recapitulationis species, in ordinem redigere; circa quod, multi multa dicunt. Sed notandum: quod si aliqua narrantur in aliquo Sacræ Scripturæ loco, sine vlla temporis causa, illa intelliguntur facta secundum ordinem, vel qui ex alio Sacræ Scripturæ loco trahi potest, vel ex recta ratione, & circunstantiarum consideratione. Quod si ex nullo alio scripturæ loco, colligitur ordo rerum inter se, debemus credere ea esse facta, & si illorum series sit ignorata. Vndè, quando ordo temporum non apparet, nihil nostra interesse debet, quem narrandi ordinem tenuerit quilibet Scriptor; & quod ad doctrinam fidelem, maximè conducit intelligere, non tam verborum, quam rerum, investigandā esse veritatem, quando qui verbis, & ordine disconveniunt, in eadem consentiunt veritate.

CAPVT SEPTIMVM.

De septima Regula, vel clavi, scilicet de diabolo, & eius corpore.

PRotulit Iob cap. 41. *Ipse est Rex* (vel caput) *super omnes filios superbiæ.* Quod ad litteram de diabolo explicat D. Thomas lect. 2. & communiter Expositores, & probat 3. p. q. 8. art. 7. De ratione enim capitis duo sunt; influxus videlicet in membra, & directio, vel gubernatio; secūdum vtramque autem rationem, esse caput fidelium convenire Christo, probat ibidem art. 6. anteced. Diabolus autem, secundum directionem, & gubernationē, dicitur caput, quia eos quos gubernat, ad suum finem adducit, scilicet vt homines abducat, & separet à Deò, qui finis est omnium. Sic Regula præsens intelligitur, & colligitur ex illo Iob 18. *Memoria illius pereat de terra* & glossa, de vnoquoque iniquo dicitur, vt ad caput, idest diabolum, revertatur.

Igi-

Igitur ſicut in prima regula, quam inſcripſimus de Chriſto, & eius corpore myſtico, adnotavimus; quod cum ſcriptura loquitur quaſi de vna perſona: attente conſiderari debet, quid capiti, quid membris poſsit adaptari pariformiter, in vltima iſta vigilanter inſpici opportet, quid propriè Lucifero malorũ capiti, & quid eius membris conveniat; & quod aliquando, quod de diabolo dicitur, non in ipſo, ſed in eius membris poſsit agnoſci: ſive talia membra manifeſtè ſint extra Eccleſiam, vt pagani, infideles, ſchiſmatici, hæretici; ſive occultè, vt peccatores, qui nũc electis permiſcentur, donec vnuſquiſque de hac exeat vita, vſquè ad ſeparationem futuram piorum ab impijs, in littore iudicij finalis, vel donec à frumento palea, ventilabro vltimo ſeparetur.

Placet in medium verba D. Iſidori adducere. Septima regula, dicitur de diabolo, & eius corpore; quia ſæpè dicuntur de ipſo capite, quæ ſuo magis conveniunt corpori. Sæpè verò eius videntur dicta membrorũ, & non niſi capiti congruunt. Ex nomine quippè corporis, intelligitur caput, vt eſt illud in Evangelio de zizanijs, tritico admixtis, dicente Domino: *Inimicus homo hoc fecit*. Matth. 13. hominem ipſum diabolum vocans, & ex nomine corporis, caput deſignans. Item, ex nomine capitis, ſignificatur corpus, ſicut in Evangelio dicitur: *Duodecim vos elegi, ſed vnus ex vobis diabolus eſt*. Iudam vtique deſignans, qui pars corporis diaboli fuit. Apoſtata quippè Angelus, omnium caput eſt iniquorum, & huius capitis corpus, ſunt omnes iniqui. Sicque cum membris ſuis vnitus eſt, vt ſæpè quod corpori eius dicitur, ad eum potius referatur; rurſum quæ illi, ad membra iterum ipſius derivetur. Hæc Iſidorus, valdè ad rem conducentia.

Sicut ergo præmiſsimus in regula prima, quod ex vnione Chriſti cum Eccleſia, & fidelibus, maximè per charitatem, &c. propria Chriſti, attribuuntur fidelibus, & è contra; ita in præſenti, ex vnione per peccatum, & malitiam, vnum reputantur diabolus, & peccatores. Vnde omnes mali tenent typum diaboli, cuius membra ſunt; & è contra boni ſimiliter Chriſti. Vnum, vel alterum in medium veniat exemplum. Iſai. 14. dicitur: *Quomodo cecidiſti de Cœlo Lucifer, &c.* quibus in verbis, ſub perſona Regis Babilonis, qui membrum erat diaboli, fit tranſitus ad Luciferum, omnium caput malorum.

Similiter Ezech. 28. loquens de Rege Tyri inquit: *Eo quod elevatum eſt cor tuum, & dixiſti Deus ego ſum, &c.* quæ verba, diabolo tantum quadrare poſſunt, cum dixerit Iſai. 14. *Aſcendam in Cœlũ, ſimilis ero altiſsimo.* Et etiam Antichriſto adaptari poſſunt, præcipuo diaboli membro, de quo Apoſtolus 2. ad Theſſalon. 2. *Qui adverſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus; ita vt in Templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus.* Et magis noſtram explicat regulam, quod poſtea ſubditur: *Contritus eſt in terra, qui mittit ad omnes gentes, &c.* Hoc enim totum, ſoli capiti congruere non poteſt: nam etſi mittat diabolus ad omnes gentes Angelos ſuos, tamen in terra corpus eius, non ipſe diabolus conteritur, niſi in quantum ipſe diabolus eſt in corpore ſuo, quod contritum fuit vt pulvis, quem proijcit ventus à facie terræ.

Claudat Hieronymus præſentem ſectionem adverſus Luciferian. Sic profunde loquens: Arca Noe, Eccleſiæ typus fuit dicente Petro. In arca Noe pauci, ideſt octo animæ ſalvæ facta ſunt per aquã. Vt in illa omnium animalium genera; ita in hac vniverſarum gentium, & mores hominum ſunt. Vt ibi pardus, & hædus, lupus, & agnus; ita & hic iuſti, & peccatores. Nec ſolũ in Eccleſia morantur oves, nec mundæ tantum aves volitant: ſed frumentum in agro ſeritur, & inter nitentia culta, tribuli, & ſteriles dominantur abenæ. Hæc ſunt vaſa iræ, & miſericordiæ, quæ in domo Dei ab Apoſtolo prædicantur. Venient ergo dies, quando theſauro Eccleſiæ aperto proferet Dominus, vaſa iræ ſuæ, quibus exeuntibus, ſancti dicent: *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis.*

Iſtæ

Istæ sunt septem regulæ, quas pro Sacra intelligenda Scriptura Tyconius excogitavit; quas tanti ipse fecit, vt ausus sit dicere: quarum ratio si accepta fuerit, clausa quæque patefient, & obscura dilucidabuntur. Hæc enim, vt dixit Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 30. nimis superbè dicta sunt (vt mos est hæreticis) cum plura in Sacra Scriptura reperiantur, quæ his explicari nequeunt, vt Apocal. 1. de septem Angelis, qui septem signāt Ecclesias, & alia multa, quæ per illa elucidari non valent. Legatur itaque liber iste ab studiosis, quia multum vtilis ad Sacrarum Scripturarum intelligentiam capessendam; sed non de illo speretur quantum non habet, & caute legendus, quia in aliquibus loquitur, vt videatur Hæreticus, cum in regula tertia dixerit fidem ex nobis esse; sed excussatur ab Augustino, quia nondum exorta erat Hæresis Pelagiana, & sic attente debet legi.

SECTIO SECVNDA.

DE ALIIS REGVLIS AD SCRIPTVRÆ intelligentiam requisitis.

CVm tot scateat difficultatibus Sacra Scriptura, vt merito liber signatus appelletur. Isai. 29. dicitur: *Lege istum, & respondebit, nō possum; signatus est enim.* Et Apoc. 5. *Vidi librum scriptum intus, & foris signatus sigillis septem*; idest pluribus, & apertus ab agno, qui habet clavem David, vt sensum aperiat Scripturarum, quo innixi, plures alias in medium proponemus regulas præsenti instituto, non minus vtiles ex Sanctorum Patrum, & Expositorum doctrina excerptas, sit ergo.

CAPVT PRIMVM.

De Filio Dei, & filio hominis.

VEniens Iesus, Matth. 16. in partes Cæsareæ Philippi interrogavit discipulos suos dicens: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Vbi D. Thomas, cum D. Hilario. Editis itaque quæ diversæ erant de eo opinionibus, quid ipsi sentiant quærit. Petrus respondet: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Et certè filium hominis, contemplatio corporis præseferebat; sed addendo: *Quem me esse dicitis?* Significavit, præter id quod in se videbatur, esse aliud sentiendum, in quod credentium fides debebat extendere, scilicet, quod etiam esset Filius Dei. Cum ergo in vna Christi persona, & Dei, & hominis natura convenierent, vt intelligantur quæ Christo vt Deo, & quæ vt homini sint propria, præsens Regula, ex Augustino lib. 1. de Trinit. cap. 11. & 12. instituitur: per quam plura scripturæ loca, quæ inter se pugnare videntur, facillimè conciliantur.

Supponit hæc Regula ex fide, Verbum divinum verè, & realiter, fuisse vnitum humanitati, ex D. Thoma 3. p. q. 2. ex qua mirabili vnione resultat communicatio idiomatū: scilicet, quod quæ sunt Dei, dicātur de homine, & è cōtra; & sic dicimus Deum esse hominem, passum, resurrexisse, &c. Et etiam hominem esse Deum, &c. quia cum persona divina, subsistat in duplici natura, divina videlicet, & humana; & respiciens divinam, illius subijt prædicationem, & concernens humanam, quæ illi sunt propria admittit. De quo 3. p. q. 16. Defectu huius cognitionis, in varias hæreses, & errores, plures prolapsi fuere, non distinguentes, quid Christo vt Deo, & quid vt homini conveniret.

Optimè hoc explicuit D. Cyril. lib. 10. Thesau. cap. 7. Sicut enim, quando Christus per carnem miracula efficiebat (sputo

to

to enim cæcum curavit, &c.) non ipsi vt homini; sed vt Deo attribuimus: sic quando humano more de se ipso dicit, quod alienum à Deitate sua videatur, carni idipsum accomodare debemus: & ne quis audiens ipsum factum esse hominem, mutatum esse verbum Dei, in nostram naturam putaret, aut aliud factum quam esset semper, modo more hominum, & loquitur, & operatur absque peccato, modo vt verus Deus, vt vtrumq; ipse intelligatur esse. Et Origen. lib. 2. Periar. cap. 6. Per omnem scripturam, tàm divina natura humanis vocabulis appellatur, quàm humana natura, divinæ naturæ insignibus decoratur.

Iam regulam exẽplis lustremus. Ioan. 14. dixit Christus de se ipso: *Pater maior me est.* (ex quo loco male intellecto, Arrius negavit, Filium verum esse Deum) cum tamen Ioan. 10. dicat etiam de se ipso: *Ego, & Pater, vnum sumus*: cum qua vnitate, non potest consistere inæqualitas eiusdem ad se ipsum, sed facilè explicatur locus dicendo: quod licet in natura divina, sit Patri æqualis, vt dixit Apostolus ad Philip. 2. *Non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo.* Ratione tamen naturæ humanæ, minor est Patre, vt constat: Imò ratione illius naturæ, etiam est minor se ipso, vt Dei Filio. Ex cap. 2. cit. *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*; imò etiam hac ratione, minor est Spiritu Sancto, ex Matt. 12. *Qui dixerit blasphemiam in filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit in Spiritum Sanctum, non remittetur.* Et etiam cum dicit: *In Spiritu Sancto operatus virtutes.* Et quando dixit; impletam in illo esse illam. Isai. 61. prophetiam: *Spiritus Domini super me, ad Evangelizandum misit me.*

Ex qua doctrina, potest colligi intelligentia. Psal. 8. *Minuisti eum, paulò minus ab Angelis.* Quæ verba, licet de homine absolutè possint intelligi; sed melius, & ad litteram de Christo, vt constat ex Apost. ad Hebræ. 2. *Eum autem qui modico quam Angelis minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum.* Quæ omnia Christo conveniunt ratione naturæ humanæ. Quod latè prosequitur Augustinus dicens: Secundum formã Dei. Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*: Secundum humanam, *factus ex muliere*, ad Galat. 4. Secundum formam divinam, *ipse & Pater vnum sunt*, Ioann. 10. Secundum humanam, *non veni facere voluntatẽ meã*, Ioan. 5. Secundum divinam, *ego sum veritas.* Secundum formam servi, *ego sum via* (quia iter fuit Ecclesiæ ad Cœlum) Ioan. 14. Secundum divinam: *Primogenitus ante omnem creaturam.* Eccles. 24. *& ante Luciferum genui te*, Psalm. 109. Secundnm humanam; *Dominus creavit me, &c.* Prover. 8. & sic de alijs.

Per istam etiam regulam, expendit Augustinus, illa verba Matt. 24. Marc. 13. *De die illa nemo scit, nisi solus Pater: & nemo scit, neque Filius, sed solus Pater.* Hoc, inquit Augustinus, intelligi secundum formam servi. Sed non videtur sufficere; cum dicatur: *Nec etiam Filius*; quod si vt Filius nescit, multo minus vt homo. Propter ista verba, quidam Hæretici vocati Agnocti, vel Ignocti, ab ignorantia, dixerunt: Christum plures eventus, & præcipuè diem ignorasse iudicij. Contra quos definivit quinta Synodus generalis Acti. 11. & 14. & omnes Theologi cum D. Thoma 3. p. q. 10. art. 3.

Sciendum: quod plures dicunt etiam in Matthæo reperiri ista verba: *Neque Filius*, sed postea ablata, vel omissa. Sed certè falluntur: cum etiam antiqua exemplaria illa non habeant, aliàs Matthæi Evangelium esset diminutum. Etsi aliqui Patres dicunt ibi fuisse, ideò id asserunt, quia vt verba Matth. 24. plenè explicarent, apposuerunt illa Marci, de quo Maluenda lib. 1. de Antichristo, cap. 29.

Multiplex ergo in medium adducatur expositio. Prima, August. lib. 1. de Trin. cap. 12. Quod Filius dicitur ignorare, quia nescientes facit. Sicut Genes. 22. dixit Dominus Abrahæ: *Nunc cognovi, idest; cognoscere te feci*; ita Basil. Hieronymus, Ambrosius, Gregorius, D. Thom. 3. p. q. 10. art. 2. Secunda, est Hilarij, scili-

cet nescire Filium, quia ex divina ordinatione, non debebat illum revelare. Tertia, quod dicitur ignorare: quia ad modum ignorantis, se habuit vt homo: quia de illo tacuit, vel non revelavit, quia id secreto observandum suscepit, & sic non mentitur dicẽdo nescire, vt patet in illo, qui secreto aliquid accepit, de quo Soto, de tegendo secret. membro 3. & optimè Maluenda citatus, ex Theophil. Marc. 13. Quarta, est D. Greg. lib. 8. epist. 42. quod filius dicitur nescire, iuxta primam regulam Tyconij, qua attribuuntur capiti, quæ sunt propria corporis. Quinta, quod ista nescientia, convenit Filio Dei, non quidem naturali, sed adoptivo, scilicet iustis, quibus dies iudicij occultus est. Ita Origenes, Eulogius, & Gregorius.

Sexta, iuxta nostram regulam, quod Filius, quatenus homo, diem dicatur nescire iudicij; quia non à se, vel sua humana virtute, illius habet cognitionem, sed ex divina. Et sic potest etiam intelligi, quod Christus dicit Ioan. 7. *Mea doctrina, non est mea*, idest: non habet à se, sed à Patre, à quo procedit. Ita Athanasius, Nazianzenus, Ambrosius, Cyrillus, Gregorius, & alij. Vltima, est Chrisostomi hom. de Trin. asserentis: quod duplex est cognitio, scilicet, operis, & speculationis; operis, vt illa qua Adam dicitur cognovisse vxorẽ suã, certè iam illam noverat speculativè, cum dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis*. Sic Christus dicitur, non cognovisse diem iudicij, quia non exercuit iudicium, non venit enim tunc iudicare mundum; scivit tamen iudicij diem notitia cognitionis. Ita etiam Origenes, Bernardus, & alij.

Denique Maldonatus dicit: Christum nescire, quia cum Patri attribuatur Providentia, & scire diem iudicij ad illam pertineat, ideò appropriatur Patri, & non Filio. Sed huic expositioni obstare videtur, quod Ioan. 5. dixit Christus: *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio*. Et postea. *Dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est*.

Certè his explicationibus, tota loci difficultas evacuata manet. Licet Suarez 3 p. q. 10. in Commentario art. 2. aliquas ex illis reijciat, & illi probabilior videtur secunda, scilicet Christum se negare scire, quia veluti sub secreto illud sciebat, & non ad alijs manifestandum: & quia ea quæ sub secreto scimus, nescire dicimus. Contra quam sibi obijcit Suarez: quia ex illa sequitur, etiam Patrem nescire. Sed respondet negando sequellam; quia Pater ita sciebat, vt saltim revelaret homini Christo. Et si rursus (inquit) obijcias; sequi, Angelos scire diem iudicij, licet nesciant ad revelandum. Respondet: ex hoc solum posse colligi, eos nescire ad dicendum; an verò nesciant absolutè? Neutrum inferri; licet Abul. Matth. 2. q. 209. affirmet scire; Soto neget in 4. disp. 43. q. 2. art. 2. Sed nihil certum. Sed negat illos scire Maluenda citatus, & asserit Beatissimæ Virgini ex privilegio communicatum, & pie valdè.

Maius nobis negotium posset facessere, modus loquendi Evangelistarum Matth. *Nisi solus Pater*. & Marc. *Nemo, neque Filius, sed solus Pater*. sed de hoc Theologi 1. p. q. 31. art. 3. Breviter dicimus primo: quod istæ voces *solus, tantum, nemo*, dupliciter possunt vsurpari. Primo cathegorematicè, & sic significant idẽ quod solitarius. Secundo sincathegorematicè, vt denotant modum. Igitur si primo modo sumantur, sunt propositiones falsæ. Quia faciunt hunc sensum: Deus est solus; idest solitarius absque consortio aliarum personarum: si verò sumantur sincathegorematicè, sunt veræ, quia faciunt hunc sensum: Deus solus creat, idest nihil aliud à Deo creat, vel generat.

Respectu verò personarum, distinguendum est: quia potest facere sensum, duplicem: primo, vt excludat alium masculine, & facit hunc sensum: Pater est Deus, & nullus alius à Patre, est Deus; & sic est falsa, nam Filius est alius à Patre, & tamen est Deus. Si verò secundo modo, scilicet, vt excludat aliud substa[illegible]vè, idest rem alterius naturæ, & essentiæ, vt sit sensus: Pater est Deus, & nihil aliud, idest: nulla res alterius naturæ, & essentiæ est Deus, & sic est vera; quia licet Filius sit alius à Patre, non tamen aliud: quia alius

res-

respicit suppositum, & aliud naturam: & hoc modo sunt explicandæ illæ propositiones: *Vt cognoscant te solum Deum verum*. Ioan. 17. &: *nemo novit Patrem, nisi Filius*. Sed ex D. Thoma, istæ propositiones, non sunt extendendæ, sed distinguendæ.

Vel secundo potest dici: quod istæ voces: *Solus, nullus, nemo*; cum dicuntur de Patre, non excludunt Filium, nec Spiritum Sanctum, propter essentiæ vnitatem, quia non excludunt concomitantia, vt sunt personæ sicut cum dicimus: solus Petrus scribit, licet manus non sit Petrus, non tamen sequitur, ergo manus nó scribit; quia est de concomitantibus. Sic cum dicitur: solus Deus creat, vel solus Pater cognoscit diem iudicij, nó sequitur, quod Filius, vel Spiritus Sanctus, non creent, vel non cognoscant iudicij diem; cum sint personæ, de numero concomitantiū naturam divinam, vel cum D. Thoma cit. art. 4. cum aliquid essentiale dicitur de Patre, non excluditur Filius, vel Spiritus Sanctus propter essentiæ vnitatem. Et sic manent explicatæ authoritates Matthæi, & Marci adductæ. Vide Cantepratensem lib. 2. cap. 2. pag. 151.

Denique iuxta istam regulam explicari potest celebris ille locus Ioan. 13. *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum*, scilicet, Filio, vel Christo. Prædicta enim verba, possunt intelligi de Christo, & secundum quod est Deus, & secundū quod est homo: vt Deus habet Spiritum Sanctum quatenus iste procedit ab eo, *ille me clarificabit, quia de meo accipiet*. Ioan. 12. dicitur ergo, Patrem dare Filio spiritum sine mensura, quia dat ei virtutem, & potestatem spirandi Spiritum Sanctum, qui cum sit infinitus, in infinitum dat ei Pater, vt sicut ab isto, sic ab illo procedat, quod Pater dedit Filio, per æternam generationem.

Et etiam in quantum homo habet Christus, non ad mensuram spiritum, secundum triplicem gratiam quam Christus habet, scilicet, vnionis, per quam datur Christo, vt in natura humana sit Filius Dei naturalis, quod est donum infinitum; & attribuitur Spiritui Sancto, quia est donum gratuitum. Secunda gratia, est habitualis, quam etiam habet sine mensura, quia totum quod ad rationem gratiæ poterat pertinere, Christus accepit, ex 3. p. q. 7. art. 9. Et etiam ex hoc ipso, qnod habet Verbum vnitum, quod est principium infinitū, totius emmanationis creaturarum. Tertia gratia, est capitis Ecclesiæ, quæ etiam est sine mensura, vt dicitur 3. p. q. 8. in quantum per illam, non solum potest in salutem aliquorum hominum; sed etiam totius mundi, iuxta illud Ioann. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, & non pro nostris tantum, sed etiam totius mundi*. Ita D. Thomas ad cap. 3. Ioannis citatum.

CAPVT SECVNDVM.

De Regula declaratoria, vel expositiva.

FInis legis Christus Roman. 10. Sicut enim finem omnia intendunt, respiciunt, & propter illum fiunt, & operantur; ita omnes scripturæ (vt supra iam diximus) Christum sonant, ex Augustino in 1. Ioan. 2. *Quidquid scripturarum est, sonat Christum, si aures inveniat*. Et Chrisostomus homil. 10. in Marc. Ego quando lego Evangelium, & video ibi testimonia de lege, testimonia de Prophetis, solum Christum considero, &c. Omnia etiam propter Christum, vti finem facta sunt. Genes. 1. *In principio creavit Deus Cœlum*. idest in Filio, vt iam supra explicuimus, ly, *in*, idem valet ac, *propter*, ex Apost. ad Hebræ. 2. *Decebat eum propter quem omnia*. Et vt benè advertit Scalante, lib. 4. per multa capita, nullus scripturæ liber est, qui Christum non loquatur, & respiciat.

Cum ergo ita frequenter, scriptura de Christo loquatur: diversimodè tamen. Quædam ita vt denotetur æqualitas Filij cum Patre. Secundo aliqua dicit, vt minor Patre significetur. Tertio, ita vt nec æqualitas, nec inæqualitas inter illos ostendatur. Cum ergo, ita diversus repe-

riatur modus loquendi de Christo; opportuit pro intelligentia plurium locorum Sacræ Scripturæ, præsentem proponere Regulam, desumptam ex D. Augustino lib. 2. de Trin. cap. 1. & 2.

De primo ergo, & secundo modo loquendi, facilis est intelligentia: vt cum dicitur: *Pater maior me est*, Ioan. 14. debet intelligi, iuxta præcedentem Regulam, propter formam servi, & nostram humanam assumptam naturam. Et etiam illud Ioan. 5. *Pater non iudicat quemquã, sed omne iudicium dedit Filio.* Nam statim sequitur: *Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Facilè etiam percipiuntur loca, in quibus æqualitas Christi cum Patre, designatur, vt Ioan. 10. *Ego, & Pater vnum sumus*; & ad Philip. 2. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, se æqualem esse Deo*, & alia similia.

Tota ergo difficultas, consistit in tertio modo loquendi: sunt enim quædam in sanctis libris, ita posita, vt ambiguum sit, quonam referenda sint, vtrum ad naturam humanam, in qua minor est Patre? Vtrum ad illud quod licet æqualis Patri, de illo tamen esse significatur? Etsi quidem dubium sit, vt explicari discernique non possit, ex vtraque regula sine periculo potest intelligi. Sit exemplum.

Celebris locus Ioann. 7. *Mea doctrina, non est mea, &c.* circa quæ verba, subtiliter inquirit Augustinus tract. 24. in Ioannem. Si non tua, quomodo tua? Si tua, quomodo non tua? &c. Et licet per regulam præcedentem, facilè possit responderi, quod loquitur per formam servi: vt sit sensus; non est humanitus mihi concessa, vel tradita; sed divinitus. Melius tamen (etsi sic rectè posset intelligi) si secundum formam Dei, etiam accipiatur, scilicet: quod non ita sit eius, vt etiam non sit à Patre. Sicut enim dicitur; quod Pater dedit vitam Filio, idest genuit Filiũ, ita vt vita Filij, sit à Patre accepta; ita dedit doctrinam, idest genuit Filium, qui est vera doctrina. Et sic verum est, quod mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me; ac si diceret: Ego à me ipso non sum doctus, sed à Patre, qui me genuit, & misit. Sed de ista expositione Scalante lib. 7. cap. 22. dicit. An ista explicatio omnibus arrideat? ipsi videant. Quis enim negare audebit Spiritum Sanctum esse amorem Patris, & Filij, & esse quoque amorem suum? Dicit ergo istum locum explicandum esse per illum Deuter. 18. Prophetam suscitabo de medio fratrum tuorum, & ponam verba mea in ore eius, &c.

Sed Augustini expositio communiter recipitur; & instatur exemplum adductum. Quia etiam Spiritus Sanctus potest dicere, amor meus non est meus, quia licet sit personaliter amor; sed non a se, sed à Patre, & Filio diligentibus se, quod intendit Augustinus. Verba autem Deuteronomij licet literaliter intelligantur de Christo; sed ad explicationẽ loci Ioan. 7. parum conducunt: Cum ex illis solum inferatur, quod talis Propheta loquitur omnia, quæ illi Deus præcipiat: at quod illa verba non sint sua, in quo est difficultas, nihil inde infertur, vt patet.

Difficilis etiam locus Ioann. 5. *Sicut Pater vitam habet à semetipso; sic etiã dedit Filio vitam habere in semetipso.* Et postea subdit; *non potest Filius facere quidquam nisi quod viderit Patrem facientem, hæc & Filius similiter facit.* Hæc enim verba, si quis voluerit explicare de Christo in accepta natura, qua minor est Patre, sic opportebat dicere: vt Pater prius quam Christus, super aquas ambulaverit, & prius oculos cæci nati aperuit, &c. quod ridiculum (ait Augustinus) esset dicere: restat ergo vt dicatur, quod incommutabilis est vita Filij, sicut Patris; & tamen Filius de Patre est, & inseparabilis est, operatio Patris, & Filij, sed tamen operari Filium ita, est de illo, de quo Filius est scilicet de Patre.

Itaque: Filius dicitur videre Patrem, vt ea ratione qua eum videt, hoc ipso eius sit Filius; non enim aliud est illi, esse de Patre, idest nasci de Patre, quam videre Patrem; neque aliud est videre Patrem operantem, quam Filium pariter operari. Sed non ideò à se, quia non est à se, sed ab alio, scilicet Patre. Et sic de Filio

di-

dicitur, quod sit Deus de Deo, lumen de lumine. Et cum dicitur: *Similiter facit*, non intelligitur, sicut Pictor alias tabulas pingit, quas ab alio Pictore, pictas conspicit: sensus ergo verborum est; quod eadem similiter facit, vt notetur; quod eadem est, & similis operatio, Patris, & Filij, inseparabilis; sed cũ hac distinctione, quod Filij operatio, à Patre est, & à Patre sibi venit, à quo procedit, & ideò Filius non potest facere à se quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.

Et cum postea subditur, *Non potest Filius operari quidquam à semetipso;* sine vllo omnipotentię præiudicio dictum est: solum enim significatur, quod id quod Filius operatur, & habet à Patre accipit per generationem, non à se: quia essentiam ipsam, & divinitatem, non à se habet; sed per generationem accipit, non per creationem. Et cum dicitur: non posse facere quidquam, sed quod viderit Patrem facientem, non significat, quod non faciat propria virtute, & increata, & non ab alio accepta extraneo, sed solum significat, quod non potest facere à se, vt persona ingenita, sed vt nata à Patre.

Cum autem, præsentis Regulæ doctrina, tàm pro Trinitatis, quàm Incarnationis mysterio, sit ita necessaria, inquit Augustinus ita: ex hac ergo Regula qua ita loquuntur scripturæ, vt non alium alio minorem; sed tantum vellint ostendere, quis de quo sit; nonnulli eum sensum conceperunt, tanquam Filius minor diceretur; quidam autem nostri indoctiores, & in his minimè eruditi, dum hæc secundum formam servi conantur accipere, & cor non rectum intellectus sequitur, perturbantur. Quod ne accidat, tenenda est Regula, qua non minor Filius; sed quod de Patre sit, intimatur: quibus verbis, non inæqualitas, sed nativitas eius ostenditur.

CAPVT TERTIVM.

De Regula Punctuationis, & Germanæ lectionis.

DEscendente Iesu de Monte, Matt. 8. Leprosus veniens adorabat eum dicens: *Domine, si vis potest me mundare.* Et Iesus (ait) ad illum: *Volo, mundare.* Super quem locum, ita Hieronymus fatur: non vt plerique Latinorum putant, legendum est. *Volo mundare*; sed separatim. *Volo.* Deindè apposito puncto, imperet, *mundare.* Vt intelligatur non id carere mysterio, scilicet Christũ nedum deprecativè vt alij Sancti, sed etiam imperativè patrare miracula. Ex quo debet adverti, quod in Sacra Scriptura, potest esse aliquis defectus, ex mala clausularum punctuatione; & ideò, sequens debet percipi Regula, ex D. Augustino lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 2. Pagnino, Beuter Reg. 10.

§. I.

De Punctuatione.

CVm autem verba propria, faciunt ambiguam scripturam, providendum est, ne male distinxerimus, aut pronunciaverimus. Cum ergo adhibita intentione, incertum esse providerit, quomodò distinguendum, aut quomodò pronuntiandum sit: consulat Regulam fidei, quam de scripturarum planioribus locis, & Ecclesiæ auctoritate præcipit. Quod si ambæ, vel etiam omnes (si plures fuerint partes ambiguitatis) Secundum fidem sonuerint; textus ipse sermonis, à præcedentibus, vel subsequentibus partibus, quæ ambiguitatẽ illam in medio posuerunt, restat consulendus; vt videamus cuinam sententiæ, de pluribus, quæ se ostendunt, ferat suffragium, eamque sibi adaptari patiatur: his suppositis.

Sit primus, & præcipuus locus Ioan. 1. *In Principio erat Verbum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deũ.* Quæ verba, sic intellecta, & punctuata, con-

continent principale fundamentum, ad Christi divinitatem ostendendam: quia illud met Verbum, quod est apud Deum, non solum dicitur Deus; sed etiam Deus ipse, dicitur Verbum: si enim Ioannes dixisset, quod Verbum erat Deus, posset Hæreticus tergiversari dicens, quod erat Deus participativè, & non verè, & substantialiter. Nunc autem, dicendo, quod Deus erat Verbum, non restat evasio; quia Deus ille, apud quem erat Verbum, est summus, & verè Deus, scilicet, Deus Pater, de quo nulli dubium, quod verus sit Deus: sed illemet dicitur esse Verbum, ergo divinitas quæ Verbo convenit, & quæ Verbum est, vera est divinitas.

Cum ergo videret Arrius his verbis ita dispositis, & lectis, suam omnino hæresim labefactari; aliam lectionem, & punctuationem excogitavit, nempè: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat.* Et hic apposuit punctum, & postea prosequebatur: *Verbum hoc, erat in principio apud Deum:* Ex quibus verbis sic punctuatis, videbatur illi, non sequi, quod Filius sit verus Deus, licet semper fuerit apud Deum, sed minor illo. Ecce ex mala punctuatione, quantum sequatur inconveniens.

Matth. 16. *Vade retro Satana.* Hinc Hæretici contra Petri Pontificatum, & illius successores insurgunt, quasi ab hoc nomine omnes sint Satanas; cum videatur incompatibile esse caput Ecclesiæ, & Christi adversarius. Hilarius ergo, & alij ita legunt: *Vade post me* ad Petrum, & sequentia ad diabolum, & sic nullum sequitur inconveniens. Sed communiter alij legunt: Vade post me Satana, intellectum de Petro. Vnde Hieronymus: nec mirari debemus, vt ille cui Pater revelavit, & beatus dictus, post Satanas dicatur, cum ea quæ hominis sunt sapiebat. Et vocavit Satan, non proprio nomine, sed cõmuni, quia Deo adversarius. De quo 2. Reg. 3.

Ioannis etiam 8. dicitur: *Ego principium, qui & loquor vobis. Multa habeo de vobis loqui, & iudicare.* Sic legit nostra vulgata, vt *principium* substantivè accipiatur, & post illam vocem, *vobis*, ponatur punctus, & legatur clausula, vt iam posita est. Alij verò non ita legunt, sed vsurpant ly *principium* adverbialiter, ita vt *principium* idem sit ac *in primis*; vt sic fiat sensus, & legunt. *Ego principium* (idest in primis) *qui loquor vobis. Multa habeo de vobis loqui, & iudicare,* ita vt huius clausulæ Verbum præcipuum sit, *habeo*, & alia sint posita ad qualificationem loquentis. Sed lectio vulgatæ retinenda; cum ex illa possit confirmari, Christum esse Deum, quia principium, licet de principio, scilicet Patre.

Difficilis locus Marci 16. vbi contra omnes Evangelistas, sic habet: *Surgens autem mane, prima Sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ*: hac de causa tale caput fuit ab aliquibus reiectum: D. Hieronymus putat, Christum resurrexisse, vespere Sabbati, hoc est; tempore mediæ noctis ante galli cantum primum, quod videtur opponi communi sententiæ. Vnde ipse sic arguit: si media nocte surrexit, non potuit surgere mane. Et respondet: non esse recipiendum, quod non licet dicere modo. Vel ita distinguẽdo. *Cum autem resurrexit.* Et sistendo ibi; & postea legatur; *prima mane Sabbati, primo apparuit Mariæ Magdalenæ.* Ita vt sit sensus: quod Christus qui vespere Sabbati iuxta Matthæum, surrexerat, prima Sabbati sequentis, sub ipso mane, primo apparuit Mariæ Magdalenæ. Sufficit hoc ad punctuationem, quidquid sit de sensu verborum.

Secundo etiam Machab. cap. 1. habetur anno 188. *Populus qui est Hierosolymis, Senatusque, & Iudas, &c.* Si autem ita legatur textus, colligitur isto anno Iudã vivere: cum tamen constet, mortuum fuisse anno 153. de quo aliqua supra iam diximus: & ita Tena l. 2. dis. 16. sect. 6. dicit ibi contineri duplicem Epistolam, & primam finiri illis verbis, *anno* 188. Sicut mox est in epistolis, ad finem illarum, assignare annum quo scribũtur; & quod debet ibi apponi punctus. Et postea incipit alia epistola: *Populus qui est Hierosolymis, Senatusque, & Iudas.* Sed quia nõ sic legitur in vulgata, non plenè satisfacit

so-

salutio,& sic dici potest: quod ille Iudas, non est Machabæus,sed alius,ex Ruperto lib.10. de Victoria Verbi cap. 10. quia in illo populo nomine Iudæ, vocabantur multi,& etiam Iudæ alijs in locis, adiungitur nomen Machabæi,quod non est in præsenti.

In epistola etiam Iudæ dicitur: *Commonere autem vos volo, scientes semel omnia: quod Iesus populum de terra Ægypti salvans, secundo eos, qui non crediderunt perdidit.* Illud verbum, *secundo*, potest legi sic: *Salvans secundo.* Et ponatur distinctio, vel potest legi sic: *Secundo eos,qui non crediderũt perdidit.* Et isto modo est in vulgata, sed erit sensus: quod ly secundo ad salutem pertineat, non ad perditionem: vt significetur per Circumcisionem primo factam, sub Moyse Exod. 4. per Sephoram salutem provenisse hominibus;& secundo sub Iosue,per Sacerdotes etiam salutem populo provenisse, sed quovis modo legatur, nihil contra fidem;de quo statim dicemus.

In Lucæ etiam 23. dixit Christus Latroni: *Amen dico tibi hodie mecum eris in Paradiso.* Contra sensum communem obijcit Theophilactus illud ad Hebr.11. *Hi omnes non receperunt repromissionem, vt non sine nobis consumarentur.* Vnde infert, Latronem non ingressum Paradisum, vel ante iudicium, sequens millenarios,vel ante Christi ascensum, & sic hodie aliter legendũ;ita scilicet. *Amen dico tibi*,idest,*hac die*, & ibi ponatur pũctus. Sed vulgata retinenda. Quid autem nomine Paradisi? Vel terrestre Genes.2. Vel sinum Abrahæ. Vel ex Augustin.Hieronymo,& D. Thoma, visionem beatificam,quam vt à corpore egressus est accepit. Videatur Maluenda cap.91.de Paradiso,vbi optimè hoc pertractat, intelligens nominè,Paradisi,Gloriã & Beatitudinem essentialem. Et Marc. 16. dixit Angelus: *Surrexit,non est hic.* Si autem quis apponeret adverbium *non*, immediatè post *surrexit*, & legeret, *surrexit non.* Posito puncto, & prosequeretur dicens, *est hic*,negaret Christi Resurrectionem.

Plura alia se offerebant loca,& præcipuè duo. Primum Matth.5. *Qui solverit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines,&c.* Secundum, ex Apostol. ad Philip. 1. *Coactor autem è duobus,&c.* De quibus Expositores, & præcipuè Augustinus citatus. Cum quo iterum sciendum:quod quoties punctuatio,non obstat præscripto fidei,nec scripturæ textui, vel traditione; licet semper standum punctuationi vulgatæ; potest tamen vtraque sustineri. Et est electio in potestate legentis,Ioan.1.dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt; & sine ipso factũ est nihil,quod factũ est. In illo vita erat.* Ita leget vulgata; Græci autem sic: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factũ est nihil, quod factum est in illo vita erat.* Et cum ex ista lectione nihil contra fidem sequatur,potest sustineri. Et notandum: quod si post diligentem inquisitionem, incertum maneat quomodo distinguendum, & ambæ partes sint secundum fidem,ex subsequentibus,& antecedentibus,vera distinctio,& sensus,colligendus venit.

§. II.

De Germana lectione.

CVm Sacra Scriptura, prius in Hebraica, vel Caldaica lingua, scripta, vel dictata sit; deinde in Græcam,ac tandem in Latinam fuerit translata;hinc varietas exorta est lectionum:& licet nobis cum vulgata sit standum; aliæ tamen lectiones,nisi fidei, & Sacræ Scripturæ obstent, vt iam diximus, sustinendæ sunt; v.g.Genes.49. dicitur: *Nephtali cervus emissus,dans eloquia pulchritudinis.* Alij legunt servus emissus pro famulo, cui sequentia videntur convenire,scilicet, *dare eloquia pulchritudinis*; ex Hebræo *Cervus* habetur, & vnius litteræ mutatione,fit tam diversus sensus.Sicut Iob 7. aliqui legunt, *sicut Cervus desiderant vmbram*, cum legendum sit: *sicut servus.*

Similiter Psalm. 41. dicitur: *Sicut Cervus desiderat. Sitivit anima mea, ad Deum fortem vivum*: & tamẽ aliqui le-

continent principale fundamentum, ad Christi divinitatem ostendendam: quia illud met Verbum, quod est apud Deum, non solum dicitur Deus; sed etiam Deus ipse, dicitur Verbum: si enim Ioannes dixisset, quod Verbum erat Deus, posset Hæreticus tergiversari dicens, quod erat Deus participativè, & non verè, & substantialiter. Nunc autem, dicendo, quod Deus erat Verbum, non restat evasio; quia Deus ille, apud quem erat Verbum, est summus, & verè Deus, scilicet, Deus Pater, de quo nulli dubium, quod verus sit Deus: sed illemet dicitur esse Verbum, ergo divinitas quæ Verbo convenit, & quæ Verbum est, vera est divinitas.

Cum ergo videret Arrius his verbis ita dispositis, & lectis, suam omnino hæresim labefactari; aliam lectionem, & pũctuationem excogitavit, nempè: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat.* Et hic apposuit punctum, & postea prosequebatur: *Verbum hoc, erat in principio apud Deum.* Ex quibus verbis sic pũnctuatis, videbatur illi, non sequi, quod Filius sit verus Deus, licet semper fuerit apud Deum, sed minor illo. Ecce ex mala punctuatione, quantum sequatur inconveniens.

Matth. 16. *Vade retro Satana.* Hinc Hæretici contra Petri Pontificatum, & illius successores insurgunt, quasi ab hoc nomine omnes sint Satanas; cum videatur incompatibile esse caput Ecclesiæ, & Christi adversarius. Hilarius ergo, & alij ita legunt: *Vade post me* ad Petrum, & sequentia ad diabolum, & sic nullum sequitur inconveniens. Sed communiter alij legunt: Vade post me Satana, intellectum de Petro. Vnde Hieronymus: nec mirari debemus, vt ille cui Pater revelavit, & beatus dictus, post Satanas dicatur, cum ea quæ hominis sunt sapiebat. Et vocavit Satan, non proprio nomine, sed cõmuni, quia Deo adversarius. De quo 2. Reg. 3.

Ioannis etiam 8. dicitur: *Ego principium, qui & loquor vobis. Multa habeo de vobis loqui, & iudicare.* Sic legit nostra vulgata, vt *principium* substantivè accipiatur, & post illam vocem, *vobis*, ponatur punctus, & legatur clausula, vt iam posita est. Alij verò non ita legunt, sed vsurpant ly *principium* adverbialiter, ita vt *principium* idem sit ac *in primis*; vt sic fiat sensus, & legunt. *Ego principium* (idest in primis) *qui loquor vobis. Multa habeo de vobis loqui, & iudicare,* ita vt huius clausulæ Verbum præcipuum sit, *habeo*, & alia sint posita ad qualificationem loquentis. Sed lectio vulgatæ retinenda; cum ex illa possit confirmari, Christum esse Deum, quia principium, licet de principio, scilicet Patre.

Difficilis locus Marci 16. vbi contra omnes Evangelistas, sic habet: *Surgens autem mane, prima Sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ*: hac de causa tale caput fuit ab aliquibus reiectum: D. Hieronymus putat, Christum resurrexisse, vespere Sabbati, hoc est; tempore mediæ noctis ante galli cantum primum, quod videtur opponi communi sententiæ. Vnde ipse sic arguit: si media nocte surrexit, non potuit surgere mane. Et respondet: non esse recipiendum, quod non licet dicere modo. Vel ita distinguẽdo. *Cum autem resurrexit.* Et sistendo ibi; & postea legatur; *prima mane Sabbati, primo apparuit Mariæ Magdalenæ.* Ita vt sit sensus: quod Christus qui vespere Sabbati iuxta Matthæum, surrexerat; prima Sabbati sequentis, sub ipso mane, primo apparuit Mariæ Magdalenæ. Sufficit hoc ad punctuationem, quidquid sit de sensu verborum.

Secundo etiam Machab. cap. 1. habetur anno 188. *Populus qui est Hierosolymis, Senatusque, & Iudas, &c.* Si autem ita legatur textus, colligitur isto anno Iudã vivere: cum tamen constet, mortuum fuisse anno 153. de quo aliqua supra iam diximus: & ita Tena l. 2. dis. 16. sect. 6. dicit ibi contineri duplicem Epistolam, & primam finiri illis verbis, *anno* 188. Sicut mox est in epistolis, ad finem illarum, assignare annum quo scribũtur; & quod debet ibi apponi punctus. Et postea incipit alia epistola: *Populus qui est Hierosolymis, Senatusque, & Iudas.* Sed quia nõ sic legitur in vulgata, non plenè satisfacit so-

salutio,& sic dici potest: quod ille Iudas, non est Machabæus,sed alius,ex Ruperto lib.10. de Victoria Verbi cap. 10, quia in illo populo nomine Iudæ, vocabantur multi,& etiam Iudæ alijs in locis, adiungitur nomen Machabæi, quod non est in præsenti.

In epistola etiam Iudæ dicitur: *Commonere autem vos volo, scientes semel omnia: quod Iesus populum de terra Ægypti salvans, secundo eos, qui non crediderunt perdidit.* Illud verbum, *secundo*, potest legi sic: *Salvans secundo.* Et ponatur distinctio, vel potest legi sic: *Secundo eos, qui non crediderũt perdidit.* Et isto modo est in vulgata, sed erit sensus: quod ly secundo ad salutem pertineat, non ad perditionem: vt significetur per Circumcisionem primo factam, sub Moyse Exod. 4. per Sephoram salutem provenisse hominibus;& secundo sub Iosue,per Sacerdotes etiam salutem populo provenisse, sed quovis modo legatur, nihil contra fidem;de quo statim dicemus.

In Lucæ etiam 23. dixit Christus Latroni: *Amen dico tibi hodie mecum eris in Paradiso.* Contra sensum communem obijcit Theophilactus illud ad Hebr.11. *Hi omnes non receperunt repromissionem, vt non sine nobis consumarentur.* Vnde infert, Latronem non ingressum Paradisum, vel ante iudicium, sequens millenarios,vel ante Christi ascensum, & sic hodie aliter legendũ;ita scilicet. *Amen dico tibi*, idest,*hac die*, & ibi ponatur pũctus. Sed vulgata retinenda. Quid autem nomine Paradisi? Vel terrestre Genes.2. Vel sinum Abrahæ. Vel ex Augustin. Hieronymo,& D. Thoma, visionem beatificam,quam vt à corpore egressus est accepit. Videatur Maluenda cap.91.de Paradiso,vbi optimè hoc pertractat, intelligens nominé,Paradisi,Gloriã & Beatitudinem essentialem. Et Marc. 16. dixit Angelus: *Surrexit,non est hic.* Si autem quis apponeret adverbium *non*, immediatè post *surrexit*, & legeret, *surrexit non.* Posito puncto, & prosequeretur dicens, *est hic*, negaret Christi Resurrectionem.

Plura alia se offerebant loca,& præcipuè duo. Primum Matth.5. *Qui solverit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, &c.* Secundum, ex Apostol. ad Philip. 1. *Coarctor autem è duobus, &c.* De quibus Expositores, & præcipuè Augustinus citatus. Cum quo iterum sciendum: quod quoties punctuatio,non obstat præscripto fidei,nec scripturæ textui, vel traditione; licet semper standum punctuationi vulgatæ; potest tamen vtraque sustineri. Et est electio in potestate legentis,Ioan.1.dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt; & sine ipso factũ est nihil, quod factũ est. In illo vita erat.* Ita leget vulgata; Græci autem sic: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factũ est nihil, quod factum est in illo vita erat.* Et cum ex ista lectione nihil contra fidem sequatur,potest sustineri. Et notandum: quod si post diligentem inquisitionem, incertum maneat quomodo distinguendum, & ambæ partes sint secundum fidem,ex subsequentibus,& antecedentibus,vera distinctio,& sensus,colligendus venit.

§. II.

De Germana lectione.

CVm Sacra Scriptura, prius in Hebraica, vel Caldaica lingua, scripta, vel dictata sit; deinde in Græcam,ac tandem in Latinam fuerit translata;hinc varietas exorta est lectionum: & licet nobis cum vulgata sit standum; aliæ tamen lectiones,nisi fidei, & Sacræ Scripturæ obstent, vt iam diximus, sustinendæ sunt; v.g.Genes.49. dicitur: *Nephtali cervus emissus,dans eloquia pulchritudinis.* Alij legunt servus emissus pro famulo, cui sequentia videntur convenire,scilicet, *dare eloquia pulchritudinis*; ex Hebræo *Cervus* habetur, & vnius litteræ mutatione,fit tam diversus sensus. Sicut Iob 7. aliqui legunt, *sicut Cervus desiderant vmbram*, cum legendum sit: *sicut servus.*

Similiter Psalm. 41. dicitur: *Sicut Cervus desiderat. Sitivit anima mea, ad Deum fortem vivum*: & tamẽ aliqui le-

legunt *fontem*; quia magis videtur congruere cum illo verbo *sitivit*. Sed in Græco habetur *Ischiros*, quod significat *fortem*. Et Ioan.21.dicitur: *Sic eum volo manere*. Et alij legunt: *Si eum volo manere, quid ad te*? Et Adrianus Finius lib. 6. flag.cap.66.dicit: quod diversitas quæ reperitur inter Ioan. 19. dicentem Christum hora sexta crucifixum, & Marcum, hora tertia, provenit ex errore Scriptorum, qui scripserunt litteram Græcorum *gama*, pro alia quæ dicitur, *Ypsilon*. De quo iam supra. Et Psal.26.*Vt videam voluptatem tuam*, alij *voluntatem*. Et Psal.145.*Exaltationes Dei in gutture eorum*; alij *exultationes*. Et Psal.5. *Dirige in conspectu tuo viam meam*; alij *tuam*. Et ad Galat.4.*Persuasio hæc non est ex eo qui vocat vos*. Et Hieronymus legit; *est ex eo qui vocat vos*. Nec contrarie, quia secundum vnum intellectum, persuasio est ex Deo.

Sed duæ auctoritates veniunt adnotandæ. Altera Marc.1.*Initium Evangelij Iesu Christi Filij Dei, sicut scriptum est in Isaia Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum. Vox clamantis in deserto*; & tamen priora verba sunt Malac.3. Dicunt aliqui, errore Scriptorum, id evenisse; sed non stat post Tridentinum. Secundo alij: quod Marcus verum dixit, quia licet asserat: *Secundum Isaiam*, non excludit Malachiam, in quo mendacium fuisset. Ita Hieronymus Matt.3. Denique alij communiter respondent: ex vtroque Propheta verba desumpta fuisse; sed quia Isaias principalior, illi fuisse attributa. Sicut Ruth cap. 4. tribus Israel à Lia, & Rachele dicuntur descendere, & omittuntur concubinæ, vt minus nobiles. Et Genesi 8. dicitur: *Recordatus est Dominus Noe, &c.* & in Noe intelliguntur filij cum vxoribus.

Secunda auctoritas ex Matth. 27. Vbi dixit de Christi venditione: *Sicut scriptum est per Ieremiam Prophetā. Et acceperunt triginta argenteos, & dederunt eos in agrum figuli, &c.* Cum tamen hæc, non in Ieremia, sed in Zacharia 11. repe-riantur. Alij pro similitudine nominum, vnum pro alio positum esse dicunt; sed ridiculum. Alij, illa verba desumpta ex libris Ieremiæ qui non extant. Alij, ex Apochriphis Ieremiæ, quos dicit Hieronymus se vidisse. Alij, Ieremiam binomium, & etiam Zachariam vocatum. Sed D.Thomas cum Augustino lib.3.de consensu Evangelistarum cap.7. Ex vtroque accepta dicit; illa de pretio ex Zacharia, & illa de emptione agri ex Ieremiæ 32. Et quia Ieremias præcipuus Propheta fuit, illi attribuuntur. Sed Palatius Matt. 27. dicit: hoc testimonium, obscure contineri in Ierem.32. ab illis verbis: *Intellexi autem, &c.* & clare Zachar. 11. *Et appenderunt mercedem meam, &c.* Videantur Cantaprat.lib.6.cap.1. Tena lib. 3.diff.5. sect.2.& Franciscus Lucas in annot.455. benè hoc discutiens.

§. III.

De modo pronuntiandi.

CVm tot Sacra Scriptura abundet mysterijs, vt Chrisostomus hom.21. in Genes. dixerit. Nec enim, vel syllaba, vel articulus est in sacris litteris, in cuius profundo, non sit grandis quispiam thesaurus; nedum voces, & res attendendæ veniunt; sed modus etiam loquendi, & pronuntiandi considerandus, vt optimè Augustinus lib.3. de Doctrina Christiana cap.3. & ad Rom.8. sic habetur: *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui iustificat? &c.* Nisi enim (inquit ille) fide crederemus, Deum non accusaturum Sāctos suos. Et Christum nōn condemnaturum, poterat sic legi: *Quis accusabit adversus electos Dei?* Vt hanc interrogationem, responsio affirmativa subsequatur: *Deus qui iustificat*. Et idem, *quis est qui condemnet?* Et respondeatur: *Christus Iesus qui mortuus est*. Quod Hæreticum esse constat. Ita ergo debet pronuntiari; vt præcedat percunctatio, & sequatur interrogatio. Constituit autem differētiam Augustinus, inter percunctationem, & interrogationem; quod ad illam, multa responderi possunt; ad interrogationem

vero solum respondeatur, *non*, aut *etiam*. Legatur ergo ita, vt post percunctationem quā dicimus: *Quis accusabit adversus electos Dei?* Quod sequitur, sono interrogantis enuntietur, scilicet, *Deus qui iustificat?* vt autem respondeatur, *non*, & sic in alia parte.

Similiter etiam ad Rom. 9. *Quid ergo dicemus? gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam.* Nisi post illam percunctationem: *quid ergo dicemus?* subijciatur responsio; *quia gentes quæ non sectabantur (ante) iustitiā, apprehenderunt iustitiam*, non videtur connexio cum textu consequenti. Ambiguum autem quomodo legendum, vel pronunciandum vt illud Ioan. 1. *A Nazareth potest esse aliquid boni?* sive post Nazareth, ponatur interrogatio, sive tota oratio interrogatione claudatur, vt fit in vulgata, nō facilè percipitur, sed vterque modus, nihil continet contra fidem.

Etiam in ipsis syllabis, potest ambiguitas reperiri, ex Augustino in illo Psal. 138. *Non est occultatū os meum à te, &c.* Ambiguum enim est, an ly *os* sit brevis, vel productū? Si enim corripiat, significat ossa, si autem producat, significat oras sed ex idiomate Græco hoc diiudicari potest, in quo non scribitur *stoma*, sed *osteon*. Accentus etiam observandus; vt in illo ad Galat. 5. *Quæ prædico sicut prædixi vobis*, nisi enim subiunxisset, *quæ prædixi*, ad codicem præcedentis linguæ recurrendum, an *prædico, prædicas*; & sic esset brevis; an *prædico, prædicis*, & sic longa vt patet.

Denique sciendum: Sacram Scripturam, aliquando vti sermone laconico, & decurtato, ita vt ad intelligentiam aliquid sit supplendū, vel subintelligendū. Et hoc provenit, quia in translationibus non potuit servari ampla, & clara, originalis significatio, v.g. Psal. 72. *Quid enim est mihi in Cœlo?* Subintellige, *suave, præter te omnia insuavia; & à te quid volui?* Idest: *nisi te, extra te nihil volui super terrā.* Et Psal. 125. *Magnificavit Dominus facere nobiscum*, idest *misericordiam*. Et Psal. 74. *Quoniam neque ab Oriente, neque ab Occidente, &c.* Supple *aliquid Deum latet.* Item Luc. 19. *Quia si cognovisses & tu, & quidē in hac die tua, &c.* Plura supplenda; scilicet: *Si cognovisses converteteris, destrueres Idola, peccata, &c.* Plura huiusmodi in Sacra Scriptura.

CAPVT QVARTVM.

An Sacra Scriptura narret res gestas iuxta opinionem illius temporis?

NOn nihil poterit ista Regula deservire, pro Regula supra posita de temporibus. In cuius initio supponendum: in Sacra Scriptura, mendacium, vel falsitatem, nullatenus admittendam; tum quia *Spiritu Sancto inspirante* (& etiam ex supra dictis verba singula dictante) *Locuti sunt Sancti homines Dei*; & quia si semel aliquod mendacium, vel falsitas admittatur periret (vt dicebat Hieronymus ad Galat. cap. 3.) tota certitudo, & firmitas nostræ fidei. Vide & Augustin. epist. 9. ad Hieronymum. Quæ tandem de scripturis illis sententia profertur, cuius pondere contentiosæ falsitatis obteratur improbitas? Statim enim vt protuleris, si aliter sapit, qui contranititur, dicet illud quod prolatum erit, honesto aliquo officio Scriptorem fuisse mentitum. Non enim deesse poterunt causæ, cur existimetur non solum potuisse; verum etiam debuisse mentiri, & officioso mendacio conceditur locus; & epist. 19. At si in eis litteris, aliquid offenderim, quod videatur contrariū veritati, nihil aliud quā vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est; vel me non intellexisse, non ambigam. Hoc iacto fundamento, vt certissimo.

Licet plura in Sacra Scriptura reperiantur, in quorum aperienda veritate, valdè Expositores insudaverint; ad præsens tamen solum examinandum venit, Vtrum Sacra Scriptura, aliqua dicat & narret, iuxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, & non iuxta quod rei veritas contineat? Pro quo supponendum venit ex Augustino lib. contra Pris-

cilianistas cap. 9. quod verax Evangelij (imo, & totius scripturæ) narratio, multa à Iudæis, & alijs, falsa, & impia dicta esse, testatur. Vt patet in libro Iob de eius amicis, qui non omnia quæ locuti sunt, vera putanda sunt: sicut nec vera nec iusta, quæ eius suggerebat vxor existimanda; sicut nec quod dixerunt Iudæi Christo Ioan. 8. *Nonne vere dicimus nos, quia Samaritanus es, &c.* Et quod Ioan. 9. dixit cæcus, *scimus, quia peccatores Deus non exaudit*, cum Luc. 18. Pharisæus qui dixit: *Deus propitius esto mihi peccatori*, descenderit iustificatus: ergo ex his, & alijs, solum colligitur, esse de fide, talia dicta, vel facta fuisse, quod dicit scriptura; non verò, illa vera esse, si alias sint falsa, vel impia. De fide est insipientem dixisse, non esse Deum, quia refert scriptura, & tamen insipiens, & insipienter dixit. Vnde referre res, non est illas vt veras dicere, nec approbare.

Fuit ergo in hac parte, sententia D. Hieronymi. Ierem. cap. 28. & Matth. cap. 14. & aliorum. Consuetum esse in Sacra Scriptura, multa dici iuxta opinionem temporis, quo gesta referuntur, & non iuxta id, quod veritas continebat. Nec hoc inconveniens iudicandum: quia Sacra Scriptura accomodat se modo loquendi hominum, inter quos, illud quod communi æstimatione habetur, & dicitur, sic etiam accipitur, & narratur, licet aliquando in re ita non sit. Vnde Augustinus lib. 85. QQ. q. 5. Divinæ Scripturæ à terreno, & humano sensu, ad divinum, cœlestem, nos erigentes, vsque ad ea verba descendunt, quibus inter se, stultissimorum etiam vtitur cōsuetudo. Nec hoc censendum mendacium, quod est ire, vel loqui, contra id quod habetur in mente: at in nostro casu, id ore profertur, quod in mente habetur; & si verum sit, quod Sacra Scriptura in alijs locis, vel signis veritatem aperiat, nec referendo aliquid quod communiter dicitur, censetur id approbari, vel confirmari. His positis.

Sit primum exemplum, ex Ierem. 28. vbi dicitur: quod Hananias, filius Azuz, Propheta de Gabaa, dixit Ieremiæ in domo Domini, coram Sacerdotibus, & omni populo. *Hæc dicit Dominus Deus: Contrivi iugum Regis Babylonis, &c.* Et cōcludit caput: *Et mortuus est Hananias Propheta in illo anno in mense septimo.* Ecce bis in hoc capite Hananias vocatur Propheta, sicut Ieremias: & tamen, non erat verus Propheta, cum illi dixerit in facie Ieremias: *Non misit te Dominus, & tu confidere fecisti populum in mendacio.* Cum populus Israel, & vasa, intra biennium, non sint reducta in Ierusalem, quia autem Hananias in æstimatione hominum (licet falsa) vt Propheta habebatur, ita eum Sacra vocat Scriptura.

Ad rem etiam facit, quod habetur Luc. 2. Cum Iesus remansit in Templo, & post triduum repertus dixit ad illum Mater eius. *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus, & ego, dolentes quærebamus te.* Vbi Ioseph à Beatissima Virgine Pater Christi vocatur, quæ tamen sciebat, Dei spiritu concepisse, cum Angelo respondetit: *Quoniam virum nō cognosco*, & ille: *Spiritus Sanctus super veniet in te.* Quod vt D. Hieronymus lib. adversus Elvid. explicaret, dixit, opinionem Vulgi, vt historiæ lex est, sæpè exprimunt scripturæ: vocaturque Ioseph Pater, ad Mariæ famam conservandam. Et Origenes homil. 1. divers. Vir vocatur Ioseph ne adversus Mariam Iudæi sævirent, & lapidarent. Et hoc quia scriptura dicit: *Vt putabatur filius Ioseph.*

Celebris se offert locus, ad hoc confirmandum. Inquirit D. Thomas 1. 2. q. 98. art. 3. An lex vetus, fuerit data per Angelos? Et affirmativè respondet, sed obijcit sibi secundū argumentum: lex per Moysen data est Ioan. 1. Sed Moyses immediatè accepit legem à Deo, dicitur enim Exod. 33. *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui amicus, ad amicum suum:* ergo lex vetus, immediatè est à Deo. Et respondet ad rem nostram valde. Quando ergo dicitur, quod loquebatur facie ad faciem, secundum opinionē Populi loquitur scriptura, qui putabat Moysen, os ad os loqui cum Deo; cum tamen per creaturam subie-

ie Stam, id est per Angelum, & nubem, ei loqueretur & appareret, de quo Benavid. disp. 10. dub. 13. Vel per visionem faciei intelligitur quædam eminens contemplatio, & familiaris, infra essentiæ divinæ visionem.

Prophetavit etiam Oseas. Et incipit Caput. 5. dicens: *Audite hoc Sacerdotes*; & tamen non erant Sacerdotes de Tribu Levi, sed erant Sacerdotes Baal: & tamen Sacerdotes vocantur, quia deserviebant Baal, & ita à Populo appellabantur. Vndè scripsit D. Hieronymus. Scriptura, non raro, iuxta vulgi loquitur opinionem: & idem de Prophetis quadringétis quos occidit Elias, 3. Reg. 18. *Apprehendite Prophetas Baal, &c.* Et sic alijs in locis.

Adducit in huius regulæ confirmationem Cantaprat. lib. 9. regula 2. illa verba Matt. 10. *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet*, & explicat in hunc modum: qui recipit Prophetam falsum, scilicet in nomine Prophetæ veri, mercedem Prophetæ accipiet: tanto videlicet afficietur præmio, ac si verum recepisset Prophetam hospitio: eo scilicet, quia ille Propheta (licet malus) talis vulgo credebatur. Et qui recipit iustum, quem putat esse iustũ (licet non sit) in nomine iusti viri, mercedem accipiet, ac si verum iustũ, & sanctum, in domo sua liberaliter hospitasset.

Quæ expositio, si vera sit, benè nostram confirmat regulam; & videtur illam insinuare D. Hieronymus dicens: Poterat esse occulta responsio credentium: ergo & pseudo Prophetas, & Iudam proditorem debemus recipere, & illis alimoniam præstare. Et respondit Dominus, nõ personas suscipiendas esse, sed nomina, & mercedem, non perdere suscipientes, licet indignus fuerit, qui susceptus est. Sed D. Hieronymus, de vero Propheta, intelligit locum, qui Prophetam recipit vt Prophetam; & intelligit eum de futuris loquentem, quod proprium est veri Prophetæ, vnde Euthimius. Qui Prophetam, aut iustum, hospitio recipit: vt ostendat, Discipulos, & Prophetas, & iustos, esse futuros. Optimè ibi Cayetanus.

Denique Matth. 11. dixit Christus, loquens de Baptista: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista: qui autem minor est in Regno Cælorum, maior est illo.* Iste minor, est Christus, qui iudicio Scribarum, Pharisæorum, & totius Populi, ita vilis habebatur, vt eum nominare dedignarentur, dicendo: *Vbi est ille? Quis est ille?* Iste tamen in Regno Cœlorum, vel in resurrectione, vel iudicio Patris, maior est Ioanne. Ita Chrisostomus hom. 38. in Matth. Reijcit Cantaprat. expositionem Epiphanij tom. 2. Hæres. 26. dicentis quod Christus est minor, iuxta adventum ipsius in carnem; nam sex mensibus post Ioannem, natus est. Sed immeritò carpit, cum sit aliorum, & non contrarietur, sed diversa sit à prima. Reijcit etiam expositionem Hieronymi, qui dicit: Christum maiorem esse Ioanne, quia non natum ex muliere, sed ex Virgine. Sed cõtra, inquit, quia Christus Ioan. 19. dixit Matri: *Mulier ecce filius tuus*; & Apostolus ad Galat. 4. *Natũ ex muliere.* Sed licet non sit adæquata; quia tamen nasci ex Virgine est propriũ Christi, ideò non est spernenda. Et quia nomen mulieris in Sacra Scriptura, accipitur sæpè pro corrupta, & non pro Virgine.

Hucusque sermo noster evasit in hac, Regula, vt videamus, si forte per illam, aliquam lucem possit accipere, difficilis locus, & controversus inter Authores circa caput tertium Lucæ, vbi inter Arphaxad, & Sale ponit Caynan; cum tamen in Genes. 11. Tale quid nõ inveniatur, sed Sacra Scriptura ibi dicat: *Arphaxad vixit 35. annis, & genuit Sale. Vixitque Arphaxad, postquam genuit Sale, trecentis tribus annis, & genuit filios, & filias.* Et 1. Paral. dicitur: *Arphaxad, genuit Sale, qui & ipse genuit Heber, &c.* Lucas tamen dicit cap. 3. *Qui fuit Sale, qui fuit Caynan, qui fuit Arphaxad.* Adeò torsit Expositorum ingenia, locus præsens, vt in varios sensus illos diviserit. Sed audiamus Augustinum in Psal. 54. Prima Hæresis inter Discipulos Christi facta est, cum diceret: *Nisi quis mandu-*

caverit carnem meam, &c. Illi autem non intelligentes, dixerunt ad invicem: *Durus est sermo hic; & quis potest eum audire?* Dicentes, quia durus est sermo hic, separaverunt se ab illo. Remansit cũ alijs duodecim. Cum ei suggessissent, illos in sermone eius, fuisse scandalizatos: *Nunquid & vos* (inquit) *vultis abire?* Et Petrus: *Verbum vitæ æternæ habes, ad quem ibimus?* Nunquid iam Petrus intelligebat, secretum illius sermonis Domini? Non intelligebat; sed bona esse verba, quæ non intelligebat, pie credebat. Sic & nos, si incidamus in locum aliquẽ durum, atque difficilem, pie credamus illum, & aperietur nobis. Si quis ergo locus difficilis, maximè præsens; sed fide prævia lustremus illum.

§. Vnicus.

De Generatione Caynan.

PRo illius ergo enodatione, & vt mentem nostram explicemus, aliqua supponenda veniunt. Primo textum D. Lucæ, secundum fidem, vt canonicum, incorruptum, & integrum, esse servandum ex Trident. sess. 4. Secundo adducemus in medium, quid in hac gravissima difficultate, Expositores senserint. Tertio, an iuxta doctrinam nostræ regulæ, possit locus Lucæ explicari in aliquo sensu?

Igitur ex primo supposito, reijciendus Ioannes Lucidus, qui dixit: Evangelium Lucæ esse depravatum, & pro illo verbo *fuit*, substituendam esse coniunctionem, *&*, legendumque hoc modo: *Qui fuit Sale, qui & Caynan*, vt Sale binomius fuisse intelligatur. Sed vt benè insurgit Cano citandus; isti non legerunt editionem septuaginta: Vnde nomen Caynan à D. Luca est acceptum; in editione enim septuaginta, eundem fuisse Sale, & Caynan; nec fingendi locus relinquitur. Eugubinus etiam audacter asseruit, septuaginta errasse, & eos in suo errore sequutum fuisse Lucam. Idem ferè Sixtus Senensis lib. 5. annotat. 88. licet lib. 7. annotat. 282. mitius loquatur.

Iam ad secundum deveniamus. Cayetanus dicit duo: Primum, Lucam Evangelistam septuaginta errorem, in hac parte, sine errore sequutum. Et Iansenius cap. 14. Concordiæ. Licet hæc generatio, abundet; excusatur tamen Lucas, quia recensuit genealogias, vt invenit eas scriptas à septuaginta, qui illo tempore, apud omnes summa erant auctoritate.

Sed contra istos optimè arguit Cano lib. 2. de locis cap. 18. Si enim Evangelista imprudens, septuaginta Interpretes, errantes in historia Evangelij, sequitur, licet imprudens, sed errat imprudens. Si autem videns prudensque fictam à septuaginta narrationem, suo Evangelio inserit, errat quoque, & eo magis, quo consulto Evangelij sinceritatem, fabula commentitia maculabat. Vndè si Caynan non fuit filius Arphaxad, nec Sale, filius Caynan, falsa est profectò Evangelica historia, in qua, non obscure dicitur, Caynan filius Arphaxad; Sale verò, filius Caynan.

Sed audiamus Bedam lib. 1. in Lucam cap. 3. Scito ergo, Lucam hanc generationem, de septuaginta editione sumpsisse, in qua dicitur, quod Arphaxad genuit Caynan, & iste genuit Sale. Sed quid horum sit verius? Deus noverit. Nos admonemus Lectorem, inter vtrosq; codices, tantam esse temporum discrepantiam; vt in diluvio vsque ad nativitatem Abrahæ sit discrimen 586. annorum. D. etiam Hieronymus; miror (inquit) propter ingenij tarditatem, vehementissimo stupore perculsus; nescio perscrutari, qua ratione, cum in Hebraica à diluvio, à Noe scilicet, vsque ad Abraham decem generationes inveniantur, ipse Lucas, qui Spiritu Sancto calamum regente nullatenus falsum scribere potuit, vndecim generationes iuxta septuaginta Interpretes, adducto Caynan in Evangelio, adijcere maluerit.

Auctores iam videamus qui aliquas hac de re reddunt causas, & rationes. Genebrardus pag. 10. sic ait: Posset etiam dici, Arphaxad, genuisse Sale, per intermedium Caynan; nam sæpè apud Hebræos,

gig-

gignere, tam remotis, quàm proximis parentibus, tribuitur. Sic cum Moyses non meminisset Caynan, illud D. Lucas apposuit, sive è veterum Hebræorum historijs, sive Spiritus Sancti afflatu, sive ex opinione, non sua, sed septuaginta. Neque enim novum est in Sacra Scriptura, loqui ex aliorum sensu & opinione, & non in rei veritate (quod desumpsit ex D. Hieronymo citato) & Cano vbi supra dicit. Rectè dici si ad voces spectes: non solum enim historicis sed omnes omninò sapientes (vt Aristoteles monuit) licet aliter ac vulgus sentiant, cum vulgo sæpè loquuntur; nec fallo tamen, & ponit exemplum, in Ioseph, Christi Patre, &c.

Cayetanus tamen, secundo dicit, & etiam Cano: Codices Hebræos modernos, diminutos esse; & textum septuaginta Interpretum fuisse integrum, cum expressè assignent annos, quibus vixit Caynan. Rationi enim consentaneum est, vt credantur potius, defectuosi isti codices moderni; quam vt tot viri insignes studuerint, ad figmentum hoc construendum; quibus cōsonat Pater Sà: Itaque cogimur dicere; de esse aliquid in nostra editione. Et Cano: Spiritus autem Dei, occulta nobis ratione, Moysis mentem movit, & manum, vt vnam generationem prætermitteret; sicut Matthæus, plures etiam in Christi genealogia prætermisit; quod etiam dixerunt Sixtus Senens. & Lipomanus, Genes. 11.

Sed ex hoc, magna insurgit difficultas: quia videtur sequi, quod nostra vulgata, imperfecta sit, & deficiens in quibusdam locis, quod videtur obstare Tridentino cit. & communi consensui Doctorum. Concedunt consequentiam, Sà in notis, Cano, & alij, & dant instantiam, Exodi 12. v. 10. vbi septuaginta post verba illa: *Nec remanebit quidquam ex illo vsque mane.* Addiderunt: *Os non comminuetis ex eo*; & approbat hanc sectionem Ecclesia, in die Parasceves; & Cano, id confirmat, auctoritate D. Hieronymi, Isai. cap. 19. & Zachar. 11. Videatur Pererius lib. 16. in Genes. disp. 11. & alij quos refert.

Melius tamen Maluenda lib. 1. de Antichristo, cap. 17. ita affatur: Nec Codices Hebraicos, nec septuaginta Interpretes, vllo modo in tacenda, vel dicenda generatione Caynan, haberi depravatos; sed non sine causa, à septuaginta fuit expressa, nec sine mysterio à Moyse fuit prætermissa: vtrumque verè, vtrumque prudenter; licet alterutrius causa, nos penitus lateat. Et licet Matthæus cap. 1. ommisserit tres Reges, in Christi genealogia, scilicet, Ochoziam, Ioas, & Amasiam; non ideò imperfecta, nec manca censetur historia, ob multa quæ dicunt Expositores. Et licet septuaginta, plura mysteria, & nomina Christi omisserint; non ideò eorum translatio imperfecta est: ita in nostro casu; vt enim ait Cano: Septuaginta Interpretes, non solum verè; sed etiam prudenter, apposuerunt generationem Caynan: ne Ethnici, aut Hebræorum antiquas traditiones, aut sacras certè litteras, falsitatis arguerent, si in his legerent, Arphaxad genuisse Sale, & non Caynan genuisse Sale. Et spiritus occulta ratione præmovit Moysem, vt taceret vnam generationem, sicut Matthæus plures prætermisit.

His pro veritate iam statutis; circa tertium, examinandum restat: an ex doctrina nostræ Regulæ, posit ista difficultas dilucidari, scilicet: vtrum D. Lucas, apposuerit generationē Caynan, sequens septuaginta Interpretes, & communem opinionem vulgi, licet non ita fuerit; neque in hoc esse mendacium, vt diximus in principio Regulæ; cum refferre, & narrare, quod dicitur communiter, non sit mendacium: neque ex hoc sequitur, quod id confirmetur, vel approbetur.

Vidi quendam virum, doctum, & in scripturis versatum, disputationis gratia, & sub censura Ecclesiæ, ita hanc partem defendentem: ex hoc (dicebat) neque mendacium in Evangelio sequitur, quod primo reijciendum à veritate Evangelij; neque levitatis indicium, in Sacro Scriptore; cum non ex proprio marte, sed ex communiter acceptis à populo, & septuaginta editione, quæ tunc magis vigebat,

bat, & recipiebatur, inductus fuerit.

Nec valet dicere, vt arguebat Cano: quod tunc Lucas, vel prudenter, vel imprudenter, hoc egit? Si primum; hoc peius, quia Evangelij historiam, fabula maculavit. Si secundum; licet imprudens, errat tamen, quod non est dicendum.

Sed huic obiectioni, facile (vt illi videbatur) occurrebat, dicendo, & instando ex locis à nobis adductis: quia Hananias, prudenter, vel imprudenter, à Sacra Scriptura Propheta vocatur? Si primum: errat Scriptor, videns, & sciens, non ita esse. Si secundũ; arguere possumus Scriptorem imprudentiæ, quod non debet admitti. Vnde, si excusatur Ieremias, vocando Hananiam Prophetam, quia vulgi sequebatur opinionem; quare etiam, non excusabitur D. Lucas, sequendo septuaginta, & sensum communem illius temporis? Neque inde sequi mendacium, iam supra ostendimus, cum ex narratione rei, quæ tali tempore, vt communis habetur, & dicitur, nec illa approbetur, nec confirmetur.

Deinde arguebat: quia idem inconveniens, quod illi potest obijci, in nos retorquetur sic: quia, vel ille qui loquebatur cum Moyse, in re erat Deus, vel Angelus? Non Deus; quia ex Paulo ad Galat. 3. *Lex per Angelos data est*; & idem habetur Actu. 7. Non Angelus: quia textus dicit, quod loquebatur Dominus, facie ad faciem cum Moyse; ergo altera pars istius dillematis, in re debet esse vera. Non prima, ex Apostolo: non secunda, quia Sacra Scriptura dicit, quod Dominus erat qui loquebatur: solutio ergo, quæ isti argumento attribuatur, etiam ille pro sua sententia adaptabit. Et certè, dicendum venit: quod erat Angelus: quia tamen ex D. Thoma cit. Sacra Scriptura loquitur, iuxta opinionem populi, qui existimabat, Moysem cum ipso Deo, facie ad faciem loqui; ideò sine mendacio, & imperfectione dicitur, quod Dominus erat qui loquebatur. Ita ille.

Sed hæc apparenter tantum procedũt. Dicendum tamen est: quod D. Lucas, nedum formaliter; sed etiam materialiter verum dixit; idest: quod non solum dixit id quod mente habebat; sed etiam esse verum in re, id quod dixit; scilicet, Arphaxad genuisse Caynan; & Caynan, Sale: quia hoc scripsit, instinctu Spiritus Sancti; & etiam desumpsit ex septuaginta, quorum editio, tunc vt communis habebatur ab omnibus, & tunc incorrupta erat, & sic erat infallibilis auctoritatis. Quicquid sit de editione septuaginta, quæ modo circunfertur: de quo Cano lib. 2. de locis, cap. 13. Bellarmin. lib. 2. de Verbo Dei, cap. 6. & Ioannes à S. Thoma 2. 2. d. 6. art. 1.

Nec sequitur: quod si Sacra Scriptura tacet in vno loco, si in alio exprimatur, hoc sit falsum: Matthæi enim primo, tres Reges tacentur, Ochozias, Ioas, & Amasias: quod licet recenseatur in 4. Regum, non ideò est falsum. Imò consuetudo est in Sacra Scriptura, quod ea quæ in vna parte silentur, in alia exprimantur, vel explicentur. Sit exemplum; quia vt inquit Hieronymus 1. Cor. 15. multa dicuntur in epistolis Pauli, quæ in actibus Apostolorum non continentur, & è contra. Et ad Corinth. scribens dicit: *Si secundum hominẽ, ad bestias pugnavi Ephesi*; & tamen alibi non habetur. Et Genes. 3. peccatum Adæ describitur, & non pœnitentia. Sed Sapient. cap. 9. explicatur, his verbis: *Hæc illum, qui primus formatus est à Deo, eduxit illum à delicto suo.* Quis dicet; quia in Genesi non dicitur pœnitentia Adæ, & Sapientiæ 9. declaratur, ideò esse falsum? nullus.

Ad rem etiam facit, quod in Exodo, plagæ Ægypti, & afflictiones, exactè describuntur; & tamen ibi Moyses, non omnes dinumeravit; vt patet Psal. 77. *Et dedit ærugini, fructus eorum, & possessionem eorum, igni*: cum tamen, in Exodo, nihil tale scriptum reperiatur, quod igni sit traditum, vt arderet. Item, in eodem Psalmo dicitur: *& moros eorum in pruina*, & non est in Exodo; cum multum differat pruina, à grandine. Et in eodẽ Psalmo ponuntur tria, quæ non habentur in Exodo, scilicet: *Rubigo, pruina, & ignis.* Ac denique, de Ioseph dicitur Psal. 104.

104. *Quod humiliaverunt in compedibus pedes eius*: & tamen ex Sacra Scriptura, alibi non habetur: sed pro certo habendum, ita factum fuisse; ergo quod in Genesi non habeatur Caynan, benè tamen in Luca; non ideò iudicandum est, falsum esse; sed pro vero tenendum.

Denique, non convincit instantia quā adducit; quia etiam si concedamus, quod Scriptura referat, & enarret, res, & gesta, sicut communiter circumferuntur; attamen, ipsa adfert discrimen, & rationem, vt percipiatur, an ita sint? Licet enim, Hananias vocetur Propheta, in eodem tamen capite 28. dixit illi Ieremias: *Non misit te Dominus*, vt intelligatur, non fuisse verum Prophetam; & etiam, licet in libris Regum aliqui dicantur Prophetæ; at ibidem explicatur, quod non fuerint veri Prophetæ; sed Baal, idest: falsi, & sic de alijs. Et de Beato Ioseph, idem dicendum: licet enim vocaretur, Christi Pater, & sic eum B. Virgo nominaret; iam tamen præmisserat Sacra Scriptura, & Iosepho Angelus prædixerat, quod vxor eius conciperet de Spiritu Sancto; at verò, nullibi in Sacra Scriptura dicitur, quod Arphaxad, non genuerit Caynan; licet enim in Genesis 11. dicatur, quod Arphaxad genuit Sale; hoc intelligendum mediatè, vel immediatè; cum ex Luca constet, Arphaxad genuisse Caynan, & iuxta istum sensum, & limitationem, nostra intelligenda est regula. Videatur etiam Franciscus Lucas Brugensis not. 4. qui bene dicit. Merito hanc generationem, nec sine mysterio ab 70. additam, nec sine mysterio à Moyse prætermissam, vt etiam constat in Matt. 1. qui tres Reges omisit, & licet de hoc plures sint excogitatæ rationes satis apparētes, quia quæ sunt Spiriritus Dei nemo scit, nisi Deus, hoc in præsenti valdè vrget. Sed sciendum quod Genes. 5. recensetur alius Caynan filius Enos, & Pater Malaleel, quē etiam Lucas suo loco annumeravit, qui multo tempore nostrum præcessit Caynan.

Denique sciendum: quod Scalante lib. 1. cap. 8. cum sibi obijcisset historiam de Hanania, Ierem. 28. Respondet: Sacram Scripturam, cum tradit nobis aliquod dogma, vel historiam non sequi opinionem, sed infallibilem veritatem docet: Quando verò, de aliqua persona loquitur, solet illam vocare, secundum vulgi opinionem; vt patet de Hanania, & B. Ioseph. Quod etiam repetit lib. 5. cap. 7. & referens historiam Moysis, quod facie ad faciem, cum Deo loquebatur, & iuxta explicationem D. Thomæ 1. 2. q. 98. dicit: Moysen iuxta vulgi phrasim, & populi sensum, locutum fuisse: qui familiarem loquellam vnius cum altero, dicebat esse, loqui facie ad faciem; & sic Moysen cum Deo collocutū fuisse; licet populus aliud videatur intellexisse, scilicet clarè Deum videre, & alloquutum fuisse.

CAPVT QVINTVM.

Quod Sacra Scriptura, rerum imagines, ipsarum rerum nominibus, quarum sunt imagines, soleat vocare.

FRequentissimus est in Sacra Scriptura, præsentis regulæ vsus; in visionibus, somnijs, & similitudinibus Prophetarum; vt rectè adnotat D. Augustinus lib. 2. ad simplic. q. 3. Ratio verò convenientiæ desumitur, ex his quæ communiter accidunt: etenim, rerum imagines, ex qualibet constent materia, imò & picturæ, & quæ in somnijs apparent phantasmata; rerum quas repræsentant, vel significant, ipsarum rerum quarum existunt imagines nominibus, vocitare solemus: vt imaginem cum clavibus, D. Petrum; & cum stella, & cane, D. Dominicum; cum quinque plagis, D. Franciscum: & visa in somno, dicimus vidi talem hominem, leonem, &c. cum tamen, solum sint illarum rerum imagines, & repræsentationes.

Occurrit statim, somnus ille celebris Pharaonis Genes. 41. in quo vidit septem boves crassas, & septem macilentas: deinde septem spicas pulcherrimas, & septem alias tenues. His ergo imaginibus, ipsarum rerum quas repræsentabant, nomina

na

na attribuuntur. Explicuitque somnium Ioseph, quod septem boves crassæ, & spicæ pulchræ, septem annos vbertatis; & septem boves macræ, & septem tenues, alios septem annos penuriæ significabāt. Idem contingit ipsi Ioseph Genes. 37. in somnio de manipulis, & in Sole, & Luna. Et Nabuchodonosor Daniel. 2. de somno statuæ, & cap. 4. de excelsa arbore præcissa; & sic de pluribus alijs.

Probari etiam potest ista Regula, ex Augustino lib. 3. contra duas epistolas Pelagian. cap. 6. Vbi explicat difficilia Apostoli verba ad Rom. 8. *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato, damnavit peccatum in carne.* Vbi Augustinus ait. Ipsam similitudinem carnis peccati, voluit Apostolus appellare peccatum. Rom. 8. cum dixit: in similitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum, de peccato, idest: similitudine peccati. Sed pro explicatione, videatur D. Thomas, qui benè advertit, quod non est intelligendū quasi Christus, non habuerit veram carnem, sed phantasticam, vt dicebant Manichæi: cum dixerit Lucæ vltimo. *Palpate, & videte, quia spiritus, carnem, & ossa non habent, sicut me videtis habere.*

Non ergo dixit Apostolus, solum in similitudinem carnis; sed in similitudinem carnis peccati: quia non habuit carnem ex peccato conceptam, quia fuit de Spiritu Sancto, sed habuit similitudinem carnis peccati, in hoc quod fuit passibilis. Nam caro hominis ante peccatum, passioni subiecta nó erat; & de peccato damnavit peccatum, in carnem suam commissum ab occissoribus, à diabolo suasis, vt eum occiderent; cum in Christo nihil iuris haberet. Ioan. 14. & per passionem peccatum destruxit ad Collos. 2. *Expolliās Principatus, & Potestates.* Vel damnavit peccatum in carne; debilitando fomitem peccati in nostra carne, per passionem ipsius, in qua, dictum est peccatū; propter peccati similitudinem, quia fuit hostia pro peccato, Oseæ 4. *Peccata populi mei commedent.* Et 2. Corint. 6. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.*

§. I.

Vtrum Moyses, & Paulus, viderint clarè divinam essentiam.

SEd in ista regula, duo quæ docuit, vel intulit Cantiprat, operosius veniunt enucleanda: ait enim lib. 9. reg. 21. ex ista regula colligo: nec Moysen, nec Paulum, divinam essentiam clarè, & evidenter vidisse, sub hac enim ratione, negatur ab eo talis visio, vt distincta à cognitione ænigmatica, & per similitudinem.

Sed tanti viri pace. Dico primò: quod resolutio huius dubij, non dependet absolutè ex ista regula, quia etiā pars negativa, resolvi potest ex præcedenti capite, si dicatur: quod scriptura loquitur iuxta communem populi mentem, & sensum. Secundò dico: quod si intendat, ex hac regula colligi evidenter, nō vidisse Moysen, & Paulum, divinam essentiam, inficiamur illi; cum oppositum sit satis commune, vt statim dicemus: Si autem solum vellit, quod probabiliter, argumentis, & auctoritatibus in contrarium possit occurri, fatemur.

Denique dicimus: etsi in alijs rebus valeat doctrina regulæ, scilicet, quod imagines rerum, nominibus ipsarum rerum, appellari soleant; at in nostra sententia non tenet, propter infra dicenda. Quod ergo Moyses, & Paulus, clarè conspexerint divinam essentiam tenent Augustinus lib. de videndo Deum, & lib. 12. de Genes. ad litteram. D. Thomas 1. p. q. 12. art. 11. & 2. 2. q. 175. art. 3. nec dissentit, 1. 2. q. 98. art. 3. ad. 2. vt videbimus. Et præsupposita ratione convenientiæ, quia Moyses fuit primus Doctor Iudæorum, & Paulus primus Doctor Gentilium. Et quod hoc fuerit per modum transeuntis, & ex particulari privilegio à lege communi, ex ipsa scriptura breviter probabitur. Et licet plura possint accumulari testimonia, scilicet, quod loquebatur cum Deo ore ad os, facie ad faciem, sicut amicus

eius ad amicum; & Quod Paulus, raptus sit vsque ad tertium cœlum, & quod viderit arcana, quæ non licet homini loqui, &c.

Sed contrarij, facile (vt ipsis videtur) se expediũt ab illis iuxta doctrinam nostræ regulæ; & etiam ex D. Thoma, dicentes; quod Sacra Scriptura loquitur, secundũ opinionem populi, qui existimabat, cum ipso Deo loqui; cum tamen per Angelũ loqueretur. Vel quod intelligitur de quadam eminenti cognitione; quod amplius patet, ex verbis Augustini, lib. 12. cit. Vbi de Moyse postulante à Deo: ***Ostende mihi faciem tuam, vel gloriam,*** sic ait: Sentiebat ergo, quod videbat, & quod non videbat, desiderabat: non ergo videbat divinam essentiam, aliàs non desideraret illam; quia videnti clare Deum, nihil restat desiderandum.

Negari ergo non potest, quod ista probabiliter dicantur; etsi his auctoritatibus niteremur tantum, parum adversarios vrgeremus, & licet quæ D. Thom. dicit, vera sint; quia ibi loquitur de Moyse cum illi dabatur lex, quod fiebat per Angelum, & per nubem, & similitudinem; sed alio loco vtemur. Et quando D. Augustinus dicit; quod non videbat, desiderabat. Respondetur: totum esse verum: quia Moyses etsi divinam videret essentiam; non tamen semper; & ideò finita visione, poterat desiderare iterum videre, quod solum obstat visioni habituali, & permanenti; non verò transeunti; vt constat.

Præcipuus ergo locus, ad nostram sententiam confirmandam, desumitur ex cap. 33. Exod. Vbi postquam Moyses petijt à Deo, vt illi gloriam suam ostenderet; respondit illi Dominus: ***Ego ostendam tibi omne bonum.*** Circa quod, duo veniunt observanda. Primum: quod Deus promissionem implevit. Secũdum: quod per omne bonum, solum divinæ essentiæ ostensio, potest intelligi, quæ est omne bonum; & si obscurè hoc intelligeretur promissum, & ostensum, nihil speciale Deus Moysi promisisset, & ostenderet; quod maximum videtur inconveniens. Et sic ad litteram optimè dixit Oleaster: ostendam tibi omne bonum; idest: me ipsum, in quo est omne bonum.

Sed dices: quomodo cum hoc stat, quod dixit Dominus Moysi; ***non poteris videre faciem meam; non me videbit homo, & vivet.*** Et Apostolus 1. ad Timot. 7. ***quem nullus hominum vidit.*** Sed respondetur primo, ex Augustino, & D. Thoma, quod negavit visionem essentiæ suæ, vtendo sensibus, & alijs potentijs corporeis, & sic necesse erat mori, idest; abstrahi ab omni operatione sensibili. De quo Theologi cum D. Thoma 1. p. q. 12. art. 3. quod contigit Paulo cum 1. Cor. 12. dixit, nescire, an in corpore, vel extra corpus, raptus sit. Secundo respondetur: visionem divinæ essentiæ, tunc denegatam fuisse Moysi: concessam tamen illi, alio in loco; cum Deus fidelis sit in omnibus verbis suis, & se ipsum negare non possit. Quod autem, nullus hominum Deum viderit clarè, vtendo sensibus, & ex lege ordinaria, certum est; cui non obstat, vni, vel alteri tale comunicari privilegium.

De D. Paulo videtur nostram colligi sententiam ex illo, 2. Cor. 12. ***Audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui.*** Vbi M. Bañes, tria optimè expendit 1. p. q. 12. art. 11. Primum: raptum vsque ad tertium cœlum, idest: ad notitiam claram essentiæ divinæ. Et sic D. Thomas 2. 2. cit. dicit; quod Deus ostendit vitam, in qua videndus est in æternũ. Secundum: quod raptus est in Paradisum; per quod, visio Dei clara intelligitur; quam Christus Latroni promisit, Luc. 23. dicens: ***Hodie mecum eris in Paradiso.*** Tertium: quod audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Iuxta illud: ***Nec oculis vidit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.*** Vtique in alia vita: nam de mysterijs, per similitudines, & obscurè revelatis, Scripturæ, & Sancti plura dixere.

Et plura inconvenientia, quæ Authores oppositæ sententiæ nobis obijciunt; scilicet, quod Moyses, & Paulus, erant viatores, & non amiserunt habitum fidei; alias fides, & clara visio, possent esse

simul, quod cum D. Thoma 2.2. q.1. art. 4. & 5. de lege ordinaria denegant, omnes, & de absoluta, plures; quorum solutiones, apud Expositores videri possunt. Sed breviter dicimus; quod licet ista non possint convenire viatoribus de lege ordinaria, benè tamen de extraordinaria, per miraculum, & per modum transeuntis, & tunc Paulus cum clara Dei visione retinuit habitum fidei, qui non est incompatibilis cum clara Dei visione per Dei omnipotentiam; cum non directè, sed tantum indirectè opponantur; duo enim actus opponuntur directè, sed habitus cum actu, indirectè.

§. II.

Vtrum anima Samuelis, vere Sauli apparuerit?

SEcundum quod dicit Cantaprat. ex ista Regula colligi est; quod Sauli, non apparuit verus Samuel; sed eius similitudo. 1. Reg. 28. quod Saul venit ad mulierem Phitonissam, & dixit illi: vt suscitaret quē ipse Saul vellet, vel diceret; & petijt vt suscitaret Samuelem; & cum ipsum vidisset, intellexit Saul, quod Samuel esset, &c. & dixit Samuel ad Saul: *Quare inquietasti me, vt suscitarer?* Circa quod, duo breviter prælibanda sunt primum: quod licet ista Regula, deserviat, vt negantes verum Samuelem suscitatum, probabiliter respondeant, huic & alijs locis Sacræ Scripturæ, qui de verò Samuele loqui videntur: sed quod ex ista Regula sequatur, quod ille non fuerit verus Samuel, non videtur convinci posse, vt iam §. præcedenti expendi.

Secundo notandum: quod est maxima controversia inter Expositores. Vtrum anima Samuelis, vel similitudo, & imago illius dicatur suscitata, & apparuisse? Ad quod explicandum, plura nobis dicenda veniebant, de magia, & de necromantia, quæ est species superstitionis, de quo Interpretes D. Thomæ 2. 2. q. 95. Sumitur autem necromantia, pro specie divinationis, qua per mortuos, aut per aliquid ad eos pertinens, occulta conantur sciri, vel prædici: quia ex Isidoro lib. 8. Ethimol. cap. 9. *Necros* Græce mortuum; *mania* verò, divinationem significat: de his Suarez, del Rio, & Latorre latè, & P. Antonius à Matre Dei diffusè punctum illustrat. præludio 1. digressione 6.

Ad nostram ergo rem accedendo; supponendum primo: esse impossibile quod species ista superstitionis, naturaliter fiat suscitando ipsos mortuos, & ad vitam reducendo; quia hoc impossibile est, fieri virtute alicuius creaturæ, cum sit miraculosum, quod solum virtute divina præstari potest; vt ait D. Thom. 1. p. q. 95. Et sic omnes mortuorum suscitationes, quæ in libris prophanis leguntur, fuere apparentes & falsæ. Secundo etiam supponendum: quod animæ defunctorum, aliquando vivis apparere solent, de quo Theologi in 4. disp. 45. & D. Augustinus lib. de Cura pro mortuis cap. 15. dicit hoc haberi in Sacra Scriptura pluribus in locis.

Tertio supponendum: quod magi vel arioli non habent potestatem in animas vt è locis, quibus divina providentia sunt deputatæ, egrediantur: quare omnes apparitiones animarū, per Necromanticos factæ, vanæ sunt, ac confictæ. De quo Tertul. lib. de anima cap. penultimo. Augustinus lib. 10. de Civit. cap. 11. D. Thomas 1. p. q. 117. art. 4. Victoria de magia num. 17. Quia hoc pertinet ad potestatem faciendi miracula; cum sit invertere ordinem rerum, à Deo præscriptum. Et quia miracula fiunt in fidei confirmationem, quod non convenit nec solet per magos exequi. Ex Dei tamen dispensatione, aliquando animæ apparent per se ipsas, vel per ministeria Angelorum: de quo Latorre 2. 2. q. 95. art. 3. disp. 3.

His suppositis; duæ celebres reperiuntur sententiæ. Prima negat, fuisse veram animā Samuelis, quæ Sauli, apparuit, sed fuisse ait, eius similitudinem, vel spectrū. Ita sentire videtur D. Augustinus lib. QQ. veteris & novi testamenti q. 27. Et lib. 2. de Mirab. Sacræ Scripturæ cap. 9. ipsi attributo. Tertul. cit. D. Hieronymus

nius lib.3. in Isaiam. Turrecremata cap. nec mirum q. 5. Ruyz Reg. 15. Arauxo p.1.deciss.tract.3.q.23.§.5. & alij: secunda sententia, est affirmativa,quam tenent Iosephus lib.8. antiq cap.14. Abul. lib.1. Reg.cap.28. q.28. vbi Lyra, & Cayetan. Victor.cit.q.5.Bañes 1.p.q.89.art.8.dub. 2. Latorre disp. 2. Perer. cap. 7. Exodi. Cantapra. in fine Regulæ cit. & alij, cum Antonio cit. & Gravina tom. 2. fol. 113. benè tractant hoc.

Et licet vtraque probabilis sit sententia,sed pro secunda standum est: quia licet D.Augustinus lib.2.ad Simplic.q.3.& alibi,problematice vtramque partem sustineat.In libro tamen de Cura pro mortuis agenda, cap. 15. in istam inclinat, licet asserat aliquos tenere contrarium. Et loca pro prima sententia citata,non constat certo, esse D. Augustini, D.Thomas vtramque sententiam refert (imitatus Augustinum)vt probabilem. Sed p.p.cit. referens sententiam, quod apparitio illa fuit procurata per dæmones, ista superaddit verba: si tamen Ecclesiastici veritas non recipiatur;propter hoc,quod inter Canonicas Scripturas apud Hebræos non habetur: nunc autem, talis liber Canonicus est,ex Trid. sess. 4. ergo hoc dato, sentiunt D. Augustinus, & Thomas, non posse negari, verum Samuelem apparuisse.

Locus ergo Ecclesiastici, quod istius sententiæ præcipuum est fundamentum, habetur cap.46. vbi loquens de Samuele, sic fatur: *Post hæc dormivit, & notum fecit Regi,& ostendit illi finem vitæ suæ.* Circa quem locum,primo ponderandum est: quod Samuel, prædixit Sauli suam mortem, filiorum, victoriam gentium, quæ sunt contingẽtia futura, occulta dæmonibus, vt dicitur 1.p. q.57. art. 3. Secundo: quia qui apparuit Regi dixit illi: *Faciet sibi Dominus, sicut locutus est in manu mea,& scindet Regnum tuum.* Sed ista verba dicta sunt Sauli à Samuele, 1. Reg.13. ergo idem fuit,qui Ecclesiast.46. dicitur dormisse,scilicet. Verus Samuel, & qui nuntiavit, vel locutus fuit cum Saule. Videtur enim parum conveniens talis transitus, à Samuele vero ad apparentem.

Scio,aliquos his rationibus respondere, iuxta nostram regulam: quod imago Samuelis,dicitur Samuel,sicut in alijs Sacræ Scripturæ locis iam adductis. Et quod ille qui vicem Samuelis gerebat, poterat dicere, id quod antea ipse Samuel prophetaverat. Sicut Angelus, in persona Dei dicebat: *Ego Dominus Deus tuus,&c.* Et quod ille qui apparuit, sive Angelus, sive dæmon, potuit futura prædicere ex Dei revelatione. Nec videtur inconveniens admisso, vt Canonico Ecclesiastici libro;quod licet verus Samuel dormierit, Angelus,vel dæmon postea annuntiet.Sicut 2.Machab.15.Verus Sacerdos Onias, mortuus est; & forte non per ipsum, sed per Angelum,apparuit Machabæis.

Sed licet ista, probabiliter dicantur; contra illa tamen procedit difficilè argumentum; quia verba Sacræ Scripturæ accipienda, & explicanda sunt in sensu proprio, & litterali, quando ex illis nullum sequitur absurdum,vel inconveniẽs, iuxta regulam Athanasij lib.de communi essentia Patris,& Filij,&Augustini lib.3. de Doctr. Christiana, cap.10. Ergo cum Scriptura dicat, 1.Reg. 28. & Eccles.46. Samuelẽ apparuisse Sauli Regi, ipsumq; esse allocutum,& nuntiasse ventura;& ex hoc quod de vero Samuele intelligantur verba Scripturæ, nullum absurdum, vel inconveniẽs subsequi videatur,vel assignetur: dicendum est: animam ipsam Samuelis apparuisse, non coactam à Phitonisa,sed ex iussione,vel permissione Dei, assumpto aereo corpore,& sic allocutam cum Saule.

Nec obstat dicere primo: non videri credibile,quod mulier Phitonisa, suis incantationibus, animam viri iusti in hunc mundum revocaverit. Secundo; quod ille qui apparuit, dixit Sauli; *cras eris mecum;* hoc enim est falsum,cum Samuel in sinum Abrahæ, & Saul in infernum descenderint. Tertio: quia ille qui apparuit, permisit se adorari à Saule; quod vir iustus tale quippiam non permittẽret.

Respondetur ad primum: quod sicut non fuit inconveniens, quod Christus Dominus permisserit à diabolo adsportari in Tẽpli Cacumẽ, & mõtis; quia hoc, Deo permittẽte fiebat; ita nec quod anima Samuelis, Deo sic disponẽte, fuerit excitata à Phitonissa, vel dæmone, quo sæpè vtitur Deus, ad suæ providentiæ executionẽ incõveniens erit. Nec secundũ obstat: quia Samuel, non dixit Sauli: *Cras eris mecũ in sinu Abrahæ*; sicut Christus dixit Latroni, *cras eris mecum in Paradiso*. Sed absolutè dixit; *cras eris mecum*, scilicet, in alio statu, & sublatus ex hac vita. Nec tertium; quia licet adorare, significet aliquando cultum latriæ, ex Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis*, & hunc non permitteret vir Sanctus, & iustus: aliquando verò, designat cultum communem, & reverentiam, & sic Genes. cap. 33. dicitur: Iacob adorasse Esau fratrem suum, & alibi sæpè. Et sic Samuel consensit adorari à Saule, quod licite fieri potest.

CAPVT SEXTVM.

De nominibus significantibus cognationem.

IN his assignandis regulis, demoramur: quia plurimum ad Sacræ conducunt intelligentiã Scripturæ; sed præsens præ cæteris, cum plura ex his nominibus, exoriantur dubia, quæ multorum solẽt extorquere ingenia; videlicet, quid sit Pater, frater, soror, filius, &c. Igitur Pater dici solet, qui talis est, ætate, vel natura, honore, cura, auctoritate, fidei propagatione, doctrina, officio, inventione, moribus, & alijs. Pater imitatione, vt Ezech. 16. 3. Deus dicit populo: *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Zetæa*. Scilicet, similes illis, qui Gentiles erant. Et Iudæis Christus Ioan. 8. dixit: *Vos, ex patre diabolo estis*. Et Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, imitatione. Et cap. 3. *Potens est Deus, de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*, idest: fide. Et Matth. 5. *Diligite inimicos, vt sitis filij Patris vestri*, idest: imitemini. Et Roman. 9. *Neque qui semen Abrahæ omnes filij; sed in Isaac; non qui filij carne, sed fide, & promissione*.

Pater etiam dicitur, Magister alicuius scientiæ. 1. Reg. cap. 10. de Choro Prophetarum dixit quidam: *Et quis est Pater eorum?* Idest: Magister. Et lib. 4. cap. 2. clamabat Eliseus *Pater mi*. Et Iudicũ 18. dicunt illi qui erant in domo Micheæ: *Veni nobiscum, vt habeamus te Patrem, & Sacerdotem*, idest: ministrum. Et Iob 15. *Sacerdotes confitentur, & non abscõdunt Patres suos*, idest: confitentur se, Discipulos suorum Magistrorum. Et lib. 2. Paral. 4. Salomon vocat Hiram Patrem suum, scilicet in domo Domini ædificanda, Magistrum. Et Paulus 1. Cor. 4. *Si millia Pedagogorum habeatis, sed non multos Patres*, idest: Magistros.

Significat etiam Pater, inventorem Gen. 4. dicitur: *Iabel, Pater habitantium in tentorijs, & Pastorum*, idest: Inventor, & ordinator, vitæ Pastoritiæ; & licet Abel, Pastor fuerit; sed non dicitur Pastorum Pater: quia Iabel, ad illam vitam aliqua particularia adiecit. Et Tubal dicitur: *Pater canentium*; quia invenit illam artem, vel perfecit. Et Christus Isai. 9. dicitur: *Pater futuri sæculi*, quia invenit gratiam, vel vitam nobis initiavit futuram.

Insuper, Pater, est Princeps, vel dominator populi. Genes. 22. Camuel, dicitur Pater Syrorum; quia Princeps illius populi extitit. Et 1. Paralip. cap. 4. dicitur Ephrata, Pater Bethlehem; & Phanuel, Pater Gedor. Et cap. 2. v. 54. dicitur, Salma Pater Bethlehem: sicut etiam Ephrata. Sed respondetur: Patrem, & filium, simul eidem Civitati imperasse, vel successivè. Et lib. 4. Reg. cap. 5. Naaman Princeps militiæ Regis Syriæ, dicitur Pater; idest, Dominus.

Dicitur etiam Pater, Consiliarius, & vir prudens, vt Genes. 45. Ioseph dicitur Pater Pharaonis, scilicet, domus eius, & Consiliarius pro tempore famis. 2. Paralip. 2. dicitur Hiram, Pater Regis Tyri, quia prudens. Et 1. Ioann. 2. *Scribo vobis*

Patres, ideſt, maiores natura, & prudentia. Dicitur etiam Pater, cura, & ſolicitudine. Iob cap. 29. *Pater eram pauperum*, ideſt, curam gerebam illorum.

Pater etiam dicitur, non ſolum naturalis, qui verè aliquem genuit; ſed etiam dicitur legalis, ex legis diſpoſitione. Deuteron. 25. ſi frater maior ex vxore, non habeat filios, & moriatur: frater ſecundus ducat viduam, & primogenitum ex ea filium, nomine fratris defuncti vocabit, vt nó deleatur nomen eius ex Iſrael. Hinc ſolvitur difficultas, quæ reſultat ex diverſo modo narrandi ab Evangeliſtis Chriſti generationem. Quia Matt. cap. 1. facit Ioſeph filium Iacob, & Lucas filium Heli: quia Iacob fuit Pater naturalis, & Heli legalis: de quo Auguſtinus, Hieronymus, & alij, relati à Cano lib. 11. cap. 5. & Ianſenio in Concordia.

Modus autem talis eſt: quia Mathan ex ſtirpe Salomonis, & Melchi ex ſtirpe Mathan, fratris Salomonis, eandem duxerunt vxorem: ex qua, Mathan, genuit Iacob, Patrem Ioſeph; & Melchi, ex eadem vxore, genuit Heli: & ita Iacob, & Heli, fuerunt fratres vterini, ſcilicet eiuſdem matris. Rurſus, Heli duxit vxorem, & moriens ſine liberis, frater eius Iacob, duxit viduam fratris ſui Heli, ſecundum præceptum legis, & ex ea genuit Ioſeph, filium illius naturalem, & legalem Heli. Sic etiam reſolvitur, illud quod in eadem genealogia dicitur, ſcilicet, quod Zorobabel, dicitur filius Salathiel: at lib. 1. Paralip. 3. v. 19. dicitur filius Phadaja fratris ipſius. Et verum eſt; quia Salathiel fuit Pater legalis, & alter naturalis; & ibi etiã dicitur; Iechonias genuit Salathiel, & Lucas dicit: filium Levi, & verè, ſed iſtius legalis; illius naturalis. Ita Ianſenius in concordia cap. 14.

Similiter, etiam Pater dicitur avus vt 2. Reg. 9. dixit David Miphiboſeth: *Faciã tibi miſericordiã, & dabo tibi agros Saul Patris tui*; qui tamen, fuit avus. Et Exod. 2. dicitur: quod puellæ, reverſæ ſunt ad Raguel Patrem ſuum. Sed iſte erat avus, & Pater erat Ietro, qui fuit Pater illarum ex Maluenda Exod. 3. Abraham etiam Geneſ. 20. dixit: Saram vxorem ſuam, eſſe ſororem ſuam, & filiam Patris ſui: cum tamen filia fuerit Thare, qui avus fuit. Et Daniel. 5. Nabuchodonoſor, dicitur, Pater Balthaſar; cum tamen, fuerit eius avus. Et quod diximus de Patre, intelligendum venit de filio, ſcilicet, dici talem, imitatione, conſilio, diſcipulatu, &c. Et omnes maiores natu ſine termino, Patres dicuntur, & poſteri filij vocantur.

Frater etiam qui deduci videtur ex fere alter, ingerit difficultatem, de quo Hieronymus lib. 3. contra Elvidium. Et D. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 33. & quæſt. 31. in Geneſ. & tract. 10. in Ioannem. Frater (inquit) in Sacra Scriptura, quadrupliciter dicitur: ſcilicet natura, gente, cognatione, & affectu. Natura quidem, cum ex eodem Patre procedunt, vt Petrus, & Andræas Apoſtoli. Gente, vt omnes Hebræi, & contribules. Deuteron. 15. *Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus*. & cap. 17. *Principem conſtitues, de numero fratrum tuorum*. & Roman. 9. *Optabam anathema eſſe pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei, qui ſunt Iſraelitæ*.

Cognatione dicuntur fratres, vel ſorores, qui ſunt de vna familia. Geneſ. 31. *Apud quemcumque inveneris deos tuos, necetur coram fratribus noſtris*. Sed qui iſti fratres; cum ſolum Eſau fratrem habuerit Iacob? Reſpondetur, vt cari fratres, ipſos filios Iacob, qui etiam erant nepotes Laban, ſoceri ſui. Hoc conſtat ex Geneſ. 25. Vbi Iſmael dicitur obijſſe coram cunctis fratribus ſuis. Vbi ex Hieronymo, filij, & nepotes, fratres vocantur. Capite etiam 13. dixit Abraham ad Loth: *Ne quæſo ſit iurgium inter me, & te; fratres enim ſumus*. Vbi Abraham vocat fratrem Loth, cum eſſet conſobrinus eius. Et cap. 29. Iacob, & Laban, vocantur fratres, cũ eſſent ſocer, & gener. De ſorore etiam conſtat: quia Abraham Geneſ. 20. Saram dixit ſororem; & tamen erat vxor.

Sed hinc non parva conſurgit difficultas, quam optimè pertractat Auguſtinus lib. 16. de Civit. cap. 19. Vbi de hac re loquens,

quens, adducit Hieronymum dicentem: Saram fuisse sororem Abrahæ; quod etiã alij tenent, cum Soto lib. 2. de iust. q. 3. art. 8. vbi optimè hoc probat. Sed videtur inconveniens, talia tunc permissa fuisse coniugia; sicut in mundi initio inter filios Adam, aliàs nefanda iudicata sunt, nisi apud barbaras nationes. Potest ergo dici; quod nomen sororis, accipitur pro filia avunculi. Sed obstat (vt benè expendit Soto) quod ipse Abraham Genes. 20. dixit: *Aliàs autem, verè soror mea, est filia Patris mei, & non matris meæ*, Neque ita insolita coniugia; cum 2 Reg. 13. Volente Amnon, opprimere Thamar, sororem Absalon, filij David ex altera matre; illa dixit Amnon: *Loquere ad Regem, & non negabit me tibi.* Ergo in præsenti, non est cur littera, non sit in rigore accipienda. Idem tenet Cayetanus. Plura autem possunt adduci exempla talis locutionis. Vt Exod. 2. & 3. Paral. 6. & cap. 7. & cap. 12. & cap. 16. & cap. 24. & cap. 26. Et etiam maritus, dicitur frater, vt Esther 15. Asuerus dixit Reginæ: *Ego sum frater tuus.*

Denique; frater etiam dicitur, affectu, & volũtate. Et hoc dupliciter, affectu, scilicet cõmuni, & etiam spirituali. Communi, illi dicuntur fratres, qui se invicem diligunt, quia homines sunt: & quia ex eodem geniti Patre; & ita intelligitur illud 1. Cor. 15. *Si quis frater nominatur, fornicator, avarus, &c.* Affectu spirituali dicuntur fratres, omnes Christiani Psal. 141. *Habitare fratres in vnum.* & Psal. 21. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* & Ioann. 20. *Vade ad fratres meos*; quod antiquitus commune fuit, & Apostolicum, ex Tertuliano.


Iam sororis nomen explicat fœminam Christianam: hinc lucem accipit illud 1. Corin. 9. *Nunquid, non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut cæteri Apostoli?* Ex quibus verbis, Hæretici (imo & alij) existimant, Paulum vxoratum fuisse, & per omnia prædicationis loca, secum vxorem portasse: cum tamen ipse se innuptum dicat cap. 7. Sensus ergo erit ex D. Thom. ibi lect. 1. quod posset ipse, secum in commitatu, habere aliquam piam fœminam, sororem fide, propter sumptus ministrandos, de facultatibus suis, vt alij Apostoli. Et sicut dicitur de Martha, & alijs mulieribus Luc. 8. Istam ergo, Christiano affectu, vocat sororem. Et Iacobi 2. dicitur: *Si frater, & soror nudi sunt, & indigent victu quotidiano.*

Forte ex dictis resolvitur difficile dubium de illis qui in Sacra Scriptura fratres Christi dicuntur vt Luc. 8. & alibi. De quo Cantaprat. lib. 8. fol. 583. In qua parte, Origenes, Epiphanius, Hilarius, & Ambrosius, dicunt: filios fuisse Ioseph, ex alia vxore, ante Virginem ducta. Elvidius dixit, fuisse filios Beatissimæ Virginis, contra quem scripsere D. Hieronymus, & Ildephonsus. Alij ex Catholicis dicunt: fuisse Christi consobrinos, ex alijs sororibus Beatissimæ Virginis, & filiabus Sanctæ Annæ. Quod benè impugnat Baronius in apparatu num. 41. probans ex pluribus, Beatam Annam vno viro solum fuisse nuptam, scilicet Ioachimo, & tantum Beatissimam Virginem genuisse miraculo, cum sterilitate laboraret sicut Anna mater Samuelis.

Vndè dicendum videtur; illos qui in Evangelio *fratres* dicuntur Christi (vt Iudas Thadæus. Ioseph, sivè Iosés, & Iacobus minor) fuisse filios Mariæ Cleophæ, & consobrinos Christi in primo gradu; quia fuerunt filij Cleophæ fratris Iosephi, Sponsi Beatissimæ Virginis: vndè consobrini primi Christi, vocabantur legales, vulgo *Primos hermanos*; tametsi in re, non consobrini primi; sed secundi essent, vulgo: *Primos segundos*; Iacobus autem Maior, & Ioannes Evangelista, filij erant consobrinæ Christi Salomè, quæ erat soror Iudæ Thadæi, Iacobi minoris, &c. Vndè Christus erat in 4. consanguinitatis cum Iacobo Maiore, & Ioanne Evangelista, & in 3. consanguinitatis per Mathan progenitorem Sanctæ Annæ, cum Iuda Thadæo, Iacobo minore, &c. Sed tamen ex Scripturarum consuetudine, fratres communiter appellantur, de quo Baronius cit. num. 67. quod

vt

vt melius percipiatur profero arborem Genealogiæ Beatissimæ Virginis à Christophoro Castro, Cornel. à Lapide, Tirino, & alijs adhumbratam, & consule Augustin.quæst.31. in Genes. & Ruiz regula 4.



Et quia aliquam convenientiam videtur habere cum dictis, nomen primogeniti, & vnigeniti;breviter dicemus,quod ex mala huius intelligentia, Elvidius, vt refert Hieronymus in Apologia contra illum,contendebat B. V. non semper extitisse Virginem, cum Matth. 1. dicatur; *Peperit filium suum primogenitum*, quasi hinc eliciatur alios secundo genitos edidisse, quorum respectu, Christus diceretur primogenitus. Sed suppositis quæ D. Hieronymus dixit. Respondetur cum Abul. paradox.1. cap. 5. aliqua esse nomina in Sacra Scriptura, quæ dupliciter dicuntur. Primo,ex vi vocis relativæ. Secundo, ex communi acceptione aliquando absolute vsurpantur; qualia sunt *filius, & filia*, quæ etsi relativa sint; absolute tamen sumuntur Cant.2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*. Vbi vox *filia* ex communi absolute pro muliere ponitur; sic etiam filius: *Sic dilectus meus inter filios;* idest, *homines*. Et Proverb. vlt. *Multæ filiæ congregaverunt divitias;*idest,*multæ mulieres*.

Pariter ergo,vox *primogenitus*; licet relativa sit, sumitur absolutè, & solum negat filios antecessores fuisse. Ita Exod. 13.num.18. Vbi præcipit Deus,sibi offerri omne primogenitum.Et ibi intelligendum venit, nedum eos esse primogenitos,quos alij sequuntur geniti: sic enim, vel multi non offerrentur Deo, illi scilicet,quos alij non sequerentur; vel etiam expectandum esset tempus, quo possent offerri; nempè,quando alius frater secundus, ad primum subsequeretur: cum tamen die 40. post partum, offerri iubeantur,vt constat in Beatissimæ Virginis facto: ergo tenendum, illos dici primogeni-

nitos, qui primo nascuntur, non quos alij subsequuntur. Et sic Iosue 17. dicitur: *Machir primogenitus Manasse*; & tamé constat ex Sacra Scriptura, nullos alios Manasses genuisse filios. Vid. Ruiz regula 172.

Circa vnigenitum, etiam idem servandum. Prov. 4. Salomon dicitur: *Vnigenitus coram matre sua*; cum tamen ex 1. Paral. 3. constet, David ex Bethsabe alios procreasse filios, nempè Simmaam, Sobab, & Nathan, & Salomon: & licet dicant Lyra, & alij, illos fuisse filios naturales Vriæ, & à David adoptatos; hoc tamen falsum censetur: quia sequeretur, quod Lucas non benè probasset, Christũ esse Filium David, cum hoc deducat per lineam Nathan: si enim Nathan fuisset filius naturalis Vriæ, Christus solum esset Filius legalis David; imò, neque hoc esse posset; cum David, & Vrias, non fuissent fratres: ergo vnigenitus, dicitur vnice dilectus: sicut Genes. 22. dicitur Isaac, vnigenitus Abraham; cum tamen constet ex Genes. 25. habuisse alios filios ex Cetura. Et cap. 21. Ismael ex Agar.

DIGRESSIO DE VARIIS ACCEPtionibus huius vocis, filius: & de annis Saulis Regis.

Aliqua de voce *filius*, vt cognationem connotat, iam supra adduximus; placet alia, non minus vtilia, exponere, & lustrare; & inde ad celebre dubium, de annis Saulis, sermonem convertere. Per filios igitur in Genes. 6. cum dicitur: *Videntes Filij Dei, &c.* intelliguntur filij Seth, idest Cultores Dei, ex Chrisostomo homil. 22. Filij Belial, vocantur impij, idest: Idolorum Cultores, & Iudic. 19. vocantur filij Belial; idest absque iugo. Filius mortis, idest, dignus mortis. 1. Reg. cap. 20. Filius perditionis, dicitur 2. Reg. 12. qui periturus est. Filius, etiam dicitur. Discipulus, & Sectator, vt 4. Reg. 2. Filij Prophetarum dicuntur filij ipsorum. Filius hominis, dicitur homo, Psal. 4. Et etiam Christus in Evangelio, sic vocatur, ostendens quid pro nobis misericorditer esse dignatus sit. Angeli etiam dicuntur Filij Dei, vt Iob 1. Filij etiam, dicuntur incolæ, seu populus Ezech. 25. Filij Orientis, habitatores illius terræ Genes. 23. Denique Filij, etiam dicuntur viculi, seu oppida, subiecta alicui populo maiori, vel Civitati, vt Isai. 16. & Ierem. 49.

Nunc iam ad verba difficilia, 1. Reg. 13. manum admoveamus: *Filius vnius anni erat Saul, cum regnare cœpisset, & duobus annis regnavit, &c.* Varij in eorum expositione, reperiuntur Authores. Non enim videntur Sauli posse adaptari, cum iam tunc altior esset omni populo ab humero, & sursum. Et etiam cum iam haberet filium Chiliarchum, scilicet Ionatham. Strabus ergo, & Rabanus dicunt: quod illud verbum, *Saul*, intelligendum est in dativo, vel dandi casu; ac si diceretur: Filius vnius anni, erat Sauli, cum regnare cœpisset; hoc est, quod in principio sui Regni anniculum, scilicet Isboseth, haberet filium.

Sed istam expositionem, reijciunt Hieronymus, Rupertus, Lyra, & alij. Et quia anni regnorum, non computabantur à filijs: & quia, ex alijs eiusdem libri locis infertur, Isboseth iam 20. attigisse annum. Alij ergo dicunt; quod illa textus verba supplenda, & emmẽdanda sunt ita: *Filius viginti, & vnius anni erat Saul, &c.* & omissos fuisse 20. annos, quia (vt ex libro Numerorum constat) omnes ad bellum profecturi, debebant esse 20. annorum. Cum autem Saul, crearetur Dux, & Rex ad hostes debellandos, tacentur 20. anni, & tantum additur annus qui ad bellum gerendum requirebatur. Sed huic obstat; quia iam constat ex dictis Ionathan, 20. annos tunc habuisse, & irrationabile videtur dicere, vno tantum anno, Patre filium minorem.

Alij, prædicta verba ad innocentiam inflectunt, ita vt talem efficiant sensum, *filius vnius anni*; idest: *ita puer, ac innocens, quasi vnius anni puer.* Sic communiter Hieronymus, Augustinus, & Gregorius: quæ expositio firmari potest, ex doctrina Cantaprat. lib. 8. pag. 639. vbi di-

dicit, quod in scriptura sæpè deficit particula, inducens similitudinem, videl. *sicut, tanquam.* Et exempla infert, ex Psalm. 77. *Sorte divisit eis terram, funiculo distributionis*, idest: *Quasi funiculo*. Et Psal. 80. *Cibavit eos ex adipe frumenti*, idest: *Quasi ex adipe*, & alibi sæpè. Ita in præsenti. *Filius vnius anni*, idest: *Quasi vnius anni* erat Saul, propter simplicitatem, &c.

Contra istam tamen expositionem, insurgit Cano lib. 11. cap. 5. ad. 12. quod si hanc loquendi formam sequamur, inconveniet alijs scripturæ locis. Etenim in vulgata habetur. 2. Reg. 5. *Filius triginta annorum erat David, cum regnare cœpisset*. & Iere. 52. *Filius viginti vnius anni erat Sedecias, cum regnare cœpisset*, quæ locutiones, etiam in textu Hebraico sunt valdè frequentes. Si autem ad mores referantur, qualis dicendus est esse David cum 30. dicatur annorum? Sed facile respondetur, illas scilicet locutiones, & alias similes, intelligendas esse litteraliter; cum nullum ex ipsis inconveniens sequatur; sermonem verò de Saule, ad moralem traducendum, propter inconvenientia allata.

Alij tamen, aliter hoc explicant, cum Beda, & Genebrardo, dicentes: Saul, post vnum annum, ab electione in Regẽ transactum, regnare cœpisse; & toto illo anno primo, dissimulasse se Regem esse, & sic est sensus: *Filius vnius anni &c. iam ab vno anno creatus erat Rex cum regnare cœpisset*, nempe: cum munus regnandi subire incœpit, & interim, quasi vitam privatam transegit.

Sequentes autem Augustini proloquiũ scilicet; quod quicquid bene, & vere dixere Gentiles, adde etiam (cum permissione Ecclesiæ) quod homines maculatæ fidei: nostrum est, & vt argẽtum igne fidei probatum, ad nos pertinet. Igitur Tremelius, & Iunius, suspecti homines, ita explicant. *Filius vnius anni erat Saul cum regnare cœpisset*; & positis intra parenthesim illis verbis: *(duobus autem annis regnavit super Israel)* priora verba annectantur cum subsequentibus, scilicet elegit sibi, tria millia; quasi sensus integer sit: agens primum annum Saul, elegit sibi tria millia, ita quod primo anno Regni, aggressus sit illam expeditionem, & electionem militum. Videantur Sanchez, Mendoza, & Maluenda, in quibus plura.

Si non videremur extra chorum cantare; non minoris examinis digna sunt, verba sequentia, nempè: *Et duobus annis regnavit super Israel*: ex diametro enim obstare, quis non intelligat, cum illis quæ Stephanus dixit Act. 13. *dedit illis Saul annis* 40.? Multi multa proferunt; sed breviter, asserimus: duobus annis regnasse, persistendo in innocentia, qua regnare cœpit, & post ab illa defecisse non obediendo voci Dei. Vel duobus annis regnasse, non abiectus à Deo. Vel tandem 38. annis regnasse cum Samuele, acquiescendo suis consilijs, à quibus cum declinasset, solum duobus annis regnasse, dicit scriptura.

Cum autem Scriptura Sacra dicat expresse, Saul 40. annis regnasse, quomodo explicandum, & numerandum; difficile Sed ex Sacra Scriptura, venari facilè potest. Quia Salomon, quarto anno Regni sui, qui fuit 480. egressionis filiorum Israel, cœpit ædificare Templum Domini. 3. Reg. 6. Iudices præfuerunt annis 396. his si addantur 40. Davidis, & 4. Salomonis, supersunt 40. quorum partim Samuelis tempore, partim post ipsum, regnavit Saul, aliquo ex modis explicatis. Nullo autem modo, stante Apostoli sententia verissima, atque certissima, dici potest, Saul regnasse absolutè duobus annis, vel septuaginta ex Sulpitio, vel 47. ex Clement. Alexand. 1. strom. 11. aut ex Iosepho quinquaginta & duobus. Videatur Gravina tom. 2. lib. 4. art. 2. & Scalante lib. 3. clypei. cap. 23. qui explicat verba 1. Reg. 13. duobus annis regnavit Saul iure; alij autem 38. tyranice, & sic Samuel solũ explicuit duos annos Regni, at D. Stephanus 40. annos, sine distinctione, boni, vel mali regiminis. Actu. 13. sed hoc partim simul cum Samuele, de quo in Chronologia.

CAPVT SEPTIMVM.

De possibili, & impossibili, posse, & non posse.

PLura pro præsentis regulæ (quæ etiã ad Sacræ Scripturæ intelligentiam, valdè conducit) enodatione, enucleanda se offerebant, quæ ex D. Thoma, & Theologis 1.p.q.25. mutuanda veniebant, scilicet: de potentia Dei: sed breviter ea attingemus tantum, quæ nostrum concernunt institutum. Igitur supponendum: in Deo esse potentiam, vel potius omnipotentiam: quia cum potentia, & virtus, fundetur in forma, & esse rei; Dei auté essentia, & esse, sint infinita vt ex q.4. antecedenti constat; quia omnium creaturarum perfectiones, & plura alia continet; hinc eius virtus, & potentia, infinita evadit.

Ista autem virtus, vel omnipotentia, dupliciter consideratur, vel nominatur; vno modo potentia absoluta; cum scilicet supra totum ordinem præscriptum in rebus creatis, operatur, qualis est suscitatio mortui, &c. Alio modo dicitur potentia ordinaria, vel ordinata, cum iuxta causarum exigentiã causat, & operatur, vt cum Sole lucendo, cum igne calefaciendo.

Possibile, etiam dupliciter vsurpatur. Primo modo respectivè, idest: per respectum ad aliquam causam, vel potentiam, & si sit humana, dicitur possibile humanum, si respectu Dei, dicitur possibile divinum. Alio modo dicitur possibile absolutè, & etiam impossibile, & hoc ex habitudine terminorum, quia scilicet prædicatum, non repugnat subiecto, vt Sortem sedere; impossibile verò absolutè, quia prædicatum repugnat subiecto, vt hominem esse leonem. Cum ergo in Sacra Scriptura, aliquando dicatur aliquid impossibile; habetur enim. 17. locis, & quod aliquid potest fieri, vel non fieri; ex quo non modica consurgit difficultas; vt hæc patefiant, doctrina ista præmissa est, ad Regulam lustradam.

Igitur hac in parte, omnium optimè D. Gregorius Nazianzenus punctum attigit, & penitus difficultatem evicit oratione 4. de Theologia, in qua omnes modos impossibilitatis recensuit, & ad sex reduxit. Posse, vel non posse, nõ vno modo (inquit) sed variam, ac multiplicem significationem habere. Primo modo, secundum defectum virium dicitur, certa personæ, & temporis ratione habita; vt quod puer luctari non possit, aut catulus videre; luctabit enim aliquando aut cernet. Consurgit ergo iste modus, quando attenta circunstantia aliqua temporis, vel personæ, vel alterius similis rei, illud dicatur fieri non posse, & impossibile, licet non absolutè.

Tale quippiam est illud Matth. 7. *Non potest arbor bona, fructus malos facere; nec arbor mala, fructus bonos facere.* Quibus verbis, cõtrariari videntur exempla Zachæi, Matthæi, Magdalenæ, Pauli, Latronis, &c. Qui cum arbores essent malæ, fructus bonos fecere. Et etiam ipse dixit Christus eodem capite v. 11. & 17. *Cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris.* Sed respondetur ex dictis: non posse arborem bonam (per quam, voluntas intelligitur, ex D. Augustino, & D. Thoma, 1.p.q.49.art.1. & 1.2.q.20.art.2.) attenta circunstantia temporis, & quando mala, vel bona manet, fructus malos facere, vel mala bonos. Potest tamen, ex bona in malam mutari, vel ex mala, in bonam, vt in exemplis adductis contingit; & tunc, etiam bonos fructus facere.

Huc etiam venit illud 1. Ioan. 3. *Omnis qui natus est in Deo, peccatum non facit, & non potest peccare, quia ex Deo natus est.* Non potest (inquam) quandiu charitas in eo manet, vt optimè D. Thomas 2.2.q.24.art.11. Sed hoc intelligitur in sensu composito, vel ex parte charitatis, sed non absolutè, & ex parte liberi arbitrij in bonum, & malum vertibile. Pariter. 1. Corinth. 13. dicitur: *Charitas nunquam excidit,* quod est intelligendum (non vt Hæretici accipiunt, nempè: charitatem semel habitam amitti non posse, de quo Cayetanus ibi) sed quod non excidit, attenta motione Spiritus Sancti, & ratione

ipsa

ipsa charitatis, quæ non potest nisi in id quod pertinet ad rationem ipsius scilicet non peccare, & non amitti, ex D. Thoma ibidem: sed potest attenta ratione personæ, & subiecti. Eiusdem sensus sunt, locutiones illæ Ioan. 4. *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Quod si de gratia intelligatur, accipiendum quandiu in illo permaneat, & consumetur in patria. Et illud etiam cap. 7. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum:* si permanserit in eo effectus Eucharistiæ, de quo D. Thom. 3. p. q. 29. artic. 2.

Eundem sensum accipiunt illa verba ad Roman. 8. *Quis nos separabit à charitate Dei?* Quod intelligunt, quandiu charitas in nobis manserit; quia potentia charitatis cum sit participatio divinæ naturæ, ex D. Petro, superior existit omnipotentia cuiuscumque creaturæ; & etiam illud Cant. 8. *Aquæ multæ, non potuerunt extinguere charitatem,* quæ vt supra diximus Scholastice interpretanda sunt, in sensu composito, scilicet attenta vi charitatis; non in sensu diviso, scilicet, ex parte subiecti: sic enim quodlibet peccatum mortale, & conversio ad creaturam, vt finem vltimum, extinguit charitatem, vel si veniale sit, charitatem tepefacit.

Pergit Nazianzenus, & dicit: quod secundo modo aliquid est possibile, vel fieri potest, quia scilicet sæpè contingit; vel impossibile, vel non posse fieri, quod rarissimè accidit. Sic ille explicat illud Matth. 5. *Non potest Civitas abscondi supra montem posita.* At fieri potest, vt Civitas aliqua abscondatur, si eminentior mons interponatur, prohibens ipsam videri: talis etiam generis, inquit D. Hieronymus esse illud Matth. 19. *Difficile dives intrabit in Regnum Cœlorum,* quod exemplo camelli, & acus, ostendit impossibile. Vbi inquit, non impossibilitas prætenditur; sed raritas demonstratur; quia Abraham, Isaac, & Iacob divites, intraverunt in Regnum Cœlorum: sicut etiam Zachæus ipsius Christi testimonio. De quo D. Augustinus epist. 89. quæst. 4.

Tertio, etiam modo dicitur impossibile, quod minime æquum est, rationique consentaneum. Ponit exemplum Nazianzenus illud Matt. 9. *Non possunt filij sponsi ieiunare, quando præsens est sponsus.* Neque enim ærumnæ, & afflictionis erat illud tempus, quo Christus cum Discipulis conversabatur. Sic D. Thomas 2. 2. q. 147. art. 4. talis etiam est, illud Matt. 20. *Sedere autem ad dexteram meam, & sinistram, non est meum dare vobis*: quod secũdum modum hũc, dupliciter intelligitur, quia non erat æquum illis hoc dare, eo tempore, quo petebatur ex parte ipsorum; vel etiam ex parte Christi, vt explicat Cayetanus: non est meum, secundum præsentem statum meum; non enim veni nunc, ad distribuendas sedes Regni. Ad quem etiam sensum pertinere dicit D. Thomas 3. p. q. 47. art. 2. Illud Genes. 18. *Num celare potero Abrahã, quæ facturus sum?* Nempè circa subversionem Sodomæ. Et illud Angeli ad Loth cap. 19. *Non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc.* Illud enim, non posse, referendum non est, ad potestatẽ absolutam; sed ad id quod potest fieri congruenter; sicut non congruum erat, vt inter incredulos, miracula operaretur.

Impossibile etiam quarto dicitur modo, illud quod humana volũtas abhorret. Tale est illud Marc. 6. *Et non poterat ibi* (scilicet in patria sua) *nullam virtutem facere, &c.* Propter incredulitatem eorum. Cum enim, ad facienda miracula duo concurrant; alterum, potestas faciendi; alterum, (& si non omni modo necessarium) scilicet fides recipientis: altero deficiente, scilicet fide recipientis, alterum non contingebat. Non poterat, idest: nolebat, propter incredulitatem eorum. Huic etiam adiungi potest, quomodo illud dicitur impossibile, quod rationi cõsentaneum nõ est. Vt est illud Genes. 34. filiorum Iacob, ad Sichen. *Non possumus facere quod petitis; nec dare sororem nostram, homini incircunciso, quia illicitũ, & necessarium est apud nos.* Et etiam illa verba Sapien. 12. *Naturalis malitia ipsorum; & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.* Lo-

quitur de nationibus occupantibus terram promissã, filijs Israel, quorum dicitur, naturalis malitia (vt explicat D. Thomas 1. p. q. 43. art. 4.) propter naturalem inclinationem, ex parte naturæ sensitivæ, ad inordinatas possessiones, & dissonam. & male assuetam voluntatem.

Sic etiam intelligũtur illa verba Ioan, 7. quæ dixit Christus ad fratres suos, (idest ad aliquos cognatos ex regula antecedenti) non credentes in eum. *Non potest mundus odisse vos: me autem odit, &c.* Ac si diceret ex Cayetano, non potest: quia naturale est vnicuique diligere, quod suum est, & diligere vos, qui adhuc affecti estis mundo, non potest, idest, non vult. Et illud Matth. 24. *Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali?* Idest; nõ vultis, propter ingentem malitiam vestram. Sic etiam illud Ioann. 12. *Non poterant credere; quia dixit Isaias excæcavit oculos eorum, &c.* Non poterant, idest: nolebant. Quia licet credere, potentia proxima sit à gratia divina: potentia vel potius capacitas est naturæ rationalis, ex Augustino, & D. Thoma, quia habet intellectum, & voluntatem, quibus credere potest. Sic etiam illud Luc. 17. *Impossibile est vt non veniant scandala*; quia proni sunt homines ad malum: quilibet tamen scandalizans, voluntarie scandalizat. De quo D. Thomas 2. 2. q. 43. art. 2. Necesse est venire scandala, secundum conditionem hominum, qui à peccatis sibi non cavent.

Comprehendi etiam potest sub hoc impossibilitatis modo, illud quod illo sensu impossibile est, quia arduum est. Nam quod voluntas abhorret, & refutat, difficile est, executioni mandari. Sic ad Hebræos 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, &c. Rursus ad pœnitentiam renovari.* Quibus verbis, Novatiani negaverunt, pœnitentiam post baptismum. Sed respondetur: impossibile dici, quod arduum, & difficile est, ex communi expositione. Sed de hoc testimonio, statim ex professo.

Dicitur impossibile quinto modo, illud quod natura quidem impossibile est, Deo autem possibile. Quo in genere est illud Ioann. 3. *Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Nunquid potest in ventrem matris, iterum introire, & renasci?* Quid enim prohibeat, quominus fiant ista, si Dei voluntas, id decernat? Illud etiam Matth. 19. de Camello intrante per foramen acus, & de divitibus: quæ omnia apud homines impossibilia dixit esse Christus; omnia verò apud Deum possibilia, ex D. Thoma 2. 2. q. 186. art. 3. & q. 87. art. 7.

Denique, illud etiam dicitur impossibile, quod nulla ratione fieri potest, quale est illud, Ioann. 5. *Non potest filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrẽ facientem.* Ex quo loco, Arriani cõtendebant, filium, minorem; & infirmiorem esse Patre. Vt ait Ambro. serm. 20. in Psal. 118. Sed ex Hilario exponit D. Thomas 1. p. q. 42. art. 6. quod absolutè, non potest filius facere quidquam; sicut absolutè, non potest non procedere à Patre; cum ab eodem accipiat potestatẽ, à quo & naturam. Et ita per se agit, quod non à se agat. Simile est illud ad Hebræ. 6. *Impossibile est mentiri Deum.* Et 2. ad Timoth. 2. *Deus negare se ipsum non potest.* De quo 2. 2. q. 1. quod etiam de potentia absoluta, debet intelligi.

DIGRESSIO CIRCA VERBA Pauli ad Hebræos 6. Impossibile est enim, illos qui semel illuminati sunt, &c. rursum renovari ad pœnitentiam, &c.

SI quis in hac parte difficilis locus, maximè præsens; sed dignus certe, vt expendatur, & illustretur, quod vt præstemus, tria in medium adducemus. Primũ, textum, & capitis intetum enodabimus. Secundum, pravem ex illo navati intelligentiam. Tertium denique, verum, & germanum sensum iuxta Patrum mentem proferemus.

Circa primum, littera sic se habet: *Impossibile est enim, illos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, &c. Et prolapsi sunt, rursus renovari*

varii ad pœnitentiam: rursum crucifigentes sibi metipsis Filium Dei, & ostentui habentes. In hoc ergo capite, intendit Apostolus, Hebræos adhortari, vt ad perfectiora contendant; & sic dicit: *Ad perfectiora feramur*; & superaddit: *Non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ*; idest, non redeamus ad priorem statum, scilicet, pœnitétiæ, ab operibus mortuis quæ sunt peccata. Vel non rursus iacientes fundamentum fidei. Non dicit; *non prosequentes fidem*; sed: *non iterum iacientes*; quasi ita firmiter ponamus, vt non oporteat iterum ponere. Sed non iterum iacientes: hoc enim esset eorum qui redirent ad fidem, quam antea perdidissent.

Hoc supposito, adiungit Apostolus: *Impossibile enim est, &c.* rationem reddit negationis dictæ, scilicet, non rursus iacientes fundamentum: quia impossibile est hoc, loquens de renovatione per secundum baptisma, quam impossibilem esse constat, vt dicemus. Ita intelliguntur illa verba: *Renovari ad pœnitentiã; ij qui post tot accepta beneficia, & Sacramenta prolapsi sunt;* quod designat non purum lapsum; sed magnum, & totalem. Et concludit intentum, quare non possit iterari renovatio per baptismum: *Rursus crucifigentes sibi metipsis Filium Dei, & ostentui habentes,* idest: ex hoc diffamantes eum.

Circa secundum ex hoc loco Montanus primo, & Novatus, vt refert Augustinus lib. de Hæres. cap. 38. & Catari. idest mundi, qui superbe hoc sibi nomen arrogabant; quasi nunquam peccarent, dixere: nullum post baptismum peccantem, posse ad pœnitentiam resurgere: & sic, quod nec Sacramentum, nec virtus pœnitentiæ poterant iterari, ita refert Hieronymus lib. 2. contra Iovini. Sed contrarium, tanquam de fide definitum est in Concilio Nizeno 1. cap. 8. & in cap. *firmiter*, de summa Trinit. Et in Trident. sess. 14. cap. 1. & can. 1. de quo videantur Ambros. lib. 2. de pœnit. Chrisostomus lib. 2. de reparatione post lapsum, August. lib. de vera, & falsa pœnit. cap. 5. & Theologi cum D. Thoma 3. p. q. 84. art. 10. Vbi fusè ostendunt, hoc repugnare, & misericordiæ Dei, & libero hominis arbitrio quandiu viatoris statum habet.

Ad tertium devenientes, varij reperiuntur Authores in huius loci enodatione. Nam D. Hieronymus, impossibile idem iudicat, ac difficile (iuxta dicta in ista Regula) qui enim sunt peccatis indurati, post cognitionem maiorem, difficilius agunt pœnitentiam. Hoc Apostolus intendit: sed non est impossibile absolutè. D. Anselmus, non intelligit de omnibus baptizatis; sed de illis, qui post magnam vitæ perfectionem, & post multa beneficia accepta, in peccata labuntur. Concilium Coloniense de peccato apostasiæ à fide post baptismum susceptum. Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram. Absolutè intelligit impossibile, scilicet, vt sit impossibile hominem sic lapsum, restitui ad primam innocentiam.

Sed pro cõmuniori expositione, supponendum; quod si tunc temporis, non fuissent aliqui iterantes baptismum, non tam accurate Apostolus, hanc materiam tractasset. Igitur dicendum: quod in his verbis fit sermo de baptismo, & ita ex Augustino, & D. Thoma illorum sit sensus: non quod impossibile sit, pœnitere post lapsum; quia hoc factum est vt dixis sed quod impossibile sit renovari, rursus, idest, rebaptizari iuxta illud ad Tit. 3. *Per lavacrum regenerationis, & renovationis.* Quia nunquam sic posset quis pœnitere; quod posset iterum baptizari. Ita Athanasius lib. de blasphemia in Spiritum Sanctum: vbi advertit non dixisse Apostolum, impossibilem esse pœnitentiam; sed impossibile esse per causam pœnitentiæ, quempiam renovari, iterato baptismate. Et Iustinus quæst. 90. ad gentes. Licet in lege Evangelica vnum sit lavacrum; reliqui tamen lapsis remedium, si pœnitentiæ remedio vti vellint.

Sed tria circa hanc rationem elucidanda se offerunt. Primum: cur qui baptizantur, dicantur illuminati? Secundum: quid obstet, vt peccator post baptismum, re-

renovari nequeat? Tertium: quomodò ex illis verbis: *Rursum crucifigentes sibi metipsis Filium Dei*, inferatur, non posse baptismum reiterari? His enim explicatis, locus Apostoli vndequaque evadet manifestus.

Ad primum ergo respondetur, ex D. Thoma lect. 1. Congrue dici baptismum, illuminationem, quia baptismus, est principium regenerationis spiritualis, in qua intellectus illuminatur per fidem, iuxta illud ad Ephes. 5. *Eratis tenebræ, nunc autem lux in Domino:* & ideò dicitur Sacramentum fidei; & fit in illo ex necessitate Sacramenti invocatio trium personarum Trinitatis, quia est præcipuum, & fundamentale nostræ fidei mysterium.

Ad secundum: quod ille qui post baptismum peccavit, non potest in rigore, iterum renovari ad hunc sensum: quia cum baptismus sit regeneratio quædam, & vitæ Christianæ inceptio, causat illam liberalem, & totalem remissionem, non solum culpæ, sed etiam totius pœnæ, quod per se non confertur alia causa, vel modo.

Sed dices, quare hoc non causaretur, si quis secundo baptismum susceperit? Ad hoc quod, est tertium quæsitum, respondent optimè D. Thomas, & Cayetanus; esse impossibile ex illis verbis Apostoli: *Rursus crucifigentes, &c.* Audiamus D. Thomã: assignat Apostolus rationem, quare baptismus non iteratur: quia baptismus est quædam configuratio mortis Christi: Roman. 6. *Quicumque in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti, &c.* Mors autem Christi, non iteratur; quia Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur: qui ergo iterato baptizantur, rursum Christum crucifigunt.

Iam Cayetanum auscultemus, sic acutè discurrentem: Iteratum ergo baptisma, crucifixionem sibi metipsis, Filij Dei appellat, & subtiliter, ac doctè, ad significandum rationem, quare non potest iterari renovatio per baptismum: quia esset crucifigere Filium Dei non in carne propria ipsius Filij Dei; sed in semetipsis qui rebaptizantur. Nam baptizamur in morte Christi, & consepelimur illi per baptismum, & emergimus è baptismo in novitate vitæ consurgens Christo: ac per hoc iterare baptisma, esset recrucifigere Christum immortalem, non in se ipso, sed in eo qui rebaptizatur; quod repugnat; quia signum, conforme debet esse, significato: vndè; sicut Christus semel mortuus est, & resurrexit non amplius moriturus; ita, semel debet mihi crucifigi: & semel concessum est, resurgere cum ipso in novã vitam, per baptismum. Quod cõfirmatur ex verbis sequentibus: *Et ostentui habentes*; scilicet huiusmodi recrucifixionem, spectare ad publicam ignominiam Filij Dei; tamquam Filius Dei pluries crucifigatur alicui. Videatur D. Thomas.

Cum quo tandem præsens claudatur digresio. Ipse enim 3. p. q. 84. art. 10. cum inquireret, an pœnitentia debeat iterari? obiecit sibi, verba Apostoli citata, ad quæ, ita respondet: quod quia apud Iudæos, erant secundum legem quædam lavacra instituta; in quibus pluries se ab immunditijs purgabant; credebant aliqui Iudæorum, quod etiam per lavacrum baptismi, aliquis pluries purificari posset. Ad quod excludendum, Apostolus scribit Hebræis, quod impossibile est, eos qui semel sunt illuminati, scilicet per baptismum, rursum revocari ad pœnitentiam, scilicet per baptismum, qui est lavacrum regenerationis, & renovationis spiritus, vt dicitur ad Tit. 3. & rationem assignat ex hoc: quod per baptismum, homo Christo commoritur; vnde subdit; rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei. Videantur Hugo, à Lapide, & Iustinianus.

CAPVT OCTAVVM.

De Persona loquente.

VT Deus populo suo opem ferret, & consolaretur, certissimumque fore auxilium, quod promittebat, intelligerent, apud Isaiam 52. ita affatur: *Propter*

ter hoc sciet populus meus, nomen meum in die illa; quia ego ipsi qui loquebar, ecce adsum; quasi ex personæ loquentis certitudine, & cognitione, hæc omnia, firmitatem, securitatemque haurirent. Ex quo, quantum personæ loquentis consideratio valeat, ad plurium locorum scripturæ intelligentiam, manet perspicuum. Attendere enim debemus, quis loquitur, de quo loquitur, & ad quem, sermonem dirigit. Loquens enim, vel loquitur in sua persona, vel altera: vt Christus in sua persona, vel ex suo corpore. Si in se, vel loquitur diuinitas, vel caro, vel membra mystica. Si loquitur in aliena persona, vt Propheta, vel loquitur in Persona Dei, vel hominis, & hominis, vel pij, vel impij.

Iam si consideretur, ad quem fiat sermo, vel ad Deum, Angelos, homines, bonos, vel malos, Iudæos, vel Gentiles, vel ad insensibilia. Si attendatur, de quo loquitur, vel de se, vel de alio, &c. Et alia sunt multa huiusmodi, quorum cognitio, quantum conferat, satis explicuit Eunuchus ille Actu. 8. qui legens Isaiam, & nõ intelligens, quidquid obscuritatis in loco illo erat, causatus est, eo quod ignoraret, an de se, an de alio Propheta sermonem haberet.

Primo ergo attendendo persona quæ loquitur, se offert illud Ioan. 9. quod cæcus dixit: *Deus peccatores non exaudit, sed si quis cultor Dei est, hunc exaudit,* quæ verba, vt dicit Augustinus, sunt hominis adhuc cœci, & nondum illuminati, cui opponit ibi, & lib. 50. homil. 43. quod talis sententia in vniversum, non est vera, & constat ex facto Publicani, Luc. 18. *Deus propitius esto, mihi peccatori,* & dicitur descendisse iustificatus, & peccatores veniam petentes, exaudiuntur: alias in vanum iuberet, petere, & orare, si nunquam daturus esset. De quo D. Thomas 2. 2. q. 83. art. 16.

Sed ponderandus venit locus, quia difficillimus semper visus est: cum ex vno capite illum confirment alia loca Sacræ Scripturæ, vt Isai. 1. *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam.* & Malac. 2. *Maledicam benedictionibus vestris.* Et ex alio capite probant Donatistæ, hoc loco, Sacramenta per malos Ministros collata, esse irrita. Et Cyprianus epist. 64. & 80. eo loco abusus est contra baptismum Hæreticorum. Et Ioan. 9. *Deus peccatores non exaudit.*

Sed his respondet Augustinus: illam sententiam, non esse Sacræ Scripturæ, nec Christi; sed hominis (vt dixi) cæci, & nondum mundi: tamen dicit, illa verba, non conducere ad Hæresim Donatistarum: quia in Sacramentis, aliud sunt orationes, & aliud ipsa Sacramenta. Et licet Deus, peccatorum orationes non exaudiat; tamen illa Sacramenta esse valida, cum principale operans, sit Christus. D. Thomas vbi supra, respondet: loquutum vt cœcum; & ideò, verba illius, vera non esse: licet possit verificari de pecatore, vt peccator est, idest: in quantum petit secundum desiderium peccati.

Adhuc tamen, etiam hoc modo, difficultatem facit exceptio. Quia Iob. 1. 12. Deus condescendit petitione Sathanæ, volentis persequi Iob. Et Psal. 104. dicitur de rebellibus in deserto: *Petierunt, & venit coturnix, &c.* Ex quo constat, Deũ acquiescere votis, & desiderijs peccatorum, etiam ex affectu peccati. Sed occurrit Iansenius cap. 78. concordiæ, & dicit: Deum, non regulariter; sed raro exaudire peccatores: sicut etiam aliquando non exaudit, quoad materiale petitionis iustos, vt Paulũ petētem, à se auferri stimulum carnis, & exauditus non est: ex quibus omnibus, videtur dicendum, debere attendi in illis verbis, loquentis personam; & ita non necessario admittenda illius verba.

Iudith 9. Laudat factum, quod refertur Genes. 34. de Simeone, & Levi, devastantibus Civitatem Sichem, propter iniuriam strupi illati sorori Dinæ dicens: *Domine Deus Patris mei Simeon, qui dedisti ei gladium in defensionem alienigenarum, qui denũdaverunt femur Virginis, &c.* Vbi ipsa Iudith, videtur dicere, illud Deo iubente, & volente, factum esse:

Cum

Cum tamen, eodem capite 34. Iacob improbet illud factum, & 49. videtur maledicere, & multa mala imprecari ipsis Simeoni, & Levi, propter tale factum; quod ex alio capite videatur iniustum; cum ex solo principis peccato, nedum nocentem; sed etiam innocentes, & parvulos occiderint.

Respondetur: hic attendendam esse, personam loquentis, quæ fœminea ignorantia, & levitate, putavit fuisse iusta, omnia quæ in defensionem violatæ castitatis, peracta sunt: quæ tamen, non omnia Deo volente fecerunt; licet zelus fuerit, sed vituperabilis modus. Sicut etiam Exod. 1. Verba obstetricum, quæ de Hebræis puerperis dixerunt: *Ipsæ obstetricandi habentes scientiam, & priusquam veniamus ad eas, pariunt*: quæ videntur contraria, alijs eiusdem capitis verbis, v. 17. *Non fecerunt iuxta præceptũ Regis Ægypti, sed conservabant mares, &c.* Sed respondetur: attenta ratione personæ, illas in primo loco, verum non dixisse, licet zelus laudabilis fuerit.

Deinde, Iudic 11. dixit Rex Amonitarum: *Tulit Israel terram meam, quando descendit de Ægypto*: quod mendacium est, vt patet ex num. 21. quia terra illa, non erat Amonitarum, sed Amorrhæorum, vt dicit Iepte. Similiter versic. 24. dicit Iepte: *Nonne, ea quæ possidet Chamos Deus tuus, tibi iure debentur?* Ibi Iepte, falsum dicit, quod Chamos, Deus Amonitarum sit, & aliquid possideat; cũ nullius rei sit Dominus, & ita nihil consequenter, dare potuit, suis cultoribus. Loquutus est autem Iepte, secundum falsam opinionem Regis. Similiter versu 26. dicit Iepte: habitasse per trecentos annos, filios Israel, iuxta Iordané, in Civitatibus: quod quidem, falsum est, secundum opinionem, & modum recensendi Chronologorum; cum tantum intercesserint 266. anni & ita, illud dixisse falso, vel ex dictis, recensendo tantum numerum quadratum.

Facit etiam, quod dicitur 1. Reg. 4. vbi Philistæi exclamaverunt loquentes de Deo Israel: *Hi sunt Dij, qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto.* Quibus in verbis, semel atque iterum, mentiti sunt. Primo: vocando numero plurali Deos Israel, qui vnus est. Secundo: illos percussisse Ægyptum omni plaga in deserto; cum tamen Exod. 7. & 8. constet, plagas illatas fuisse in Ægyptum, & non in deserto: nisi fortè intelligas, loqui de submersione in mari; sed hæc non fuit omnis, sed vna plaga; & ita illos omnino fuisse mentitos. Nisi fortè accipiatur pars pro toto, & nomine plagæ intelligantur supplicia, quibus Deus in deserto filios punivit Israel.

Cap. 21. eiusdem libri dixit David Abimelech Sacerdoti: *Rex præcepit mihi sermonem, & dixit, &c.* Vbi ex plurium sententia, David lingua lapsus fuit; cum Saul illi nihil tale præceperit; imò, propter oblatos ipsi panes, occissus fuerit Abimelech à Saule, per manum Doeg, vt dicitur cap. 22. Et etiam cap. 27. Videtur David, vel mentitũ fuisse, vel saltem verbis vsum amphibologicis, cũ Rege Achis, dum dicit, se irruisse contra meridiem Iudæ, &c. ex quibus verbis, intelligebat Achis, David prædas agere, contra Israel; cum tamen deprædaretur Philistæos ipsos. Sicut etiam 2. Reg. 29. dicit David, se pugnasse contra Ismael; cum tamen pro ipso pugnet. Sicut etiam Achis, 1. Reg. 29. dicit: David secum mansisse multis annis; cum tamen ex cap. 27. dicatur mansisse 4. mensibus.

Dignum etiam consideratione est, illud 2. Reg. 1. Vbi quidam Amalechites, nunciavit David, dicens: *Quod locutus sit sibi Saul, & dixerit: sta super me, & interfice me, &c.* Stansque super illum, occidi illum: quod tamen, falsum videtur, & cõtrarium cum eo quod dicitur: Arripuit Saul gladium, & irruit super eum: cum ergo se ipsum interfecerit, falso dixit Amalechites ipsum interfecisse Saul, & sic cõmuniter sentiunt Expositores. Iob. 3. Ipse vocat amicos suos, fabricatores mendacij, & cultores perversorum dogmatum. Act. 1. Corith. 3. Citantur verba Eliphaz ex cap. 5. qui apprehendit sapientes in astutia sua: Quomodo ergo fabricatores

res

res mendacij sunt, si spiritus illorum, sententia Pauli approbatur loco citato, & alijs annotatis à Pineda c.4. præfato. Sed dicendum: quod licet in pluribus, veritatem attigerint; in alijs tamen, ab ipsa deficere potuerunt, maximè in illis locis, vbi videntur adstruere, solum in pœnam peccatorum infligi tribulationes à Deo, cum multoties non propter peccata; sed vt manifestentur Dei opera irrogentur.

Hic etiam explicari debebat, quomodò aliquando Sacra Scriptura procedat, secundum quod sensit, vel opinatus est ille, de quo loquitur, vel cum quo loquitur, vel audientes intelligere potuerunt. Sed de hoc iam supra egimus. Deuter.22. dicitur: *Quod si vir repererit puellam in Civitate, & apprehendens concubuerit cum ea: adduces vtrumque, ad portam Civitatis, & lapidibus obruetur; puella, quia non clamavit; vir, quia humiliavit eam. Si autem in agro repererit, ipse morietur solus, puella nihil patietur, quia sola erat in agro, clamavit, & nullus adfuit, qui liberaret eam.* Quæ verba difficultatem continent: fieri etenim potuit vt vterque condixerint egressum in campum: & etiam fieri potuit, vt ipsa libens consenserit, vel etiam, quod non clamaverit. Dicimus ergo: quod Sacra Scriptura loquitur, secundum hominum opinionem, quæ communiter nõ existimat, puellas tam faciles, quæ tantum facinus libenter patiantur: neque existimat, puellam solam repertam in agro, voluntarie consentire, sed vim pati, & clamoribus se tueri, ac defendere.

In 2. Reg. 23. & alibi sæpè, loquitur iuxta fabulas, & figmenta Poetarum: non quia credat, neque credere nos vellit, illa vera esse, sed vt explicet aliquid nobis, iuxta nostrum vsitatum modum loquendi, alias minus intelligibile; ibi enim dicitur iuxta vulgatam: *Castra esse posita, in valle Gigantum*: at septuaginta dixere in valle Titanum, ex fabulis de filijs Titan. Sicut etiam Iudith 16. dixit ipsa: *Non cecidit potens eorum à iuvenibus, nec filij Titan percusserunt eum*, scilicet Holofernem. Et Iob 9. loquens de imaginibus, & constellationibus cœli dicit: *Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hiadas, & interiora austri.* Vbi nomine fabuloso Arcturi, describit sydus quoddam fulgentissimum iuxta polum Septentrionalem, in cauda vrsæ, quod vulgo dicimus *el carro*. Vt etiam *Orion*, sydus quoddam est, sicut etiam *Hyadas*, quas vulgo dicimus *Cabrillas*. Et cap.38. *Nunquid coniungere valebis micantes stellas Pleyadas; aut girum Arcturi poteris dissipare?* Adcinit Amos 5. *Et facientem Arcturum, & Orionem.* Et Iob 42. dicitur: nomen tertiæ filiæ Iob, fuisse Cornustibij: & Isai.34. occurrunt dæmonia Onocentauris, & Pilosus, quæ nomina sunt fabulosa.

Aliquando etiam, vulgi communem errorem videtur amplecti, iuxta sensum aliquorum Patrum existimantium, non dari antipodas, mundumque, non esse vndequaque orbicularem: sed supra planitiem terræ, & maris, consurgere fornicem, & concavum Cœli, ad modum disci cooperientis terram. Sic Isaiæ 13. *Dominus exercituum præcepit militiæ belli, venientibus de terra procul à summitate Cœli.* Vbi nominat summitatem Cœli, illam partem, quæ videtur extrema in Oriente, vbi videtur terram contingere Cœlum. Et Ierem.13. *Elevat nebulas ab extremitatibus terræ.* Eadem est forma loquendi, Matt.24. *Congregabunt electos à quatuor ventis, à summis Cœlorum, vsque ad terminos eorum.* Ierem. etiam cap.31. Redarguit vanitatem Geographicorum, & Astrologorum dicentiũ: magnitudinem Cœli, & terræ, mensurari posse dicens: *Si mensurari potuerint, Cœli sursum, & investigari fundamenta terræ deorsum*; cum tamen ex aliquibus, certa mensura, cognosci possint.

Notandum etiam: quod aliqua nomina communia accipiuntur secundum hominum sensum; de quo iam aliqua supra vt cap.12. Matth. dixit Christus: *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Certè non est sensus, quod non venerit iustos vocare; cum Baptistam, Elisabeth, Annam, & alios vocaverit; sed quod non venerit vocare Scribas, & Pharisæos qui se

iustos æstimabant, sed peccatores qui tales se cognoscebant vt Publicanus. Sic etiam intelligendum, quod antea dixerat cap. 9. *Non est opus valentibus Medico, sed male habentibus.* Ibi enim, nomine valentis, & sani, non intelliguntur hi qui revera valent, & sani sunt, sed hi qui proprio iudicio valere se putant ex superbia, iuxta illud Apoc. 3. *Dicis, Deus sum, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser, &c.* Et talibus non est opus Medico; sed male habentibus scilicet peccata sua recognoscentibus.

Difficilia etiam verba habentur cap. 11. vbi dicitur: *Iustificata est sapientia à filijs suis.* Quorum sensus, ex antecedentibus clarescit; proposuerat enim parabolam Iudæis, ex similitudine puerorum ludentium in foro; ad quorum similitudinem dicit, nec Ioannem austeram vitam agendo; nec Christum communem ducendo, potuisse populum illum ad virtutem reducere; imo multas retulisse iniurias. Ex quibus infert: quod sapientia Dei, suam causam hoc facto iustificavit: dum per vtramque viam, austeram, & placidam, illos reducere conata est, & nõ potuit. Iustificata est (inquit) sapientia à filijs suis: vbi filij sapientiæ, communi scripturæ phrasi, dicuntur sapientes, sicut filius perditionis, dicitur homo perditus Ioan. 17. Difficultas est, qui vocentur filij sapientiæ & sapientes? Sed dicimus vocari tales in præsenti, ipsos Scribas, & Pharisæos, quos filij sapientiæ vocat, non quod re vera tales fuerint, sed quod tales se ipsos præsumerent. Ita Maldon. & alij.

Spectat etiam adhoc, quod v. 25. eiusdem capitis habetur. *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Quibus in verbis, sapientes, & prudentes, iuxta cõmunem expositionem, dicuntur, vel Gentiles, ex Teophilacto, vel Scribæ, & Pharisæi, ex Chrisostomo, & Hieronymo: & parvuli, ex communi sententia, vocantur Apostoli, & alij humiles, & abiecti mundo, qui in Christum crediderũt. Et illi vocantur sapientes, non quod tales essent; sed quod esse deberent, vel tales se esse videbantur, ex Hilario. Vel ex D. Hieronymo, dicuntur sapientes, & prudentes superbi, secundum carnem viventes, qui tam longè abeunt à vera sapientia; alij autem, parvuli, vocantur, non quia revera tales essent; sed quia Scribis, & Pharisæis, abiecti, & simplices videbantur. Quo etiam sensu 1. Cor. 1. minatur Deus: *Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo*; non inquam veram sapientiam, & prudentiã; sed illam quã ipsi qui se prudentes existimant, prudentiam reputant ex D. Thom.

Imò etiam ipse Christus aliquando de se loquitur secundum hominum opinionem. Marc. 10. cum quidam ipsi dixisset: *Magister bone, &c.* Respondit: *Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi Deus.* Ex quibus verbis, inferebant Arriani. Teste Ciril. lib. 2. Thes. cap. 1. Christum non esse Deum, cum illis verbis videatur, se à divina excludere bonitate. Respondetur tamen: Christum se neque bonum, neque Deum dixisse, iuxta illius adolescẽtis opinionem. Et Ioan. 4. dixit Christus Samaritanæ: *Vos adoratis quod nescitis; nos adoramus quod scimus.* Vbi Christus se cum adoratoribus miscet. Quem etiam locum obijciebant Arriani contendentes Christum non esse Deum. Sed occurritur, Christum ex mulieris opinione loquutum fuisse, quem nõ credebat Deum, sed hominem Iudæum illum esse. Vnde pronomen illud *non*, ibi non personam, sed genus significavit.

Ioannis etiam cap. 5. difficilia Christi Domini habentur verba scilicet: *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.* Quomodo enim adaptari possunt, cum alijs quæ cap. 4. dixit: *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meũ.* Secundus autem locus, verus est vndequaque, & primus explicandus est ita: testimonium meum, non est verum: non quod re ipsa, verum non sit; sed quod vt tale non habetur, secundum vulgarem hominum opinionem, quæ cõmuniter homini se laudanti, & de se ipso testimoniũ per-

perhibenti, non credit. Vel testimonium meum non est verum, secundum opinionem vestram, qui me persequimini, & quæritis interficere quasi Sabbatum, non custodiam. Et etiam B. Virgo Luc. 2. Ioseph dixit Patrem Christi, ex vulgi opinione, vt habetur Luc. 3. *Vt putabatur Filius Ioseph.*

Quid autem sibi vellint, illa Christi verba ad Iudam Matt. cap. 26. *Amice, ad quid venisti?* Cum antea de illo dixerit: *Et vnus vestrum diabolus est*, quomodò ista cohæreant? Hieronymus respondet: eos quos Christus aliquando amicos vocavit: *Vt iam non dicam vos servos, sed amicos*, postea, non secundum veritatem, sed improperando, sic etiam appellasse. Sicut cap. 22. Pater familias nõ habenti vestem nuptialem, dicit: *Amice, quomodò huc intrasti?* Cum revera nõ esset amicus: cum postea dixerit, *ligatis manibus, &c.* Et cap. 20. operario murmuranti obiecit: *Amice, non facio tibi iniuriam*; cum tamen, secundum veritatem non talis esset, cum dixerit, an oculus tuus nequam est, &c. & sic de alijs.

Hac etiam phrasi, venit explicandus Isaac, cum Genes. 27. data Iacob benedictione, ingressus postea Esau, dicit illi: *Venit germanus tuus fraudulenter, &c.* Sed cum Iacob, ex communi, ius ad benedictionem haberet, hoc verbum, vel intelligendum venit secundum apparientiam, & exteriorem modũ, & non quantum ad rem, vel cautelosè, & pia fraude, ita D. Thomas ibi; vel secundum æstimationem Esau, qui fraude sibi ereptam cõquæstus est benedictionem. Genes. etiam 44. dixit dispensator Ioseph, fratribus suis: *Scyphum furati estis, in quo solet Dominus meus augurari.* Et postea Ioseph v. 15. *An ignoratis, quod non sit similis mei in augurandi scientia?* Omissis pluribus. Respondetur ex D. Thoma ibidem: vtrumque locutum fuisse secundum opinionem Ægyptorum, qui pro divino illum habebant, ex somniorum Eunuchorũ, & Pharaonis interpretatione; vel ex Augustino non assertivè, sed iocose, idest tentativè.

Capite 5. Matth. protulit Christus, *qui ergo solverit vnum de mandatis istis minimis, &c.* quæ verba non minimam curam attulerunt interpretibus. Sed dicendum: mandata ibi minima vocari, quæ Pharisæorum opinione, minima erant, vt homicidium, & furtum, solum mente commissa, qualia nono, & decimo prohibentur mandato: præcepta verò maxima, illa quæ etiam opere executa erant. Capite etiam 14. dicitur Herodes contristatus de morte Baptistæ propter ius iurandum, & versic. 5. dicitur quod volebat eum occidere: tristitia ergo illa, secundum Hieronymum, intelligenda venit, secundum adstantium opinionem.

Denique cap. 7. Ioannis locus se offert difficilis. Vbi Christus dixit: *Vos ascendite ad diem festum hunc: ego autem non ascendo ad diem festum istum.* Et tamen v. 10. dicitur: *Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc, & ipse ascendit ad diem festum.* Torsit locus Expositorum ingenia: sed nunc, breviter dicimus: Christum loqui, secundum opinionem cognatorum suorum. Illi enim, eum purum hominem esse putabant; & si aliquid supra haberet, miraculis volebant experiri: & ita, tanquam hominem reprehendebant, & hortabantur, vt ascenderet in diem festum, & manifestaret se ipsum mundo. In hoc ergo sensu, negat Christus, tanquam hominem se ascensurum, quia vt talis, Iudæorum non posset resistere violentiæ, ipsum occidere volentium; ascendit tamen vt Deus, divinitate, virtute, & potentia plenus, & confisus. Tandem cap. 18. dixerunt Iudæi, non introituros prætorium Pilati, vt non contaminarentur; hoc quidem, falsum est: cum revera contaminatissimi essent, vtpotè deicidæ; dictum ergo fuisse intelligatur, secundum falsam ipsorum hypocrisim, & simulationem.

CAPVT NONVM.

De persona cui fit sermo.

CVm sint correlativa, loquens & audiens, post illius considerationem, de isto, verba veniunt facienda, quod etiã ad Sacræ Scripturæ intelligentiam valdè conducere, ambigit nemo. In primo ergo Genesis capite, dictum fuit: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Quæ verba ita accipiunt Hæretici, vt intelligant esse præceptum datum omnibus & singulis hominibus, & ita cœlibatum, & continentiam, licitam non esse; sed falluntur, quia per illa, exprimitur naturæ institutio; cum etiam animantibus præcepti incapacibus dixerit v. 22. eadem verba: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, aquas maris, &c.*

Alij verò dicunt: præceptum esse, nedum in veteri testamento; sed etiam in novo Matth. 19. *Quod Deus coniunxit homo non separet*; cum etiam naturæ præceptum sit; sicut etiam præceptum conservandi individuum, multo magis mandatum, de conservanda, & propaganda specie. Sed tamen respondetur: quod licet præceptum sit; est tamen affirmativum, quod non obligat, nisi in casu necessitatis vt commedere. Et datum esse, non singulis de communitate, sed toti, vt aliqui scilicet in ea sint, qui nubant. Vel etiam quod si datum est omnibus; fuit tamen solum, cum terra vacua erat vt in exordio mundi, & etiam statim post diluvium; dicitur enim: *Crescite, & replete terram*, significans, tunc solum instare præceptum, cum terra replenda erat. Sic D. Hieronymus lib. 1. contra Iovin. & D. Thomas 2. 2. q. 152. art. 1. ad. 2. Vbi optimè hoc elucidat: ex quo liquet, attendendum esse in Sacra Scriptura, ad quos, vel cum quibus illa loquatur, vt in præsenti; licet enim, omnibus loquatur, sed non singulis.

Eiusdem rationis videntur esse illa verba cap. 2. *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile illi.* Quæ verba, contrariari videntur illis cap. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Sed facile solvitur, si distinguamus duos status hominis innocentis, & peccatoris. In primo, cum omnes qui nascerentur secundum aliquos fuissent prædestinati (videatur D. Thomas 1. p. q. 100. art. 2. in contrarium inclinans) & absque vllo impedimento vacassent Deo; tunc non erat bonum, hominem esse solum, cum in illo statu si solus remansisset, nullos potuisset generare: at verò nunc in natura lapsa, tot tantisq; malis, periculis, & vitijs exposita, tanta incommoda affert matrimonium, vt licet malum non sit nubere; est tamen laus ab illo abstinere, ex Cyprian. lib. de habitu Virg. Similia sunt illa 1. Corint. 7. *Vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum propter fornicationem.* Sed non cum omnibus loquitur; sed de coniugatis, qui in paganismo vxores duxerant, dubitabant vtrum conversi ad fidem, eas retinere possent? & respondit Paulus, posse. Videatur D. Thomas ibid. lect. 1.

Cap. etiam 9. Genes. dicitur: *Maledictus puer Chanaan, servus servorum sit fratribus suis.* Quæ verba dubium faciunt, ex eo quod cum Cham peccaverit irridendo nuditatem Patris sui Noe, ipse non maledixerit filio irreverenti, sed maledixerit nepoti Chanaan. Respondent aliqui: Chanaan, prius vidisse nuditatem avi, & nunciasse Patri suo, & id circo avum maledixisse nepoti, quia fuit prima causa irrisionis. Sed hoc difficulter dicitur, si hæc historia immediatè accidit post egressum ex arca; cum constet 1. Petr. 3. Octo tantum animas in ea salvatas scilicet: Noe, vxor eius, tres filij, & eorum vxores; igitur tunc non existebat Chanaan, & sic dicendum: octo vel novem ad minus transactos annos, & constat, cum dicat Scriptura: *Cœpit Noe colere terram, plantavit vineam, & bibit vinum, &c.* ad quæ aliquos transisse annos necessum fuit.

Alij dicunt: Noe non ausum fuisse maledicere filio suo, cui Deus benedixerat,

vers.

verf.1. Et ideò maledixiſſe nepoti. Tertio alij aſſerunt nõ maledixiſſe Cham, ne tota eius poſteritas ſcilicet Chus, & Nephain, & Puth maledicerentur, ſed ſolũ deſcendentes per Chanaan, ſcilicet, Iebuſæi, Amorrhæi, & alij relati cap. 10. Vel quarto, iuxta noſtram Regulam poteſt dici maledixiſſe nepoti, ita vt in eo etiam Patri malediceret in ſuo ſucceſſore. Ac ſi diceret, ex D. Thoma, tu & tua generatio, eſtis maledicti à Deo. Vel ex ipſo D. Thoma. Hoc feciſſe, quia vidit in ſpiritu, gentem Chananæorum ex hoc Chanaan generandam, eſſe à Deo ſingulariter maledicendam, & exterminandam per Iudæos qui fuerunt de genere Sem: & etiam per Aſſyrios, qui de Sem ſunt orti, & etiam per Romanos qui deſcenderunt per Iaphet.

Lib. 3. Reg. cap. 19. dixit Deus Eliæ: *Vnges Hazael Regem ſuper Syriam; & & Iehu filium vnges Regem ſuper Iſrael.* Quod tamen conſtat non fuiſſe factum ab Elia, cum Hazael deſignatus fuerit Rex Syriæ ab Eliſæo 4. Reg. 9. & Iehu vnctus fuit à diſcipulo Eliſæi eodem cap. v. 6. Sed dicendum: Deum locutum fuiſſe cum Elia, & præcepiſſe ipſi rem exequendam per Eliſæum, & diſcipulum ipſius. Similiter etiam eodem lib. cap. 21. comminatur Deus per Eliam Achab dicens: *In loco hoc in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum.* Et tamen conſtat canes non linxiſſe ſanguinem Achab, cum cap. 2. dicatur ſepultus in Samaria. Attamen impletus eſt in filio eius Ioram, cuius ſanguinem, vt ibidem dicitur, linxerunt canes.

Comminatur Deus per Ezech. 20. populo dicens: *Educam vos de populis, & congregabo vos de terris in quibus diſperſi eſtis, in manu valida &c. Et in furore effuſo regnabo ſuper vos.* Cum tamen cap. 3. Sophoniæ, placide eos alloquatur dicens: *Reliquiæ Iſrael, non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, &c. Et nõ erit qui exterreat.* Tam diverſæ enim locutiones, vni, & eidem populo, difficulter adaptantur, niſi dicamus in vno loco, loqui cum his qui in Chriſtum crediderunt, & in alio cum infidelibus. Et alia huiuſmodi plura in Prophetis, modo beneficia, modo punitiones annuntiando. Quod intelligẽdum eſt ſub diverſis temporibus, vitij, vel virtutis. Et Agæi. 2. loquitur Deus cum Zorobabel Duce Iudà. *Ego movebo Cælum, ſubvertam ſoliũ Regnorum, &c.* Vbi multa promittuntur, quæ ipſi Zorobabel competere non poſſunt, & ſic dicendum, loqui cum alio, ſcilicet Chriſto, ſub typo Zorobabel.

Hinc plures Prophetiæ explicari valent, quæ non ſunt adimpletæ in illis ad quos dictæ fuere, ſed in alijs ſubſequentibus. Vt Geneſ. 12. tam amplæ promiſſiones factæ Abrahæ, cui promiſſum eſt, vt in ipſo benedicerentur omnes cognationes terræ. Et Geneſ. 22. quæ promiſſiones Paulus ad Galat. 3. explicat, intelligendas eſſe non de ipſo dicens: Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius, non dicit, & ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in vno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Ita etiam explicatur Act. 3. & ad Hebr. 9. pariter explicandæ ſunt promiſſiones factæ, Gen. cap. 3. 15. 16. & 18.

Expendendum eſt etiam, de qua re fiat ſermo. Sunt enim aliqua verba, quæ cum ad aliquem dirigantur; non tamen cum illo loquuntur. Ad rem valdè Pſalm. 71. cuius titulus eſt: *In Salomonem*; ſed pleraque, vel omnia ipſius, non conveniunt Salomoni, maximè verſus quintus: *Et permanebit cum Sole, & ante Lunam in generatione, & generationem.* At Regnum Salomonis cum ipſo expiravit, nec v. 8. de dominio, & de Regibus, & v. 11. multa alia. Sed facilè reſpondetur: quod etſi in aliquibus cum Salomone loquatur; ſed in alijs pluribus, cum Chriſto loquitur; & vox *Salomon* in titulo idem eſt, ac ſi pro nomine proprio poneretur patronymicum, vt in Salomonem idem ſit, ac in filium Salomonis, ideſt Chriſtum. Sicut etiã ſæpè in ſcriptura ponitur Iſrael pro Iſraelita, vt Pſal. 113. *In exitu Iſrael de Ægypto*, ideſt; Iſraelitarum. Vel etiam ſi nomẽ proprium Salomonis ponatur pro com-

communi, in Salomonem, idest pacificũ, scilicet Christum Psal. 36. & 119. & Cant. 8.

Psalmus etiam 15. inscribitur: *Ipsi David*; & tamen loqui de Christo ad litteram probavit D. Petrus Act. 2. testimonio ex illo adducto, *Providebam Dominum, &c.* & D. Paulus Act. 13. desumpsit ex illo verba illa: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Ezech. 34. Videtur loqui cum David: *Suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascat eas servum meum David.* Et Oseæ 3. *Revertentur filij Israel, & quærent David Regem suum.* Tobiæ 13. quam plura dicuntur de Civitate Hierusalem: quæ neque cœlesti, neque terrestri adæquari possunt simul, sed cœlesti aptantur quæ dicuntur v. 12. *Omnes fines terræ adorabunt te, nationes ex longinquo ad te venient.* Et v. 19. *Hierusalem Civitatem suam à cunctis tribulationibus liberabit.* Quod terrenæ non competit, cum neque liberata sit à Caldæis, Ægyptijs, Romanis, Sarrazenis, &c. Terrenæ autem Hierusalem conveniunt quæ dicuntur v. 11. & 12. *Castigabit te Dominus in operibus manuum tuarũ, vt ædificet in te tabernaculum, & reducat omnes captivos tuos.* Quare diligenter inspiciendum est, cui quæque aptentur. Vt Ioel. 3. *Iudæa in æternum habitabitur, & Hierusalẽ in generatione, & generationem, & erit Hierusalẽ Sancta, & alieni non transibunt, per eam amplius*; quod de terrena intelligi non potest, cum Romani, & Turcæ sancti non sint. Similia alia in Ezech. 39.

Apud Iob 25. dicitur: *Numquid est numerus militum eius?* Quasi dicat, non posse numerari eius militiam, scilicet militiam Cœli Stellas videlicet, & Astra. Cui obstare videtur illud Psalmi 146. *Qui numerat multitudinem Stellarum, &c.* Sed evincitur dicendo, à nobis non posse numerari; (videantur Astrologi) benè verò ab Angelo, vel ab ipso Deo. Illud etiam Psalm. 16. *Propter verba labiorum tuorum, ego custodivi vias duras*; & tamen Matth. 11. dicitur: *Iugum meum suave est, & onus meum leve.* Sed vtrumque componitur, si dicamus (præter alias expositiones) illas vias dici duras, carni, & sanguini, sed suaves spiritui. Illud etiam Eccles. 46. Vbi loquens de iudicibus qui præfuerunt populo Israelitico ante Reges dicit: *Et Iudices singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor, &c.* Vbi cum omnes dicat rectè processisse, & gubernasse, contraire videtur illud Iudic. 9. de Abimelech. Qui occidit septuaginta viros fratres suos. Sed respondetur; quod loquitur, Ecclesiasticus de illis solis, qui rectè præsiderunt, & gubernarunt.

Capite etiam 49. habetur: *Quod præter David, Ezechiam, & Iosiam, omnes peccatum commiserunt* ingerit difficultatem, quod etiam isti graviter peccassent, vt David homicidio, adulterio; & numeratione populi 2. Reg. 11. & Ezechias peccato vanitatis, ostendendo thesauros suos 3. Reg. 15. & 4. Reg. Reg. 20. Sed dicendum: istos peccare, sed nõ peccato infidelitatis, & idolatriæ. Denique Abraham Genes. 22. dixit: *Postquam adoraverimus revertemur.* Secundum mentem ipsius de se solo dixit, quod si etiam de puero, contra mentem ipsius dirigente linguam eius spiritu Sancto, ex aliquibus.

Tripliciter autem D. Thomas hoc explicat. Primo, revertemur ex spe resurrectionis Isaac. quia ex cap. 11. ad Hebr. *Arbitratur quia à mortuis eum suscitare, potens est Deus.* Secundo, ex conditione communiter sub intelligenda, vel sub intellecta, scilicet si Deus voluerit, vel vita comes fuerit. Tertio intelligitur: nisi ex speciali Dei iussu, aliud evenerit. Sicut enim supernaturalia miracula sunt, excepta à lege communi loquendi; sic supernaturalia, & occulta, & invsitata Dei consilia, & mandata.

Alia subijcit digna lectu, quæ brevitatis causa ommittuntur.

(.·.)

CAPVT DECIMVM.

Quod propter vnius verbi translationem, non totus locus figurate accipiendus est.

ALiqua iam in superioribus, cum de Regulis sensus litteralis ageremus, ad hoc Caput conducentia, adduximus; sed quia materiam concernit apprime necessariam, in qua plures infeliciter prolapsi fuere; iterum ex professo illam illustramus. Et quia cum caput tertium Genesis explicãdum suscepimus pro oppositione ad Cathedram Scripturæ anno 1672. die 2. Octobris Sacro Virginis Rosario dicata circa illa verba: *Et aperti sunt oculi amborum*, hac Regula vsi sumus, quæ ibi compendio, hic laxiori calamo enodare intendimus.

Igitur in præsenti, vt securi evitemus naufragium, præ oculis tenẽdum est semper illud vulgatum, quia medium tenuere beati quidam enim omnia litteraliter accipientes, alij omnia figurate interpretantes, veritatis scopum non attingentes, in plurima devenere inconvenientia; inter Scyllam, & Charibdim recto cursu incedendum: vtrumque namque extremum declinandum admonuit Hieroym. cap. 1. Ionæ. Apostolus Agar, & Saram, ad duo testamenta refert; & tamen non omnia quæ in illa historia refert, tropologice interpretari possumus. Et ad Ephesios cap. 5. de Adam, & Eva disputans ait: Propter hoc relinquet homo patrem, & matrẽ suam, & adhærebit vxori suæ, &c. Sacramentũ hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, & Ecclesia nunquid totum principium Genesis, & fabricam mundi, & hominum conditionem, ad Christũ, & Ecclesiam referre, possumus? Sed vnusquisque locus diversam recipit intelligentiam. Et Augustinus figurate, (inquit lib. 8. de Genes. ad litter. cap. 1.) qui omnia dicunt in sacris litteris, accipi falluntur, si credunt. Liber qui Cantica Canticorum Salomonis dicitur, totus figuratis locutionibus constat. Quidam vero alij Sacræ Scripturæ libri, rerum gestarum narrationem continent, vt libri Regum, & similes: qui etsi allegoricum sensum patiantur, ille tamen, super historicam narrationem fundatur. Quædam vero sunt, quæ si allegorice tantum narrentur, absurda, & impossibilia continere videantur. Vt si quis, totam Paradisi narrationem, spiritualiter intelligat, Quis Cain, & Abel genuit, & Seth? an & ipsi figurate tantum fuerunt, non etiam homines ex hominibus nati? De proximo ergo attendant istam præsumptionem, quo tendant, & conentur nobiscum cuncta primitus, quæ gesta narrantur, in expressione veritatis accipere.

Cavendum est etiam, ne figuratam locutionem, ad litteram accipiamus; nec locutio propria, vt figurata desumenda est, ex Augustino lib. 3. de Doctrina Christiana, cap. 10. & 11. Ad hoc pertinet, quod ait Apostolus 2. Cor. 3. *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Cum enim, figurate dictum, sic accipitur, tanquam propriè dictum sit, carnaliter sapitur. Neque vlla mors animæ congruentius appellatur; cum id etiam, quod in ea bestias antecellit, hoc est, intelligentia carni subijcitur, sequẽdo litteram, qui enim sequitur litteram, translata verba sicut propria tenet; neque illud quod propriè verbo significatur, refert ad aliam significationem, &c. Illi autem observationi, qua cavemus figuratam locutionem, idest translatam quasi propriam sequi, adiungendum est, ne propria, vt figurata accipiatur. Demonstrandus est igitur prius, modus inveniendæ locutionis; propria ne, an figurata sit? Ita Augustinus: non ergo omnia litteraliter, nec omnia figuratè sunt accipienda, sed regulis supra traditis, ne erremus, vtendum est, & aliquibus locis adductis rem perspicuam reddemus.

Sit ergo primus locus, ex Genes. cap. 3. Vbi refertur, *quod post esum ligni vetiti, aperti sunt oculi amborum.* Adeò quosdam præsit sententia, vt aliqui teste Philastrio Hæres. 66. dixerint. Adam, & Evã cæcos fuisse creatos; cuius erroris occasio pro-

promanavit inde; quia illa verba translatè accipienda esse censebant, & etiam tota historia figuratè intelligenda oportebat. Sed insurgit benè Augustinus: si vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, quomodo cæca? Quomodo si cæcus erat Adam, adducta sunt ad eum omnia animalia, vt videret, quid vocaret ea? Apertos ergo dicit scriptura illorum oculos, non ad videndum, quia iam antea videbant; sed ad discernendum inter bonum quod ammiserant, & malum in quod ceciderant.

Sed non intelligendum, vt vult Iosephus, quod ante commestionem, erant tanquam parvuli nil intelligentes: quod verum non est: quia sequeretur, ex peccato consequutos fuisse ingens bonum, vsum scilicet, rationis. Et quia ex D. Thoma 1. p. q. 94. art. 3. homo creatus est à Deo, vt haberet omnium scientiam: aperti ergo sunt illorum oculi, nó quod prius essent clausi, sed quia tunc (inquit D. Thomas) experti sunt quod non habebant, scilicet differentiã boni, & mali. Et Oleaster. Neque putes eos ante fuisse cœcos, vt non viderent se nudos, cum fœmina, fructum arboris pulchrum videret ad vescendum, sed non se esse nudos cognoverant ad erubescendum; sicut de pueris diximus, & hoc modo, cognoverunt se esse nudos, quia cæperunt erubescere, sicut iuvenis cum venit ad vsum rationis.

Aliud etiam adducit exemplum, ex Luc. 24. de Discipulis euntibus in Emaus, de quibus dicit textus; quod accepto pane, aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum: quæ omnia ibi narrata, non ad allegoricam intelligentiam, nos ducere debent; quia illud verbum: *Aperti sunt oculi eorum*, figuratè dictum est. Non enim clausis oculis in via ambulabant; sed eum cognoscere non valentes: non ergo est narratio figurata, licet translato verbo scriptura vsa videatur; sed de hoc tractat D. Thomas 3. par, q. 55. art. 4. [ex Augustino explicat dicens: tamẽ à Christo facta est permisio, vt scilicet prædicto modo, eorum oculi tenerentur, vsque ad Sacramentum panis. Non ita, quod clausis oculis ambularent, sed inerat aliquid quo non sinerentur cognoscere, quod videbant, quod scilicet caligo, & aliquis humor solet efficere. Videantur Expositores.

Libro etiam de nuptijs, & concupiscentia, adducit similem locutionem ex illo Genes. 21. vbi refertur de Agar; quod aperuit Dominus eius oculos; & videns puteum aquæ, &c. non quod clausos haberet; sed inadvertentes, & non discernentes, quæ coram se habeat. Et D. Thomas. Ostendendo scilicet puteum quem ibi esse nesciebat. In consecratione Calicis, ex D. Thoma 3. p. q. 78. art. 3. ad. 1. est locutio figurata dupliciter: vno modo, per methonimiam, in qua ponitur continens pro contento; ac si dicat: Hic est Calix, &c. idest, hic est sanguis meus contentus in Calice. Alio modo secundum metaphoram, provt per Calicem, similitudinariè intelligitur Passio Christi: quæ ad similitudinem Calicis inebriat, & est sensus: hic est Calix Passionis meæ; non tamen propter hæc duo verba, quæ secundum tropum accipiuntur, cætera verba cum Calvinistis figuratè accipienda sunt.

Plura etiam loca, sic intelligenda veniunt in quibus Arriani contendebant, filium non esse consubstancialem Patri, negando vnitatem assertam, Ioan. 17. *Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus*. Vbi ex eo quod in primo loco, sumitur, *vnũ*, tropyce; intendebant etiam, totam orationem figuratam esse, vt vnitatem essentiæ negarent inter vtramque personam, & adstruerent solum vnitatem voluntatis. Similiter etiam illa verba vsurpabant ex cap. 20. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum*; vbi quia in secundo loco sumitur figuratè, pro Patre adoptivo; intendebant, etiam in primo loco, eodem modo sumi debere, vt solum fuerit Christus Filius adoptivus Dei, ita referunt Athanas. & Cyrillus.

Origenes etiam lib. 3. in epist. ad Rom. cap. 3. ad hunc sensum tria reducit loca èx illo, Ioan. 4. *Omnis qui biberit ex hac aqua sitiet iterum; qui autem biberit*

ex

ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Vbi *aqua, bibere, & sitire*, in prima clausula propriè sumuntur; in secunda, figuratè. Sicut etiam ibidem v.35. nomen messis, in primo loco, propriè, in secundo, impropriè vsurpatur. Et etiam illud 1.Cor.6. *Eum qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit.* Vbi in prima parte, peccatum propriè; in secunda verò, figuratè, pro pœna accipitur peccati. Sicut etiam illud ad Rom.8. *De peccato damnavit peccatum.* Et etiam Ioannis 1. quater mundus nominatur, in tribus prioribus locis propriè; in quarto autem figuratè.

Sed si in aliquo loco hæc vsurpanda regula venit, præcipuè Luc.16. in historia divitis, & Lazari; contendunt enim Chrisostomus, Iustinus, Theophilactus, & alij, esse parabolam, quia in illa, multa verba sunt, quæ litteraliter desumi non valent, sed tropicè: vt quod dives elevaverit oculos, & viderit Lazarum, quod clamaverit, pauperis digiti, aqua quam dives postulat, ardens lingua, cahos magnum, quod aliqui vellint è sinu Abrahæ, transire ad tormenta, quinque fratres, &c. Et cum hæc propriè, & litteraliter summi non posint, parabolam fore adstruunt: Ista tamen omnia, facilè evincuntur, si iuxta præsentem regulam dicamus; nil hæc omnia obstare quominus historia extiterit vera, omnibus ferè consentientibus, & nihil ob esse, quod aliqua tropice accipiantur, ad hoc vt reliqua litteraliter accipienda sint. De quo Cayet. Maldon. à Lapide, & alij.

Sciendum denique est: quod idem nomen, nedum in eodem capite, propriè, & figuratè potest desumi, vt diximus de aqua, mundo, peccato, &c. Sed etiam in diversis locis, modo propriè, modo impropriè vsurpari solet, quod animadversione dignum videtur: aliquid insinuavimus supra in huius tractatus sectione 1. cap.1. circa nomen clavis. Nunc occurrit locus Genes.43. in quo cõvivium Ioseph, cum fratribus describitur, & dicit sacer textus: *Biberuntque, & inebriati sunt cum eo.* In quadraginta enim, & septem locis, reperitur talis vox in Sacra Scriptura. Et aliquando propriè, aliquando typicè, interpretanda venit. Propriè sumitur, cum dicitur Noe inebriatum Genes.9. & licet Beuter anot.8. Sensum reconditum adducat, nulli dubium esse debet, cum somnus, vini effectus proprius consecutus sit, ita etiam Genes. 14. Cum filiæ Patrem inebriaverunt. Et fortè etiã cum 2. Reg.11. dicitur de Vria, quod David inebriavit eum. Et 1. Machab. 16. Cum inebriatus esset Simon, & alibi. Sed communius sumitur metaphoricè, vt intuenti constabit plura loca textus, in sensu statim adducendo.

Dubium ergo potest esse, de loco Genes.cap.43. *Et inebriati sunt.* Vtrum in toto rigore, an impropriè, explicandus sit? Quod propriè accipiatur, non videtur inconveniens; cum in pluribus Regionibus, ita in vsu fuerit dum opipara parabantur convivia, & hodie apud germanos tale bestialitatis vitiũ, vigere sciamus; ergo nec mirum si tunc etiam hoc in vsu haberetur; in illis enim vt dixit Eustatius lib. 2. diu esur. bibiturque. Et maximè; dum plures conveniunt, poculaque frequentantur, in aliorum salutem, & vt habetur Prov.23. *Vinum ingreditur blandè, & novissimè mordebit vt coluber.*

Sed huic sententiæ in nostro casu acquiescere nó possum. Cum enim Ioseph; omni esset sapientia, intelligentiaq; præditus, ipsum vini vires, astutiæque, latere nó poterant, vt excusari posset sicut Noe ab ebrietate, & Loth ab incestu, ex Augustino contra Faustum; & quia ex D. Thoma 2. 2. q.149. & 150. Ebrietas, est peccatum mortale, & ita ex Cayetan. & alijs, nec mortis metu excusari valeat, ex Augustino serm. 232. Et si ad hoc deveniretur, vt tibi diceretur aut bibas aut morieris, melius erit, vt caro tua sobria occideretur, quam per ebritatem anima moreretur. Quicquid in contrarium dicant Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 4. & alij apud Dianam part.6. resol.44. tract.7.

Et hoc respectu Ioseph ponderandum valdè. Inquirit enim D. Thomas 2. 2. q. 144. art.4. Vtrum sobrietas, magis requi-

ratur in maioribus personis? Et posita distinctione, concludit: alio verò modo, sobrietas magis requiritur in aliquibus vtpotè magis necessaria ad propriam ipsorum operationem: vinum autem immoderatè sumptum impedit præcipuè vsum rationis; & ideò in senibus in quibus ratio debet vigere ad aliorum eruditionem, & Episcopis, seu quibuslibet Ecclesiæ Ministris qui mente devota, debent spiritualibus officijs insistere: & regibus, qui per sapientiam, debent populum subditum gubernare, specialiter sobrietas indicitur: vnde Prover. 31. dicitur: *Noli Regibus dare vinum*: Cum ergo Ioseph, esset quasi Ægypti Rex, & constitutus Dominus, domus Pharaonis, & omnis possessionis, omninò dedecebat eum se inebriare.

Sensus ergo illorum verborũ scilicet: *Et inebriati sunt cum eo*, erit ex Augustino, & D. Thoma ibi. Quod hoc verbum, sæpè ponitur pro satietate, vt in Psalm. 64. *Visitasti terram, & inebriasti eam*. Et ideò, idioma est linguæ Hebreæ, vt ebrietatem pro satietate, sæpius ponat sicut ibi: *In stillicidijs eius inebriabitur terra germinans*, scilicet pluvijs irrigata. Et Oleaster vno verbo: Inebriati sunt cũ eo, aut vino saturati, seu opulenter commederunt. Ex parte, totum; scilicet ex vini abundantia, convivij magnificentia, & Guillelmus Pepinius. Quod autem dicitur biberunt, & inebriati sunt; hic accipitur ebrietas pro satietate more Hebraici sermonis, secundum Petrum Comest. talis autem satietas, vel ebrietas, non est vitiosa. Videãtur Pererius, & à Lapide.

DIGRESSIO CIRCA ILLA VERBA Genesis cap. 3. Fecit quoque Dominus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas.

EXercitij causa, clausulam istam enodandam suscepimus, quia à nobis in prælectione dicta, breviter insinuata; & quia etiam aliqui, metaphoricè illam exponendam contendunt. Tria igitur præstabimus. Primum: aliquorum placita referemus minus litteræ convenientia. Secundum: proprium sensum aperiemus; ac denique: varias Authorum declarationes apponemus.

Ad primum ergo devenientes, Origenes, dicta verba exponens, dixisse fertur (nec disentire videtur Beda) quod tunicæ pelliceæ, quibus Deus primos parentes induit, non fuerunt veræ tunicæ pelliceæ; sed carnalia, & mortalia corpora, quibus post offensam, & eiectionem à Paradiso, Adam, & Eva induti sunt. Consentiunt Methodius in Aglaofonte, & Epiphanius, in Anchorato, ita Origenem tenuisse; quia existimavit rem ridiculam admodum esse, quod Deus decoriatis mortuis animantibus pelles pararet, & pelliceas tunicas consueret, ac si esset coriarius, vel pellium sutor. Aliqui textum Origenis corruptum ab æmulis dicunt; quia ipse homil. 6. in Leviticum rem præsentem versans, sic fatur: Illæ ergo tunicæ, erant de pellibus, ex animantibus sumptæ: talibus enim opportebat indui peccatorem, pelliceis inquam tunicis, quæ essent mortalitatis, quam pro peccato acceperat, & fragilitatis eius, quæ ex carnis corruptione veniebat, indicium. Sed quicquid sit de mente Origenis.

Franciscus Georgius tomo primo problematum contendit, hunc locum, secundum solam nudam allegoriam, intelligendum esse. Ita problemat. 59. Deus non fuit lanius, vt occideret oves, vel agnos, quia cum animalia fecerit bina, & bina, si duo, vel quatuor occidit ad perficiendas tunicas; ergo deinceps creavit alia, quod falsum est, quia quievit Deus die septimo. Sed hæc, per allegoriam dicta sunt; vt intelligantur, hæ tunicæ factæ ex pelle illius agni, de quo scribitur. *Agnus qui occisus est ab origine mundi*, vt ipsius meritis, omnia peccata tegantur. Hac obiectione quam in medium protulit Franciscus, iam Origenistæ vsi sunt, quibus Theodorus Heracleæ, & Genadius Constantinopolitanus occurrerunt, explicantes, quid, & quomodo tales pelliceæ tunicæ ibi repertæ factæ sint, & illis, prothoparentes induti, sed hoc ad tertiam partem pertinet, ibi dicemus.

Sed

Sed in hac parte, vitandus omnino, Theodoretus Cyri Episcopus q. 39. in Genes. post multa enim, quæ super ista verba dixit, sententiam quandam reijciendam, his plane protulit verbis: non oportet adhærere nudæ litteræ Scripturæ Sacræ, tanquam veræ; sed thesaurum in littera latentem, quærere; eo quod ipsa littera Sacræ Scripturæ, interdum falsum dicat. Quæ verba vt iacent, hæretica omnino sunt; sed possunt in bonum sensum reduci, si non putemus, Divinæ Scripturæ litteram, quæ ipsa veritas est, falsum aliquid pronunciare (quod absit) sed quod nobis, nudum tantum sonum litteræ considerantibus, & latentem in ea sensum, non introspicientibus, falsum dicere videatur.

His ita positis; iam ad secundam partem deveniamus. In qua dicimus cum communiori sententia: verba dicta, propriè esse accipienda, & intelligenda, vt sonant Grammaticaliter; licet postea plures intelligentias mysticas, excogitare possimus. Ita D.Gregor. Nazian. Induti sumus vestem pelliceam, historicè quidem, animalium pelles: allegoricè verò, crassam istam, & mortalem carnem. Ita, oratione de Christi Nativitate. Nostra sententia probatur ratione communi: Quia verba Sacræ Scripturæ, ex D. Athanasio lib. de communi essentia Patris, & Filij, Augustino lib. 3. de Doctrina Christiana, & alijs, debent intelligi propriè, & in rigore, vt sonant, nisi ex hoc, sequatur aliquod absurdum, vel inconveniens, vel aliquid contra fidem; sed ex hoc quod prædicta verba, propriè intelligantur, nihil horum sequitur, vel assignetur illud: ergo. Huc veniunt, verba Magni Basilij dicentis: ego, cum terram audio, terram intelligo, cum herbam, intelligo herbam, &c. ergo etiam in præsenti, cum dicat scriptura: fecisse Dominum tunicas pelliceas, sic intelligendæ sunt.

Iam rationem quare illos sic induit, audiamus ex D. Thom. Eos quidem induit, propter eorum necessitatem, & honestatem. Necessitas; quia humana natura, indiget tegumento, propter frigus, & calorem; nam cum sit teneræ complexionis, ex magnis algoribus, vel Solis ardoribus plurimum incurreret damni: alia verò animalia, proteguntur, vel duritia pellis, & corij, vel locis specialibus: ergo vestes, non solum necessariæ sunt, propter cōsuetudinē; sed etiam propter necessitatem. Induit etiam, propter honestatem, ad cooperiendā suam verecundiam: nam erubescunt homines naturaliter de membris genitalibus, quæ rationi, & voluntati post peccatum rebellant, sicut dicit Augustinus lib. 14. de Civit. cap. 20.

Faciunt etiam valdè ad rem, verba Guillelmi Pepinij hic. Moyses consequenter agit de Dei pietate, & compassione erga primos parentes nostros: nam cum eos videret nudos, volens consulere eorum infirmitati, pariter & confusioni, fecit eis tunicas pelliceas. Quandiu enim, in ipsis fuit Iustitia originalis, non erubescebant nudi apparere mutuis conspectibus; nec inde insurgebat in ipsis, motus libidinis (& vt ait Oleaster: neque erubescebant, sicut pueri, qui & si nudi sint, & se nudos videant; non tamen verentur) nec similiter invadebat eorum corpus, frigus & calor, &c. Propter iustitiam originalem, quæ per peccatum ablata, erubuerunt; & fecerunt sibi perizomata, sic dicta, *à peri*, quod est *circum*, & *zoma*, quod est *corpus*. Sed quia hæc non sufficiebant, ad nuditatem, & adversa tollenda; ideò Dominus compatiens, fecit eis tunicas pelliceas, de pellibus animalium mortuorum.

Sed quis sciscitabitur curiosè: quando Deus fecit primis parentibus, tales tunicas? Respondetur ex glossa: quod antequam eos de Paradiso eijceret. Hoc enim ex historiæ ordine, colligi videtur, in qua, primo fit mentio, de huiusmodi tunicis, & deinde de eiectione à Paradiso. Sed illas non fecit, ad defensionem frigoris, vel caloris, cum locus esset temperatissimus; sed quia decreverat eos eijcere inde: præveniendo ergo dictam eiectionem fore statim, illis de indumento, non quod esset ad faustum, sed ad temporis tegumentum providit. Vnde, reijciendus

dus venit Rupertus, qui dicit, ista verba fecitque,&c. dicta per prolepsim: cum paulò post factum fuerit, cum iam multiplicatis animantibus, sacrificia offerret Adam. Hoc enim videtur, & litteræ, & communi Expositorum sensui contradicere.

Ex quo resolvitur dubium, quare Deus potius fecit primis parentibus tunicas pelliceas quam insignes, & pretiosas; cum vtrumque, æqualiter ipsius subiaceat potestati? Respondetur primo: ad refrenandam fatuitatem illorum, quos iam prævidebat gloriaturos, de quo D. Gregorius hom.6. Secundo: ad imprimendum illis, & omnibus nobis, mortis memoriam, quæ ex animalium pellibus facilè depromi posset. Tertio: vt inde, pulchriores redderet animas eorum; vilitas enim vestium exteriorum, exornat animas. Vnde Augustinus serm. 18. de verbis Domini, sic ait: Corporis huius, idest exterioris hominis ornamenta, quanto magis appetuntur, tanto sunt interioris maiora detrimenta: quanto autem, minus appetuntur ornamenta exterioris hominis, tanto magis, homo interior adornatur.

Ad tertium iam deveniendo, restat examinare, quid sentiant Authores, de modo quo tales fuerint factæ tunicæ, vt sic, obiectioni Originistarum, & Francisci Georgij satisfaciamus. Igitur Theodorus, & Gennadius dixerunt: tunicas pelliceas hoc in loco, significare arborum cortices: sicut enim animalium coria, pelles dicuntur; ita & arborum cortices, pelles vocantur: ergo ex arborum corticibus aptis ad vestium compositionem, primi parentes, divina pietate suggerente, tunicas sibi fecerunt; sicut prius sibi ipsis præcinctoria fecerãt ex folijs fici ad protegendam genitalium turpitudinem.

Tamen Theodoretus q. 39. in Genes. hanc selectionem ita confringit, ex his qui allegorias persequuntur, quidam pelles aiunt carnem esse mortalem; quidam verò alij, ex arborum corticibus, eas com paratas esse dixerunt: Ego verò, neutrum horum approbo: hoc enim, nimis curiosum; illud verò, valdè fabulosum. Cum enim scriptura dixerit, corpus esse ante animam formatum: quomodo fabulosum non est dicere, Deum illis dedisse carnem mortalem, post transgressionem mandati? Verum inquirere curiosè, vnde Deus pelles habuerit, & ob id novam amictus speciem ex arborum corticibus excogitare, superfluum esse, mihi videtur; cum omnium creatori non deesset, vnde tunicas illas pararet.

Procopius etiam Gazæus in expositione Genes. supra dictam obiectionem diluens, ita inquit: absque occisione animalium, tunicas illas bifariam confici posse; hoc est, vel ex conversione præexistentis materiæ in pelles. (Sicut enim aquas Nili, convertit in sanguinem, sic materiam elementorum, in pelles, mutare potuit.) Vel ex creatione de nihilo: nam cum homo diei sextæ initio conditus, hora sexta eiusdem diei peccaverit, & de Paradiso eiectus fuerit, nil prohibet, Deum eadem sexta die pelles creasse de nihilo; cum nõdum septima advenisset dies, in qua quievit ab omni opere creationis quod patrarat.

D. Thomas ita fatur: pelliceæ dicuntur à pellibus, quia de pellibus sunt factæ. Qualiter autem fecit, vel suo simplici imperio, vel Angelorum ministerio, non constat. Sed iam Pepinium audiamus. Secundo quæritur, de quibus animalibus fuerint extractæ huiusmodi pelles? In principio enim fecit Deus, in qualibet specie masculum, & fœminam, vt ex illis multiplicarentur species, per plura individua. Ex hoc ergo sequitur, quod ipse Dominus occidit masculum, aut fœminam, aut simul vtrumque in aliqua natura animalium; cuius pelles sunt propitiæ ad tegendum humanum corpus, vt inde faceret dictas tunicas pelliceas.

Si autem ita factum fuerit, sequitur: quod illa species, non fuerit multiplicata in se: aut quod Deus loco animalis occisi, aliud eiusdẽ speciei formaverit. Ad quod ex gloss. ordinaria respondet: quod fatua quæstio est, inquirere, qualiter, vel quo operante, pelles ab animalibus deductæ sint? Qui enim de nihilo omnia condidit, quo-

quomodo, & qualiter voluit, hoc fecit. Vel ſecundo reſpondet ex Paludano: quod licet Deus ex nihilo, ſola ſua voluntate eas potuerit facere, rationabile tamen (inquit) fuit, quod eas fecerit miniſterio Angelorum, de aliquibus animalibus interfectis: vt ſic magis convenirent repræſentationi incurſæ mortalitatis. Quod etiam docet D. Thomas citatus.

Cornelius à Lapide, oppoſitam ſententiam erroris nota inurit, & probat ex Auguſtino lib. 11. de Geneſ. ad litt. cap. 39. dicente: Opportebat indui peccatorem tunicis, quæ eſſent mortalitatis quam primo peccato acceperat, indicium: Subſcribit Pererius diſp. 72. Sed duo breviter enodanda. Primum: quomodò verum ſit, quod Deus tunicas ipſe fecerit? Hugo Victorinus eſſe factas miniſterio Angelorum. Vel Deum docuiſſe homines illos, rationem comparandi ſibi veſtes ex pellibus animalium. Et Rupertus lib. 3. de Trinit. operibus cap. 27. poſt alia ſic fatur: quid ergo inquis: nunquid Dominus Deus ſutor, aut pellifex erat? &c. Fecit enim, ideſt: faciendi neceſsitatem illis impoſuit. Sed melius ex D. Thoma dicendum, vel creatione, vel converſione aliarum rerum, vel miniſterio Angelorum id effectum. Nam quod Deus per Angelos facit, dicitur ipſe facere. 1. Paral. 14. & Iob 20. & Exod. 3.

Secundum: quod obijciebant Originiſtæ, & Georgius, ex quibus animalibus detractæ pelles, ne miracula creationis, vel converſionis multiplicemus? Sed reſpondetur: falſum eſſe quod inquit Theodoretus: Deum ſcilicet ab initio, vnum tantum par in qualibet ſpecie creaſſe animalium: ſed plura, vt adnotat Cornelius; ſolum enim cap. 1. v. 25. dicitur. Et fecit Deus beſtias terræ, iuxta ſpecies ſuas, & iumenta, & omne reptile in genere ſuo, in quo vtraque ceſſat obiectio, & nos huic ſecundo tractatui, vltimam manum imponimus, Sancti Marci Evangeliſtæ die ſacro.

Concludendum cum Maluenda cap. 77. de Paradiſo, vbi optimè rem pertractat. Sed quid divinandum, rebus, & myſterio magis conſentaneum? Reſpondetur: ex occiſsis extra Paradiſum animantibus, Deum miniſterio celeberrimo Angelorum eas pelles aptaſſe, atque in tunicas primorum parentum conformaſſe, nam melior iam ſententia obtinuit, in quibuſdam ſpeciebus animantium plura quam duo individua creaſſe. Vbi etiam Diodori Tharſenſis verba adducit omni digna conſideratione.

TRAC:

TRACTATVS TERTIVS:

DE NOMINIBVS DEI, CHRISTI DOMINI, ET SPIRITVS SANCTI;

SECTIO PRIMA.

DE NOMINIBVS DEI.

VLTIMA iam tandem manualis prendimus ora: ad tertium inquam illius tractatum deventum est. Postquam ergo in duobus antecedentibus, de Sacra Scriptura, & illius sensibus, pro prima intellectus operatione in priori fecimus verba: & in secundo, regulas varias, Sacræ Scripturæ intelligentiam aperientes, pro secunda intellectus operatione lustravimus, & tradidimus. In tertio, vt sit terminus aliorum de ipso Deo, & Christo Salvatore; quia ille finis, & principium, & iste ex Apostolo finis est legis, vtriusq; (non essentiam, naturam, & proprietates, hoc enim Theologos concernit) sed nomina quæ Sacræ Scripturæ plurimam administrant materiam ex professo enucleanda suscepimus. Et quia Spiritu Sancto inspirati loquuti sunt sancti homines Dei; aliqua etiam de ipso Sacro Pneumate nomina lustrabimus, vt nobis auram præstet qua ad portum fœliciter deveniamus.

CAPVT PRIMVM.

Vtrum aliquod nomen conveniat Deo?

SVperfluus, si non impossibilis, præsens potest iudicari tractatus, de divinis inscriptus nominibus, cũ obviam illi Sacra videatur venire Scriptura, dum ita Proverb. 30. affatur: *Quod nomen eius; & quod nomen filij eius si nosti?* Sacer enim textus, cum interrogatione vtitur, sine responsione apposita; difficultatem; si impossibilitatem non, insinuare credendum. Malach. 3. de iudicij die sic dicitur: *Quis poterit sustinere? & quis stabit ad videndum eum?* Et Psal. 93. *Quis consurget mihi adversus malignantes, aut quis stabit mecum, adversus operantes iniquitatem?* Et Psal. 147. *Ante faciem frigoris eius quis sustinebit?* Horumque omnium est responsio; nullus poterit, vel stabit: ergo etiam in præsenti. Insuper Dionis. cap. 1. de divin. nom. sic ait. Neque nomẽ eius, neque opinio, &c. Et Damasc. lib. 1. cap. 16. cum Deus incomprehensibilis sit, nomine quoque prorsus caret.

Augetur difficultas, dum in titulo dicitur de divinis nominibus. Deus enim vnus est, vt etiam ratione naturali Philosophi cognovere, & demonstrat D. Thomas 1. p. q. 11. & art. 4. ostendit quod sit maximè vnus: & ita vnus, vt in illo nulla sit excogitabilis compositio. Et art. 7. adstruit, quod omninò sit simplex. Quomodò ergo cum tanta Dei vnitate, & simplicitate summa, tam ingens nominum diversitas, qualis in Sacra Scriptura reperitur passim, compatiatur? Vndè Zacharias vltimo inquit: *In die illa erit Dominus vnus, & nomen eius vnum:* Ergo nec etiam in titulo, tractatus noster rectè procedit.

His ergo incitatus rationibus D. Thomas, D. Dionysium immitatus qui librum cõscripsit de divinis nominibus, 1. p. q. 13. de divinis etiam nominibus quæstionem instituit. Et in primo resolvit articulo, aliquod nomen Deo cõvenire, ex cap. 15. Exod. vbi dicitur: *Omnipotens nomẽ eius.*

&

& cap. 6. *Nomen meum Adonai non manifestavi eis.* & alibi sæpè. Et ratio aperta videtur; quia nomina, vel voces res significant, medijs conceptibus, ex Arist. 1. periherm. cap. 1. Ergo si res à nobis cognoscuntur, & concipiuntur, etiam nominari, & vocibus exprimi poterunt: sed Deus à nobis cognoscitur, sivè ratione naturali, sivè lumine fidei, ex 1. p. q. 12. Ergo poterit Deus à nobis nominari, modo capite sequenti assignando.

Nec in contrarium obiecta, aliquid cõvincunt: quia solum intendunt Deum, etiam à creaturis ipsum clare videntibus esse ineffabilem, vel innominabilem; non quia aliquo modo verbis explicari non possit; sed quia non valent, quantum potest, & debet exprimi, & declarari scilicet comprehensivè. Ita D. Thomas cap. 1. in D. Dionysium: non potest laudari quomodocunque est, idest, comprehensivè. Et Augustinus epist. 42. est quidem invisibile, & nulli affabile, tantum nisi sibi. Cum quo stat quod citra comprehensionem, & adæquationem cognosci à nobis, & nominari possit. Ad secundum obiectionem, capite sequenti respondebimus.

Plura nobis dubia in præsenti se enucleanda offerebant, sed quia Scholasticam concernunt Theologiam, breviter aliqua insinuari sufficiat. Primum: An scilicet Deus nomine aliquo ipsum significante vt est in se, possit nominari, ab ipso Deo, vel Angelis, vel Beatis? Dicitur in titulo, vt est in se, scilicet clarè, distinctè, quidditativè, sivè hoc sit comprehensivè, & adæquatè, sivè inadæquatè, explicando rem nominatam, & significatam.

Resolutorie dico primo: quod Deus potest imponere nomen sibi, significans suam essentiam, & naturam, adæquatè sicuti est in se. Conclusio probatur: mensura significationis vocis, est cognitio quam habet de re significata, qui nomen illi rei imponit; sed Deus comprehensivè, & adæquatè se cognoscit: ergo potest formare, & profferre verbum, quo suam naturam adæquatè explicet, & declaret. Nec obstat huic rationi: quod talis vox sit sensibilis; quia cum sit signum ad placitum, & per extrinsecam denominationem, non requiritur in illa infinita perfectio, vt Deum comprehensivè significet; qualis infinitudo requiritur in specie impressa Dei: quia est naturalis similitudo obiecti, & sic debet esse eiusdem rationis, & ordinis cum obiecto, de quo 1. p. q. 12. art. 2.

An autem, si Deus nomen adæquatè significans suam essentiam, indicaret alicui creaturæ, posset ista adæquatè cognoscere Deum? Respondetur negativè: quia Ierem. 32. dicitur: *Incomprehensibilis cogitatu*: oppositum autem attributo divino, nec de potentia absoluta potest stare. Et quia ex quæst. 12. antecedenti, etiam si essentia divina vnita, vt species intellectui beati sit repræsentativa omnium; limitatur tamen virtute luminis vniti intellectui. Et si Deus per impossibile vniretur per modum intellectionis nostro intellectui non redderet illum infinitè intelligentem, propter eandem rationem.

Secundo dico: quod Angeli, & Beati, possunt imponere, & formare nomen, quo natura Dei explicetur vt est in se, sed citra comprehensionem. Probatur primo ex illo Zachar. vltim. *In die illa erit Dominus vnus, & nomen eius vnum:* quod de Deo in Cœlesti Hierusalem regnante ex textu, & communi expositione intelligendum venit: licet alij etiam de Ecclesia Militante explicent. Et quia sic aliquid potest nominari, sicut concipitur & intelligitur; sed Angeli, & Beati, vident clarè, & quidditativè Deum, vt est in se: ergo possunt illum nominare voce Deum vt est in se significante. Et forte tale est nomen *Tetragramaton*, vel *Adonai*, Exod. 6. *Nomen meum Adonai non indicavi eis.*

Dubium secundum est: An viatores possint Deum nominare, nomine Deum vt est in se explicante? Ad quod respondetur negativè, ex Iudic. 13. *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile.* Et D. Augustino lib. 9. de Trinit. cap. 4. Verius enim cogitatur Deus, quam dicitur, & verius est, quam cogitatur. Et ratio est,

quia

quia qui nomẽ imponit rei, dat illi nomẽ iuxta mensuram scientiæ, & conceptus, quam habet de re per tale nomen significata. Vndè intentio eius est rem manifestare, qualiter ab illo cognoscitur; sed nullus viator potest habere notitiam de Deo vt est in se, cum ex creaturis illum cognoscat; ergo non potest imponi nomen Deo, vt est in se.

Dicimus tamen secundo: Posse viatores significare Deum sicuti est alteri beato. v.g. in colloquio quod habuit B. Virgo cum Angelo, potuit Virgo si illi revelatum esset nomen quo beati laudant Deum in patria, vti illa voce. Quod exemplo probatur: quia si mihi Hispano, homo Græcus, verba Hispana loquatur, quarum significationes etiam illum lateant: certè mihi significabit illis vocibus, res sicuti sunt, & qualiter impositæ sunt idiomatè nostro ad significãdas res: Ergo si hoc nomen *Iehoba*, est quo vtuntur beati in patria, ad laudandum Deum, benè potero illo vti, in sermone quem cum Angelo habeam. Sed in hoc casu, vtens tali nomine, solum imperfectè exprimit Dei naturam; quia si non potest perfectè cognoscere Dei essentiam, neque vtendo tali nomine, poterit illam cognoscere.

Denique pro complemento potest tertio dubitari, dato quod beati possint imponere, & formare nomen Dei vt est in se, an tale nomen posit Deum significare comprehensivè? Conclusio est negativa, & statuitur contra Scotum in 1. d. 22. q. vnica, vbi tria dicit. Primum; quod licet nõ possimus in hac vita, cognoscere Deum sicut est, sed per respectũ ad creaturas; possumus tamen imponere nomina, quæ ipsum significent sicuti est; quod iam impugnavimus. Secundo dicit: quod per accommodationem vsus, vtimur quibusdam nominibus, ad significãdam Dei essentiam, absque habitudine ad creaturas, de quo cap. sequenti. Tertio dicit: quod licet nos in hac vita, non possimus Deo nomina imponere, quæ ipsum repræsentent sicuti est; id tamen potest efficere Deus, imò quilibet beatus, quia cognoscunt Deum sicuti est, quale putat Scotus, fuisse nomen *Iehoba*. Videtur autem loqui de significatione comprehensiva, nam de alia in primo dicto, posse etiam à viatoribus fieri censuit. Et sic Vazq. 1. p. d. 57. cap. 3. tenuit, quod beati, possunt imponere aliquod nomen ad significandum Deum comprehensivè, quia ad hoc sufficit, vt tale nomen significet ipsi Deo comprehensivè, quia perfectio significationis nominis, ex audiente expetenda est.

Sed contrarium commune est. Quia licet Deus, comprehensivè se ipsum cognoscat; perfectè tamen cognoscit, quod nullum nomen impositum a beatis, potest habere adæquatam proportionem cum ipso: quia si tale nomen ex se non habeat proportionem cum Deo vt patet: Deus ipse in tali nomine, & signo solum cognoscit significationem, & proportionem finitam quam habet. Et vrgetur: quia cum aliquis cognoscit causam in effectu solum cognoscit, & se extendit circa illud quod effectus continet perfectionis causæ, aliàs falleretur: ergo licet Deus comprehendat se; tamen in cognitione qua se in effectu, vel signo creato cognoscit, attemperat se, ad illum modum quo effectus, vel signum repræsentat; ergo cum omnis effectus, & nomen creatum, sit finitum, non poterit imponi ad significandum Deum comprehensivè, nec ipse Deus in illo, & ex illo, poterit se comprehensivè cognoscere.

Dices: significatio nominis, & eius mensura, potius ex audiente, quam ex imponente desumi debet, quia nomina, sunt signa inter loquentem, & audientem; cum ergo contingere posit, vt audiens melius percipiat rem, & intelligat, quam qui nomen imposuit, aut vtitur illo; fit consequens, vt melius ipsi posit rem significare, quam rem intelligat qui nomen imposuit.

Respondetur: verum esse, quod potest audiens aliquod nomen melius percipere quam imponens intelligat, & vox significet. Sed hoc, solum erit clarius percipere, & penetrare, nominis significationem;

non

non verò percipere id quod nomen, vel vox non habet ex sua impositione: sicut melius percipit eundem sonum, qui perfectiori gaudet auditu, quam qui obturato, & hoc non provenit ex parte soni, sed potentiæ; ita, melius Angeli percipiunt significationem nominum, Deum repræsentatium quam nos, & perfectius Deus, sed si nomen non habet proportionem, vel adæquationem cum re significata, ex vi cognitionis illius, non poterit talis res perfectè, vel adæquatè cognosci, ita in præsenti. Videatur M. Navarrete 1. p. controv. 47.

CAPVT SECVNDVM.

De varijs Dei nominibus.

EXclamavit Ierem. cap. 32. *Fortissimè, magne, & potens, Dominus exercituum nomen tibi, magnus consilio, &c.* Quæ nomina, Deo verè, & propriè competere, nulli dubium. Vnde constat, pluribus Deum posse nominibus appellari, quod infirmare contendebat secunda obiectio, in principio præcedentis capitis proposita: ex vnitate scilicet, & simplicitate summa in Deo reperta. Nec ratio enervatur, si dicas: talia nomina, esse Synonyma; cum rem significent eandem: & si enim eandem significent rem; sub diversis tamen rationibus. De quo D. Thom. art. 4.

Cum autem scriptum sit, *quod scrutator maiestatis, opprimetur à gloria.* Proverb. 25. ne tantum incurramus crimen, dum Dei naturam explicare intendimus, non illam irreverberata facie, sed instar Seraphin, Isaiæ cap. 6. Velatis fide oculis ex ipsius nominibus indagare curamus. Dixit enim optimè Democritus: veritatem, in altissimo puteo esse demersam, & defossam, ibi, vel maximè cum de Deo agitur. Et cum ex Hieronymi sententia Oseæ cap. 2. ex tribus causis oriatur obscuritas, scilicet rerum difficultate, Magistri imperitia, aut audientis tarditate; sicut secundum fatemur proprium, de vltimo insequentes Patrum vestigia, legentes instruemus: primum verò pertimescentes; vtcumque ex Gregorio balbutiendo resonabimus. Maximè cum Iustinus in admonitorio dixerit. Neque enim Deo proprium nomen aptari potest. Deo autem neque quisquam fuit prior, qui ei nomen imponeret, &c.

Cum ergo nomina quæ Deo attribuuntur, ex humanis rebus desumpta sint, eo modo quo Deus ab hominibus cognosci potuit, sic illi nomina indita sunt: atque à Deo, cum divina essentia, ab humano obtutu, conspici nō possit, ex creaturis veluti per gradus ad eius cognitionem consurgit: qua propter, cum nomina ex rebus sensibilibus trahant originem, nequeunt divinam essentiam nobis exactè referre, & ante oculos ponere, sed illis vt adminiculis vtimur, vt ad divina aliquo modo ducamur. Et Augustinus lib. 1. de Doctrina Christiana, cap. 6. Deus cum de illo nihil digne dici possit, admisit humanæ vocis obsequium, & verbis nostris in laude sua, gaudere nos voluit. Nam inde est quod & dicitur: *Deus.* Non enim re vera in strepitu duarum syllabarum, ipse cognoscitur, sed tamen omnes Latinæ linguæ socios, cum aures eorum sonus iste tetigerit, movet ad cogitandam excellentissimam quandam, immortalemque naturam.

Denique sciendum ex D. Thoma 1. p. q. 2. art. 2. quod demonstratio est duplex, vna quæ est per causam, & propter quid, & per priora simpliciter: alia per effectum, & dicitur demonstratio, quia; & hæc est per ea quæ sunt priora quoad nos. Cum enim effectus aliquis, est nobis manifestior quàm sua causa, per effectum procedimus ad cognitionem causæ; ex quolibet autem effectu demonstrari potest eius esse causam; dum tamen eius effectus quoad nos sint magis noti; quia cum effectus dependeat à causa, posito effectu, necessè est ipsius causam præexistere. Vndè Deum esse quoad nos demonstrabile est, per effectus nobis notos.

Hinc Origines hom. 2. Deus (inquit) dupliciter à nobis cognoscitur: aut potius, Deus cum sit lux, dupliciter nobis se

manifestat, & mundo declarat; per scripturam scilicet, & creaturam; divina enim cognitio, nó aliter nobis illucescit, quam per Divinæ Scripturæ apices, & creaturæ species. Et explicato vtroque modo, de primo plura dicemus, de secundo Cantaprat. lib. 2. cap. 2. optimè expendit duo loca. Primus Sapient. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum: & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis.* Idest, quando mundũ intuemur, ex illius conspectu ad Dei contemplationem scandimus, ac vice Magistri vtimur, ad eius laudes contexendas, & enumerandas. Secundus locus est Psal. 128. *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Hoc est, tam clara, & expressa cognitio tui nobis enituit ex me, idest, ex hominis creatione, vt digne eam celebrare posse diffidam. Videatur D. Basilius hom. 1. examer. & Theodoretus lib. de Dijs, & Angelis.

His ergo, ita suppositis, & statuto ex præced. cap. quod Deus nominari possit, nedum vno; sed pluribus etiam vocibus, & nominibus. Sciendum: quod talis nominum pluralitas, Deo attribuitur, sub diversa consideratione: alia enim sunt propria ipsi Deo (quasi privativè vt sic dicamus, vt nulli alteri competant) sive affirmativè vsurpentur, vt ens à se, omnipotens, æternus, &c. Sivè negativè significentur, vti immortalis, invisibilis, immensus, &c. Alia, sunt Deo, & creaturis communia, vt sapiens, iustus, bonus, &c. Alia, illi attribuuntur, ex affectibus humanis deprópta, vt irasci, pœnitere, &c. Alia denique, ex ipsis rebus creatis accepta, vt cum dicitur Leo, habere brachia, manus, digitos, sedere, ambulare, & id genus multa, vt postea videbimus.

Tanta nominum diversitas, vndè proveniat, mens nostra satagit indagare: quod vt præstemus, sciendum: quod cum intellectus sit triplex, divinus scilicet cuius obiectum proprium, & primarium est sua essentia (& secundarium creaturæ) in qua, ex D. Thoma 1. p. q. 14. art. 4. Intellectus intelligens, ipsum intelligere, & species intelligibilis, sunt omninò vnum & idem: & omnia in illa specie, scilicet essentia sua, & vna intellectione cognoscit. Alius intellectus, est Angelicus, qui est substantia omninò immaterialis, in quo, intellectio, & verbum, realiter, distinguuntur, & cognoscit res, per species inditas à Deo, ex D. Thoma 1. p. q. 45. Tertius, & vltimus intellectus, est humanus, qui licet spiritualis, & immaterialis sic, sicuti & eius actio: quia tamen, anima nostra, vnita est corpori, indè fit, quod nihil sit in intellectu, quin prius fuerit in sensu; & sic, non potest intelligere immediatè res spirituales, sed eius obiectum, est ens concretum quidditatè sensibili. Vel ex D. Thoma q. 12. art. 4. pro hoc statu, connaturale est nostro intellectui, cognoscere naturas, quæ quidem, non habent esse nisi in materia individuali, & sensibili; non tamen secundum quod sunt in materia individuali; sed secundum quod abstrahuntur ab ea per intellectus operationem.

Ex speciebus igitur, à phantasmatibus rerum sensibilium abstractis in rerum divinarum (vt diximus) cognitionem devenimus iuxta illud Apost. Roman. 1. *Invisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, &c.* Quod dupliciter fieri potest. Primo: Ita quod talis species, immediatè, & primo repræsentet creaturas, & secundario Deum. Secundo, ita quod fiat per speciem quam intellectus actuatus speciebus creaturarum format in se ipso, ita vt talis species, immediatè ipsum Deũ repræsentet. Prior sensus tenendus, quia difficile, imo impossibile videtur quod species illa abstracta ab speciebus creaturarum, immediatè Deum repræsentet. De quo 1. p. q. 12. art. 2.

Videns ergo noster intellectus, in diversis creaturis, ita diversas, differentesq; perfectiones, & quod illas à se ipsis non habent, vnum primum Authorem recognoscit, & in eius notitiam evehitur, & elevatur. Et vt dicit D. Thomas art. 4. Cum intellectus noster, cognoscit Deum ex creaturis, format ad intelligendum Deum, cóceptiones proportionatas, perfectionibus procedentibus à Deo in creatu-

tu-

turas. Quæ quidem perfectiones, præexistunt in Deo vnitæ, & simpliciter; in creaturis verò reperiuntur multipliciter, & divisæ.

Hoc autem, contingit tripliciter. Primo: quia res continentur in Deo, tamquam in principio omnium effectivo. Secundo: quia perfectiones omnium rerum, eminenter formaliter præexistunt in illo. Tertio: per modum negationis, & remotionis. Primum modum, optimè explicat D. Thomas 1. p. q. 4. art. 2. sic: Quicquid perfectionis est in effectu, oportet inveniri in causa effectiva: manifestum est autem, quod effectus præexistit in causa agenti: præexistere autem in virtute causæ agentis, non est præexistere imperfectiori modo, sed perfectiori: licet existere in potentia causæ materialis, sit existere imperfectiori modo, quia materia, in quantum huiusmodi, est imperfecta; agens verò, in quantum huiusmodi, perfectum est. Cum ergo Deus sit prima causa effectiva rerum, oportet, omnium rerum perfectiones, secundum eminentiorem modum, præexistere in Deo. Vndè Dionys. cap. 5. de div. nom. loquens de Deo dicit: quod non quidem hoc est, hoc autem non est, sed omnia est vt omnium causa.

Secundo modo, res continẽtur in Deo eminenter. Pro quo observandum ex q. 4. cit. quod perfectio est duplex, altera dicitur simpliciter talis, quæ in vnoquoque, melior est ipsa quam non ipsa, idest, quod in quocumque ente reperiatur illa perfectio, constituit illud in perfectiori gradu entis quam sine illa, vt vivens, est melius quam quodlibet non vivens. Altera perfectio dicitur secũdum quid, quæ non constituit ens in gradu perfectiori, quam constitueretur per aliam perfectionem, vt sensitivum, est perfectio quæ cõstituit ens, in gradu minus perfecto, quã per aliam constitueretur, vt patet in Angelo, qui est intellectivus, & non sensitivus, & sic est perfectior, omni sensitivo, aliter alij explicant dictas perfectiones. Videantur loco citato.

Tripliciter autem, aliqua perfectio in aliquo reperiri potest, quælibet illa sit. Primo, formaliter præcisè, vt rationalitas est in Petro, formaliter præcisè. Secundo, eminenter tantum, & non formaliter, vt Sol habet eminenter calorem, & non formaliter: quia habet virtutem producendi illum. Tertio modo formaliter, & eminenter, vt sapientia, est formaliter in Deo, quia habet cognitionem per altissimam causam. De quo 1. p. q. 1. art. 6. & etiam est eminenter, quia superiori modo, & non contenta sub genere qualitatis. Quomodo autem, istæ perfectiones contineantur in Deo? Longam inquisitionem requirebat. Breviter dico: quod perfectiones simpliciter, sunt in Deo formaliter, imò sunt ipse Deus, aliàs nõ esset Deus perfectus, cum aliqua illi deesset perfectio; perfectiones verò in certo genere, vt corpus, Leo, &c. tantum sunt in Deo eminenter virtualiter, & sic Deus, non potest dici corpus, &c.

Vltimo nominamus Deum per negationes scilicet invisibilẽ incorporeũ, &c. protulit enim Dionisius cap. 2. negationes enim in divinis veræ sunt: affirmationes verò, non satis Deo adaptari possunt; & ita, negationes significant, non quod est; sed quod non est; affirmationes dicit minus aptas, quia imperfectè Deum significant, & explicant. Negationes verò, aptiores videntur, quia significant, quod nihil horum quæ dicũtur, Deus est; sed quod sit super omnia. Sic enim, explicatur melius, divina perfectio, & arcetur noster intellectus, ne in errorem inducamur, quod Deus sit istæ res, & non aliquid excellentius.

Ex his ergo principijs, & alijs pluribus, assurgere potest intellectus creatus, ad plura Deo attribuenda nomina: quia in causa efficienti, maximè prima, debet contineri, quidquid reperitur in quolibet effectu. Et quia tanta est eius eminentia, & perfectio, vt vnus existens, omnia contineat, & munia plurium rerum, ac si diversus esset, exequi posit. Ac denique; tanta illius celsitudo, vt affirmationes sint minus sufficientes, & melius per negationes explicetur intelligendo, quod Deus;

Mm 2 non

non est vita; sed super omnem vitam, non est sapientia, sed super omnem sapiẽtiam, &c. & sic, talia nomina, non sunt synonyma, quia licet eandem rem explicent, sed sub diversa ratione; aliud enim explicat sapientia Dei, & aliud iustitia, & sic de reliquis, vt constat.

Denique sciendum: quod plura nomina significant Deum absolutè, & non cõnotativè, ita quod loquendo more dialecticorum sint termini absoluti: quia licet concipiatur Deus à nobis per respectum ad creaturas, tanquam obiectum motivum; ex hoc tamen, assurgit intellectus, vt Deum in se ipso saltẽ abstractivè cognoscat. Sicut dicunt dialectici, quod intellectus, licet cognoscat ens rationis, per speciem entis realis; sub illo tamen obiecto motivo, tendit ad conceptum proprium, entis rationis, vt habet prædicata propria, & diversa à prædicatis entis realis; ita, licet ex creaturis Deum cognoscamus; tamen intellectus format proprium conceptum, correspondentẽ Deo vt est in se modo supradicto. Et probatur ex D. Thoma q. 13. cit. art. 8. vbi dicit: quod hoc nomen, *Deus*, licet impositum fuerit, habito respectu ad creaturas; significat tamen, Dei naturam absolutam. Et art. 11. dicit; non esse necessarium, quod omnia nomina Dei, importent ordinem ad creaturas.

Sed huic doctrinæ obstare videtur, quod in toto capite diximus, nempè: omnia nomina Dei dici per respectum ad creaturas: ergo erunt termini connotativi omnia nomina Deo imposita. Dupliciter respondet M. Bañes. Primo: quod omnia divina important ordinẽ ad creaturas, aliter tamen, & aliter: alia tanquam formalem rationem significatam, & sic sunt connotativa, vt creator, gubernator, &c. alia, solum important istum respectum, tanquam modum quendam, in obliquo, & sic non sunt cõnotativa, sicut scientia non est connotativum, quia etsi ordinem dicat ad obiectum, sed non vt rationem formalem, sed vt modum, & talia sunt, *Deus adonai, &c.*

Secundo respondet: esse aliqua nomina, quæ sumpta in significatione confusa nullum dicunt ordinem ad creaturas, sed Dei substantiam dicunt; si tamen illorum significatio explicetur, necesse est, vt respectus ad creaturas manifestetur; sicut animal subordinatur conceptui confusso animalis; si autem explicetur, quod claudit intrinsicè, & confusè, hoc necessario debet fieri, per duos conceptus viventis, & sensibilis. Ita hoc nomen *Deus* in conceptu confusso, nullum ad creaturas dicit respectum; si autem resolvatur, & explicetur, necessum erit id fiat per habitudinem ad creaturas. Hanc solutionem alioquin probabilem, reijcit Navarrete §. 4. videatur ibi.

Sed vt caput claudamus, curiosè quis poterit dubitare, an licet concipiamus Deum per ordinem ad creaturas, possimus tamen imponere nomen, ad significandum Deum absolutè? ergo licet concipiamus Deum imperfecto modo, & limitato, poterimus Deo imponere nomẽ, ad significandum ipsum comprehensive. Respondetur, quod sicut aliud est cognoscere quidditatem rei; aliud verò, cognoscere rem quidditativè; ita, aliud est significare quidditatem rei, & aliud, significare rem quidditativè: vt ergo vox significet naturam Dei, satis est, si hoc qualitercumque explicet, vt autem quidditativè, & comprehensivè; debet etiam modus ipsius naturæ divinæ explicari, & exhauriri; quia primum se tenet ex parte cognoscẽtis, secundum, ex parte rei cognitæ, cuius infinita perfectio, tali nomine evinci, & manifestari non valet.

CAPVT TERTIVM.

De nominibus proprijs Dei.

Ex capite præcedenti iam constat, aliqua nomina, ita esse Deo propria, sive negativè, sive affirmativè explicentur, vt creaturis adaptari, minimè possint; talia sunt quæ explicant infinitatem, vt habere esse à se, actum purum, omnipotentem, &c. & plurima alia, quæ in Sacra Scriptura ita frequenter reperiuntur. De

istis

istis autem, certum esse debet apud omnes, quod significent Dei substantiam, & naturam; etiam si nomina negativa, vel quæ relationem important ad creaturas, non Dei essentiam significent; sed remotionem alicuius ab ipso, vel ordinem illius ad aliud, vel potius ex D. Thoma alicuius ad ipsum, dicant, & exprimant.

Circa nomina tamen affirmativa, & absoluta, vt sapiens, æternus, &c. varie Authores opinati sunt: aliqui dixerunt, quod potius sunt instituta, ad removendum aliquid à Deo, quam ad adstruendū quidpiam in illo, & sic cum dicimus, Deū esse viventem, significamus, quod Deus non hoc modo est sicut res inanimatæ. Alij verò existimarunt, quod imposita sunt, ad significandam relationem Dei ad creaturas in ratione causæ, & sic, cum dicimus: Deus est bonus, sensus erit, Deus est causa bonitatis creaturarum. Sed vtrumque reijciunt Theologi cum D. Thoma q. 13. cit. art. 2. vnde dicendum: quod illa nomina, divinam explicant substantiam licet imperfectè. Et sic, cum dicimus: Deus est bonus, non est sensus, quod Deus non sit malus, vel quod Deus solum est causa bonitatis; sed quod quicquid bonitatis est in creaturis, præexistit in Deo, perfectiori modo. Vnde dixit Augustinus. In quantum Deus est bonus, & nos sumus boni.

Vtrum autem, ista nomina, & alia quæ Deo attribuuntur per prius dicantur de Deo, quam de creaturis: tractat D. Thom. quæst. cit. art. 6. & dicit: quod in nominibus quæ metaphorice dicuntur de Deo, ratio nominis per prius de creaturis dicitur, quam de Deo. Sicut enim ridere, dictum de prato, nihil aliud designat, quā quod pratum similiter se habet in decore cum floret, sicut homo cum ridet, secundum similitudinem proportionis: ita nomen Leonis dictum de Deo, nihil aliud significat, quam quod Deus similiter se habet in operibus suis, vt fortiter operetur sicut Leo. Nomina verò, quæ propriè de Deo dicuntur, per prius quoad rem significatam, dicuntur de Deo, quam de creaturis, quia à Deo in creaturas tales dimanant perfectiones, quæ pro toto tractatu, memoriæ amandanda sunt.

§. I.

De nomine Elohim.

PLura de his nominibus explicanda se offerebant; sed aliqua in medium, vt principaliora adducemus. Primum ergo sit, quod in Sacra Scriptura se offert scilicet: *In principio creavit Deus*; & in Hebræo: *Beresith Elohim.* De quo tria præstabimus. Primum: Ethymologia, vel significatio. Secundum: Vsus proferendi. Tertium: An ex illo Genes. 1. posito, Trinitatis inferatur notitia. Circa primum sciendum: Elohim, esse vnum de præcipuis decem Dei nominibus (de quo statim) varia est eius significatio. Nam D. Hieronymus sic fatur de illo epist. 136. Elohim, quod & ipsum, Deus dicitur, cōmunis est numeri; quod & vnus Deus sic vocetur & plures; sicut Coelum, sic appellatur & Coeli, idest Samain: vndè sæpè Interpretes variant; cuius exemplum nos in lingua nostra habere possumus, Athenas, Thebas, &c.

Oleaster sic ait: Hebræi putant, Elohim Deum vt Iudicem significare: sed melius si radix nominis scilicet Alah rectè expendatur constabit, Deum quatenus ab eo mala alicui, vel nobis imprecamur: significat ergo Iudicem quatenus punit, aut ab eo punitionem fieri imprecamur. Genebrardus Psalm. 17. Elohim Iudicem sonat, ac providentiam respicit. Montanus lib. de Ioseph cap. 2. Elohim sub qua voce efficiendi, gubernandi, regendi, dicendi, & iudicandi ratio, & sententia; perpetuo subijcitur. Indè in principio creavit Elohim; & vidit Elohim, quod esset bonum, & cum diluvium esset inducendum, huius auctoritate cognominis, sententia lata est: & dixit Elohim Noe. Finis omnis carnis venit, &c.

Idem adstruit Delrius Genes. 1. & Ribera Micheæ 5. num. 38. & Peretius Genes. 1. Imo etiam Cayetanus, Sanctes Pagninus, & alij, conveniunt in eo, quod pro-

propriè Iudices significet. Sed Maluenda 1.Reg.1.v.17. pro explicatione Marini stat, ita loquentis: Elohim, de Deo vero, de Idolis, Angelis, & hominibus dicitur, & additur tandem, ad augendas omnium rerum significationes, vt montes Dei, cedros Dei, &c. Ethymologiam nominis quærere incertum est, & forte superfluum, & si quidam velint quod à iudicando dicatur, nescio qua ratione. Alij (& fortasse verius) ab, *El*, deducunt adiecto *He*, quasi potentissimum diceres. Concinit Ballester lib.1.de substantia Dei cap.1.in fine dicens: Quod Elohim, significet Deum, habet ab *El*, quod sit fortis Deus: *Ayl* enim fortitudinem significat, Psalm.86. v.11. & Psalm.22. v.18. Vel id habet ab *Ala*, quod iuramentum significat. Vndè videtur significare Deum, vt Iudicem, & punitorem, vel quia execratio, & iuramentum, non fiant sine recordatione nominis Dei.

Ad secundum circa vsum huius nominis, audiamus Riberam citatum ex parte ita differentem. Habent Hebræi propter Energiam linguæ suæ, varia genera locutionum, ad amplificandum Iob 40. *Ecce Behemoth quem feci tecum*; Behemoth plurale est, cuius singulare est *Behema*, & ponitur pro magna bestia (forte Elephante) quæ scilicet tantæ mollis est, vt multas in se continere videatur. Et Sapientiæ 1. *Sapientiæ foris prædicat*. Vbi non *Choema*, idest sapientia; sed *Choemoth*, idest sapientiæ. Et loquitur de sapientia divina, quæ omnem continet sapientiam. Ita Sacra Scriptura, vocat Deum plurali numero *Elohim*, idest *Iudices*, eo quod in se contineat omnes Iudices, idest omnem ad iudicandum potestatem, & sapientiam. Eadem ratione dicitur pluraliter Dominus adonion, quod omnem contineat dominationem.

Et licet hæc communis sit, vocis Elohim acceptio in Sacra Scriptura, Cayetanus, Oleaster, Pererius, & alij, hoc ita fieri contendunt, quia caret numero singulari. Sed refragatur Maluenda, & Ballester citati, cũ eius singulare sit *Elohah*; vt etiam novantes Mercerus, & Bertramus annotarunt. Imo quatuor in locis in singulari reperitur scilicet cap. 1. & 3. Abacuch, & Iob cap. 12. & cap. 36. Vbi non *Elohim*, sed *Elohah* legitur in singulari. Cum autem Elohim pro Deo vero accipitur, varie in scriptura construitur: aliquando cum pronomine singulari. Iosue 24.19. quia Elohim, dij, Sancti ipse. Aliquando cum verbo singulari, vt in principio creavit Elohim, dij, Cœlum, & terram, & hæc est frequentior constructio. Paucis vero locis dicit Maluend. cum verbo plurali, vt Genes. 20. 13. Errare. vagari, fecerunt me Elohim, dij. Et vulgata: Duxit me Deus cap. 35. 7. apparuerunt ei Elohim, dij; vulgata, apparuit ei Deus. 2. Reg. 7. 23. Propter quam iverunt Elohim, dij, vulgata, ivit Deus. Et Ierem. 23.36. Pervertistis verba Elohim Deorũ viventium, vulgata, Dei viventis. Vndè male Marcilla Genes. 1. annot. 2. ait, quod nunquam septuaginta, nec D. Hieronymus vertunt: *Dij* cum sit sermo de Deo vero, eis constet oppositum, locis citatis, quomodò verò hoc nomen etiam alijs à Deo applicetur, dicemus cum de nomine *Deus* agamus, quia eadem videtur esse ratio.

Cum ergo Deus verus, vnus sit, & hoc nomen, ferè semper de illo dicatur pluraliter, carere hoc mysterio, nefas dicere videtur: & excluso quod id fiat, quia singulari caret, & etiam quod cum Elohim dicitur de falsis Dijs, habet verbum singulare, vt Exod. 20. *Non habebis Deos alienos*, & in Hebræo. *Non erunt tibi Dij alieni*. Et quod lingua Hebraica non semper eundem servet ordinem in coniunctione adiectivorum, cum substantivis, aut verborum nominibus. Vnde quod in Isaia legimus 19. *Et tradam Ægyptum in manu Dominorum crudelium*. In Hebræo habetur: *Et tradam Ægyptum, in manu Dominorum crudelis*, sive duri, sed licet hæc probabiliter dicantur; altius inquirendum venit.

DI-

DIGRESSIO, CIRCA ILLA VERBA *Genes.1. In principio creavit Deus Cœlum, & terram.*

QVod quæritur est: an ex illo Genes.1. *In principio creavit Elohim Cælum, & terram.* Personarum Trinitas clarè deducatur? Quod est tertium, quod circa hoc nomen enucleandum diximus. Celebre quidem dubium apud Expositores, & Scholasticos exagitatũ, & sub alijs verbis, an Trinitatis notitia, in veteri haberetur testamento implicita, vel explicita; vel illa novo vti perfectiori reservata fuerit? De qua 2.2. q. 2. art. 8. Vbi D. Thomas resolvit, quod sicut mysterium Incarnationis Christi, ante Christum fuit explicite creditum à maioribus, implicitè autem, & quasi obumbrate à minoribus, ita etiam, & mysterium Trinitatis; sed ab hoc supersedemus, & solum inquirimus: vtrùm cum plurale Elohim, de vero Deo enuntiatur, Sacrum explicet Trinitatis mysterium? & pro doctrinæ complemento, an in testamento veteri, aliquis locus explicitè hoc dicat, & manifestet?

Affirmant quam plures, post Magistrũ sententiarum lib. 2. d. 2. D. Thom. 2.2. cit. Lyra, Burgens. Lyppoman. Galat. lib. 2. cap. 9. Bañes 1. p. q. 74. art. 3. dub. 2. Sixtus Senen. lib. 5. Ascanius, & alij Interpretes Genes. qui ex his, & alijs veteris testamenti locis, nituntur probare, Trinitatis mysterium, sicut omnes Scholastici, sæpè in materia de Trinitate, processiones Filij, & Spiritus Sancti. De quo latè Vazq. 1. p. disp. 108. & Scalante lib. 4. cap. 10. & 11.

Primus locus est adductus: *In principio creavit Elohim.* In quo, nomen plurale innuere videtur, personarum pluralitatem. Et eiusdem formæ sunt alia quinque loca; primus, eiusdem cap. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*; secundus, cap. 2. *Faciamus ei adiutorium simile sibi*; tertius, cap. 3. *Adam, quasi vnus ex nobis factus est*; quartus; cap. 11. *Venite descendamus, & confundamus linguã;* quintus, Isai. 6. *Quis ibit nobis.* Et ex Hebræo, adducit plures eiusmodi locutiones, Pagninus lib. 2. instit. pag. 79. & Pereryus lib. 1. pag. 40.

Nec vis istarum auctoritatum, enervatur ex Hebræorum responsione dicentium: nomen Elohim carere singulari: quia hoc iam reiectum est: & sic contendebant, indifferenter hoc nomine Sacram vti Scripturam: & vt significaret verum Deum, in singulari esse ponendum. Sed hoc etiam est falsum, quia etiam cum Elohim dicitur de Deo vero, coniungitur cum nominibus, & verbis pluralis numeri; quod patet Iosue vltimo, vbi vulgata legit: *Non poteritis servire Domino, quoniam Dominus Sanctus est.* Hebræi legunt: *Non poteritis servire Domino, quoniam Elohim Sancti ipsi.*

Alia plura loca afferuntur à SS. Patribus scilicet Basilio, Nazianzeno, Ambrosio, Hieronymo, Damasceno, Cyrill. & Ruperto: insuper etiam Concilia probant divinitatem Filij, & Spiritus Sancti, ex quibus de fide infertur pluralitas, & divinitas Personarum, & consequenter, Trinitas. Plura affert Bellar. tom. 1. controver. 2. generali de Christo lib. 1. cap. 4. & 5. & D. Thomas 4. contra gentes. Cum igitur, hæc & alia loca, vsurpent Concilia & Patres, ad probandam Trinitatem contra Iudæos, & Hæreticos, obviare videtur qui dixerit, invalidum argumentum, & non validum, & litterale desumi.

Ex opposito verò, alij existimant, in hoc nomine, & alijs locis, nullum Trinitatis mysterium concludi, & insinuari. Sed esse ritum linguæ Hebraicæ. Ita D. Thom. 1. p. q. 39. art. 3. dicens: Quod diversæ linguæ habent diversum modum loquendi: Vndè, sicut propter pluralitatem suppositorum, Græci dicunt tres hypostases; ita & in Hebræo. Dicitur in plurali Elohim. Quæ linguæ, etiam nominibus prophanis, quæ alijs à Deo attribuuntur, & potestatem, dominiumque exprimunt, amplificationis, & honoris causa, pluralem numerum, passim pro singulari vsurpare solent, vt etiam Hispani, & Itali, cum Iudex, vel Prin-

ceps

ceps loquitur dicit: *Nos, &c.* Et videtur insinuari Genes. 24. 9. *Et posuit servus manum suam, sub fœmore Abraham Dominorum suorum*, pro *Domini sui*. Exod. 21. 29. Et etiam Domini eius: Vulgata Dominus eius morietur. Et cap. 22. 11. & alibi. Et vt advertit Maluenda, Elohim, cum de falsis Dijs enuntiatur, reperitur constructum cum verbo singulari. Exod. 20. v. 3. non erit, idest non erunt tibi Elohim, Dij alieni, & tamen nullum est ibi Trinitatis indicium. Ita Tostatus opusculo de Trinit. Cayet. Oleast. Pererius, Masius cap. 24. Iosue. Vazq. cit. & plures alij. Et Bañes nihil erroris in hac sententia inveniri docet. Marcilla Genes. 1.

Et probatur: quia Ioan. 6. dixit Christus: *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus*; quæ verba D. Thomas 2. 2. q. 2. art. 8. ad 2. de notitia explicita Trinitatis exponit: quia fides Trinitatis, occulta fuit in fide maiorum, sed per Christum, & Apostolos, mundo manifestata; & præcepta illis verbis: *Baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Et Theodoretus lib. 2. adversus Græcos dicit, Deum in veteri testamento noluisse proponere mysterium Trinitatis, & quia Iudæi incapaces erant, & quia tunc exierant de Ægypto; & terram Chanaam intraturi erant, vbi plures colebantur Dij. Ne videlicet putarent, sibi etiam tres Deos proponi adorandos. Voluisse tamen Deum, hoc insinuare, vel adumbrare mysteriũ multis modis iam, vt cum in novo prædicaretur testamento, non esse repugnantiam cum veteri ostenderetur. Et Scalante lib. 6. cap. 7. ostendens quomodo 70. ommisserint aliqua, inquit ex August. Ioan. 16. Pater manifestavi nomen tuum hominibus, non quo vocabaris Deus, nam, notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius, sed quo vocabaris Pater, huic enim tempori, legis gratia reservabatur.

Confirmatur hoc: quia idem etiam Scholastici, qui agentes 1. p. de mysterio Trinitatis, multa congerunt testimonia ad illud probandum, si quando cum Hæreticis manus conserere intendunt, & id probaturi, non omnia quæ de fide sunt haberi in sacris litteris expressa, sed multa haberi per traditionem, inter alia exẽpla, Trinitatis proponunt mysterium. Et Bellar. qui loco cit. plura testimonia cõgessit ad probandas voces, quibus vtuntur Catholici, ad explicandum hoc mysterium, idem tom. 1. lib. 4. cap. 4. Ad ostendendum traditionum necessitatem sæpè dicit, scripturam ambiguam, vt nisi ab aliquo qui errare non possit, explicetur, sola ad hoc non sufficere.

Duo enim sunt in scriptura, voces, & sensus, illæ ab omnibus qui legere sciunt habentur; non verò sensus; nec de ipsis certi esse possunt, nisi accedat traditio, quod ex Basilio lib. de Spiritu Sancto cõfirmat cap. 27. Exempla huius rei, plura adfert Bellarm. nam æqualitas Personarum, processio Spiritus Sancti à Patre, & Filio, vt ab vno principio, & plura similia, deducuntur ex sacris litteris, sed non adeo facilè, vt si solis scripturæ testimonijs pugnandum sit, nunquam lites cum protervis finiri possint. Videatur Stapleton. de principijs fidei lib. 12. cap. 5. vbi dicit, supradicta, expressè non haberi in scripturis, sicut nec voces, substantia, & Persona, vt in simbolis vsurpantur. De quo Becanus de traditio. num. 6.

Cano etiam lib. 3. cap. 3. dicit: Processionem Spiritus Sancti ex Filio, trium Personarum in vna substantia æqualitatem, earundemque per relativas proprietates distinctionem, non ita expressè in libris Canonicis inveniri; sed adeò certa ex fide esse, vt contrariorum dogmatum Authores, Ecclesia Hæreticos iudicaret. Denique Cayetanus dicit, quod Mysteriũ Trinitatis, licet vtcumque à Prophetis cognitum fuerit, fuit tamen innominatum proprijs nominibus, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, antequam Iesus Patris sui nomen manifestaret; & Matth. 16. in illa verba: *Tu es Filius*, dicit, mysterium Trinitatis, tunc primùm apparuisse hominibus, proprijs Patris, Filij, & Spiritus Sancti nominibus.

Difficile est, inter hæc proprium ferre iu-

iudicium,vti ostendit Maluenda,licet ipse in affirmativam partem præponderet, & meritò; quia plura loca veteris instrumenti,iuxta Conciliorum,& Patrum expositionem,quæ ex dictis plurimum conducit,vt sensus litteralis esse intelligatur, valdè vrgent, quod benè expendit Scalante citatus. Et in nostro scilicet: *In principio Elohim*, cum sit pluralis numeri, quod significat *Dij*, *vel Iudices*, per quod Trinitas designatur Personarum, & per ly *creavit* in singulari, vnitas essentiæ, satis clarè insinuatur. Et progrediens vltra,Cabalistarum curiositas dicit: verbum *bara*, quod interpretatur *creavit*,etiam Trinitatem insinuare. Littera enim, *b*, quæ est initium nominis, *ben*, quod significat Filium, repræsentat Verbum Dei Filium. *A*, quæ est principium nominis *ab*, significantis Patrem, ipsum repræsentat. *R*,à qua incipit nomē *Rua*, significat, & repræsentat Spiritum Sanctum.Sic Conrradus in Grammatica Hebræa.

Denique advertit Maluenda:quod nomen *Elohim*,cum alijs,extra verum Deū tribuitur, vix vnquam de vno solo, vel amplificationis,& honoris causa dictum, potest reperiri,sed semper significare plures, vel homines, vel Angelos, cur ergo cum de vero Deo effertur, non in ipso pluralitatem Personarum indicabit? Secus est in *Adon*,*Bargbal*, & his similibus, in quibus dominium, vel potestas indicatur;hæc enim de vno interdum pluraliter enuntiantur,honoris,& dignitatis causa. Ne simus iniquiores mysterijs; ita ille,& ego. De Elohim alia apud Galatinum lib. 2.cap.9. plura circa hoc nomen diximus, sed pro sequentibus conducentia.

Denique Istella dicit: Moysem plurali numero vsum pro singulari,& sic creandi verbum,in singulari posuisse, & nomē Elohim, absolutè prolatum, cum verbo singulari,Deo esse appropriatum,vt cognosceretur, illum esse omnium conditorem; & si cum numero plurali inveniatur, Angelos in Dei persona esse intelligendos,& ne rudi populo scribens,occasionē daret existimandi plures esse Deos.

Sed contra istam sententiam objicit Marzilla: quia si ista nomina, haberent significationem pluralem, liceret dicere, esse plures Deos veros, si enim Hebræis licuit, plures personas dicere, cur non licebit Latinis? Si dicas: quod scriptura, non ponit nomen Dei in plurali,nisi coniungendo illud cum verbo singulari. Cōtra: quia 2.Reg.7.dicitur: *Quæ est autem gens, sicut populus Israel, propter quem ivit Deus vt redimeret.* Hebraice dicitur: *Halecu Elohim*,idest iuerunt Dij.

Respondetur: Verum esse, aliquando nomen Dei in plurali adiungi cum verbo etiam plurali ex mala citatione; dicere autem tres Deos,nec possumus,nec debemus. Pro quo videatur D. Thom. 1. p. q. 29. art. 3. vbi dicit: quod quia nomen substantia apud nos, & essentiam, & hypostasim potest significare,ne detur erroris occasio, vtimur nomine subsistentiæ, & non substantiæ, licet Græci hoc non servent. Ita licet apud Hebræos, nomen Deus,posit accipi pro personis; secus autem apud Latinos, cum iam vsurpetur, & D.Thom. 1.p. q.39. art.4. divinam essentiam, vt in habente, vel supposito, & sic nomina significantia essentiam divinam substantivè non multiplicatur;& sic non dicimus tres Personas,tres Deos esse, quia est vna essentia.

§. II.

Circa hoc nomen qui est.

SEcundum nomen quod lustrandum suscipimus habetur Exod. 3. cū enim Deus mitteret Moysen ad Pharaonem,vt populum dimitteret, inquirenti Moyse, *si dixerint mihi, quod est nomen eius, quid dicam eis?* Respondit illi Dominus, sic dices eis: *Qui est misit me ad vos.* Ex quibus verbis infertur, hoc nomen valde Deo esse proprium, quasi cætera omnia non sint, quæ commutabilia sunt, in eius comparatione, qui verè est incommutabilis. Quod adeò verum est, vt etiam Plato ex D.August.lib.8.de Civit.cap.11. hoc docuit: nam quod in septuaginta le-

gimus: *Ego imi o on*, est participium, quasi diceret: ego sum ille qui est. Hoc ergo verbum Græcum, vno Latino reddi non potest, sed potest, ens, quod à verbo *sum* protulit Cæsar, sicut potés à possum, vt refert Quintilianus.

Significat autem hoc nomen, quod Deus ille sit, qui sit, quia res cæteræ verè, ac propriè non sunt. Isai. 40. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum reputatæ sunt.* Et postea: *qui dat secretorum scrutatores, quasi non sint.* Cætera enim omnia, vt etiam advertit Seneca, manent, non quia æterna sunt; sed quia defenduntur cura regentis, futura prorsus nihil, si manum ille tolleret. Et Plato optimè in Timæo illud: *Peri to ontos*, de Deo intelligit, qui vnum sit ens, & vniversorum principium, & quoniam *on* participium est, præsens tempus significat, vt videatur, Deus, nec futurum habere, nec præteritum, sed semper esse. Et concludit: at solum modo, *est*, ei congruit, fuisse verò, & fore convenit dicere illis, quæ in tempore genita cum tempore procedunt: motus siquidem hæc duo sunt. Quod autem idem est omni æternitate, nullo movetur motu, nec dicit seniorem fieri, aut iuniorem, nec fuisse hactenus, nec fore deinceps. Idem docet Nazianzenus orat. 38. & eius Escholiastes Nizitas.

Ex his infertur, quod licet Liranus, Cayet. & Burgensis dicant Exod. 3. non legi de præsenti, qui est in littera Hebræa, sed de futuro, scilicet Ehieserchic, idest: ero qui ero. In vulgata tamen, & apud 70. de præsenti habetur; & ita communiter legunt SS. Patres Hieronym. Epist. ad Marcellam. August. lib. 8. de Civit. cap. 6. & sic talis lectio retinenda. Et ratio diversitatis est: quia Hebræi pro præsentibus, futuris vti solent, vt Genes. 37. vbi quidam inveniens Ioseph errantem interrogavit. *Mathebakkes*, quod Latine vertitur: quid quæris? quod investigabis, cum de præsenti fiat interrogato, & Iob. 2. vbi nos legimus: *Vnde venis?* Hebraici legunt: *Meainthabo*, quod Latine vertitur: *Vnde venies?* quæ absurda sunt nisi futurum, pro præsenti summatur.

Propter quod D. Thom. q. 13. cit. art. 10. inquisivit: An hoc nomen, *qui, est*, sit maximè proprium Dei? Et respondet conclusione affirmativa; triplici ratione. Prima, ex parte significationis, quia non significat formam aliquam, sed ipsum esse, quod est eius essentia, ita vt nulli alij conveniat. Secunda, propter eius vniversalitatem, quia alia nomina, sunt minus communia, vel si cóvertantur cum Deo, addunt aliquid, vel determinans, vel informans. Et sic Damasc. lib. 1. cap. 12. *Qui est*, totum Deum comprehendit, & est veluti quidam pelagus substantiæ infinitum, & indeterminatum. Tertia, ex modo significandi, quia dicit esse in præsenti, quod ex August. 5. de Trinit. cap. 2. proprijssimum est Dei.

Obijcit tamen D. Thomas cótra suam resolutionem hoc argumentum: hoc nomen, *Deus*, est incommunicabile, vt dictū est art. 5. Sed hoc nomen *qui est*, non est incommunicabile: ergo non est maximè proprium Dei. Respondet D. Thomas: quod hoc nomen, *qui est*, est magis propriū nomen Dei, quam hoc nomen *Deus*, quantum ad id à quo imponitur, scilicet, ab esse, & quantum ad modum significandi, vt dictum est: quia designat primam rationem fundamentalē, per quam Deus à creaturis secernitur, quia in illis primū, quod occurrit, est esse; at in Deo, quod eius natura, & essentia, sit ipsum esse. Sed quantum ad id ad quod imponitur nomen ad significandum, est magis proprium nomen *Deus*, quod imponitur, ad significandum naturam divinā. Et adhuc magis proprium nomen est *Tetragramaton*, quod est impositum ad significandam Dei substantiam incómunicabilem, & vt sic liceat loqui singularem. Ex qua solutione, duo exagitanda occurrunt. Primum: an distinguatur nomen *qui est* à nomine *Tetragramaton*? secundum: quid sit nomen *Tetragramaton*, vel *Iehova*? de quibus suo ordine dicetur.

Dicendum est igitur: talia nomina distingui, (quicquid dicat Theodoretus

q. 15.

q.15. in Exod.) Probatur primo, ex verbis adductis D. Thoma. Secundo, ex D. Hieronymo epist.136. vbi decem nomina Dei explicat (de quo infra) & hæc duo, vt distincta assignat. Deindè: quia verbum Hebraicum *Eiè*, in cuius locum interpres vertit Exod. 3. *qui est*, distinctis scribitur litteris ac *Tetragramaton*, vel *Iehova*. Quia etiam si tertiam personam primi nominis accipias, nempè *ÿbie* idest *erit*, futuri temporis, eius littera est *Iod*, nominis autem *Iehova*, est *Vau*. Et quia nomen *Iehoba* ex communi deducitur à verbo *Haja*, idest *fuit*; ergo sicut apud Latinos esse, & essentia, distinctæ sunt voces, quia nomen essentia à verbo esse deductum est, ex Augustino lib.12. de Civit. cap. 2. ab eo quod est esse vocatur essentia, ita nomen, qui est, existentiam significat; Iehova vero essentiam, vel substantiam: & quia vt dicit D. Thomas, nomen Iehova, significat Dei essentiam, vel substantiam incommunicabilem. Videatur M. Serra art.11. cit. Refragatur his Marzilla annot.6. Exod.3. sequens Theodoretum, dicens, quod prima vox illius verbi est *Haja*, idest, fuit, cui in futuro tertiæ personæ additur *Iod*, & fit *Iehie*, idest *erit*, & sic fiet nomen Tetragramaton, contracta sic *Iod*, vt fiat *Vau*, quod facile evenit, propter maximam similitudinem illarum litterarum, ex cuius litteræ contractione, mutantur puncta, & fit *Iehova*, & cum in sequentibus dicit vulgata: Dominus Deus Patrum vestrorum, Hebraice ponitur *Iehova*, idest Tetragramaton scilicet: qui est Deus Patrum vestrorum.

Sed licet hæc probabiliter asserantur; at cum sententia Hieronymi, sine aliqua litterarum, & punctorum inversione procedat, de qua debebat instantia proponi, vt crederetur; vt ratio differentiæ ex nomine esse, & essentia vrgeat, melius nos, distincta esse nomina dicimus.

§. III.

De nomine Iehova.

SI pro rei dignitate, sermo nobis esset instituendus, integer tractatus insumendus erat; sed ab hoc studio, & onere, eruditio, & diligentia eximia, M. Maluenda alleviavit nos diatrivam numeris omnibus absolutam in lucé proferendo; breviter ergo aliqua ex illo, & alijs decerpentes, quæ nostrum concernunt institutum proponemus. Vt ergo clariori methodo procedamus, sciendum: quod hoc nomen *Iehova* Hebraicum, Græce dicitur: *Tetragramaton*, quod nos possumus quadriliterum vocare, quia lingua Hebræa, quatuor tantum inscribitur litteris. Videlicet *Iod*, *He*, *Vau*, & altero *He*. ad istam formam. *I. H. V. H.* quod esse nomen Dei, ex sacris litteris constat, imo & proprijssimum, vt dicemus.

Circa illius inscriptionem, vel probationem, etiam est discrimen, quia communiter moderni & Expositores, hoc sacrum nomen proferunt *Iehovà*: at Hæretici interdum *Iovam*, vel per apocopen, *Iova* pronuntiant. Sed valdè refragatur Genebrardus, & vt advertit Maluenda cap. 2. Huius criminis reum incusat Pagninum, ex quo alij hausere Ethimologiã; sed talis nuncupatio, antiquior videtur, cum illa vsus fuerit antea Galatinus. Nec obstat: quod Gentiles illo abusi sunt, vt supremum suum numen falsum *Iovem* nominarent. Cum ex sacris litteris, plura alia suffuratos fuisse, ostendit Eugub. in cormop. at verò vox *Iovà*, contracte sumpta, absurda iudicatur à Maluenda, videatur quia (inquit) nefas huic nomini sacro, quicquid addi, vel detrahi.

Igitur cum Bellarm. Montano, Lindano, & alijs dicit sic esse pronuntiandum *Iebeveb*, & ita scribi debere, vt ponatur *Segol*, sub *Iod*, & *Vau*, & *Cateph Segol*, sub primo *He*, nempè futurum verbi *Habab*, & sic pronuntiandum *Iebveb*, vel *Iabveb*, vel melius *Ieheveb*. Quod

est futurum in tertia persona verbi *Habah*, id est *fuit*: quod infertur; quia Exod. 3. Interrogante Moyse, quodnam esset nomen eius, respondit: *Ego sum qui sum*, sic dices filijs Israel qui est missit me ad vos. Hebraicè *Ehir*, *Asser*, *Ehich*. *Ero qui ero*. Ero missit me ad vos. Et statim subdit. *Dominus Deus Patrum vestrorum*, &c. pro *Dominus Deus*, in Hebræo est: *Ieheveh Elohe*, prius Deus dixit: *Ehich*, *Ero*, & mox subdit *Ieheveh* esse sibi nomen, ergo idem nomen censetur, cum hoc solum discrimine quod Deus in prima persona dicit: *Ero Ehich*, at in tertia persona dicitur: *Iehevih*, scilicet *erit*.

Iam circa significationẽ varij, Oleaster ait: significare Deum, vt conterentem, & devastantem. Alij: Deum facientem, vel generantem. Alij: significare ipsam divinã essentiam prout in se existit. Alij: veritatem, stabilitatem, & pelagum essendi. Burgensis: esse Dei incommunicabile. D. Thomas art. 11. explicare Dei substantiam incommunicabilem, & singularem. Alij: ex cuius essentia, res omnes ortum habent. Senensis: Ens, vel qui est, & qui futurus est. Vatablus: Eum qui facit esse quod promissit, & complet. Galatinus divinam essentiam vnam, & trinitatem Personarum. Alij: quod significat Deum, vt semper existentem, & æternum. Ac denique quia Hebraicè, futurum sumitur pro præsenti, & Deus temporis rationem transcendat, potest explicari per ens sum, vel qui est, vel quod est, cuius essentia, est esse, qui sibi est essentia, in se existens, & à nullo dependens, &c. Vide alia apud Angelum Caninum de locis Hebraicis cap. 1.

Sed notatu dignum est, quod *Iehova* nomen quadriliterum, & Græce Tetragramaton, non modo ab Hebræis, sed etiam à Græcis, Latinis, & omnibus pene nationibus Tetragramaton; id est quatuor litteris describitur. A Græcis *Teos*, à Latinis *Deus*, à Persis *Syre*, à Tyrrenis *Esen*, ab Arabibus *Alla*, ab Asyrijs *Adad*, à Turcis *Agti*, ab Indis *Zimi*, ab Hispanis *Dios*. Quod autem, apud tres præcipuas Nationes, quatuor litteris Dei nomen scribatur, ex eo venit mysterio, vt in Crucis titulo totus Orbis per illas signatus, Christum pro vero Deo cognosceret. Totidem enim in illo, fuere dictiones, quot in Dei nomine sunt litteræ: ita vt per has tres linguas, tres earum Populos, tam in Crucis titulo, quam in Dei nomine describendo præcipuè sibi Christus sacrarit. Hæc sacro salutiferæ Crucis die Inventionis scripta.

Vt autem, plenè tanti nominis explicetur significatio, supposito ex dictis, ipsam essentiam explicare divinã, quod vix aliud nomen præstat, ex quibus quædam significant Deum in ordine ad creaturas, vt Dominus, creator, gubernator, &c. De quibus D. Thomas q. 13. cit. art. 7. alia admodum qualitatis, vt sapiens, benignus, alia, admodum quantitatis, vt immensus, æternus, &c. Et sic in alijs cathegorijs, quæ omnia à proprietatibus, & attributis Dei, desumpta sunt; at verò, nomen tetragramaton Iehova, ipsam Dei essentiam, & naturam, vt est in se, & à se existit, significat. Insuper etiam, Deum, vt vnum, & trinum.

Licet enim, hoc nomen quatuor litteris constet; sed tres tantum continet distinctas, scilicet: *Iod*, *he*, & *Vau*, quia littera *he*, bis ponitur. In quo (ex Maluenda cap. 8.) mysterium Trinitatis mirè declaratur. Nam littera *Iod*, quæ omnium aliarum est origo, significat principiũ, & originem, & sic indicat Patrem, qui Trinitatis Personarum fontale est principiũ. *He*, quæ esse, vel vivere dicit, Filium indicat, per quem omnia facta, & omnia in ipso vita. *Vau*, quæ est coniunctio copulativa, exprimit Spiritum Sanctum, qui amor, nexusque Patris existit, & Filij. Duplicatur autem littera *he*, vel ad insinuandum solum Filium, duplicem habere respectum, alterum producti ad Patrem, alterum producentis ad Spiritum Sanctum. Vel ad duas in Christo designandas naturas, divinam scilicet, & humanam, de quo illud Psal. 66. *Benedicat nos Deus Deus noster*, vbi ly *Deus* geminatur, duplicis naturæ ratione.

For-

Forte etiam hac de causa, mos fuit Hebræis, nomẽ sacrum *Iehova*, per tria *Iod*, vel *Ioden*, in triangulo posita hoc modo, ', depingere, significantia nomen tetragramaton, cum allusione ad Trinitatis arcanum. Vel ad insinuandam formulam, qua benedicebatur populus Num. 6. v. 24. *Benedicat tibi Dominus, &c.* In quibus tribus versibus ter nomen *Iehova*, positum reperitur, ad Trinitatis expressionem, qua Pater benedicat, & custodiat; Filius illuminet, & misereatur, ac Spiritus Sanctus, attollat faciem suam, & det pacem.

Scitu autem dignũ est: quare Hebræi, nomen istud infandum, vel ineffabile, & illi Anoek phanction dicant? Plura circa hoc Maluenda cap. 5. Cantaprat. fol. 138. quia multis modis explicari potest tale nomen. Sed hoc multis alijs competit. Alij, quia solum proferebatur in Sanctuario, & cum Sacerdotes, & populus benedicebantur, duplex enim fuit illius prolatio, altera solemnis, cum expressione, & significatione quam plurium mysteriorum, quæ populo omnino incognita erãt: altera simplex, & communis, & vulgo notissima. Dicitur tamen nomen ineffabile, quia Deum vt in se, & à se dicit. Et propter reverentiam divinæ maiestati debitam, & quia illius prolatio, maxima cum gravitate, & tremore facienda, & non vulgariter; sed raro, tam voce, quam scriptura, ne profanaretur, proferenda.

His ergo de causis, Hebræi sancti huius nominis pronuntiationem vitarunt, loco illius substituentes nomen *Adonai*, vel *Elohim*, quorum primum, Dominum, secundum Iudices significat: & sic in suis exemplis Origines pro *Iehova*, *Adonai*, & idem D. Hieronymus fecit. Et septuaginta; Christus, Apostoli, & alij posteriores, cum sæpè ex veteri testamento testimonia proferrent, nunquam nomen *Iehova*, sed *Adonai*, Dominum, sive Ischiros, idest, fortem expresserunt: quod etiã observat Ecclesia in omnibus orationibus, vel precationibus illas finiendo, *per Dominum, &c.* qui *Adonai* voci correspondet. Et in Hebræo, nomen *Adonai* ponitur 134. locis; nomen verò *Iehova*, quod vocant adchira, infinities. Licet in vulgata, nomen *Adonai* ponatur bis. Exod. 5. & Iudith 16.

Sed sciendum: quod sacrum hoc nomen *Iehova*, primo occurrit Genes. 2. v. 4. illis verbis, in die quo fecit Dominus Cœlum, & terram; cum postea infinitis in locis apponatur, cur in totius fabrica, & constitutione mundi, non sit ascitum nomen *Iehoveh*, admiratione interrogat Maluenda cap. 15. plures rationes adducit. Prima est: quia nomen Dei Elohim designat Deũ, vt est Iudex in creaturas, quasi cuncta creata ad iudicij mensuram deducat: nec oblitus misericordiæ cum creatura misere caderet. De quo D. Thom. 1. p. q. 21. art. 4. Secunda, quia ante hominis creationem, non erat opus Dei perfectum, cum excellentior deficeret creatura, vt dicit Tertulianus. Tertia, vt sciremus, Deum Iudicem, severum futurum, si rebus creatis abutamur. Quarta, quia nondum erat fabrica mundi absoluta, sed quasi in fieri, & sic non plenè agnosci poterat Deus, vt fons essendi, & omnium causa, quod nomen *Ieheve* significat.

Vltimum iam quod, inter multa alia (brevitatis causa omissa) venit exponendum est: an nomen *Ieheve*, sit maximè Deo proprium? De nomine Tetragramaton, affirmavit D. Thom. q. 13. art. 11. ad. 1. quod nomini vt diximus Iehovà correspondet. Et ex dictis, facile colligi potest, cum iam probatum maneat, significare ipsam Dei essentiam, & esse qui semper est existens, à nullo pendens, fons, & pelagus omnium rerum, primum ens, omnium opifex, & causa prima, à quo, in quo, & per quem, omnia conservantur, & fiunt. Ommitimus nunc examinare, an de potentia absoluta, aliquod sic impositum, vel imponi possit nomen, quod repræsentet, & Deum significet sicuti est, clare, & distincte? De quo iam supra diximus, & certum videtur, hoc implicare si ex parte intellectus creati intelligatur, an etiam ex parte Dei? dicta videantur.

Communis ergo omnium consensus affirmat esse proprium. Et latè probari poterat, sed breviter probatur primo, nam Exod. 3. dixit Dominus ad Moysem: *Ego sum qui sum.* Ait, sic dices filijs Israel qui est (Ehjeh, idest erit) missit me ad vos. Dixitq; iterum Deus ad Moysem, hæc dices filijs Israel. Iehevеh, Dominus Deus Patrum vestrorum, &c. Hoc nomen mihi in æternum, &c. Vbi proprium dicitur nomen. Secundus locus Exod. 6. Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo Sadai omnipotente, & nomen meum Iehеve non indicavi eis. Idem habetur Psalm. 82. v. 15. Exod. 15. v. 3. Isai. 42. v. 8. Ego Iehеve, hoc est: nomen meum, & pluribus alijs in locis.

Probari etiam poterat ex SS. Patribus & Expositoribus, quos manu plena retulit Maluenda cap. 14. vbi plures Gentiles, & Philosophos adducit. Videantur. At rationibus plurimis, id ostendi poterat. Sed allatæ à D. Thoma pro nomine, qui est, melius hic adaptari possunt, & quia significat ipsum esse, secundum essentiam. Et propter eius vniversalitatem, & quia significat ipsum esse præsens, sine discrimine præteriti, & futuri, quod Deo maximè est proprium, cum apud ipsum non sit mutatio, nec vicissitudinis obumbratio ex D. Iacobo cap. 1.

Duo ex hac resolutione occurrunt explicanda. Primum: an nomen *Iehеve*, ita proprium sit Dei, vt illum significet singularem, & incommunicabilem, & non Deũ absolutè? Pro parte affirmativa stat locus ille Exod. 15. *Iste Deus meus, &c.* & D. Thomas art. 11. ad primum de Tetragramaton, quod idem significat ac Iehеve, dixit: quod est impositum ad significandam ipsam Dei substantiam incõmunicabilem, & vt sic liceat loqui singularem. Sed de nomine *Iehеveh*, refragatur Maluenda, ad finem cap. 14. Inquiens: sed quam benè, ipsi viderint: nihil mirum destitutis lingua Hebraica, ista accidere. Vellem, vt sui placiti redderent rationem. Consulendi sunt ergo periti, & provecti in Hebraica lingua.

Secundum quod lustrandum venit est; an nomen *Iehеveh* in sacris litteris interdum tribuatur alicui, qui non sit verus Deus? De nomine Tetragramaton (nescio an idem de Iehеveh) negat Maluenda cap. 15. concedit de alijs, dici aliquando, tàm de Deo vero, quam de falsis, & Idolis. Hoc inquit colligi ex Scriptura, & ex hucvsque dictis, cum non solum ex parte rei significatæ; sed etiam ex parte modi significandi. Ab essendo enim, esse deductum, non solum vox, & nominis ratio testatur cum ipsum esse significet, sed ipsa etiam Sacra Scriptura demonstrat. Ex Exod. 3. sæpè citato, qui est missit me ad vos, & alibi sæpè.

Plura loca obstare videntur huic resolutioni. Primus, Exod. 27. Ædificabitq; Moyses Altare, & vocavit nomen eius Iehеveh. Dominus exaltatio mea. Et Ezech. 48. Et nomen Civitatis ex illa die Dominus Iehеveh. Secundo: quia in veteri testamẽto, sæpè Angeli apparuerunt insigniti nomine Tetragramaton. Tertio Exod. 23. Ecce ego mitto Angelũ meum, qui præcedat te. Et est nomen meum in illo, idest: Iehеveh. Et mulier loquitur de Deo suo, quod Idolum erat, vt patet.

Respondetur ad primum: illis locis tale nomen impositum, non quia illis propriè conveniat; sed in signum, & memoriam alicuius victoriæ, & beneficij ob quæ Deus illis in locis adorandus, & illi gratiæ exhibendæ erant. Ad secundum, quod illi Angeli sic appellabantur, non in propria persona; sed quia Legati Vice Dei, & officio fungebantur. Et tale nomen, non refertur ad Angelum, sed ad Deum, qui per Angelum loquebatur.

Tertius locus, exigebat merito extensam digresssionem, sed non vacat modo, cum plura suppetant percurrẽda. Aliqui per illum Angelum intelligi Moysem dixere. Alij, quandam substantiam Angelicam, & spiritualem, alij Iosue; alij ipsum Dei Filium, vt enim supra iam diximus, plures Authores tenuere quoties Deus præsentiam suam Patribus declaravit, id per Christum, qui Dei Patris expressa est imago factum fuisse: vel quia re vera ad tem-

tempus veram carnem induerit, vel in assumpto aereo corpore apparuit. Et ita, Angelus qui hic visus est, & qui in rubo, & Iosue apparuit ipsum Dei Filium fuisse. De quo supra diximus. Vndè, si Moyses, Iosue, vel Angelus intelliguntur, non in proprijs personis, sed vt Christi Legatis id illis convenire dicendum.

Ad quartum dicatur: vel quod illa mulier, non verè erat idolatra, sed obsequiũ vero Deo direxisse, & si errore putaret in illis idolis verum adorare Deum, & sic dicitur argentum Deo vero consecrasse. Vel quod Sacra Scriptura, tribuit aliquando nomen Iehove Dijs falsis, non ex ipsius Scripturæ sententia, & iudicio, sed ex idolatrarum qui talem honorem, idolis attribuebant, & illorum opinionem referendo. Sic Paulus 1. Corinth. 8. & si sint qui dicantur Dij, siquidem sunt Dij multi, &c. secundum pravam hominum opinionem, & non re vera; nobis tamen est vnus Deus. Pro quo videri possunt, quæ supra diximus; quod scriptura aliquando loquitur iuxta communem sensum vulgi, modo ibi explicato.

Cum autem vocetur hoc nomen ab Hebræis, *Sem Hamephoras*, idest, nomen expositum? Aliqui dicunt, quod quia per alia nomina expositum, & declaratum est alij, quia clarè Dei essentiam, & substantiam explicat; alij, quia olim Sacerdotes, illud per nomen duodecim vel quadraginta duarum litterarum declarabant. Alij; quia explicitè Trinitatis mysteriũ, cum vnitate essentiæ demonstrabat, quod in veteri testamento occultum erat. Denique Maluenda putat, per antiphrasim sic dictum, quia eius significatio paucis cognita, & sic illud per Adonai, vel Elohim explicabant.

Et vt nihil intactum relinquamus, sciẽdum: hoc nomen Ieheveh solitum ab Hebræis vocari duodecim litterarum, non quia ex illis omnibus, vnum simplex conficeretur nomen; sed aggregatum quoddã scilicet. *Ab, Ben, ve Ruach ha Kodoes*; idest Pater, Filius, & Spiritus Sanctitatis, vel Sanctus: dicebatur etiam nomen 42. litterarum, quia per illam explicatio erat amplior illius, & erat tale. *Ab, El, Ben, El, Ve, Ruach, Ha, Chodes, El, Abal, Lo, Scelosza, Elohim, Chim, Eloab, Echad*, quæ propriè significant, Pater Deus, Filius Deus, & Spiritus Sanctus Deus, verumtamen, non tres Dij quinimo vnus Deus. Quo alludere visus est, Athanasius dicens: Alia est Persona Patris, &c. & Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus Sanctus, &c. Sed vt benè Maluenda cap. 16. adnotat, pro totius præsentis rei notitia veniebat explicandus celebris ille locus, Exod. 6. v. 3. *Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotenti*, & nomen meum Adonai, non indicavi eis. Videantur Expositores, & Ballester lib. 1. de substantia divina, cap. 2. Ximenez in Lexic. v. Iehova, & cap. seq.

§. IV.

De nomine Deus.

Iam nomen communius quo describimus, & essentiam, & primum rerum principiũ, & causam (scilicet Deus) enucleandum suscipimus. Et primo circa eius ethimologiam sciendum: quod divinitas significatur voce Græca *Teotis*, quæ ab alia scilicet *Theos*, idest divinus, derivatur. Iam verò apud Latinos pro *Theotisa*, idest divinitate, vsurpatur communiter por Deitate. *Theos* ergo, vel deducitur à *Thein*, idest currere, & disponere omnia. Nam cum viderent Solem, Lunam, & Astra, quos Deos colebant perpetuo cursu rotari; inde illis tale nomen indiderunt. Alij, qui à dando deducunt, quod scilicet Deus omnia det. Alij, quod illi nihil desit. Alij, à *Teaste*, idest, intueri, vel à *Tetemi*, idest, pono; quia in eo omnia posita sunt. Alij, *Æter*, idest, *Vrere*. Alij, à metu, & timore, iuxta illud Petronij Primus in orbe Deos fecit timor, vel metus. Vnde & ipse dixit Ierem. 5. me non timebis, &c.

Circa hoc autem nomen, D. Thomas q. 13. cit. tria resolvit. Primum, in art. 8. quod quantum ad id à quo imponitur, est nomen operationis, scilicet, significat vniver-

versalem rerum providentiam: ex hac autem operatione, quantum ad rem significatam, translatum est ad demonstrandam Dei naturam, & essentiam. In art.9. resolvit secundo, hoc nomen, re vera esse incommunicabile, alijs à Deo, cum Dei natura, non sit multiplicabilis: esse tamen communicabilem secundum opinionem, plures Deos adstruentium. Et in 10. art. concludit: quod hoc nomen *Deus*, non vnivocè, sed analogicè dicitur de Deo vero, & de alijs, per participationem, & similitudinem, vt iam dicimus.

Tripliciter ergo nomen Deus accipitur, vel applicatur. Primo: pro Deo vero, vivo, & æterno; & sic, vel essentialiter, vt Deus creat, quia hoc est prædicatum cõmune. Aliquando pro vna Persona, vt Pater generat; aliquando pro duabus, vt cum dicitur Deus spirat. Denique pro tribus, vt cum dicitur 1. Timoth. 1. Regi sæculorum immortali, &c. Ita D. Thom. q. 39. art. 4. & ibi docet, quod hoc nomen *Deus*, significat divinam essentiam, vt in habente, sicut hoc nomen *homo*, significat humanitatem in supposito, & sic ex modo significandi habet, quod possit supponere pro Persona, modo iam dicto.

Secundo, accipitur participativè, scilicet de illis, qui aliquid de Deo participant, iuxta illud Psal. 81. Ego dixi Dij estis, quia ex D. Petro 2. cap. 1. sic efficimur, cõsortes divinæ naturæ, & ex Ioan. 1. cap. 3. vt Filij Dei nominemur, & simus. Tertio, accipitur nuncupativè secundum erroneã, & falsam hominũ opinionẽ, qui hominibus, imo brutis, & rebus insensibilibus, deitatis nomen attribuebant, qui primo octo Deos constituerunt. Ignem, aquam, terram, Cœlum, Lunam, Solem, mittham, & noctem, ab his plures alij, vt numero comprehendi non possint, de quo D. August. de Civit. Dei.

Sed cum hoc nomen, aliquando Deum verum, & aliquando falsum significet, quomodò id discernendum? de quo rectè Cantapratensis fol. 127. vbi sic fatur: diligenter adverte, nomen istud *Deus* interdum absque articulo poni, & tunc ex antecedentibus videndum, an de Deo vero, vel de falso dicatur, nam de ambobus dicitur. Et si ex Augustino lib. 1. quæst. in Genes. quæst. 105. articulus additus nomini sit Dei, evidentissimè verus signatur Deus, vt Genes. 33. propter hoc vidi faciem tuam, quasi videat aliquis faciem Dei. Pro quo etiam facit, regula Epiphanij lib. 1. contra Hæres. & Cyrili. Quod quando nominibus Scriptura proponit articulos, secundum vsum linguæ Græcę, tunc vnum significant vt certum, ac propriè talem, vt in loco adducto; si non apponatur articulus, intelligitur de alio qui est Deus ex gentilium errore. Sic Ioan. 1. iuxta Græcum legitur: *In principio erat to, vel illud Verbum.* & Mat. 2. *Vbi est ille qui natus est.* & cap. 16. *Tu es ille Filius Dei vivi.* & Luc. 10. In illo Spiritu; scilicet Sancto. Et Ioann. 1. *Non erat ille lux illa.* Vndè cum Baptista respondit: *Non sum Propheta*, non se Prophetam negavit, nisi ton illum Prophetam à Moyse prædictum Deuteron. 15. 18.

Et quia magni momenti, (ne fallamur) res existit, etiam Hirenæi licet verba proponere lib. 3. cap. 6. Cum eos qui non sunt dij, Scriptura nominat, non in totum ostendit, illos esse Deos; sed cum aliquo additamento, & significatione, per quam ostenditur non esse Deos. Sicut David Psalm. 105. *Quoniam omnes dij gentium dæmonia.* & Ierem. cap. 10. Dij qui non fecerunt Cœlum, & terram; & alibi. Vel ex Origene hom. 14. num. In Hebræorum (inquit) litteris, nomen Dei diverse describitur; aliter enim scribitur Deus quicunque Deus, aliter Deus ipse, de quo dicitur: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Iste ergo Deus, certo litterarum signo describitur, quod apud illos Tetragramaton dicitur. Si sic scribatur, nulli dubium, de vero Deo dicis at si alijs, & communibus litteris, incertum est, an de Deo vero, vel alijs dicatur: quia ex Apostolo, sunt Dij multi, sivè in Cœlo, sivè in terra, &c. nobis tamen, vnus Deus Pater, &c.

Varie autem hoc nomen Deus adhuc significatur in scriptura. Aliquando Iudi-

dicem, & magnatem demonstrat, vt Exod.7. Ecce constitui te Deum Pharaonis, idest Vice Dei. Aliquando verò pro iudicibus,& legem docentibus, Psal.134. *Et Deus noster præ omnibus Dijs.* Aliquando pro dignitate fulgentibus, Psal. 45.*Quoniam Dij fortes terræ,vehementer elevati sunt.* Aliquando,pro Principibus populi, Psal. 81. *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem, Deos diiudicat.* Aliquando,pro Iudicibus,Psal. 49. *Deus Deorum Dominus locutus est.* Deus etiam dicitur, quod amatur valdè ad Philip.3. *Quorum Deus venter est.* Et mammona,Deus huius sæculi est, vel dicitur diabolus 2. Corinth. 4. & Hebræi quicquid magnum & excellens, Dei dicunt,vt montes Dei,cedri Dei,idest altissimi Psal.76.

Circa Angelos verò,an in Sacra Scriptura Dij vocentur? discriminantur Authores supponendo prius: quod Deus O.M. Aliquando tali etiam nomine insignitur,vt patet ex Genel. 48. Angelus qui eruit me de cunctis malis. Vbi D. Thomas. Videtur, quod Deum Patrum suorum,vocet Angelum,& sui Protectorem, & Salvatorem: Vnde & postea in singulari dicit.Benedicat pueris istis.Nisi forte Angelicam benedictionem, divinæ benedictioni, tanquam comministram adiungat. Sed modus loquendi, si benè advertatur,magis sapit primum modum. Et Ecclesia dicit: *Angelus consilij natus est de Virgine,&c.*

Augustinus ergo Psal. 135. inquit: In scripturis, nescio vtrum, vel possit, vel facilè possit reperiri apertè Angelos dictos Deos. Sed cum de Domino Deo dictum esset: terribilis super omnes Deos. Cur dixerit, continuo veluti exponendo subiungit: quoniam Dij gentium dæmonia. Non ergo Dij sine additamento, sed Dij gentium dæmonia. Et hoc ne homines,Angelis ministerium exhiberent,debitum soli Deo. Chrisostomus etiam homil. 22. in Genes. ait: homines, Filij Dei dicuntur, Angeli nunquam; de Angelis enim, qui facit Angelos suos spiritus, Psal.103. de hominibus autem: Ego dixi Dij estis,& filij excelsi omnes, Psal.81. & Isai.1. filios enutrivi,&c. Theophilactus etiam ad Collos.1.hominem nominat Paulus imaginem Dei, & filium Dei; Angelum autem,nusquam,& alij plures.

Sed huic sententiæ refragantur Hieronymus,Daniel. 3.dicens: Angeli, Dij, vel filij Dei,sæpissimè vocantur in scriptura, vt apud Danielem, species quarti, similitudo filij Dei,quem postea,Angelum ipse vocat,qui ad fornacem descendit inferni. Adducit etiam,illud Iob.2. Venerunt filij Dei,vt starent coram Domino, quæ verba, vix aliam possunt interpretationem admittere, & est communior sensus Expositorum.Suffragatur Origines hom.8. in Exodum inquiens: non sint dicit scriptura, Exod. 20. alieni Dij præter me. Si dixisset,nō sint Dij præter me, absolutiō esset sermo: nunc quia dicit nō erunt tibi Dij alieni præter me,non negavit,Angelos esse Deos. Idem habet Cyrillus lib. 3. in Ioan.& Gregorius 2.moral. cap.2. qui filij Dei,nisi electi Angeli vocantur?

Rem optimè resolvit D. Thomas 1. 2. q. 98. art. 3. vbi postquam dixit, legem datam esse ab Angelo, vel per Angelos, obijcit sibi. Illud Exod.cap.20. vbi habetur: locutus est Dominus sermones hos. Ego sum Dominus Deus tuus. Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham,&c. Loquitur ergo Deus, & non Angelus. Sed respondet ex Gregorio in principio moral. Angelus qui Moysi apparuisse dicitur, modo Angelus,modo Dominus memoratur. Angelus videlicet, quia exterius loquendo,serviebat: Dominus autem dicitur,quia interius præsidens loquendi efficaciam ministrabat.Scio,Eusebiū,& alios docere, ipsum filium esse,qui apparebat, & loquebatur. De quo supra, & nostra sententia textui convenientior videtur. Et Augustinus explicans illud Genes. 11. descedit Dominus videre Civitatem, &c. ait, quod potest intelligi, quia descenderunt Angeli eius in quibus habitat. Denique Bernard. Angeli dicitur filij Dei, vt divinæ gloriæ participes,& expressionem imaginis Dei similitudinem in se habentes.De quo D. Thom.1.p.q.93.art.3.

DIGRESSIO CIRCA ILLA VERBA Genes. 6. Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ acceperunt sibi vxores, &c. & postea Gigantes erant super terram in diebus illis, postquam ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, &c.

CVm ex dictis constet, Angelos in scriptura titulo Dei, & filiorum Dei inugniri, non abs re videbitur elucidare, quid sibi vellet Moyses, cum hic dixit; filios Dei accepisse vxores, & ingressos ad eas? quid per filios Dei intelligatur? In qua re, primo littera secundi versus (ex quo primus explicatur) secundum triplicem æditionem adducenda. Vulgata ita explicat: Gigantes autem, erant super terram, in diebus illis: postquam enim, ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes à sæculo, viri famosi. Litera verò Hebraica sic legit. Ipsi nephitim, fuerunt in terra in diebus illis, & etiam postea sic, quod venerũt filij Elohim, ad filias hominum, & pepererunt eis. Isti sunt ipsi Guiborim, qui à sæculo (ab olim) homines noximus. Septuaginta legunt cum Vulgata vsque ad illud, Et post illud: cum intrarent filij Dei, ad filias hominum, & generabant eis, illi erant Gigantes, à sæculo homines nominati. Et Caldæus interpres: postquam ingressi sunt filij magnatum, ad filias hominum, &c.

Ex his ergo verbis translationũ, magna inter Authores exorta est lis, quid per filios Dei intelligatur, qui ingressi sunt, & acceperunt vxores filias hominum, ex quarum congressu, filios Gigantes, vel fortes genuerunt? quod vt breviter resolvamus supponendum: verbum *nephitim*, significare Gigantes, vel homines proceræ, & ingentis magnitudinis, & staturæ, quod nomen, sive propria, sive metaphorica acceptione 23. locis reperitur in scriptura. Et quod tales homines extiterint, vt certum à nobis habendum, & statuendum, cum littera id exprimat, Expositores affirment, historiæ etiam veræ (omissis fabulosis) adstruant contra Originẽ, qui dixit, esse homines impios, &c. quem impugnavit Theodor. q. 48. in Genes. & constat ex 13. numerorum, de quo Rabisius textor in officina, Mayolus colloq. 2. Zuvingerus tom. 2. Theatri. vol. 2. lib. 2. Perer. lib. 8. in Genes. disp. 4. Delrio lib. 2. disp. quæst. 15. Pineda Iob 20. & plures alij, apud doctissimum Maluendam tract. de Gigantibus, & Scalante lib. 8. cap. 24.

His suppositis, variant Authores in explicatione illorum vocum *filij Dei*, aliqui enim per illos Angelos intelligunt, sive bonos, qui fœminarum allecti pulchritudine, ad illas ingressi sunt, sive malos, qui in proprijs corporibus (existimabãt enim illos corpora habere subtilia, de quo statim) cum mulieribus se comiscuisse, & filios procreasse adstruebant. Fuit hæc sententia non ignobilium Authorum videl. Iosephi lib. 1. antiq. cap. 3. Philonis lib. de Gigantibus, Iustini in Apolog. Clementis lib. 3. stromat. Tertuliani lib. de habitu mulier. Lactantij lib. 2. inst. cap. 15. & Sulpitij lib. 1. historiæ. Et videtur esse Ambrosij lib. de Noe cap. 4.

Alij dixerunt, filios Dei quos hic Moyses Angelos, Philosophi vero, genios appellant, esse animas aereas, quæ in corpora descenderunt & istos, accepisse mulieres, &c. Alij, cum Paulo Burgensi fuisse dæmones sub humana specie, à Deo creati, quia verbum *Nephitim* significat gigantes cadentes, quod accidit dæmonibus iuxta illud Lucæ 10. *Videbam Satan, tanquam fulgur cadentem.* Denique alij cũ Magistro historiæ Scholasticæ dicunt: fuisse dæmones incubos, vel succubos, dum ad modum virorum se habent, vel instar mulierum, recipientes semen à viris, & ipsum conservantes, & postea formam virorum incorporibus formatis accipientes facti incubi semen in vterum fœmineum immitrentes, vnde homines ingentis corporis, & roboris orti sunt. Vide Sixtum Senens. lib. 5. annot. varijs.

Antequam veram intelligentiam demus, prædicta placita examinanda veniunt.

niunt. Primum ergo, si de Angelis bonis intelligatur, Hæreticum videtur, cum Angeli Sancti, post perfectam in Deum cõversionem, in gratia confirmati sint, & cum id quod completè elegerunt, propter iudicij immobilitatem, refutare, vel retractare non possint, omne ab eis peccatum, & defectus removendi. De quo Theologi cum D. Thoma 1.p.q.62.art.3. & q.64.art.2. Deinde de omnibus Angelis probatur; quia cũ naturæ omnino spiritualis sint, non affici possunt ad peccata carnalia. Licet enim dæmones incurrere possint reatum omnium peccatorum, ad quæ homines inducunt; secundum affectum vero, solum illa peccata in illis esse possunt, ad quæ contingit affici spiritualem creaturam; & sic resolvit in illis fuisse peccata superbiæ, & invidiæ. Videatur Chrisostomus homil.22.in Genesim.

Aliud vero placitum, si intendat Angelos habere corpora, & si subtilissima, alterius est negotij illud impugnare. De quo D. Thomas 1.p.q.50.art.1. & 2. Vbi ostendit, esse omninò spirituales, materiæ, & corporis expertes. Sed an hoc sit Hæreticum; aliqui existimant ex verbis Concilij Lateran. cap. firmiter de summa Trinit. Vbi dicitur: quod Deus abinitio, vtramque condidit creaturam, corporalem scilicet, & spiritualem. Sed vt benè Interpretes advertunt, hoc non fuit præcipuè intentum à Concilio, quod requirebatur vt esset de fide; sed contra Originem definire, qui vt dicit D. Thomas opusculo 23. dicebat, quod Deus à principio creavit solũ spirituales creaturas, & postea, quibusdam illarum peccantibus, creasse corpora, quibus quasi vinculis alligarentur. Sed tamen oppositum vt certum habendum, scilicet, quod Angeli non habeant corpora naturaliter vnita.

Deinde hoc dictum de Angelis, etiam expungitur ex alia doctrina D. Thomæ q.51.art.3. Vbi Theologi ostendunt, Angelos non posse exercere in corporibus assumptis opera vitæ, qualia sunt commedere; quia importat sumptionem cibi convertibilis in substantiam commedentis. Neque propriè loquuntur, sed est aliquid simile locutioni in quantum formãt sonos in aere similes vocibus humanis: ergo cum generare sit opus vitæ, nequit Angelis, qui spirituales omninò sunt substantiæ, illud convenire.

Accedamus iam, ad aliorum placitum, qui dixerunt intelligi dæmones incubos & succubos modo explicato, & horum opere, filios gigantæos esse procreatos. Hoc dictum valdè probabile potest videri; tum, quia annuit Augustinus lib.5. de Civit. cap.23. & D. Thomas cit. & quia dæmones vires seminũ agnoscũt, & quid cuilibet congruat sapiunt, & intellectus eorum, discernit opportuna tempora, & Cœlorum influxus ad semen in mulieris vterum inferendum; neque in hoc difficultas esse potest. Sed solum adnotandum: quod si ex tali congressu, homo generaretur, nõ dæmonis filius, sed illius hominis ex semine cuius generaretur esset habendus. Et cum D.Chrisostomus homil.22. in Genes. asserit, impossibile esse, vt Angeli improbi, cum mulieribus rem habeant; intelligendus venit, in propria natura, & virtute; secus modo explicato, ex semine viri aliundè accepto, & in corpore ex aere, vel alijs vaporibus ad instar hominis efformato.

Viso iam, quod ista Angelos ipsos non comprehendant, sed homines concernere; examinandum restat, qui isti fuerint? Olealter interpretatur, homines corpore, robore, & proceritate cæteris insigniores. Hebræus: Populorum Principes, & Præsides. Alij, videntes quod scriptura distinguit inter filios hominum, eos scilicet qui terrena sapiunt, Psalm.4. *Filij hominum, &c.* & Psalm. 48. *Quique terrigenæ, & filij hominum*: ac si dicat, quia terrigenæ filij hominum. Vel sumpto, *&*, pro *quia* filij hominum, terrigenæ. Et inter eos qui ad cœlestia aspirant, dicunt filios Dei vocari, homines professores virtutis, vel qui saltem longo tempore eam exercuerint, & si ab ea iam discesserint; de his (inquiunt) loquitur sacer textus.

Vtraque expositio sustineri potest, &

cap. 1. v. 3. vt adoraret, & sacrificaret Domino exercituum in Silò: & adiungitur nomini *Iehoveh*, quod est vnum de decem præstantioribus Dei nominibus. Et Sanctus Epiphanius hæresi 40. Sabaoth, (inquit) virtutum interpretationem habet. Dominus igitur Sabaoth, Dominus virtutum est. Omnibus enim expositum est, quod vbi scriptura, nomen Sabaoth vsurpat, non solum id pronuntiat vt diceret, dixit mihi Sabaoth, aut locutus est Sabaoth; sed statim dicit, Dominus Sabaoth, hoc est Dominus virtutum.

Arias Montanus plura. Sabaoth, divinam potentiam significat, copiasque indicat maximas, per quas, quæcumque res gerenda decernatur, expediri facillimè posset. Atque hoc cognomine vocando, Auditores admonentur, neminem esse, qui divinam potentiam, aut impedire, aut fugare valeat. Genebrardus Psal. 24. Dominus Isabaoth, idest rerum omnium creatarum, quibus cum libet vtitur, tanquam copijs, & exercitibus ad suum imperium. Oleaster. Deus exercituum vocatur, propter multitudines, tum Angelorum, tum etiam Astrorum, qui eius imperio dimicant adversus insensatos. Forerius Isaiæ 1. dicitur Iehova Isabaoth, eo quod vel in exercitibus Angelicis, vel in corporibus cœlestibus, vel in ministerio templi, vel etiam in prælijs, potentia ipsius maximè appareat. Vide Cayetanum.

Observat etiam Maluenda fol. 29. quod Isaba, idest exercitus, vel militia, adiuncto nomine Cœli varie accipitur, cum dicitur exercitus, vel militia Cœli, aliquando significat ordines omnes Angelorum, 3. Reg. 22. v. 19. *Vidi Dominum, &c.* Et 2. Paral. 18. v. 18. & Luc. 2. aliquando significat Solé, Lunam, & Stellas. Deut. 17. v. 3. Et 4. Reg. 17. v. 16. & cap. 23. v. 5. At verò cum Genes. 2. dicitur: *Perfecti sunt cœli, & terra; & omnis ornatus eorum.* Hebræus, militia, seu exercitus eorum. Vbi exprimuntur res omnes; sive cœlestes, sive terrestres, secundum suos gradus, & ordines, virtutes, qualitates, perfectiones, &c. & etiam metaphorice sumptum designat totum Ecclesiasticum cultum, & ornatum. Vbi num. 4. Vulgata habet omnes qui ingrediuntur, & ministrant in tabernaculo fœderis. Hebræus. Omnem venientem ad militare militiam, ad servire servitutem in tentorio constitutionis. Id etiam Isaiæ 40. Completa est militia, licet vulgata habeat malitia, certis de causis. Maluenda fol. 30.

§. III.

De nomine Helion.

QVintum Dei nomen est, *Helion*, quod excelsus interpretatur Deuter. 32. sed celebris locus Psal. 112. *Excelsus super omnes gentes Dominus, &c.* Vbi Cayetanus inquit: redditur ratio laudandi; altera ex celsitudine dominij. In terra quidem, non solum super Iudæos, sed super omnes gentes. In Cœlo autem supra Cœlos honor eius, hoc est honoratur etiam supra Cœlos ab Angelis ibidem existentibus. Genebrardus etiam. Super omnes gentes, apud eas extollitur, agnoscitur magnus, & supremus. Alij, est excelsior super omnes gentes, superat laudes cunctarum gentium, eas omnes excellit, & super Cœlos. Ibi enim Angeli, gloriam Dei extollunt. Alij gloria eius est Cœlis superior. Nam non quidem ab Angelis cœlestibus, plenè comprehenditur.

§. IV.

De nomine EsEor Ibie.

SExtum Dei nomen est *Eseor Ibie*, quod Exod. 3. legitur, *qui, ero*, vel vt alij transferunt *qui est*: sicut enim cum Deus dixit: *Sum qui sum* in vulgata Hebraice habetur *Ehie*, id est: *Ero* vt supra notavimus; & derivatur à verbo *Saya*, idest *Fuit*; ita hic Hebraica vtitur futuro substantive; vndè aliqui vertunt: *Ero* alij, *qui ero*, & in tertia persona: qui erit, quia Hebræi, sæpè dimmittunt relativas, at vulgata, melius ad vsum vertit: *Qui est vel erit*, cum ad docendum populum aptius

tius referenda in tertia, quam in prima persona proponat.

Et nota quod pro illo: *Ego sum, qui sum*, debet verti *Ehieh asser Ehieh*, & nos propriè: *Ero qui ero*, vbi primum *ero* est nomē Dei qui ero expositio illius, vel causalis: *Ero quia ero* idem semper, vel ero, quia semper fui, sum, & ero, & sic *Ehieh* significat Dei æternitatem, in qua semper stat Beatus & vt semper, existit æternus, ex Apoc.1. *Qui erat, qui est, & qui venturus est.* Et sic Christum respexisse cum dixit Ioan. 18. *Ego sum.*

Et Damascenus lib.1. cap.12. Est principalius omnium nominum de Deo dictorum, qui est. Vt dicitur Exod.3. & Augustinus de fide & symbolo cap. 5. dicit: Deus non potest dici, fuit & erit, sed tantum, est, quia quod fuit, iam non est, & quod erit nondum est. Ille ergo est incommutabilis sine conditione temporum, & varietate. Nec aliundè arbitror manare; quod famulo suo Moysi tale nomen suum insinuavit, nam cum ab eo quæreret, si se populus ad quem mittebantur contemneret, à quo diceret se esse missum, responsum dicentis accepit, ego sum qui sum, deindè subiungit. Hæc dices filijs Israel, qui est, misit me ad vos.

§. V.

De nomine Adonai.

Septimum nomen, est *Adonai*, quod nos generaliter Dominum dicimus Isai 10. Advertunt aliqui, esse plurale, ac idem esse quod. *Domini mei*, & Hebræi adiungunt cum verbo singulari, vt trinitas personarum, & essentiæ vnitas designetur. Alij cum Ribera, numerum pluralem putant habere, energiam, & amplificationem, vt sic dicatur Deus quasi omni gaudens dominatu sicut Elephantem vocant Behemoth, quod propter magnitudinem instar sit multarum bestiarum, quod etiam reperitur in prophanis, & sic Genes. 49. 10. dicunt de Ioseph, Domini terræ, pro Domino terræ.

Insuper sciendum; quod cum Hebræis; ignota sit, prolatio, & significatio, nominis *Iehova*, loco illis substituunt *Elohim*; scilicet, providens, vel Iudex; & nomen *Adonai*, idest Dominus. Et hoc fecerunt vt significarent, nomen Dei quadriliterum, non habere puncta propria. Et sic cũ occurrit nomen *Iehova* cum punctis nominis *Adonai*, proferendum *Adonai*, & cum occurrit *Iehova*, cum punctis nominis *Elohim*, legendum *Elohim*. Vndè ad illud Exod. 3. 15. *Hoc est nomen meum in æternum*: Refertur quendam dixisse, non est legendum *Leolam*, idest in æternum, sed *Lealam*, idest, vt abscondatur, & celetur. Nam dixit Deus Sanctus. Non legor, sicut scribor: Scribor enim cum *Iod, He, Vau, He*, videlicet *Ieheve*, quod est nomen Tetragramaton, & legor cum *Aleph, Daleth, Nun, Iod*, quæ sunt litteræ *Adonai*. Et sic loco *Iehova* legendum esse *Adonai*.

Adnotant etiam Hebræi *Adonai* cum *Cametz*, semper de Deo vero dici, cum *Pathach* vero, de creatura. Vel cum *Cametz* semper esse sacrum, & divinum, licet etiam Angelis attribuatur, sed quatenus Dei administri. Ex quo Kimihi putat Iudic. 6. 15. Adonai esse prophanum, quia adhuc Gedeon nesciebat verum esse Angelum, qui cum illo loquebatur: licet ibi cum *Cametz*, scribatur propter accentum Regium *Zacheph*. Hinc infertur. Genes. 19. 2. Esse prophanum licet Angelos significet, quia Loth ignorabat esse tales. Sed vers. 18. Iam est sacrum, quia Loth iam sciebat esse Dominum, vel Angelos. Licet Genes. 18. v. 3. Dubitetur, an sit sacrum, vel prophanum, ex eo quod Abraham cognoverit, vel non esse Dominum, vel Angelum.

Est tamen commune, inter Sectatores Cabballæ, Adonai esse quasi clavem, qua nobis ad Deum additus patet, scilicet ad Iehova, in sua quasi essentia latentem. Et esse quasi depositum, vel thesaurũ in quo largita nobis à Iehova, sunt recondita, & esse æconomũ, per quem omnia dispensat, & neminem Iehova penetrare posse, nisi per Adonai. Ex quo collige-

re

Communis ergo omnium consensus affirmat esse proprium. Et latè probari poterat, sed breviter probatur primo, nam Exod. 3. dixit Dominus ad Moysem: *Ego sum qui sum*. Ait, sic dices filijs Israel qui est (Ehjeh, idest erit) misit me ad vos. Dixitq; iterum Deus ad Moysem, hæc dices filijs Israel. Iehevch, Dominus Deus Patrum vestrorum, &c. Hoc nomen mihi in æternum, &c. Vbi proprium dicitur nomen. Secundus locus Exod. 6. Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo Sadai omnipotente, & nomen meum Iehevc non indicavi eis. Idem habetur Psalm. 82. v. 15. Exod. 15. v. 3. Isai. 42. v. 8. Ego Ieheve, hoc est: nomen meum, & pluribus alijs in locis.

Probari etiam poterat ex SS. Patribus & Expositoribus, quos manu plena retulit Maluenda cap. 14. vbi plures Gentiles, & Philosophos adducit. Videantur. At rationibus plurimis, id ostendi poterat. Sed allatæ à D. Thoma pro nomine, qui est, melius hic adaptari possunt, & quia significat ipsum esse, secundum essentiam. Et propter eius vniversalitatem, & quia significat ipsum esse præsens, sine discrimine præteriti, & futuri, quod Deo maximè est proprium, cum apud ipsum nón sit mutatio, nec vicissitudinis obumbratio ex D. Iacobo cap. 1.

Duo ex hac resolutione occurrunt explicanda. Primum: an nomen *Ieheve*, ita proprium sit Dei, vt illum significet singularem, & incommunicabilem, & non Deū absolutè? Pro parte affirmativa stat locus ille Exod. 15. *Iste Deus meus, &c.* & D. Thomas art. 11. ad primum de Tetragramaton, quod idem significat ac Ieheve, dixit: quod est impositum ad significandam ipsam Dei substantiam incómunicabilem, & vt sic liceat loqui singularem. Sed de nomine *Iehevch*, refragatur Maluenda, ad finem cap. 14. Inquiens: sed quam benè, ipsi viderint: nihil mirum destitutis lingua Hebraica, ista accidere. Vellem, vt sui placiti redderent rationem. Consulendi sunt ergo periti, & provecti in Hebraica lingua.

Secundum quod lustrandum venit est; an nomen *Iehevch* in sacris litteris interdum tribuatur alicui, qui non sit verus Deus? De nomine Tetragramaton (nescio an idem de Iehevch) negat Maluenda cap. 15. concedit de alijs, dici aliquando, tàm de Deo vero, quam de falsis, & Idolis. Hoc inquit colligi ex Scriptura, & ex hucvsque dictis, cum non solum ex parte rei significatæ; sed etiam ex parte modi significandi. Ab essendo enim, esse deductum, non solum vox, & nominis ratio testatur cum ipsum esse significet, sed ipsa etiam Sacra Scriptura demonstrat. Ex Exod. 3. sæpè citato, qui est misit me ad vos, & alibi sæpè.

Plura loca obstare videntur huic resolutioni. Primus, Exod. 27. Ædificabitq; Moyses Altare, & vocavit nomen eius Iehevch. Dominus exaltatio mea. Et Ezech. 48. Et nomen Civitatis ex illa die Dominus Iehevch. Secundo: quia in veteri testamẽto, sæpè Angeli apparuerunt insigniti nomine Tetragramaton. Tertio Exod. 23. Ecce ego mitto Angelū meum, qui præcedat te. Et est nomen meum in illo, idest: Iehevch. Et mulier loquitur de Deo suo, quod Idolum erat, vt patet.

Respondetur ad primum: illis locis tale nomen impositum, non quia illis propriè conveniat; sed in signum, & memoriam alicuius victoriæ, & beneficij ob quæ Deus illis in locis adorandus, & illi gratiæ exhibendæ erant. Ad secundum, quod illi Angeli sic appellabantur, non in propria persona; sed quia Legati Vice Dei, & officio fungebantur. Et tale nomen, non refertur ad Angelum, sed ad Deum, qui per Angelum loquebatur.

Tertius locus, exigebat merito extensam digressionem, sed non vacat modo, cum plura suppetant percurrẽda. Aliqui per illum Angelum intelligi Moysem dixere. Alij, quandam substantiam Angelicam, & spiritualem, alij Iosue; alij ipsum Dei Filium, vt enim supra iam diximus, plures Authores tenuere quoties Deus præsentiam suam Patribus declaravit, id per Christum, qui Dei Patris expressa est imago factum fuisse: vel quia re vera ad tem-

tempus veram carnem induerit, vel in assumpto aereo corpore apparuit. Et ita, Angelus qui hic visus est, & qui in rubo, & Iosue apparuit ipsum Dei Filium fuisse. De quo supra diximus. Vndè, si Moyses, Iosue, vel Angelus intelliguntur, non in proprijs personis, sed vt Christi Legatis id illis convenire dicendum.

Ad quartum dicatur: vel quod illa mulier, non verè erat idolatra, sed obsequiū vero Deo direxisse, & si errore putaret in illis idolis verum adorare Deum, & sic dicitur argentum Deo vero consecrasse. Vel quod Sacra Scriptura, tribuit aliquando nomen Ieheve Dijs falsis, non ex ipsius Scripturæ sententia, & iudicio, sed ex idolatrarum qui talem honorem, idolis attribuebant, & illorum opinionem referendo. Sic Paulus 1. Corinth. 8. & si sint qui dicantur Dij, siquidem sunt *Dij* multi, &c. secundum pravam hominum opinionem, & non re vera; nobis tamen est vnus Deus. Pro quo videri possunt, quæ supra diximus; quod scriptura aliquando loquitur iuxta communem sensum vulgi, modo ibi explicato.

Cum autem vocetur hoc nomen ab Hebræis, *Sem Hamephoras*, idest, nomen expositum? Aliqui dicunt, quod quia per alia nomina expositum, & declaratum est alij, quia clarè Dei essentiam, & substantiam explicat; alij, quia olim Sacerdotes, illud per nomen duodecim vel quadraginta duarum litterarum declarabant. Alij; quia explicitè Trinitatis mysteriū, cum vnitate essentiæ demonstrabat, quod in veteri testamento occultum erat. Denique Maluenda putat, per antiphrasim sic dictum, quia eius significatio paucis cognita, & sic illud per Adonai, vel Elohim explicabant.

Et vt nihil intactum relinquamus, sciēdum: hoc nomen Iehevch solitum ab Hebræis vocari duodecim litterarum, non quia ex illis omnibus, vnum simplex conficeretur nomen; sed aggregatum quoddā scilicet. *Ab, Ben, ve Kuach ba Kodoes*; idest Pater, Filius, & Spiritus Sanctitatis, vel Sanctus: dicebatur etiam nomen 42. litterarum, quia per illam explicatio erat amplior illius, & erat tale. *Ab, El, Ben, El, Ve, Ruach, Ha, Chodes, El, Abal, Lo, Scelosza, Elohim, Chim, Eloab, Echad*, quæ propriè significant, Pater Deus, Filius Deus, & Spiritus Sanctus Deus, verumtamen, non tres Dij quinimo vnus Deus. Quo alludere visus est, Athanasius dicens: Alia est Persona Patris, &c. & Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus Sanctus, &c. Sed vt benè Maluenda cap. 16. adnotat, pro totius præsentis rei notitia veniebat explicandus celebris ille locus, Exod. 6. v. 3. *Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotenti*, & nomen meum Adonai, non indicavi eis. Videantur Expositores, & Ballester lib. 1. de substantia divina, cap. 2. Ximenez in Lexic. v. Iehova, & cap. seq.

§. IV.

De nomine Deus.

IAm nomen communius quo describimus, & essentiam, & primum rerum principiū, & causam (scilicet Deus) enucleandum suscipimus. Et primo circa eius ethimologiam sciendum: quod divinitas significatur voce Græca *Teotis*, quæ ab alia scilicet *Theos*, idest divinus, derivatur. Iam verò apud Latinos pro *Theotita*, idest divinitate, vsurpatur communiter por Deitate. *Theos* ergo, vel deducitur à *Theim*, idest currere, & disponere omnia. Nam cum viderent Solem, Lunam, & Astra, quos Deos colebant perpetuo cursu rotari; inde illis tale nomen indiderunt. Alij, qui à dando deducunt, quod scilicet Deus omnia det. Alij, quod illi nihil desit. Alij, à *Teaste*, idest, intueri, vel à *Tetemi*, idest, pono; quia in eo omnia posita sunt. Alij, *Æter*, idest, *Vrere*. Alij, à metu, & timore, iuxta illud Petronij Primus in orbe Deos fecit timor, vel metus. Vnde & ipse dixit Ierem. 5. me non timebis, &c.

Circa hoc autem nomen, D. Thomas q. 13. cit. tria resolvit. Primum, in art. 8. quod quantum ad id à quo imponitur, est nomen operationis, scilicet, significat vni ver-

versalem rerum providentiam: ex hac autem operatione, quantum ad rem significatam, translatum est ad demonstrandam Dei naturam, & essentiam. In art.9. resolvit secundo, hoc nomen, re vera esse incommunicabile, alijs à Deo, cum Dei natura, non sit multiplicabilis: esse tamen communicabilem secundum opinionem, plures Deos adstruentium. Et in 10. art. concludit: quod hoc nomen *Deus*, non vnivocè, sed analogicè dicitur de Deo vero, & de alijs, per participationem, & similitudinem, vt iam dicimus.

Tripliciter ergo nomen Deus accipitur, vel applicatur. Primo: pro Deo vero, vivo, & æterno; & sic, vel essentialiter, vt Deus creat, quia hoc est prædicatum cómune. Aliquando pro vna Persona, vt Pater generat; aliquando pro duabus, vt cum dicitur Deus spirat. Denique pro tribus, vt cum dicitur 1. Timoth.1. Regi sæculorum immortali, &c. Ita D.Thom. q.39.art.4.& ibi docet, quod hoc nomen *Deus*, significat divinam essentiam, vt in habente, sicut hoc nomen *homo*, significat humanitatem in supposito, & sic ex modo significandi habet, quod possit supponere pro Persona, modo iam dicto.

Secundo, accipitur participativè, scilicet de illis, qui aliquid de Deo participant, iuxta illud Psal. 81. Ego dixi Dij estis, quia ex D.Petro 2. cap.1. sic efficimur, cósortes divinæ naturæ, & ex Ioan. 1.cap.3. vt Filij Dei nominemur, & simus. Tertio, accipitur nuncupativè secundum erroneā, & falsam hominū opinionē, qui hominibus, imo brutis, & rebus insensibilibus, deitatis nomen attribuebant, qui primo octo Deos constituerunt. Ignem, aquam, terram, Cœlum, Lunam, Solem, mirtham, & noctem, ab his plures alij, vt numero comprehendi non possint, de quo D. August. de Civit. Dei.

Sed cum hoc nomen, aliquando Deum verum, & aliquando falsum significet, quomodò id discernendum? de quo rectè Cantapratensis fol.127. vbi sic fatur: diligenter adverte, nomen istud *Deus* interdum absque articulo poni, & tunc ex antecedentibus videndum, an de Deo vero, vel de falso dicatur, nam de ambobus dicitur. Et si ex Augustino lib. 1. quæst. in Genes. quæst.105. articulus additus nomini sit Dei, evidentissimè verus signatur Deus, vt Genes. 33. propter hoc vidi faciem tuam, quasi videat aliquis faciem Dei. Pro quo etiam facit, regula Epiphanij lib.1. contra Hæres. & Cyrili. Quod quando nominibus Scriptura proponit articulos, secundum vsum linguæ Græcę, tunc vnum significant vt certum, ac propriè talem, vt in loco adducto; si non apponatur articulus, intelligitur de alio qui est Deus ex gentilium errore. Sic Ioan.1. iuxta Græcum legitur: *In principio erat to, vel illud Verbum.* & Mat.2. *Vbi est ille qui natus est.* & cap.16. *Tu es ille Filius Dei vivi.* & Luc. 10. In illo Spiritu; scilicet Sancto. Et Ioann.1. *Non erat ille lux illa.* Vndè cum Baptista respondit: *Non sum Propheta*, non se Prophetam negavit, nisi ton illum Prophetam à Moyse prædictum Deuteron. 15. 18.

Et quia magni momenti, (ne fallamur) res existit, etiam Hirenæi licet verba proponere lib.3.cap.6. Cum eos qui non sunt dij, Scriptura nominat, non in totum ostendit, illos esse Deos; sed cum aliquo additamento, & significatione, per quam ostenditur non esse Deos. Sicut David Psalm. 105. *Quoniam omnes dij gentium dæmonia.* & Ierem. cap.10. Dij qui non fecerunt Cœlum, & terram; & alibi. Vel ex Origene hom. 14. num. In Hebræorum (inquit) litteris, nomen Dei diverse describitur; aliter enim scribitur Deus quicunque Deus, aliter Deus ipse, de quo dicitur: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Iste ergo Deus, certo litterarum signo describitur, quod apud illos Tetragramaton dicitur. Si sic scribatur, nulli dubium, de vero Deo dici; at si alijs, & communibus litteris, incertum est, an de Deo vero, vel alijs dicatur: quia ex Apostolo, sunt Dij multi, sivè in Cœlo, sivè in terra, &c. nobis tamen, vnus Deus Pater, &c.

Varie autem hoc nomen Deus adhuc significatur in scriptura. Aliquando Iudi-

di-

dicem, & magnatem demonstrat, vt Exod.7. Ecce constitui te Deum Pharaonis, idest Vice Dei. Aliquando verò pro iudicibus,& legem docentibus, Psal.134. *Et Deus noster præ omnibus Dijs.* Aliquando pro dignitate fulgentibus, Psal. 46. *Quoniam Dij fortes terræ, vehementer elevati sunt.* Aliquando, pro Principibus populi, Psal. 81. *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem, Deos diiudicat.* Aliquando, pro Iudicibus, Psal. 49. *Deus Deorum Dominus locutus est.* Deus etiam dicitur, quod amatur valdè, ad Philip.3. *Quorum Deus venter est.* Et mammona, Deus huius sæculi est, vel dicitur diabolus 2. Corinth. 4. & Hebræi quicquid magnum & excellens, Dei dicunt, vt montes Dei, cedri Dei, idest altissimi Psal.76.

Circa Angelos verò, an in Sacra Scriptura Dij vocentur? discriminantur Authores supponendo prius: quod Deus O.M. Aliquando tali etiam nomine insignitur, vt patet ex Genes. 48. Angelus qui eruit me de cunctis malis. Vbi D. Thomas. Videtur, quod Deum Patrum suorum, vocet Angelum, & sui Protectorem, & Salvatorem: Vnde & postea in singulari dicit. Benedicat pueris istis. Nisi forte Angelicam benedictionem, divinæ benedictioni, tanquam comministram adiungat. Sed modus loquendi, si benè advertatur, magis sapit primum modum. Et Ecclesia dicit: *Angelus consilij natus est de Virgine, &c.*

Augustinus ergo Psal. 135. inquit: In scripturis, nescio vtrum, vel possit, vel facilè possit reperiri aperte Angelos dictos Deos. Sed cum de Domino Deo dictum esset: terribilis super omnes Deos. Cur dixerit, continuo veluti exponendo subiungit: quoniam Dij gentium dæmonia. Non ergo Dij sine additamento, sed Dij gentium dæmonia. Et hoc ne homines, Angelis ministerium exhiberent, debitum soli Deo. Chrisostomus etiam homil. 22. in Genes. ait: homines, Filij Dei dicuntur, Angeli nunquam; de Angelis enim, qui facit Angelos suos spiritus, Psal.103. de hominibus autem: Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes, Psal. 81. & Isai.1. filios enutrivi, &c. Theophilactus etiam ad Collos.1. hominem nominat Paulus imaginem Dei, & filium Dei; Angelum autem, nusquam, & alij plures.

Sed huic sententiæ refragantur Hieronymus, Daniel. 3. dicens: Angeli, Dij, vel filij Dei, sæpissimè vocantur in scriptura, vt apud Danielem, species quarti, similitudo filij Dei, quem postea, Angelum ipse vocat, qui ad fornacem descendit inferni. Adducit etiam, illud Iob.2. Venerunt filij Dei, vt starent coram Domino, quæ verba, vix aliam possunt interpretationem admittere, & est communior sensus Expositorum. Suffragatur Origines hom. 8. in Exodum inquiens: non sint dicit scriptura, Exod. 20. alieni Dij præter me. Si dixisset, nō sint Dij præter me, absolutio esset sermo: nunc quia dicit nō erunt tibi Dij alieni præter me, non negavit, Angelos esse Deos. Idem habet Cyrillus lib. 3. in Ioan. & Gregorius 2. moral. cap.2. qui filij Dei, nisi electi Angeli vocantur?

Rem optimè resolvit D. Thomas 1. 2. q. 98. art. 3. vbi postquam dixit, legem datam esse ab Angelo, vel per Angelos, obijcit sibi. Illud Exod. cap. 20. vbi habetur: locutus est Dominus sermones hos. Ego sum Dominus Deus tuus. Ego sum Deus Patris tui; Deus Abraham, &c. Loquitur ergo Deus, & non Angelus. Sed respondet ex Gregorio in principio moral. Angelus qui Moysi apparuisse dicitur, modo Angelus, modo Dominus memoratur. Angelus videlicet, quia exterius loquendo, serviebat: Dominus autem dicitur, quia interius præsidens loquendi efficaciam ministrabat. Scio, Eusebiū, & alios docere, ipsum filium esse, qui apparebat, & loquebatur. De quo supra, & nostra sententia textui convenientior videtur. Et Augustinus explicans illud Genes. 11. descēdit Dominus videre Civitatem, & c. ait, quod potest intelligi, quia descenderunt Angeli eius in quibus habitat. Denique Bernard. Angeli dicuntur filij Dei, vt divinæ gloriæ participes, & expressionem imaginis Dei similitudinem in se habentes. De quo D. Thom. 1. p. q. 93. art. 3.

DIGRESSIO CIRCA ILLA VERBA Genes. 6. Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ acceperunt sibi vxores, &c. & postea Gigantes erant super terram in diebus illis, postquam ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, &c.

CVm ex dictis constet, Angelos in scriptura titulo Dei, & filiorum Dei insigniri, non abs re videbitur elucidare, quid sibi vellet Moyses, cum hic dixit: filios Dei accepisse vxores, & ingressos ad eas? quid per filios Dei intelligatur? In qua re, primo littera secundi versus (ex quo primus explicatur) secundum triplicem æditionem adducenda. Vulgata ita explicat: Gigantes autem, erant super terram, in diebus illis: postquam enim, ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes à sæculo, viri famosi. Litera verò Hebraica sic legit. Ipsi nephitim, fuerunt in terra in diebus illis, & etiam postea sic, quod venerũt filij Elohim, ad filias hominum, & pepererunt eis. Isti sunt ipsi Guiborim, qui à sæculo (ab olim) homines novimus. Septuaginta legunt cum Vulgata vsque ad illud. Et post illud: cum intrarent filij Dei, ad filias hominum, & generabant eis, illi erant Gigantes, à sæculo homines nominati. Et Caldæus interpres: postquam ingressi sunt filij magnatum, ad filias hominum, &c.

Ex his ergo verbis translationũ, magna inter Authores exorta est lis, quid per filios Dei intelligatur, qui ingressi sunt, & acceperunt vxores filias hominum, ex quarum congressu, filios Gigantes, vel fortes genuerunt? quod vt breviter resolvamus supponendum: verbum *nephitim*, significare Gigantes, vel homines proceræ, & ingentis magnitudinis, & staturæ, quod nomen, sive propria, sive metaphorica acceptione 23. locis reperitur in scriptura. Et quod tales homines extiterint, vt certum à nobis habendum, & statuendum, cum littera id exprimat, Expositores affirment, historiæ etiam veræ (omissis fabulosis) adstruant contra Originẽ, qui dixit, esse homines impios, &c. quem impugnavit Theodor. q. 48. in Genes. & constat ex 13. numerorum, de quo Rabisius textor in officina, Mayolus colloq. 2. Zuvingerus tom. 2. Theatri. vol. 2. lib. 2. Perer. lib. 8. in Genes. disp. 4. Delrio lib. 2. disp. quæst. 15. Pineda Iob 20. & plures alij, apud doctissimum Maluendam tract. de Gigantibus, & Scalante lib. 8. cap. 24.

His suppositis, variant Authores in explicatione illorum vocum *filij Dei*, aliqui enim per illos Angelos intelligunt, sive bonos, qui fœminarum allecti pulchritudine, ad illas ingressi sunt, sive malos, qui in proprijs corporibus (existimabãt enim illos corpora habere subtilia, de quo statim) cum mulieribus se comiscuisse, & filios procreasse adstruebant. Fuit hæc sententia non ignobilium Authorum videl. Iosephi lib. 1. antiq. cap. 3. Philonis lib. de Gigantibus, Iustini in Apolog. Clementis lib. 3. stromat. Tertuliani lib. de habitu mulier. Lactantij lib. 2. inst. cap. 15. & Sulpitij lib. 1. historiæ. Et videtur esse Ambrosij lib. de Noe cap. 4.

Alij dixerunt, filios Dei quos hic Moyses Angelos, Philosophi vero, genios appellant, esse animas aereas, quæ in corpora descenderunt & istos, accepisse mulieres, &c. Alij, cum Paulo Burgensi fuisse dæmones sub humana specie, à Deo creati, quia verbum *Nephitim* significat gigantes cadentes, quod accidit dæmonibus iuxta illud Lucæ 10. *Videbam Satan, tanquam fulgur cadentem.* Denique alij cũ Magistro historiæ Scholasticæ dicunt: fuisse dæmones incubos, vel succubos, dum ad modum virorum se habent, vel instar mulierum, recipientes semen à viris, & ipsum conservantes, & postea formam virorum incorporibus formatis accipientes facti incubi semen in vterum fœmineum immitentes, vnde homines ingentis corporis, & roboris orti sunt. Vide Sixtum Senens. lib. 5. annot. varijs.

Antequam veram intelligentiam demus, prædicta placita examinanda veniunt.

niunt. Primum ergo, si de Angelis bonis intelligatur, Hæreticum videtur, cum Angeli Sancti, post perfectam in Deum cõversionem, in gratia confirmati sint, & cum id quod completè elegerunt, propter iudicij immobilitatem, refutare, vel retractare non possint, omne ab eis peccatum, & defectus removendi. De quo Theologi cum D. Thoma 1. p. q. 62. art. 3. & q. 64. art. 2. Deinde de omnibus Angelis probatur; quia cũ naturæ omninò spiritualis sint, non affici possunt ad peccata carnalia. Licet enim dæmones incurrere possint reatum omnium peccatorum, ad quæ homines inducunt; secundum affectum vero, solum illa peccata in illis esse possunt, ad quæ contingit affici spiritualem creaturam; & sic resolvit in illis fuisse peccata superbiæ, & invidiæ. Videatur Chrisostomus homil. 22. in Genesim.

Aliud vero placitum, si intendat Angelos habere corpora, & si subtilissima, alterius est negotij illud impugnare. De quo D. Thomas 1. p. q. 50. art. 1. & 2. Vbi ostendit, esse omninò spirituales, materiæ, & corporis expertes. Sed an hoc sit Hæreticum; aliqui existimant ex verbis Concilij Lateran. cap. firmiter de sum Trinit. Vbi dicitur: quod Deus abinitio, vtramque condidit creaturam, corporalem scilicet, & spiritualem. Sed vt benè Interpretes advertunt, hoc non fuit præcipuè intentum à Concilio, quod requirebatur vt esset de fide; sed contra Origenem definire, qui vt dicit D. Thomas opusculo 23. dicebat, quod Deus à principio creavit solũ spirituales creaturas, & postea, quibusdam illarum peccantibus creasse corpora, quibus quasi vinculis alligarentur. Sed tamen oppositum vt certum habendum, scilicet, quod Angeli non habeant corpora naturaliter vnita.

Deinde hoc dictum de Angelis, etiam expungitur ex alia doctrina D. Thomæ q. 51. art. 3. Vbi Theologi ostendunt, Angelos non posse exercere in corporibus assumptis opera vitæ, qualia sunt comedere; quia importat sumptionem cibi convertibilis in substantiam commedentis. Neque propriè loquuntur, sed est aliquid simile locutioni in quantum formãt sonos in aere similes vocibus humanis: ergo cum generare sit opus vitæ, nequit Angelis, qui spirituales omninò sunt substantiæ, illud convenire.

Accedamus iam, ad aliorum placitum, qui dixerunt intelligi dæmones incubos & succubos modo explicato, & horum opere, filios gigantæos esse procreatos. Hoc dictum valdè probabile potest videri; tum, quia annuit Augustinus lib. 5. de Civit. cap. 23. & D. Thomas cit. & quia dæmones vires seminũ agnoscũt, & quid cuilibet congruat sapiunt, & intellectus eorum, discernit opportuna tempora, & Cœlorum influxus ad semen in mulieris vterum inferendum; neque in hoc difficultas esse potest. Sed solum adnotandum: quod si ex tali congressu, homo generaretur, nõ dæmonis filius, sed illius hominis ex semine cuius generaretur esset habendus. Et cum D. Chrisostomus homil. 22. in Genes. asserit, impossibile esse, vt Angeli improbi, cum mulieribus rem habeant; intelligendus venit, in propria natura, & virtute; secus modo explicato, ex semine viri aliundè accepto, & in corpore ex aere, vel alijs vaporibus ad instar hominis efformato.

Viso iam, quod ista Angelos ipsos non comprehendant, sed homines concernere; examinandum restat, qui isti fuerint? Oleaster interpretatur, homines corpore, robore, & proceritate cæteris insigniores. Hebræus: Populorum Principes, & Præsides: Alij, videntes quod scriptura distinguit inter filios hominum, eos scilicet qui terrena sapiunt, Psalm. 4. *Filij hominum, &c.* & Psalm. 48. *Quique terrigenæ, & filij hominum*: ac si dicat, quia terrigenæ filij hominum. Vel sumpto, *&*, pro *quia* filij hominum, terrigenæ. Et inter eos qui ad cœlestia aspirant, dicunt filios Dei vocari, homines professores virtutis, vel qui saltem longo tempore eam exercuerint, & si ab ea iam discesserint; de his (inquiunt) loquitur sacer textus.

Vtraque expositio sustineri potest, &

prima videtur inferri ex Hebræo dicente: & postquam ingressi sunt filij Principum, ad filias hominum. Et Paraphrastes Caldæus: postquam enim ingressi sunt filij magnatum. Quod verò filiæ plebis, filiæ hominum dicantur, infertur; quia in scriptura, homines dici solent, qui sunt ex plebe, iuxta illud Psalm. 81. *Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes: vos autem sicut homines moriemini.* Ac si diceret: licet sitis magnatum, Iudicum, ac Principum filij, vt ignobiles ac obscuri moriemini; quia mors, æquo pulsat pedes pauperum, tabernas, Regumque turres.

Sed iam videamus, ob quæ crimina, isti iram Dei promeruerunt? Discurrit Scalante cap. 24. cit. quod hi, postquam per vim arripuerant filias ignobilium, vt parentum iram vitarent, simularunt, honesto matrimonij titulo, id effecisse, cum nihil minùs illis esset in animo. Vsi ergo sunt illis tanquam amasijs, non vt vxoribus; vndè illas gravidas factas eijciebant, & alias vt libidinem explerent ambibãt; imo & pluribus alijs sceleribus fortè cõtra naturam, tyranidè, violentia, rapinis, & his similibus polluti, digni fuere Dei vltionem sentire, illis verbis expressam: *Pœnitet me hominem fecisse, delebo hominem quem creavi, &c.* & cum non resipiscerent, mũdum tot maculis immundum, mundum aquis reddidit diluvij.

Communior tamen expositio est, quod per Dei filios intelliguntur filij Seth, quia descendentes à Caìn, qui primus turpissimo lapsu extra Paradisum cecidit, Patris mores imitantes, filij hominum dici debent, similiter & eius filiæ. Filij autem Seth propter sanctimoniam maiorum scilicet, Enoch, & Enos qui cæpit invocare nomen Dei, & dictus est Deus, ex Cyrillo lib. 9. adversus Iulianum, insigni titulo Filij Dei communiter vocitabantur. Sed postea algescente virtute, & Dei cultu neglecto, mulierumque allecta pulchritudine, ex stirpe Cham descendentium, eas duxerunt, & earum consuetudine corrupti in extrema flagitia se præcipites dederunt: ita Augustinus vbi supra, & Chrisostomus homil. 22. cit.

Et Marcilla annot. 1. asserit, quod posteri Seth, & Enos, vocantur filij Dei, quia omnes, vt in plurimum erant corpore procero, & robusto potentes, & Principes, ob iustitiam, & religionem venerati. Vel filij Dei dicuntur, vel Deorum ex alia translatione, quia Seth, & Enos ob insignem virtutem, Dij sunt appellati; licet posteri eorum, iam à virtute defecerint; & per filias hominum intelliguntur, quæ ex stirpe Cain procedebant quarum cõsortium filij Seth, ex parentum mandato, refugere tenebantur. Et cum homo tripliciter accipiatur in Sacra Scriptura. Primo, secundum naturam, vt Genes. 1. *Faciamus hominem.* Secundo, ratione infirmitatis, ex Ierem. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Tertio, ratione culpæ, 1. Cor. 3. secundum hominem ambulatis: hoc tertio modo præcipuè, posteri Cain, filij hominum ob parentum impietatem dicuntur.

Placeat hæc omnia ex D. Thoma 1. p. q. 51. art. 3. ad. 3. audire. Cum enim proposuisset argumentum, quod generare est actus vitæ; sed hoc competit Angelis ex Genes. 6. ergo. Respondet: quod Angeli Dei Sancti, nullo modo sic labi ante diluvium potuerunt. Vndè per filios Dei, intelliguntur filij Seth, qui boni erant: filias autem hominum nominat scriptura eas, quæ natæ erant de stirpe Caìn. Neque mirandum est, quod de eis gigantes nasci potuerunt. Neque enim omnes gigantes fuerunt, sed multo plures ante diluvium quam post. Si tamen ex coitu dæmonũ, aliqui interdùm nascuntur, hoc non est per semen ab eis decissum, aut à corporibus assumptis; sed per semen alicuius hominis ad hoc acceptum: vtpotè quod idem dæmon qui est succubus ad virum, fiat incubus ad mulierem; sicut aliarum rerum semina assumunt, ad aliquarum rerum generationem, ex Augustin. lib. 3. de Trinit. Vt sic ille qui nascitur, non filius dæmonis fit, sed illius hominis cuius est semen acceptum.

Et vt nihil intactum remaneat, potest inquiri: quomodò ex mulieribus communis staturæ, nasci possent homines

tam

nam proceræ, & prodigiosæ altitudinis? Respondetur primo: quod forte etiam mulieres respectu aliarum mulierum, erant staturæ maioris. Secundo respondetur: hoc provenire ea multitudine materiæ, quam mulieres illæ ministrabant, simul cum administrata ex parte virorũ in tali fœtus conceptione: sicut è contra ex defectu materiæ, homines parvi, & pigmæi nascuntur, ita exigui corporis, vt quis perdici similis videretur. Vide Cantaprat lib. 10. regula 29.

CAPVT QVARTVM.

De decem nominibus Dei.

PLura adhuc nobis hic se offerebant dicenda circa 72. nomina Dei, quæ ex Sacra Scriptura dicunt Authores colligi. In qua re valde laboravit Galatinus lib. 2. Licet multa quæ ibi adducit, non multum probentur Maluendæ opusc. cit. de nomine Ieheve; communiora, & sacratiora eligemus, breviter lustranda. Inquiunt ergo, ista nomina desumi, ex cap. 14. Exod. v. 19. Tollensque se Angelus Domini, vsque ad vltimum verbum versus 21. Divisaque est aqua. Sed in Hebræo secatur in tres versus, quorum quilibet habet 72. litteras, ex quibus Cabalistæ miro artificio (nescio an ita vero) 72. Dei nomina abstraxerunt, & id quidem decem efficiunt modis.

§. I.

De nomine El.

IN medium ergo solum adducemus decem nomina, quæ colliguntur, ex D. Hieronymo epist. 136. Primum nomen est *El* Græce *Ischinon*, quod significat *Fortem*. Et Hebræus textus illud. 1. Reg. 2. *Quia Dominus scientiarum Dominus est*, legit *El scientiarum Ieheve est*. De quo D. Hieron. cit. Primum nomen Dei est *El*, quod *Theon*, idest Deum, Aquila nominis ethimologiam exprimẽs *Ischiron*, idest fortem interpretatur. Eadem habet Isidorus lib. 7. originum cap. 1. & omnes communiter. Sed mercerus; cum fortem significet, non nisi de Deo singulariter memini me legisse per anthonomasiam. Et Marinus. *El*, potentia, fortitudo, deinde per anthonomasiam Deum significat, quod omnia possit, cuique nihil sit impossibile, vel quod ipsa fortitudo sit.

Sed optimè Montanus lib. de Ioseph cap. 2. propter infinitæ fortitudinis, atque efficaciæ excellentiam, Deus *El* appellatur, vt clarè constat. Vnde hoc nomine *El*, eam vim, fortitudinemque, Deo sacri Authores tribuunt; quam homini, ipsum Adam vocando, in esse negant. Vt Isai. 31. cum de humana fortitudine divina collata ageret. Et Ægyptus (inquit) homo est, & non Deus, Adam, & non *El*. Et Oseas 11. quoniam Deus ego, & non homo. Et si cuipiam facultas, & potentia integra ad aliquid faciendum insit, ita significetur. Vt Genes. 31. Laban Iacobo, est (inquit) manus mea le *El*. Vt tibi redam malum. Et Iacob gratus pluribus beneficijs, dicitur Genes. 33. & erecto ibi altare, invocavit super illum *El* Israel, & vulgatus: Fortissimum Dominum Israel. Et per illud Dei potentiam, & efficaciam ab imbecillitate, & inopia vanorum numinum secernit, vt Deuter. vlt. *Ipsi me provocaverunt in eo, qui non erat Deus, & irritaverunt in vanitatibus suis.*

§. II.

De nominibus Eloha, Elohim, & Isabaoth.

SEcundum nomen, est *Eloha*, quod est singulare *Elohim*, quod est tertium nomen Dei. De quibus in cap. præcedenti, §. 3. plura iam diximus. Quartum nomen est *Sabaoth*, vel *Isabaoth*. Quod septuaginta, virtutum; Aquila exercituum transtulerunt. Ita D. Hieronymus, & Isidorus lib. 7. Originum cap. 1. addit, de quo in Psalmo 23. ab Angelis dicitur: quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum. Primo occurrit in Biblia lib. 1. Reg.

cap.

cap. 1. v. 3. vt adoraret, & sacrificaret Domino exercituum in Silò: & adiungitur nomini *Iehoveh*, quod est vnum de decem præstantioribus Dei nominibus. Et Sanctus Epiphanius hæresi 40. Sabaoth, (inquit) virtutum interpretationem habet. Dominus igitur Sabaoth, Dominus virtutum est. Omnibus enim expositum est, quod vbi scriptura, nomen Sabaoth vsurpat, non solum id pronuntiat vt diceret, dixit mihi Sabaoth, aut locutus est Sabaoth; sed statim dicit, Dominus Sabaoth, hoc est Dominus virtutum.

Arias Montanus plura. Sabaoth, divinam potentiam significat, copiasque indicat maximas, per quas, quæcumque res gerenda decernatur, expediri facillimè posset. Atque hoc cognomine vocando, Auditores admonentur, neminem esse qui divinam potentiam, aut impedire, aut fugare valeat. Genebrardus Psal. 24. Dominus Isabaoth, idest rerum omnium creatarum, quibus cum libet vtitur, tanquam copijs, & exercitibus ad suum imperium. Oleaster. Deus exercituum vocatur, propter multitudines, tum Angelorum, tum etiam Astrorum, qui eius imperio dimicant adversus insensatos. Forerius Isaiæ 1. dicitur Iehova Isabaoth, eo quod vel in exercitibus Angelicis, vel in corporibus cœlestibus, vel in ministerio templi, vel etiam in prælijs, potentia ipsius maximè appareat. Vide Cayetanum.

Observat etiam Maluenda fol. 29. quod Isaba, idest exercitus, vel militia, adiuncto nomine Cœli varie accipitur, cum dicitur exercitus, vel militia Cœli, aliquando significat ordines omnes Angelorum, 3. Reg. 22. v. 19. *Vidi Dominum, &c.* Et 2. Paral. 18. v. 18. & Luc. 2. aliquando significat Solé, Lunam, & Stellas. Deut. 17. v. 3. Et 4. Reg. 17. v. 16. & cap. 23. v. 5. At verò cum Genes. 2. dicitur: *Perfecti sunt cœli, & terra; & omnis ornatus eorum.* Hebræus, militia, seu exercitus eorum. Vbi exprimuntur res omnes, sive cœlestes, sive terrestres, secundum suos gradus, & ordines, virtutes, qualitates, perfectiones, &c. & etiam metaphorice sumptum designat totum Ecclesiasticum cultum, & ornatum. Vbi num. 4. Vulgata habet omnes qui ingrediuntur, & ministrant in tabernaculo fœderis. Habræus. Omnem venientem ad militare militiam, ad servire servitutem in tentorio constitutionis. Id etiam Isaiæ 40. Completa est militia, licet vulgata habeat malitia, certis de causis. Maluenda fol. 30.

§. III.

De nomine Helion.

QVintum Dei nomen est, *Helion*, quod excelsus interpretatur Deuter. 32. sed celebris locus Psal. 12. *Excelsus super omnes gentes Dominus, &c.* Vbi Cayetanus inquit: redditur ratio laudandi; altera ex celsitudine dominij. In terra quidem, non solum super Iudæos, sed super omnes gentes. In Cœlo autem supra Cœlos honor eius, hoc est honoratur etiam supra Cœlos ab Angelis ibidem existentibus. Genebrardus etiam. Super omnes gentes, apud eas extollitur, agnoscitur magnus, & supremus. Alij, est excelsior super omnes gentes, superat laudes cunctarum gentium, eas omnes excellit, & super Cœlos. Ibi enim Angeli, gloriam Dei extollunt. Alij gloria eius est Cœlis superior. Nam non quidem ab Angelis cœlestibus, plenè comprehenditur.

§. IV.

De nomine Escor Ibie.

SExtum Dei nomen est *Escor Ibie*, quod Exod. 3. legitur, *qui, ero*, vel vt alij transferunt *qui est*: sicut enim cum Deus dixit: *Sum qui sum* in vulgata Hebraice habetur, *Ehie*, id est: *Ero* vt supra notavimus; & derivatur à verbo *Saya*, idest: *Fait*, ita hic. Hebraica vtitur futuro substantive; vndè aliqui vertunt: *Ero* alij, *qui ero*, & in tertia persona: qui erit, quia Hebræi, sæpè dimmittunt relativos, at vulgata, melius ad vsum vertit: *Qui est misit*, cum ad docendum populum ap-

tius

tius referenda in tertia, quam in prima persona proponat.

Et nota quod pro illo: *Ego sum, qui sum*, debet verti *Ebich asser Ebich*, & nos propriè: *Ero qui ero*, vbi primum *ero* est nomē Dei qui ero expositio illius, vel causalis: *Ero quia ero* idem semper, vel ero, quia semper fui, sum, & ero, & sic *Ebich* significat Dei æternitatem, in qua semper stat Beatus & vt semper, existit æternus, ex Apoc. 1. *Qui erat, qui est, & qui venturus est.* Et sic Christum respexisse cum dixit Ioan. 18. *Ego sum.*

Et Damascenus lib. 1. cap. 12. Est principalius omnium nominum de Deo dictorum, qui est. Vt dicitur Exod. 3. & Augustinus de fide & symbolo cap. 5. dicit: Deus non potest dici, fuit & erit, sed tantum, est, quia quod fuit, iam non est, & quod erit nondum est. Ille ergo est incommutabilis sine conditione temporum, & varietate. Nec aliundè arbitror manare; quod famulo suo Moysi tale nomen suum insinuavit, nam cum ab eo quæreret, si se populus ad quem mittebantur contemneret, à quo diceret se esse missum, responsum dicentis accepit, ego sum qui sum, deindè subiungit. Hæc dices filijs Israel, qui est, misit me ad vos.

§. V.

De nomine Adonai.

SEptimum nomen, est *Adonai*, quod nos generaliter Dominum dicimus Isai 10. Advertunt aliqui, esse plurale, ac idem esse quod. *Domini mei*, & Hebræi adiungunt cum verbo singulari, vt trinitas personarum, & essentiæ vnitas designetur. Alij cum Ribera, numerum pluralem putant habere, energiam, & amplificationem, vt sic dicatur Deus quasi omni gaudens dominatu sicut Elephantem vocant Behemoth, quod propter magnitudinem instar sit multarum bestiarum, quod etiam reperitur in prophanis, & sic Genes. 49. 10. dicunt de Ioseph, Domini terræ, pro Domino terræ.

Insuper sciendum; quod cum Hebræis; ignota sit, prolatio, & significatio, nominis *Iehova*, loco illis substituunt *Elohim*; scilicet, providens, vel Iudex; & nomen *Adonai*, idest Dominus. Et hoc fecerunt vt significarent, nomen Dei quadriliterum, non habere puncta propria. Et sic cū occurrit nomen *Iehova* cum punctis nominis *Adonai*, proferendum *Adonai*, & cum occurrit *Iehova*, cum punctis nominis *Elohim*, legendum *Elohim*. Vndè ad illud Exod. 3. 15. *Hoc est nomen meum in æternum*: Refertur quendam dixisse, non est legendum *Leolam*, idest in æternum, sed *Lealam*, idest, vt abscondatur, & celetur. Nam dixit Deus Sanctus. Non legor, sicut scribor: Scribor enim cum *Iod, He, Vau, He*, videlicet *Iehove*, quod est nomen Tetragramaton, & legor cum *Aleph, Daleth, Nun, Iod*, quæ sunt litteræ *Adonai*. Et sic loco *Iehova* legendum esse *Adonai*.

Adnotant etiam Hebræi *Adonai* cum *Cametz*, semper de Deo vero dici, cum *Pathach* vero, de creatura. Vel cum *Cametz* semper esse sacrum, & divinum, licet etiam Angelis attribuatur, sed quatenus Dei administri. Ex quo Kimihi putat Iudic. 6. 15. Adonai esse prophanum, quia adhuc Gedeon nesciebat verum esse Angelum, qui cum illo loquebatur: licet ibi cum *Cametz*, scribatur propter accentum Regium *Zacheph*. Hinc infertur. Genes. 19. 2. Esse prophanum licet Angelos significet, quia Loth ignorabat esse tales. Sed vers. 18. Iam est sacrum, quia Loth iam sciebat esse Dominum, vel Angelos. Licet Genes. 18. v. 3. Dubitetur, an sit sacrum, vel prophanum, ex eo quod Abraham cognoverit, vel non esse Dominum, vel Angelum.

Est tamen commune, inter Sectatores Cabballæ, Adonai esse quasi clavem, qua nobis ad Deum additus patet, scilicet ad Iehova, in sua quasi essentia latentem. Et esse quasi depositum, vel thesaurū in quo largita nobis à Iehova, sunt recondita, & esse æconomū, per quem omnia dispensat, & neminem Iehova penetrare posse, nisi per Adonai. Ex quo collige-

re

re possumus, Adonai quod imperium, & dominationem significat, planè, & plenè filio congruere, cum ad Hebr. 1. Per ipsum fecit sæcula, constituit Iudicem, omnia dedit. Quo attendens Ecclesia omnia exorat per Christum, preces incipit per Adonai, *Domine labia mea aperies.* Et Psalm. 71. *Et adorabunt de ipso semper*, idest, per ipsum. Et ista Clausula, omnes terminat petitiones *per Dominum nostrum Iesum Christum.*

DIGRESSIO CIRCA ILLA VERBA *Exodi cap. 6. & nomen meum Adonai, non indicavi eis.*

QVIA circa lustrationem nominis Adonai versamur, non abs re videbitur esse, si præsentem locum, vbi continetur expresse explicemus, solum enim hic & Iudic. 16. Habetur; cum tamen alia nomina, Hebræa vt *Iehova, Elohim, Sadai*, & similia, in Latinam translata sint linguam. Primo ergo textus adducendus, vulgatus sic. Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob, in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai, non indicavi eis. Secundum aliquos. Ego Iehova Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob, in Deo omnipotente: Hebraicè *Beel Szaddai*, & nomen meum Iehova, non indicavi eis. Hebræus autem: & in nomine meo Iehova, non fui cognitus illis. Sed variant in constructione, quia Pagninus, & Oleaster legunt impersonaliter nomen meum *Iehoveh*, non est cognitum, aut notificatum eis: sed D. Hieronymus in prima persona, non indicavi eis, vel non sum cognitus, vel innotui eis, quæ sequitur Maluenda pag. 449.

Et digna sunt attentione, quæ scribit Genebrardus Psal. 49. Deus Deorum locutus est. Hic (inquit) sunt tria nomina, *El*, potens, & fortis Deus, Elohim, Deus Iudex, & Vltor, Adonai tetragramaton, Dominus misericors, sivè beneficus: Idq; quoniam processurus est ad iudicandum orbem cum his tribus potissimum proprietatibus, nempè potentia, iustitia, & misericordia. Hæc circa significationem, iam ad rem nostram.

Ratio ergo dubitandi desumitur, quomodo verum sit, quod nomen Iehova, in nostra vulgata Adonai, non fuerit indicatum antiquis Patriarchis, Abraham, Isaac, Iacob, & alijs. Cum constet contrarium ex Genes. 15. vbi alloquitur Deus Abraham dicens: Ego Iehova qui eduxi te. Imò etiam hoc constat præcessisse Diluvium cum cap. 4. dicatur de Enos. Iste cæpit invocare nomen Domini, at in Hebræo est: iste cœpit invocare nomen Iehova. Quod per nomē Dominus, solet explicari. Ecce difficultatem, quam omnes versant Expositores, non nulla eorum placita referemus, vt aliquam lucem difficili loco adferamus.

Oleaster, latè hoc expendit, ex quo fere omnes postea mutuati sunt, & dicit: difficultatem loci, provenire ex ignorantia significationis horum nominum *Sadai*, & *Iehova*, & sic intelligendus est locus ex aliquibus. Quod Deus nunquam ea familiaritate cum Patribus visus fuerit, vt illis diceret, hoc est nomen meum scilicet Iehova; licet alias ipsi tali nomine invocaverint. Visus ergo eram illis, sub nomine omnipotentis; sed non sum eis visus, tanta familiaritate, vt indicarem eis, Iehova esse nomen meum. Hanc expositionem reijcit Oleaster, licet nulla adducta ratione; cum tamen probabilis appareat.

Ipse ergo Oleaster, aliter dispungit dubium dicens: quod nomen *Iehova*, videtur derivari à radice *Havah*, quæ ex dictis significat esse, iuxta communem omnium sententiam. Sed inquit etiam ab eadem radice est *Havah*, quod designat cōtritionem, accedens malum, sive malum eventum, vt patet Ezech 7. vbi dicitur: *Hovah al Hovah*, idest: contritio super contritionem veniet. Idem Isai. 47. *Cadet super te hovah.* Idest, contritio. Hoc supposito inquit: sensus erit, ego sum Iehova, idest: Deus conterens, & visus sum Patribus in Deum diffundentem se, quod significat Sadai, sed in nomine meo Iehova, & Adonai idest sub ratione conterentis,

tis, non innotui eis sicut modo faciamus destruendo inimicos populi: possidentis terram promissionis. Reijciunt aliqui istam expositionem, & eam refutat Maluenda fol. 452.

Lira verò, & Cayetanus sic exponunt. Non indicavi eis, idest non ostendi illis vim, & energiam istius nominis, & quod mihi esset maximè proprium, habuerunt enim huius rei quasi vmbram confusam significationis; sed non disertè, & perspicuè illis aperui; significare scilicet. Ero qui ero, sum qui sum, &c. Burgensis autem; cognoverunt illi me omnipotétem, & in eorum subsidium, plura prodigia patrantem: sed non ostendi eis nomen meum Iheve, & non vsus sum efficacia illius per meos ministros ad miracula facienda, vt nunc per te, ac per alios deinceps exhibebo. Et ostendam proprium esse huius nominis miracula edere, quomodo vti debet in benedictionibus, precibus, & petitionibus, &c. ostendam ergo tibi huius nominis vsum in operibus sacris.

Alij cum Pinto Dan. 1. & Salazar lib. 11 geneal. sic lustrant, vt existiment nomen Iehova, & Adonai, significare divinæ essentiæ veritatem, ad quam pertinet promissorum adimpletio, & quia tempore Moysis impleta sunt, quæ priscis Patribus promissa fuere, ideò dicitur, nomen ipsi fuisse demonstratum; idest, antiquis solum promissum, sed tibi indicavi, quæ hoc tempore sunt adimplenda. Expositio probabilis esset si verbum Iehova significaret veritatem promissionum; sed ex communi; solum designat veritatem ipsius essentiæ, & naturæ, & quia nō omnia evenerunt tempore Moysis. Ita Ballester lib. 1. de substantia Dei, cap. 2. expugnat illam.

Sed istam expositionem amplectitur Maluenda, & propugnat col. 453. & dicit, conexionem maximam habere, cum verbis sequentibus. Pepigique fædus, cū eis, vt darē eis terram Chanaam. Hebræa. Et etiam constitui fædus. Et potest legi, nam, equidem, revera, certo constitueram fædus; sicut etiām ly, *&*, pro causali sumi solet, & ly, *etiam*, pro particula augendi, & confirmandi, & hoc potest corroborari ex Isai. 52. propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa; quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Ac si dicat: sciet populus meus, iure me vocari Iheve, idest, implentem promissa, cum me viderint præsentem, quod longe ante promiseram. Et quod Moyses, & alij, terram non fuerint ingressi promissionis non obstat, quia etsi in deserto mortui, sed iam ipsis propè existentibus, & videntibus, totus erat dispositus apparatus, & in filijs complevit, quod promisserat eorum Patribus.

Lira autem, & alij, ita dilucidant; nullus antiquorum Patrum, ita clarè novit nominis mei Iehova significatum, quæ est nuda, & pura, & clara Dei essentia in se, sicut tu; illi in speculo, & ænigmate; tu verò facie ad faciem. Supponit, Moysen divinam clarè vidisse essentiam, de quo iam supra verba fecimus, & cum Augustino, Ambrosio, Anselmo, Beda, D. Thoma, & alijs, affirmativam tenuimus sententiam. & tunc erit sensus. Eis nomen meum nō indicavi, sed tibi eius significatum scilicet, ero qui ero, & sum, ens, &c. sed etiam id quod per illud directè significatur, idest meam essentiam, clarè, & apertè, vt tanto favore roboratus, & munitus, omni timore expulso, animo virili, & forti populum meum ex Ægypto educas.

Denique, si intelligamus quod licet antiquis, significationem nominum *El*, *&* *Sadai* expresserit, non verò significationem, & virtutem nominis Tetragramaton, videlicet multa mysteria, & articulos fidei, quæ in illo continentur, quia in illo expressius essentia divina, attributa, perfectiones, Trinitatis mysterium repræsentantur. Ac si diceret: non tam amplam explicationem, & notitiam apertam illis, sicuti tibi revelavi, quia posteriores Patres priores in hoc excelluerunt, temporum enim decursu, crescit semper Sanctorum scientia, vt ex D. Gregorio dicit D. Thomas 2. 2. q. 1. art. 2.

Sed placet ex Oleastro hæc ita epilogare: tres habes expositiones. Prima, nomi-

mina non declarat, sed solum quod vocor Iehova, & antiquis me ostendi tribuenda illis bona, sed non dicendo, hoc esse nomen meum. Secunda, nomina interpretatur, vt *Sadai* significet Deum vberem, & Iehova, conterentem, scilicet inimicos educẽdo Israelitas ex Ægypto, tot plagis. Tertia, nomina interpretatur, & per *Sadai*, intelligit Deum ratione prædatoris, auferendo bona à Chananæis, & Ægyptijs, & *Iehova* Deum conterentem regna, & nationes propter illos.

§. VI.

De octavo nomine Ia.

Octavum nomen, est *Ia*, quod Deo tantum tribuitur, & in extrema voce *Halleluya*, sonat; *Ia* autem dicitur, quia est mundi creator, & causa ipsius vt sit, secundum Rab. David Kinchi. Venit enim à verbo Hebræo *Haiba*, idest fuit ex Hieronymo ad Marcellam tract. de Alleluya, quod est laudare Deum. Et licet plura de nomine *Iehova* dicta sint superaddendũ adhuc venit, illud esse vnum nomen, cum tribus syllabis, hoc est, vnam divinitatem, vnum Deum, & tres Personas divinas significans.

Ad hæc notant Cabballistæ vnãquamque huius sacri nominis syllabã id totum significare, quod totum nomen ipsum importat. Nam tria illa nomina Dei, ex quatuor illis litteris, tribusque syllabis cõsurgere asserunt. Sunt autem hæc *Iah*, idest Deus ipse, ens, vel qui est, nam est abbreviatio proculdubio sacri nominis, & *Hic* quod est ipse, & *Vehic*, idest, & ipse. Quasi dicas Deus ipse, & ipse. Primum nomen, idest *Iah* componitur ex prima littera *Iod*, & quarta, *He*. Secundum nomen ex secunda littera *He*, & *Vau*. Tertium nomen ex tertia littera, *Vau*, & quarta, *He*.

Insuper, primum nomen, Patrem significat quod sit origo, & fons totius divinitatis. Quia *Iod* à quo *Iad*, est origo, & principium omnium Hebraicarum litterarum, ex qua vt dicunt Cabbalistæ reliquæ omnes litteræ formantur, & fiunt, & à nulla originem sumit, significatque, principium, & originem sine principio, & origine. Vndè & Patrem denotat, qui à nullo procedit, nec dimanat, & ab ipso aliæ duæ dimanant personæ, & est rerum omnium origo, & principium absque aliquo principio. Secunda vero littera, scilicet *He*, quæ esse vel vivere designat, eo quod sit prima littera verbi substantivi, aptissime filium demonstrat, cuius proprium nomen, est, *ipse*; quia per ipsum omnia quæ facta sunt esse cœperũt, & quidquid factum est in ipso, vita erat, & in ipso, & per ipsum, & ex ipso facta sunt omnia, Ioan.1. Roman.11. Et ipse est à Prophetis pronuntiatus venturus, verus Messias; ipse generis nostri propugnator, & assertor, ipse à Ioanne demonstratus digito. Ecce Agnus Dei. Et per Isai. 52. propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego *He*, vel *Hic*, ipse qui loquebatur, ecce ad sum. Et cap. 35. Deus, hic, esse veniet, & salvabit nos, idest Deus visibilis, demonstrabilis, & conspicuus.

Tertium nomen, *& ipse* scilicet *Vau*, quæ est coniunctio copulativa, ac veluti nexus, vnio, & copula; rectè spiritum exprimit Sanctum, qui est amor Patris, & filij quo se mutuo amant, nexus vtriusque, summi copula amoris, qui necessario ab vtroque procedit, vt ostendit D. Thom. 1. p. q. 36. Et ipse quoque post filium visibiliter mittendus erat in mundum, licet diversimodè; filius enim per vnionem hypostaticam, cum natura humana assumpta; Spiritus vero Sanctus, in columbæ specie, & igneis linguis solum vnitis, quoad motum, signum, & repræsentationem. De quo D. Thom. 3. p. q. 39. artic. 6. & 7. Quasi dicas, & etiam ipse Deus est, & visibilis, & demonstrabilis apparuit, & vno verbo, Pater Deus, Filius quoque, ipse est Deus, & Spiritus Sanctus etiam iste est ipse Deus.

§. VII.

§. VII.

De nomine Sadai.

NOnum nomen est *Sadai*, quod Aquila interpretatur Alcimon, idest, robustum, & sufficientem ad omnia perpetranda, aut qui potest omnia vastare, & perdere; aut qui habet omnia, quæ sibi sufficiũt, nec alterius ope eget, Genes. 43. sed vt hæc evolvantur, quæ quasi cõfusa iacent. Notandum ex Oleastro, & Maluenda col. 450. nomen *Sadai*, ex triplici capite, seu radice, posse desumi. Prima, vt sit compositum ex, *Scin*, litera servili, & *Dai*, quod est copia, & sufficientia. Sed non acquiescit huic expositioni Oleaster: illam tamen exornat Maluenda. Quasi dicatur, qui sufficit, vel qui sufficientia, vel cui sufficientia, idest abundantissimus, sufficientissimus, & qui omni rerum copia affluit, nullo indiget, omnibus abundat, & omnibus abundè tribuit. Iacobi 1. *Qui dat omnibus affluenter.*

Quæ explicatio infertur ex verbis Dei Genes. 35. v. 11. Ego Deus Sadai cresce, & multiplicare. Et Genes. 38. 3. Græci dicunt *Aytarches*, ad quam nominis notationem, videtur innuere Apostolus 1. ad Timoth. 6. *Qui præstat nobis omnia abũdè ad fruendum.* Et Rom. 10. *Dives in omnes qui invocant illum.* Significabit ergo *Sadai*, Deum vt sibi, & nobis sufficit, neq; alio indigeamus. Raabi Sahadias, aliter explicat. Videlicet quod & ipse abundet; & omnes rerum creatarum defectus expleat, & expellat. Si Aquilam inspiciamus, Alchimon vertit, ex Hieronymo, idest robustum, & sufficientem ad omnia perpetranda. Et ex alijs, non solũ omnipotẽtem sonare; sed & qui efficax sit, & efficaciter omnia in omnibus operetur. Actu. 17. 25. & 1. Corint. 12.

Secunda significatio, sit ex verbo *Asadad*, quod significat, prædari, vastare, & sic significabit Deum, quatenus est fortis prædator, quasi dicat: ipsum potentem, fortem, victorem, omnipotentem, cui nemo resistere potest. Esther 12. *Domine, Rex omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare.* Vnde & Græci Interpretes, solent vertere *Pantocrator*, idest, omnipotens. Et suffragantur duo loca. Isai. 13. v. 6. & Ioel. 1. 15. *Quasi vastitas à potente veniet.* Vbi est Sadai, & sit allusio ad proprium ætymon, quasi dicat, vastitas à Vastatore Deo veniet.

Tertia significatio, inquit Oleaster, Sadai est quod sit simplex nomen, & significat suggere, vnde *Sad*, idest, mamma, vber, sic dictũ quia suggitur. Trenor. 4. Sed & lamiæ nudaverũt Sad, idest, mammam. Et Ioelis 2. Suggentes Sadaim idest vbera. At verò Maluenda, illud deducit ex verbo *Sadad*, vt verbum istud sit permeare, vel diffundi, sive in bonum, sive in malum, vel vbertim dare quavis id fiat ratione. Vel deducitur à *Sod*, vel *Sad*, idest, *Vber*, vel *mamma*. Quasi dictũ quod eius succus, per vniversum corpus diffundatur puerorum, ipsumque humectet, & alat. Sadai ergo sic dictus, quasi mamma dulcis, vt lac, vberrimus, pinguissimus, cuius virtus per vniversas transcendat creaturas, dans illis ex Apost. esse, vitam, & inspirationem, ac denique vniversa bona.

§. VIII.

De nomine Tetragramaton.

DEcimum iam nomen occurrit explanandum, scilicet, *Tetragramaton*, de quo plura cum de nomine *Iehova* egimus, iam adnotavimus; breviter ergò sciendum: quod *Tetragramaton*, dicitur à *tetras*, quod est quatuor, & *gramaton*, idest litera, quasi nomen compositum ex quatuor literis, vel vt alij, significans, & repræsentans nomen quatuor literarum, scilicet *Iehova*. Et vt adnotat ex Lyra, & Hebræis Guillelmus Pepinius Exod. 6. apud Hebræos hoc nomen tantæ sanctitatis reputatur, quod non debebat nominari indifferenter à quolibet; sed tantum à Summo Pontifice, & hoc solum in benedictionibus populo præstandis in tem-

plo; & ideò vice illius pronuntiatur nomen *Adonai*. Sicut si apud nos, hoc nomen *Deus*, propter sui sanctitatem non esset licitum frequenter nominare, & loco illius vbicumque reperiretur scriptũ pronuntiaretur hoc nomen *Dominus*: & sic translatio nostra habet hoc nomen *Adonai*, vice nominis *Tetragramaton*.

Circa significationem vero illius, cum vt diximus quasi substitutum sit nominis Iehova, vel signum illius, quæ de istius significatione expensa sunt, huic etiam adaptari debent. Et sicut supra iam adnotavimus, alia esse nomina, quæ significant Deum in ordine ad creaturas, vt creator, Dominus; alia quasi qualitatem circa divinam essentiam, vt bonus, sapiens; alia per modum quantitatis, vt immensus; nomen autem *Iehova*, Deum vt in se, & ipsius substantiam, & essentiam absolutam independentem: ita dicendum de hoc nomine *Tetragramaton*. Imo superaddendum ex D. Thoma art. 11. ad. 1. Et adhuc magis proprium est nomen *Tetragramaton*, quod est impositum ad significandum ipsam Dei substantiam incommunicabilem, & vt sic liceat loqui, singularem. Et sic Pepinius dixit: quod est proprius nomen Dei Tetragramaton, quam Adonai.

Et ratio videtur vrgere: quia cum Deus sit ens absolutum independens, & in se existens, prius debet concipi, vt in se est, quam in ordine ad aliud, vt constat; Adonai autem ex dictis significat Dominum, quod sine ordine ad creaturas videtur non posse intelligi; Tetragramaton autem ipsum Deum, vt in se, & eius essentiam, & substantiam explicat, & significat sine ordine ad creaturas. Hinc diximus quomodo intelligendum, & nomen meum Adonai, idest Tetragramaton, nõ indicavi eis. Quia antea semper cum Patribus apparuit fuit cũ respectu ad creaturas. Vt patet, nam ad Abraham, vt legitur Genes. 17. dixit: Dabo tibi, & semini tuo post te terram peregrinationis. Ad Isaac Genes. 26. ne descendas in Ægyptum, &c. tibi enim, & semini tuo, dabo vniversas regiones has. Ad Iacob, Genes. 28. terram in qua dormis tibi dabo, & semini tuo. Vere ergo dicit Dominus, quod apparuit Abraham, Isaac, & Iacob, in Deo omnipotenti (intransitivè qui est omnipotens, vt calor agit in virtute substantiæ, idest calor est virtus substantiæ) apparuit ergo eis, & nomen in ordine ad creaturas, & non vt in se, ostendit illis; hic autem, ostendit, & manifestavit ei nomẽ *Iehova*, vel *Tetragramatõ*, quæ ipsam Dei essentiam in se, & à se, & absolutè, vt sæpè diximus repræsentant.

Nec iterum repetere debemus, quod ex D. Thoma stabilitum est, quod licet nomina à viatoribus sint imposita ex creaturis, sed ita vt ipsum Deum significẽt sine explicito saltem ordine ad creaturas, quia aliud est à quo nomen imponitur, & aliud, ad quod significandum assumitur. Et maximè dignum est omni consideratione, quod hoc nomen, non à creaturis, sed ab ipso impositum, vel prolatum Deo, sicut de nomine Sanctissimo *Iesu*, benè expendit Bernardus, in illud quod vocatum est ab Angelo &c. Et vt benè expendit Maluenda colum. 442. in opusc. quid vetat nobis à Deo traditum nomen Iehove significare ipsam divinam essentiam (saltem explicitè) sine respectu ad creaturas, & si vim & notionem propriam nominis istius, non intelligamus (intellige perfecte) benè tamen, esse nomen propriũ puræ, ac nudæ essentiæ Dei, atque naturæ.

Galatinus etiam lib. 2. à cap. 10. refert ex Rabinis, quod nomen Tetragramaton, sicut ab Hebræis scribitur, significat Deum generantem, & quia stare non potest, vt Deo generante, non sit Deus genitus, benè concluditur, esse Deum generãtem, & Deum genitum. Et quia impossibile est, vt inter Deum generantem, & genitum, non intercedat mutuus amor, ideo in nomine Tetragramaton involvitur mysterium Trinitatis, significans Deũ generantem, Deum genitum, & Deum amorem, sed huius mysterij sic explicati certitudo penes ipsos sit fides.

Denique notandũ: quod illud Exod. 6. *Nomen meum Tetragramatõ non indi-*

cavi eis, secundum Pagninum in Thesauro linguæ Sanctæ, hoc nomen deducitur à radice *Hoba*, quæ malum eventum significat, tristitiæ, & tormenti plenum: quasi illo ineffabili nomine voluerit insinuare, Deum perpessurum esse tormentum, & dolorem: & sic sensus horum verborum est: ego sum Deus Abraham, &c. qui apparui in Deo omnipotēti, &c. idest manifestavi me illis divitem, & potentem tunc, non qualem in novo testamento me ostensurus sum, scilicet per passionem meam, tristem, & plagis affectum. Reliqua Dei nomina (ne tædio afficiam legentes) videantur apud Galatinum citat. & Cantraprat. col. 160. & Angelum Caninum, cap. 2.

CAPVT QVINTVM.

De nominibus Deo, & creaturis communibus.

LAxiori calamo quam nostri instituti ratio exigebat præcedens caput exaratum est; sed cum tot tantisque mysterijs plena sint nomina Dei propria, veniam meretur, si forte aliquod crimen incurrit. Iam ergo pergimus ad lustranda alia nomina, quæ Deo, & creaturis sunt communia, vt sapiens, vivens, &c. Supponendo primo: dupliciter aliquod nomen de quavis re dici posse. Primo, cum illam propriè, & verè significat, vt animal rationale, hominem, & Deus dicitur iustus, & sapiens. Secundo dicitur impropriè, & cum per similitudinem, nomen alicui applicatur, vt cum homo fortis, Leo dicitur, & Deus ignis, &c.

Secundo supponendum: quod cum ex dictis, nomina Deo attribuamus ex creaturarum perfectionibus desumpta, cum nomina (ait Augustinus lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 8.) per eorum sonos, aures nostras tetigerint, semper movent ad excogitandam excellentissimam quandam, immortalemque naturam: Vndè, qui de Deo cogitant, vivum aliquid cogitant, quia viventia non viventibus anteponunt. Et si vitam vegetabilem sine sensu invenerint (qualis est arborum) præponunt ei sentientem, qualis est pecorū, & isti vitam intelligentem, qualis est hominum, at cum ista sit mutabilis immortalem requirunt qualis est Angelorum, vt sic denique ad Dei deveniamus perfectionem, in eius vita, nihil potentiale, sed actuale totum, & perfectum reperitur.

Igitur circa nomina Deo, & creaturis communia, vt sapiens, iustus, vivens, &c. Sciendum: quod licet vtriusque communia sint; differunt tamen ex modo significandi. Vndè Chrisostomus homil. 24. In Ioan. & Euthimius Ioan. cap. 16. dicunt: novit quidem scriptura frequenter eisdem verbis de Deo, & homine positis, non similiter vti, licet similia videantur. Aliter est enim Deus bonus, & sapiens, quam creaturæ: ille omnia habet à se, istæ ab alio scilicet Deo: iste sine imperfectionibus, illæ cum limitatione. Ascendo dixit Christus Ioann. 20. ad Patrem meum, & Patrem vestrum, sed illius quidem eiusdem naturæ, & substantiæ; Discipulorum ratione creationis, gubernationis, & gratiæ. Et Matth. 5. Estote perfecti sicut Pater vester perfectus est. Sed vos perfectione gratiæ; Pater autem cœlestis, perfectione propriæ naturæ.

Pro huius explicatione, adnotanda venit doctrina tradita à D. Thoma q. 13. cit. art. 2. in quo interrogat: An aliquod nomen dicatur de Deo propriè? Et posito primo argumento, quod omnia nomina Deo imposita, sunt à creaturis accepta, & sic metaphoricè Deo convenire. Et etiam in tertio argumento, quia omnia talia nomina, important quasdam conditiones corporales, cum significent cum tempore, compositione, limitatione, &c. Ergo non dicuntur de Deo propriè.

Respondet D. Thomas: quod verum est, nos ex creaturis Deum cognoscere, ex perfectionibus à Deo in ipsas procedentibus, quæ perfectiones in Deo sunt eminentiori modo quā in illis. Et noster intellectus, eo modo apprehendit eas, secundum quod sunt in creaturis, & vt apprehendit, ita per nomina significat; in no-

nominibus ergo quæ Deo attribuimus, & res significatæ, & modus significandi attendi potest: Igitur in ordine ad id quod significant, nedum propriè; sed proprius Deo competunt, quam creaturis, & proprius de illo dicuntur, sed quantum ad modum significandi, Deo non propriè adaptantur, cum habeant modum significandi, qui ipsis competit creaturis.

Ex quibus, argumentis satisfacit dicendo: aliqua esse nomina, in quorum re significata, includitur imperfectio, vt in lapide significante ens materiale, & hæc solum metaphoricè Deo conveniunt: & alia sunt nomina, quæ perfectionem dicunt, absque eo quod aliqua imperfectio limitationis, vel corporis in eorum significato formali includatur, & talia nomina, propriè de Deo dicuntur, vt bonum, vivens, intelligens, & de istis diximus, prius perfectiusque dici de Deo, vtpotè sine limitatione, & imperfectione aliqua, cum quibus in creaturis inveniuntur.

Circa ista ergo nomina, dubitari potest. Primo: An de Deo, & creaturis, vnivoce dicantur? Et respõdetur ex D. Thomia art. 5. Solum analogicè dici; quia nomen dicens perfectionem creaturæ, dicit illam finitam, limitatam, & distinctam ab ipsa, vt patet in sapientia, &c. Respectu vero Dei, dicit illam vt identificatam, infinitam, & excedentem nominis significationem, quæ omnia, saltem inducunt analogiam: at non æquivocationem, aliàs non possemus ex creaturarum cognitione, in Dei pervenire notitiam: Talis autem analogia oritur, quia omnis perfectio creata, dependet & participatur à Deo, & sic, vt principale analogatum, ponitur in omnium diffinitione, sicut sanum hominis, in medicina, & vrina.

Secundo dubitari potest; an ista nomina per prius de Deo, quam de creaturis dicantur? hoc exagitat D. Thomas in art. 6. quod vt resolvat, duas affert distinctiones. Prima est, nomina, altera propriè, metaphoricè altera, de Deo enuntiantur, & etiam de alijs rebus vt diximus. Secũda distinctio est; nomina debent considerari, vel quantum ad nominis impositionem, vel quantum ad rem significatam. His positis respondet D. Thomas, quod nomina quæ metaphoricè dicuntur, sic prius dicũtur de creaturis, quam de Deo. Ratio est aperta; quia talia nomina translata ad Deum nil aliud significãt, quam similitudinem ad tales creaturas. Sicut cũ pratum dicimus ridere, nihil aliud intendimus significare, quam quod pratum ita se habet in decore cum floret, sicut homo cum ridet secundum similitudinem proportionis: sic nomen Leonis dictum de Deo, nihil aliud significat, quam quod Deus similiter se habet, vt fortiter operetur in suis operibus, ac Leo in suis.

Dicit autem secundo; quod nomina quæ propriè conveniunt Deo, prius de illo dicuntur, quam de creaturis, quantũ ad rem significatam, quia vt diximus supra, non solum significant, quod Deus sit causa talium perfectionum, sed quod hæc, eminentius in ipso præexistunt, & ex ipso in creaturas diffundi, & dimanare. Sed quantum ad impositionem nominis, per prius nobis apponuntur creaturis quas prius cognoscimus. Vnde & modum significandi habent, qui competit creaturis. Et quia vt dubio præcedenti vidimus, cũ talia nomina, analogicè dicantur de Deo, & de creaturis; omnia talia, si non quantum ad nominis impositionem, quantum ad rem significatam, dicuntur prius in ordine ad præcipuum analogatum, qui est Deus. Videatur M. Bañes ad hunc articulum.

DIGRESSIO CIRCA VERBA *Pauli ad Ephesios 3. ex quo omnis paternitas nominatur.*

VT probaret D. Thomas art. 6. quomodo aliqua nomina quantum ad rem significatam, prius Deo convenirent quam creaturis, in argumento, sed contra, vsus fuit Pauli ad Ephes. 3. auctoritate, sic dicentis: flecto genua mea ad Patrem Domini mei Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in Cœlo, & in terra nominatur. Et licet hæc verba ita clara, & ad rem con-

conducentia videantur;sensus tamen illis assignatus scilicet, quod paternitas prius Deo conveniat, & ab illa omnis paternitas, quæ in Cœlo, & in terra reperitur, diffundatur,& communicetur, displicuit Cantaprat. lib.2. colum. 156. & 157. Vt autem dissidium hoc componamus, duplicem verborum lustrabimus sensum,& de vtroque pro captu nostro iudicium feremus.

Igitur sensus allatus à D.Thoma,reperitur expressus in D.Dionisio cap.2.de divinis nominibus. Et D.Damasceno lib.1. cap.9. & pluribus alijs,&c. Ait ergo D. Thom. flecto genua,quod est signum humilitatis. An autem spiritualiter,vel corporaliter hoc intelligendum? D. Hieronymus: genua animi,idest affectus.Et sic. Veram geniculationem esse in animo, cũ multi corporeum genu flectant,& animi nequaquam poplitem curuent. Contra alij erecto corpore deprecantur, qui tamen animo deiecto coram illo devolvuntur. Et D.Chrisostomus: flexis eos orare poplitibus, qui magno animi ardore Deo vota faciunt.

Alij corporaliter intelligunt cum D. Ambrosio, & pluribus quod D. Thomas amplectitur. Cum enim dixisset Apostolus genua flecto, ipse subscribit, quod est signum humilitatis,propter duo. Primo; quia qui genua flectit,quodammodo parvificat se, & subijcit se ei cui genua flectit, & sic ostenditur recognitio propriæ fragilitatis, & parvitatis. Secundo: quia in genu, est fortitudo corporis, & cum quis genua flectit protestatur debilitatem suæ virtutis: & sic talia signa, corporaliter Deo exhibentur ad conversionem, & exercitium spirituale animæ interioris. 2.Paral.vlt. de Manasse. Et Isai. 45. mihi curuabitur omne genu; quod etiam ethnicis solemne fuit;vnde Ovidius: & genibus pronis, supplex humilisque roganti. Et Titus de Claudia,& alij:Matronas genibus nixas, manus ad Cœlum, & Deos tetendisse. Sed quid prohibet pro diversitate temporis, & personarum, vtrumque intelligere.

Prosequitur D. Thomas: Deindè describit Apostolus, orationis obiectum, quod est Deus; & hoc ex duplici capite, vel ratione. Primo: ex affinitate, ex qua erigimur ad orandum cum fiducia. Et sic dicit ad Patrẽ, Domini nostri Iesu Christi, scilicet cuius nos sumus filij. Isai.33. Tu enim Domine Pater noster.Secundo: confirmat ex auctoritate,obtinendi quod petimus fiducia,quia ipse Pater est,ex quo omnis paternitas in Cœlo, quasi dicat: Paternitas quæ est in ipsis creaturis, est quasi nominalis, & vocalis, sed illa paternitas divina, qua Pater dat totam naturam Filio,absque omni imperfectione,est vera paternitas; & addendum, à qua, & per quam in creaturis omnis vis, & virtus generativa comunicatur alijs,qui Patres veniunt appellandi.

Et vt radicitus hoc aperiamus sciendum: quod Græce à nomine *Pater*, educitur patria. Et Syriace ex *ab* elicitur *ababuta*, sic Latine à Patre, paternitas. Et sic in hac significatione propria,intelligunt verba Apostoli Dionis. cit. & Damasc. nomen paternitatis ex divinis ad humanos Patres, trãslatum est. Sed intelligendum methonimice: nomen idest res significata per nomen paternitatis; vel ipsa paternitas, quæ est in ipsis creaturis descendit à Deo Patre,qui primus, & increatus alijs suam communicavit paternitatem. Vnde D. Hieronymus:Paternitas in Cœlis, est generatio Filij; Paternitas in terra, est generatio hominum, & animalium, quæ omnia à Dei paternitate dimanãt, omnia enim ab eo vim habent, generandi, & vt sint, & nominentur Patres.Et Theodoretus: qui vere est Pater, & non ab alio hoc accipit, sed ipse alijs impertijt.

Duo autem dubia proponit D. Thomas. Primum: vtrum in Cœlo sit paternitas? Et respondet;quod in Cœlo,idest in Deo, est paternitas, quæ est principium omnis paternitatis. Sed de hac, nulli dubium. Sed de Angelis, qui Cœli dicuntur an sit? affirmat. Pro quo est notandum: quod apud Hebræos,quadrupliciter accipitur Pater. Natura, vt generans, dignitate,vt Iosephus dicitur Pater Pharaonis,

ætate

ætate vt senes, & doctrina, vt Magistri docentes: Cum ergo inter Angelos sit illuminatio, & superior perficiat, & purget inferiorem, hinc vnus Angelus est Pater alterius sicut Magister, est Pater Discipuli.

Secundum dubium movet D. Thom. Vtrum paternitas quæ est in Cœlis, scilicet Angelis, & in terra, derivetur à paternitate, quæ est in divinis? Et posita ratione dubitandi, quia ista nomina, imponuntur vt cognoscamus res; quidquid autem cognoscimus, est per creaturas, ergo prius talia nomina creaturis quam Deo conveniunt. Respondet ex dictis dubioso secundo, verum esse quantum ad nominis impositionem, vel à quo nomen imponitur; secus quantum ad id ad quod significandum assumitur, sic enim prius Deo competit, quia sic omnis virtus generativa, ex qua dicimur Patres, ab ipso Deo diffunditur; & ideo dixit Paulus: *Ex quo omnis paternitas in Cœlo, & in terra nominatur.*

Videamus iam, verborum Apostoli alium sensum quem amplexatur Chrisostomus, Theophilactus, Iustinianus, Catapratcit. & plures. Supposito ergo, quod patria Græce, Latine sit paternitas, idem sonat quod familia, vel tribus, & Hebraice *Mespach*, quas 70. dixere *philas*, idest, ab vno capite descendentes; & tribum à quovis Patre dimanantem, patriam vocant. Et à patria etiam progenitores primū dicunt quasi *tes patras archas*, idest, tribus, principia. Et vno verbo, cognatio, tribus, familia, gens, quæ ab vno communi Patre prognata est. Et D. Hieronymus parentellam appellat.

Qui modus loquendi, familiaris est in Sacra Scriptura, Num. 1. per familias, idest patrion. & Psal. 21. *Et adorabunt in conspectu eius, omnes familiæ gentium*, Græce, patriæ. Et sic de alijs: sensus ergo verborum Apostoli, talis erit: Deus Pater, non tantum Christi, sed tam Angelorum, quam hominum; ipse enim Pater est omnium familiarum, tam spiritualium, quam corporalium: & licet istæ familiæ, habeant proprios Patres, & Principes, sed omnes communem Patrem, ac Deum habent à quo omnes descendunt. Iustinianus autē sic legit: omnia ab vno Deo, vti Authore, atque principio pendere: à quo omnes familiæ, idest, quidquid cernitur creatum à Deo, conditum, & conservatum. Et ibi alium sensum adducit.

Sequitur declarandum, vltimum Apostoli verbum, scilicet, omnis paternitas nominatur; cum enim ex dialectica, denominatio sit duplex, altera intrinseca, à forma inhærente subiecto, vt paries dicitur albus, ab albedine existente in illo; altera extrinseca, à forma non inhærente subiecto, sed in altero existente, vt paries dicitur visus à visione in me existente, quid sibi vult Apostolus, cum dicit: *Paternitas nominatur?* Intrinsecè ne, an solum extrinsecè? cum D. Thomas dicat, paternitas quæ est in creaturis, est quasi nominalis, & vocalis: & sic intelligens primum sensum verborum Apostoli Iustinianus, illum impugnavit.

Sed dupliciter potest dubio occurri. Primo: quia scriptura, cum de creaturis respectu Dei loquitur, ac si nihil essent, illas deprimit, & diminuit. Isai. 40. 15. *Ecce gentes quasi stilla fistulæ; & quasi momentum stateræ, omnes gentes, quasi non sint coram eo, &c.* Sic in præsenti; omnis vis generativa, & paternitas creata, quasi extrinseca, & nominalis respectu paternitatis divinæ à qua procedunt, licet alias reales sint, & Physicæ, & cum pluribus imperfectionibus. Secūdo: quia Hebræi, nominari accipiunt pro esse; vt Isai. 7. Vocabitur Emanuel, idest, erit nobiscum Deus, & cap. 8. *Voca nomen eius, accelera, spolia, &c.* idest, erit validus spoliator, & inimicorum prædator, &c.

En vterque sensus, verbis Apostoli expensus & adaptatus, nemo infitias ibit, quod secundus sit probabilis, & textui valdè consonus, ita planè: ergo primus, non probandus? Neutiquam; sed vterq; vt Cornelius à Lapide præstat & facit tum: quia pro se plures habet Authores, & sufficiunt Hieronymus, & D. Thomas. Tum: quia ex dictis supra, & vt omnes pene admittunt Authores, duplex, imò & mul-

& multiplex sensus diversus, licet non contrarius, litteralis, potest esse in aliquo loco, quid ergo vetat, vel obstat, hoc reperiri in præsenti? Si dicas: non cõgruere verbis Apostoli. Voluntarie dicitur; quia vt benè D. Thomas, cum Apostoli intentũ sit, ne Ephesij turbentur, si illum patientem videant tribulationes, &c. vt hoc persuadeat, describit orationis faciendæ obiectum, scilicet Deum, qui est Pater, & nos filij, qui hominibus etiam virtutem, & vim generandi tribuit, vt essent Deo similes, ex quibus magna fiducia consequitur, vt postulata per orationem, tamquam filij à Patre tam munifico, & misericorde, consequenda speremus, & confidamus.

Prosequitur Capitis intentum.

IAm ad nostrũ regrediamur institutum. Præter hucusq: enumerata nomina, alia eorum divisio recensenda venit. Quædam enim sunt absoluta, vt sapiens, bonus, &c. altera relativa, vt Dominus, creator, gubernator, &c. & de istis secundis, inquirit D. Thom. art. 7. Vtrum in tempore Deo conveniant? & resolvit affirmativè, ex Augustino lib. 15. de Trinit. & concludit: nihil prohibet huiusmodi nomina importantia relationem ad creaturas, prædicari de Deo in tempore, non propter aliquam mutationem illius; sed propter creaturæ mutationem. Sicut columna fit dextera homini, nulla mutatione in columna existente; sed homine translato. In quibus verbis, & rationem assignat, & obiectionem solvit, quæ potest fieri; quia si in tempore aliquid advenit Deo mutaretur; quod est contra illud. Mala. 3. *Ego Deus & non mutuor.* Respondetur enim: quod in Deo, non est aliqua relatio realis ad creaturas; sed supposita in Deo virtute, & dominio vti fundamento, est in illo relatio rationis, in quantum creaturæ referuntur ad ipsum.

Hinc colligi potest ratio, quare in nostra Vulgata Genes. 1. dicitur: *In principio creavit Deus*, cui voci in Hebræo, correspondet *Elohim*, & sic in toto illo priori capite, solum Deus vocatur: In secundo verò capite, ac deinceps, iam Dominus Deus appellatur? Iam supra aliquid diximus, sed ad rem optimè Tertulianus contra Hermogenem: nomen Dei dicimus semper fuisse; Dominum verò non semper: quia Deus substantiæ ipsius nomen est, idest, divinitatis; Dominus vero, non substantiæ, sed dignitatis, & potestatis: nam ex quo esse cœperunt, quæ potestas Domini ageret, vel maximè hominem, ex illo per accessionem potestatis, dictus est Dominus, qua ratione, D. Thomæ doctrina explicatur.

Sciendum etiam: quod cum ex creaturarum cognitione, quæ plures habent perfectiones, licet limitatas, nomina Deo, etsi imperfectè apponamus, iuxta illarum diversitatem, & qualitatem negotiorum, & actionum: hinc talia nomina, multiplicari possunt, ex Basilio lib. 1. contra Eunom. Sed iam illum disertè scribentem attendamus: licet enim, sit vnicum subiectum, & vnica substantia, & simplex, & incomposita; aliter, & aliter, sibi nomen imponit, diversis considerationibus, varias nomenclaturas adaptans. Lucem mũdi se vocat, quia oculos animæ, illorum qui munditia pollent cordis illustrat. Vitem se vocat, quia illos qui in fide altas egerunt radices fructibus bonorũ operũ alit. Panem autem se vocat, quia aptissimus cibus fit, ad reficiendos homines, &c. Sic igitur, qui quodlibet nomen voluerit percurrere, varias inveniet considerationes, cum vnicum tantum sit subiectum recipiens illa cognomina. Ecce quomodo ex tantorum auctoritate Doctorum, attribuendi Deo plura nomina, nobis delegata est potestas. De quo supra cap. 2. Attamen ex ipso; de Deo etiam vera dicere, periculosum est; & sic cautè vtendum: quia nullibi periculosius erratur, quam cum de divinis sermo susceptus est rebus. Et notandum: quod magis propriè ex præstantioribus, & sibi propinquioribus Deus denominabitur. Præstantiora autẽ, sunt à materia abstracta, quam corporea, pura, quã impura, sancta, quam execrãda; vnde melius dicetur, Sol, & lux, & dies, quam nox, & tenebræ; bonitas, quam malitia; ens, quam non ens, &c. de his cap. seq.

Sed in assignandis, vel applicandis Deo, B. Virgini, & Sanctis, nominibus Deorum Gentilium, & fabularum, maximè si omninò prophanæ sint, summo debemus invigilare studio. Cum tales Dij, vel ficti ad Libitum, vel pessimi fuerint homines, adulteri, fures, homicidæ. Iuxta illud Psal. 95. *Quoniam omnes Dij gentium Dæmonia.* Ipsæ vero Deæ impuræ, & maximæ impudicæ (si forte Apolinem, & Dianam demas) alij vero raro, & cum grano salis, vt dicunt, introducendi. Indignum (ne Hæreticum dicam) est enim Beatissimam Virginem, puritatis fontem, Venerem appellare, quã impudicissimam fuisse describitur, & sic de alijs. Fabulis etiã, parce vtendum, maximè res obscenas, & scandalosas proferentibus; de illis enim. Procul ab esse prophanæ, conclamat Vates, totoque absistite Luco. De his & si aliqua in medium propalare iucundum esset, sed non vacat. Earum distinctioné, vsum, vtilitatem, & plura alia, optimè pertractat, & dilucidat P.Fr. Antonius à Matre Dei in præludijs Isagogicis in appendice dub. 5. videatur omninò.

CAPVT SEXTVM.

De nominibus metaphoricis in Deo affectus humanos significantibus.

§. I.

Aliqua prænotantur.

FRequenter Sacra Scriptura, Deo nomina quæ affectus, & passiones humanas præsefferre videntur, attribuere solet, vt Genes. 6. *Pænitet me fecisse hominem.* & Zachar. 1. *Ira magna irascor super omnes gentes.* Alibi etiam, Deo ac si corpore constaret, illius partes, & conditiones adaptare solet. Vt Psal. 101. *Opera manum tuarum sunt Cæli.* Et Isai. 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, &c.* quæ omnia à suprema illa, divinaque natura, vtpotè sumè immateriali, & spirituali (spiritus enim est Deus, Ioan. 4.) longè abesse censenda sunt. De quo D. Thomas 1.p. q. 3. Ne ergo de Deõ minus quam tantam deceat maiestatem cogitemus; quomodo ista nomina accipienda sint diligentius nobis perscrutandum venit, quod claritatis gratia in hoc, & sequentibus capitibus præstabimus.

Divus ergo Augustinus lib. 83. QQ. q. 32. ita affatur: Divinæ (inquit) Scripturæ à terreno, & humano sensu ad divinũ, & cœlestem nos erigentes vsque ad ea verba descenderunt, quibus inter se stultissimorum etiam hominum vtitur consuetudo. Itaque earum etiam affectionum nomina, quas animus noster patitur, quasque longissimè esse à Deo seiunctas, iam qui melius sapit intelligit. Non dubitaverunt viri illi per quos locutus est Spiritus Sanctus opportunissimè in libris ponere. Vt v. g. quia difficilimum est, vt homo aliquid vindicet sine ira, vindictam Dei quæ omnino sine perturbatione fit, iram tamen vocandã iudicaverunt. Quod etiam in alijs multis postea exemplificat passionibus, & affectibus nostris.

Sciendum ex D. Hieronymo: quod vbicumque in Sacra Scriptura sparsim, motus animæ, ira, furor, oblivio, pœnitentia, & his similia Deo attribuuntur, non carnaliter, sed spiritualiter omnia de eo intelligenda esse. Quod optimè præstat D. Thomas q. 3. cit. art. 1. vbi inquirens, an Deus sit corpus, quia attribuuntur illi tres dimensiones, esse figuratum, habere situm, moveri, &c. respondet Sacram Scripturam tradere nobis spiritualia, & divina, sub similitudine corporalium, & Deum habere dimensiones, secundum quantitatem virtualem, similiter visum situm, & alia, vt statim expendemus.

Ex his ergo, colligere licet: omnia ista nomina impropriè accipienda, cum eorum significatum, realiter & vere in Deo non reperiatur, sed secundum similitudinem tantum, ex quo sensus consurgit metaphoricus. Quare autem tales affectus, & passiones, solum impropriè Deo (& idem suo modo de Angelis) attribuantur? Resolutio dependet, ex 1.2.q.22. Vbi agitur de passionibus: & art. 3. resolvit D. Thomas, quod passio propriè inveni-

tur,

tur, vbi est transmutatio corporalis, quæ quidem reperitur in actibus appetitus sensitivi. In actibus vero appetitus intellectivi, non reperitur aliqua transmutatio corporalis, quia huiusmodi appetitus, non est actus alicuius organi corporei. Vndè patet, quod ratio passionis, magis proprie invenitur in actu appetitus sensitivi, quam intellectivi.

Definitur ergo passio propria sic: Motus appetitivæ virtutis sensibilis, ex imaginatione boni, vel mali. Vel aliter sic: Motus appetentis facultatis, circa bonum vel malum, vel quod bonum vel malum apparet, idest, conveniens, vel disconveniens ipsi appetitui. Et licet tales passiones, sint actiones appetitus; iste tamen, se habet ad modum patientis, quia aliquo modo rapitur ab appetibili, & his affectibus, est annexa aliqua transmutatio corporalis, à naturali & convenienti dispositione subiecti, ex D. Thom. & sub hac ratione excluduntur à ratione veræ passionis, motus rationalis appetitus, qui est voluntas.

Vndè D. Thomas art. 3. cum tertium argumẽtum proposuisset, quod gaudium & amor, sunt passiones; & tamen attribuuntur Deo, & Angelis; ergo passiones, non sunt magis in appetitu sensitivo, quã in intellectivo. Respondet: quod quando amor, & gaudium, & alia huiusmodi, attribuuntur Deo, & Angelis, & hominibus, secundum appetitum intellectivum, designant simplicem actum voluntatis cum similitudine affectus, absque passione: vndè dicit Augustinus lib. 5. de Civit. Sancti Angeli, & sine ira puniunt, &c. & tamen, istarum nomina passionum, consuetudo locutionis humanæ etiam in eos vsurpat, propter quandam operationis similitudinem, non propter affectionum infirmitatem.

Cum ergo, istæ passiones, vel affectiones propriè acceptæ, imperfectionem dicant, scilicet transmutationem corporalem, animi per turbationem, & supponant appetitum sensitivum, qui dividitur in duas partes, scilicet irascibilem, & cõcupiscibilem residentes in corde; ista in dextera parte; illa in sinistra: & cum ista omnia sint valde remota à natura pure spirituali, solum secundum similitudinem tales affectiones Deo, & Angelis attribuendæ sunt, vt ex D. Hieronymo diximus: & sic loca Sacræ Scripturæ, in quibus talia inveniuntur nomina, veniunt intelligenda.

Rationes autem, quare Sacra Scriptura illas Deo attribuat, plures solent assignari; illas indicavit D. Thomas 1. p. q. 1. art. 10. Inquirens: An Sacra Scriptura, vti debeat metaphoris? & affirmativè respondet. Conveniens esse Sacram Scripturam, divina, & spiritualia, sub similitudine rerum corporalium tradere. Tum: quia Deus omnibus providit secundum conditionem suæ naturæ; proprium est autem hominum, vt ad intelligibilia per sensibilia manuducantur, cum omnis nostra cognitio, ortum habeat à sensu; & sic conveniens fuit, quod in Sacra Scriptura, spiritualia, nobis sub corporalium metaphoris traderentur. Tum: quia cum Sacra Scriptura omnibus proponatur, ex cap. 1. ad Roman. vt sic etiam rudes, capere ipsam possent; debuit spiritualia per corporalia proponere, & ex affectibus, & humanis actionibus, divina vt cumque possent percipere.

Sed notanda venit doctrina D. Thom. artic. 9. antecedenti. Cum enim tertium proposuisset argumentum sic: quanto aliquæ creaturæ sunt sublimiores, magis ad divinam similitudinem accedunt: ergo si aliquæ ex creaturis transsumerẽtur in Deum, oportet talem transsumptionem, maximè fieri ex sublimioribus creaturis, & non ex infimis: cum tamen ex his sæpè fiat in scripturis, quod etiam videtur adversari dictis dub. præced. scilicet ex nobilioribus creaturis magis propriè denominari Deum.

Respondetur primo: nostram doctrinam intelligendam esse absolutè, & secundum se; non tamen per accidens, & propter nostram imperfectionem intelligendi, vt iam diximus. Secundo respondetur, ex D. Dionisio cap. 2. Cœlest. Hierar. & D. Thoma cit. magis conveniens esse,

quod divina in Sacris Scripturis, tradantur sub figuris vilium corporum, quam nobilium, propter tria. Primum: quia sic animus humanus, magis liberatur ab errore; manifestum enim apparet, quod hæc secundum proprietatem, non dicuntur de divinis; quod posset esse dubium, si sub figuris nobilium corporum describerentur divina; maximè apud eos, qui nihil aliud à corporibus naturalibus excogitare noverunt. Secundo: quia talis modus, aptior est cognitioni, quam hic de Deo habemus; magis enim manifestatur de ipso, quod non est, quam quod est: & ideò similitudo illarum rerũ, quæ magis elongantur à Deo, veriorem nobis faciunt æstimationem, quod sit supra id quod de Deo dicimus, vel cogitamus. Tertio: quia per huiusmodi, divina magis occultantur indignis.

Cum autem vt diximus, duplex sit appetitus; rationalis alter, qui est voluntas: alter sensitivus, de quo in præsenti, iste in duas secatur partes; altera dicitur concupiscibilis, cuius obiectum: est bonũ, vel malum absolutè, in quo sex resident species passionum. Si enim bonum consideretur secundum se, & vt abstrahit à præsenti, vel futuro, consurgit amor circa bonum, & odium circa malum. Si autem bonum consideretur vt futurum, tunc est desiderium circa bonum, & fuga circa malum. Si autem, bonum vel malum est præsens, tunc est gaudium, vel delectatio circa bonum; dolor verò, vel tristitia circa malum.

Altera pars appetitus, dicitur irascibilis, cuius obiectum, est bonum arduum, vel malum. Si ergo consideretur bonum vt futurum, & nondum adeptum, consurgit spes, & ad ipsum bonum, vt arduum, & difficilè desperatio. Similiter malum arduum habet rationem, vt vitetur in quantum malum, & ad hoc tendit amor: & ad ipsum, vt evadatur subiectio mali tendit audacia: si autem malum arduum, iam est præsens, est ira ad expellendum illud malum per vindictam. Vndecim ergo sunt, appetitus sensitivi passiones. Sex concupiscibilis scilicet amor, & odium, desiderium, & fuga, gaudium, vel delectatio, & dolor, vel tristitia: quinque autem irascibilis, scilicet, spes, desperatio, timor, audacia, & ira: ad istas omnes alia reducuntur, & denominationem desumunt affectus nostri. Necesse fuit hæc ita latè prælibari, quia plures ex his affectionibus, Deo in scripturis solent adaptari, vt videbimus.

Pro quo, maximè præ oculis habenda est doctrina D. Thomæ 1.p. q. 19. art. 11. vbi inquirit: Vtrum in Deo distinguenda sit voluntas signi? Et respondet affirmativè, supponendo: quod in Deo quædam dicuntur propriè, & quædam per metaphoram: & cum aliquæ passiones humanæ in divinam prædicationem metaphoricè assumuntur, hoc erit secundum similitudinem effectus. Vnde illud quod est signum talis passionis in nobis, in Deo nomine talis passionis, metaphoricè significatur: vnde, sicut apud nos irati punire consueverunt, & tunc ipsa punitio, est signum iræ, sic ipsa punitio, nomine iræ significatur cum Deo attribuitur.

Prosequitur D. Thomas: similiter id quod solet in nobis esse signum voluntatis, quandoque metaphoricè, in Deo voluntas dicitur. Sicut cum aliquis præcipit aliquid, signum est quod vellit illud fieri. Vnde præceptum divinum, quandoque metaphoricè voluntas Dei dicitur Matt. 6. *Fiat voluntas tua.* Sed advertit D. Thomas; esse discrimen inter iram, & voluntatem, quod ira, de Deo nunquam propriè dicitur, cum in suo principali conceptu dicat passionem: voluntas autem, propriè dicitur de Deo, & ideò distinguitur voluntas propriè, & metaphoricè. Voluntas enim propriè dicta, vocatur voluntas beneplaciti; voluntas autem metaphoricè, est voluntas signi, eo quod ipsum signum voluntatis, voluntas dicitur.

Ex omnibus hucusque dictis, regula colligitur vniversalis, scilicet: omnis passio, quæ in suo conceptu formali imperfectionem dicit, vt ira, &c. Solum metaphoricè dicitur de Deo, & idem de pœnitentia, & alijs similibus: si verò, aliqua

affe-

affectio, vel passio nostra in Deum transfertur, quæ ex se imperfectionem non dicat, propriè quoad rem significatam reperitur in Deo; & sic ex D. Thoma 1. p. q. 20. art. 1. In Deo reperitur propriè amor; non solum respectu bonitatis divinæ, cum talis bonitas ex se sit summe amabilis, quia infinitè bona, & perfecta: sed etiam in ordine ad creaturas rationales. Similiter in Deo datur gaudium, quod consistit in possessione, & fruitione suæ bonitatis, quod est summa perfectio; non verò invenitur in Deo spes, nec desiderium, quia sunt de bono non habito; Deo autem nihil deest: nec timor, cum Deo nullum malum accidere posit. Nec dolor, nec tristitia, qui sunt de malo præsenti, quod Deo appropinquare non potest. Nec invidia, quia est dolor de bono alieno; sed quia frequenter ex Sacra Scriptura, hæ & aliæ affectiones, Deo attribuuntur, placet in singulari aliquas enucleare, & rationes quibus id ita fiat, adaperire.

§. II.

An in Deo detur ira?

Nihil frequentius in scripturis, quã iram Dei clamitare, iratum ostendere, & furore percitum; ita vt ad numerum, loca redigi non possint. Et aliquando hi effectus separatim ponuntur, vt Exod. 15. *Misisti iram tuam.* Psal. 77. *Ira Dei descendit super eos.* Habachuc 3. *Nũquid in fluminibus furor tuus.* Exod. 15. *In spiritu furoris tui.* Aliquando commixtim assignantur. Vt Psal. 5. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Et Psal. 68. *Et furor iræ tuæ comprehendat eos.* Aliquando duplicatur, vt ira magna irascor super omnes gentes. Zach. 12. quod designat vehementem affectum, sicut *expectans expectavi.* Psal. 39. *Gavisi sunt gaudio magno valde.* Matt. 2.

Cum hæc ergo ita se habeant, vt melius intelligantur, prius iræ, & furoris naturam, explicare debemus, ac deinde, quomodo Deo à Sanctis tribuantur, iterum in medium proferentes, verba August. lib. 4. contra Celsum. Non itaque humanos affectus Deo annectimus; nec impie de eo sentimus, nec errore aliquo ducti, quæ de Deo narrantur proferimus; sed vt Auditores à stultitia vindicent, & sapientiores efficiant. Tractat de ira D. Thomas 1. 2. q. 46. & dicit ex Aristotele 2. Ethic. quod ira causatur ex hoc, quod imaginatio apprehendit aliquod damnũ causatum, ex quo consurgit motus iræ, cum desiderio, & spe vlciscẽdi illud damnum causatum: & sic ira habet, vel respicit duo, alterum secundum rationem boni, scilicet, vindictam quam appetit, & alterum sub ratione mali, scilicet, hominem nocivum, de quo vult vindicari. Et art. 8. assignat tres illius species. Prima, felca, quia fel concitatur ex cholera. Secunda, mania, quæ diu manet. Tertia, vindicta, & quando hæc prævalet, dicitur furor. In Sacra autem Scriptura, furor non videtur distingui ab ira, cum indifferenter illis vtatur, & ratio potest esse: quia verbum, tymor, Græcum, vtrumque significat: Observat tamen Euthimius, quod Græce, duo nomina habentur, & sic videntur distingui, quia ira est quasi affectus ethicus, & minus fortis: furor verò sit affectus patheticus valdè vehemens: & in nostro idiomate, magis exprimimus vocando hominem furiosum, quam iratum: quia furor, hominem extra se trahit, & rapit.

Sciendum etiam: quod ira, non semper est mala, & peccatum; alias enim non diceret David Psal. 4. *Irascimini, & nolite peccare.* Ira enim respicit vindictam ex malo illato, & sic appetit malum eius in quem irascitur, non in quantum est malum; sed in quantum habet rationem boni; prout scilicet iudicat illud esse iustum, in quantum est vindicativum. Potest tamen ira deficere in hoc, quod non obedit rationis præcepto, vel in modo, vel in substantia vltionis: alias enim ira data est à natura, vt per illam malum repellamus, quod si fiat secundum rationẽ, bonum erit.

Augustinus ergo Psalm. 2. ita fatur.

Iram,

Iram, & furorem Dei, non perturbationem mentis, oportet intelligi, sed vim qua iustissimè vindicat subiectam sibi, ad ministerium vniversam creaturam; alioquin, vt dicitur Sapient.12. *Tu Domine virtutum, cum tranquillitate iudicas.* Secundo explicat dicens: Ira ergo Dei est motus qui fit in anima, quæ legem Dei novit, cum eandem legem videt à peccatoribus præteriri: per hunc enim motum iustarum animarum, multa vindicantur. Tertio explicatur, quod per iram Dei, possit intelligi ipsa mentis obscuratio, quæ vt pœna consequitur eos qui legem Dei transgrediuntur. Sed prima expositio, est adæquata, aliæ duæ, à posteriori, & ab effectu.

D. autem Hieronymus Zachar.1. sic loquitur. Ira Domini non perturbationem eius significat, qui non irascitur, sed eorum merita atque peccata, in quos ira Dei desævit; alioquin, Deus nunquam, iratus vlcisceretur, sed ad hoc corripit vt emendet. Vndè Propheta præcatur in Psalm. *Domine, ne in furore tuo arguas me.* Et Euthimius Psalm.6. Prophetæ Deo talem sæpè affectum attribuunt, vt persuadeant hominibus, quod Deus omnium curam habet, omnia videt, iudicat, furit, & irascitur, vt saltem hoc pacto, timore correpti homines, à vitijs desisterent. Et Gregor.20.moral.cap.23. ait: & qui culpas percutit, dicitur irasci, licet nulla animi perturbatione moveatur.

Damascenus etiam lib.1. cap.14. ita scribit: Ira & furor significant odium adversus malignitatem, & inimicitiam nam & nos, adversantia voluntati nostræ odio habentes, succensimus, irascimurque. Et breviter potest dici Deum irasci & affici furore; quia videns homines, vel Angelos suæ legis, & præceptorum trãsgressores, iudicat illos dignos pęna, & decreto suæ voluntatis, absque aliqua animi commotione vel perturbatione, pœnas illas infligit, & exequitur in peccatoribus; plura apud Pagninũ in Isag.cap.50. & Cantaprat. lib.2. à columna 198.

Celebris se offerebat locus enucleandus, ex Apost.ad Roman.1. *Thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis iusti iudicij Dei.* Hieronymus enim Isai.65. inquit. Neque enim ira quæ est vltionis libido, ita diffinitur in Deo, vt in hominibus, quæ materiam habet in nostris vitijs, non in Domini voluntate, qui thesaurizamus nobis iram in die iræ, &c. Et D.Thomas: Thesaurizas tibi iram: idest, multiplicas tibi reatum pœnæ. Iacobi 5. *Thesaurizastis vobis iram, in novissimis diebus*; vndè & sic sequitur, in die iræ, idest, in die iudicij de qua dicitur Sophon.1. *Dies illa, dies iræ:* quia scilicet nunc Deus vindictam non infert, quam tunc inferet. Iuxta illud Psalm.74. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Et revelationes iusti iudicij Dei: quia tunc revelabitur iustitia divini iudicij, quod nunc non creditur esse, aut non videtur esse iustum. Plura dicenda; sed non vacat modo. Videantur Expositores, & Theophi lactus præcipuè.

§. III.

Vtrum detur odium in Deo?

QVod Deus odio prosequatur peccatores, & peccata, sæpè Sacra clamat Scriptura. Psal.5. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* Et Sapient.14. *Odio sunt Deo impij, & impietas eorum, &c.* Sed difficulter explicatur, quomodo etiam metaphoricè Deo adaptari possit, cum ita Deo repugnare videatur? Pro quo iterum memoria tenendũ, quod dixit Euthimius Psal.79. Sacra Scriptura, Deo passim actiones adscribit humanas crassiori admodum more locuta, vt Hebræorum hebetudini serviret. Et Chrisostomus hom.3. in Genes. Scriptura demittit se, & iuxta humanam consuetudinem loquitur; & postea: Perpetuus scripturæ mos est, propter nos, & nostram vtilitatem, humanis vti verbis.

Sciendum igitur ex D. Thoma 1.2. q.29. quod amor, & odium opponuntur vt constat, & cum obiectum amoris sit bonum, obiectum odij erit malum: & sicut amor consistit in quadam convenien-

tia

tia amantis ad amatum, odium consistit in quadam repugnantia, vel dissonantia: vnde odium distinuitur: dissonantia appetitus, ad id quod apprehenditur, vt repugnans,& nocivum; sicut è cōtra, amor est consonantia appetitus ad aliquid conveniens. Insuper notandum est, discrimé inter odium, & iram, ex D. Thoma 1. 2. q.46. art. 6. quod, iratus appetit malum eius contra quem irascitur, non in quantum est malum; sed in quantum habet rationem boni, scilicet, provt æstimat illud esse iustum, in quantum est vindicativum. Obiectum autem odij, est malum inimici, in quantum est malum: & ideò odium est per applicationem mali ad malum; ira vero, per applicationem boni ad malum.

Ex quibus clarè colligitur, differentia inter odium, & iram: quod ira respicit vnum obiectum, secundum rationem boni, scilicet vindictam, quæ si ratione reguletur, bonum erit, & alterum sub ratione mali, scilicet, hominem nocivum, de quo vult vindicari. Odium verò, etiam respicit duo obiecta, & vtrumque sub ratione mali, quia talis vult malum alicui, tanquam cuidam inconvenienti. Ac denique observa ex Cayetano 1. 2. q.29. art. 1. quod sicut duplex est amor, alter amicitiæ, circa personam cui bonum optamus, alter circa ré volitam, & est amor concupiscentiæ. Ita etiā duplex est odiú, alterum abominationis, quod versatur circa malum, quod abominamur, & nobis displicet, & alterum inimicitiæ, quod est circa personam cui aliquod volumus malum: nam sicut amare est bonum velle alicui, ita odio habere, est alicui velle malum.

His suppositis inquiritur quomodò in Deo possit odium reperiri, non per modum passionis, sed per modum fugæ & detestationis, vt sunt actus spirituales, qui ad differentiam passionum, affectiones vocantur? Variant Authores 1.p.q.20. Sed probabilius (abstinendo ab Scholastica disputatione) in Deo non reperiri odium abominationis, vel inimicitiæ, nisi valdè remotè, & metaphoricè, iudico; quod clare, & expresse docuit D.Thom.1. cōtra gent.cap.96. Omnia (inquit) agentia effectus suos amant, sicut parentes filios, & artifices sua opera &c. Igitur multo magis Deus, nullam rem odit, cum ipse sit omnium causa iuxta illud Sapient. 11. *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti.*

Quomodò ergo dicitur in Sacra Scriptura odio aliqua habere? dupliciter ait S. Doctor, & vtroque similitudinariè, & metaphoricè. Primo: ex hoc quod amando res, & volens earum esse, vult contrarium bono, scilicet malum non esse: vnde malorum odium dicitur habere: nam quæ non esse volumus, dicimus odio habere. Zachar. 8. ab illis verbis: malum contra inimicum ne cogitetis, &c. omnia hæc sunt, quæ odi, dicit Dominus. Secundo, Deus dicitur odium habere, quando vult aliquod maius bonum, quod esse non potest sine privatione minoris boni, & sic dicitur odire, cum sit magis amare. Sic enim in quantum vult bonum iustitię, vel ordinis vniversi, quod non potest stare sine privatione, vel corruptione aliquorum, dicitur odio prosequi quorum punitionem vult, vel correptionem. Iuxta illud Malac.1. *Esau odio habui, &c.*

Ecce quomodo profunde explicatum manet, in Deo odij affectum reperiri, & loca Sacræ Scripturæ, quæ huic doctrinæ obstare videntur, facilè declarata. Quod etiam dilucidatur ex q.19.art.9. dicente: Deus volendo iustitiam, vult pœnam, & volendo ordinem naturæ servari, vult quædam naturaliter corrūpi: ergo Deus directè, nec vult alicui malum, nec per se directè abominatur malum; sed ratione boni per se intenti, & sic propriè in Deo non est odium obominationis, nec inimicitiæ.

§. IV.

De zelo Dei.

NOn minor consurgit difficultas, imò, & admiratio, quomodo supradictus affectus in Dei naturam purissimā, & incōmutabilem, introduci possit.

Sed

Sed iam Originis verba audiamus hom. 8. in Exod. Vide benignitatem Dei, quomodo vt nos ducat, & perfectos faciat, ipse fragilitatem humanorum non recusſat affectuum: quis enim audiens Deum zelantem, non continuo miretur, & humanæ fragilitatis vitia putet? Sed omnia propter nos agit, & patitur. Et vt possimus edoceri, notis & vsitatis affectibus nobis loquitur. De quo August. lib. 83. QQ. q. 52.

Zelum ergo Deo 23. locis, Sacra attribuit Scriptura, & nomen zelotes, duobus in locis, quomodo autem Deo adaptari possit? hoc opus, his labor. Sed notandum ex D. Thoma 1.2. q. 28. art. 4. quod zelus provenit ex amore, & est affectio animæ per modum doloris, vel tristitiæ, contra id quod impedit consecutionem, vel fruitionem rei amatæ, vel intentæ. Et est duplex, alter, ex amore procedens concupiscentiæ; v.g. cum quis intense aliquid concupiscit, movetur contra id quod repugnat consecutioni, vel fruitioni rei, quæ amatur. Et sic viri dicuntur zelare vxores, ne per consortium aliorum, impediatur singularitas quam in vxore perquirunt. Et etiam, dum quidam quærunt aliquam excellentiam, moventur contra eos qui impedire, vel excellere videntur, quasi impedientes illius consecutionem, & iste est zelus invidiæ, de quo Psal. 36. *Noli æmulari in malignantibus.* Vt statim dicemus.

Alter zelus oritur ex amore amicitiæ, cum scilicet quis quærit bonum amici. Et sic etiam potest quis zelare pro Deo, vt videns aliquid fieri contra honorem, vel voluntatem Dei, conatur secundum suum posse illud repellere. Et sic 3. Reg. 19. dixit Elias: *Zelo zelatus sum, pro Domino exercituum*, quia dereliquerunt pactum Domini, filij Israel. Et Num. 25. de Phinees: Vnde zelus, aliquando in bonã, & aliquãdo in malam sumitur partem, vt patet in locis citatis circa bonum. Et in malum quando oritur irrationabiliter adversus aliquid quod recta ratione debet fieri, vt dicit Apost. *Amplius æmulator existens, paternarum mearum traditionum.*

Ex dictis sequitur; quod zelus invidiæ, solum habet locum in amore concupiscentiæ, & non amicitiæ: non quia semper reperiatur in amore concupiscentiæ. Pro quo obseruandum: quod bonum concupitum, est duplex: aliud quidem perfectum, quod à pluribus possideri potest sine læsione ad invicem, & ex amore illius non causatur zelus invidiæ. Nullus enim invidet alteri de cognitione veritatis, vel de visione lucis, quæ ab omnibus haberi potest. Alterum bonum est imperfectum, quod ab vno obtineri non potest, nisi alter impediatur, vel desistat à consecutione. Et ex eo potest oriri zelus invidiæ vt patet.

Sed ingerit difficultatem, exemplum D. Thomæ, quod de cognitione veritatis, non potest esse zelus invidiæ, maximè si talis cognitio sit excellens. Respondetur; quod de cognitione veritatis absolutè, non potest esse invidia quia ab omnibus haberi potest, & nullius est impeditivum; secus excellens cognitio, quæ ab omnibus haberi non potest, & potest esse impedimentum vnius ad alterum: & sic intelligendus D. Thomas.

Supra insinuavimus, quod ex amore amicitiæ oritur zelus, sivè talis sit amor humanus, sivè divinus. Vndè D. Dionys. cap. 4. de divinis nominibus, ait: Deus appellatur zelotes, propter nimium amorem quem habet ad existentia, secundum quem quærit repellere noxia ab illis. Et sic Sponsus Cant. vltimo de suo amore ita exclamat: *Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Lampades eius, lampades ignis atque flãmarum; aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obrruent illam.* Insinuat amoris fervorem dicens: Fortis est vt mors dilectio; & in eo quod comparat illum igni lampadarum: Ignis enim qui alias aqua extinguitur, si tamen magnus & fervens vt amor sponsi, potius laboribus nutritur & augetur. Ex hacq; amoris magnitudine intulit quasi proprium effectum zelum, dicens: dura sicut infernus æmulatio, nomine inferni intelligens sepulchrum (si iam non ipsum infer-

fernum) vt sit sensus: non minus durum esse zelum magni amoris pati, quam ipsam sepulturam, vel gehenam.

Advertit bene Cayet. quod zelus sumitur dupliciter; primo causaliter, pro ipsa fervente dilectione. Secundo formaliter, pro tristitia causata ex defectu bonorum, quæ sibi vel amico quis cupit, ex Aristotele 2. Rethor. cap. 8. Licet ergo nomen vtrumque amplectatur; in præsenti tamen, sumi debet in secunda acceptione, sic enim est effectus amoris; vnde in Deo (vt iam diximus) non debet poni nisi in prima acceptione: alias enim, ponetur imperfectio in Deo. Sed verificatur non solum habere amorem; sed etiam zelum; quia sic per amorem attendit remotionem malorum, & bonorum acquisitionem amici, & illius conservationem; ac si ex nimio amore zelus esset causatus.

Igitur Deo, seclusis imperfectionibus, quæ in nobis reperiuntur, zelus potest attribui. Et sic Euthimius ait: Scriptura vocat zelum iram, cum fervore factam. Et D. Augustinus: Zelum humanum nō sine livoris peste intelligimus factum. Et postea subdit. Zelum quoque Dei non aspernemur, cum scriptum invenimus; sed auferamus de humano zelo, tabem doloris, & morbidam perturbationem animi: remaneatq; solum illud iudicium quo corruptio castitatis impunita esse non finitur: & sic assurgemus vt capiamus aliquo modo zelum Dei; & sic currunt verba D. Dionysij allata. Si iam non zelare Deus dicatur, cum nullum peccatum impunitum vult relinquere. Iustus est enim; & ideò, omnis iniustitia execrabilis est illi, qui nihil impurum patitur impunitum.

§. V.

De pœnitentia Dei.

DEum agere pœnitentiam, nisi Sacra doceret Scriptura, iterum atq; iterum, apud Ieremiam 18. *Et ego pœnitentiam agam;* quis crederet auditui nostro? Isaiæ cap. 53. & quod Deus pœniteat 12. locis testatur, & quod tædio afficiatur 4. Reg. 10. quæ omnia, ita Deo absona videntur, vt D. Hieronymus Zachar. 8. ita sit affatus: Hæretici calumniantur quasi crudelis, aut mutabilis sit Deus, sive pœniteat, aut non pœniteat: si enim pœnituerit; dicunt esse mutabilem: si autem non pœnituerit, dicunt esse crudelem; hoc enim inferebant, quia pœnitentia dicit in hominibus voluntatem mutandi, cum dolore animi: reprehendit enim se, quod temere fecit.

Pro quo adnotanda est doctrina D. Thomæ 1. p. q. 19. art. 7. vbi inquirit: Vtrum voluntas Dei sit mutabilis? quia Genes. 6. dicitur: *Pœnitet me fecisse hominem*, sed quicumque pœnitet de eo quod fecit, habet mutabilem voluntatem, ergo. Respondet D. Thomas ex fide: voluntatē Dei esse immutabilem, Num. 23. *Neque vt filius hominis vt mutetur.* Et Malach. cap. 3. *Ego Dominus, & non mutor.* Et dicit, aliud esse mutare voluntatem, & aliud velle aliquarum rerum mutationem. Potest enim aliquis eadem voluntate immobiliter permanente, velle quod nunc fiat hoc, & postea fiat contrarium. Et sic respondet argumento; quod illud verbum *pœnitet* (& alia similia) metaphoricè est intelligendum, secundum similitudinem nostram; cum enim nos pœnitet, destruimus quod fecimus. Secundo dicit: quod hoc potest fieri absque mutatione voluntatis; sicut quis absque mutatione voluntatis vellet aliquid facere, simul intendens postea illud destruere. Sic igitur pœnituisse Deum dicitur, secundum similitudinem operationis, in quantum hominem quem fecerat, per Diluvium à facie terræ delevit.

Hac igitur doctrina facilè intelligitur, quomodo in Deo sit pœnitentia adstruenda. Vnde Augustinus: auferamus istas imperfectiones, quæ de humana ignorantia veniunt; & remaneat solum velle, vt non ita sit aliquid sicut antea erat; & poterit intimari menti nostræ, qua regula intelligatur, quod pœniteat Deum. Vel aliter ex ipso lib. 83. QQ. q. 52. quia mutare rem, & in aliam transferre, non facilè solemus, nisi pœnitendo: quamvis divina

Rr pro-

providentia serena mente intuētibus appareat cuncta certissimo ordine administrare; accommodatissimè tamen ad humilem humanam intelligentiam, ea quæ incipiunt esse, neque perseverant quantum perseveratura sperata sunt, per pœnitentiam Dei dicuntur ablata.

Et D. Hieronymus Zachar. 8. Pœnituit autem Deum, quod Saul vnxerit in Regem, 1. Reg. 15. & apud Ninivitas, Ionæ 3. quibus per Prophetam Deus denuntiaverat; adhuc & triduum Ninive subvertetur; & quia egerũt pœnitentiam, dicitur, & ipse mutasse sententiam, non vitio mentis improvidæ; sed ex eorum qui benè vel malè fecerunt varietate: si enim malè fecerunt comminatur, si pristina peccata defleverint, non mutatur Deus, qui idem est, & mutari non potest; sed illis ex malis ad bona opera commutatis, mutat & suum ipse decretum.

Denique idem Hieronym. ad Ierem. cap. 18. & si mala prædixerit Dominus, & egerint pœnitentiam, quod & ipse acturus sit pœnitentiam super his quæ facere comminatus est. Etsi prospera pollicitus fuerit, & egerit populus ille negligenter, mutet Deus sententiam, & pro bonis, mala inferat. Et ipse Ieremias dixit: si forte audiant, & convertantur vnusquisque à via sua mala: vt cum illi conversi fuerint, & meæ sententiæ me pœniteat, & non faciam, quæ eis facere cogito: Cogito autem facere propter malitias studiorum illorum; quæ si fuerint immutatæ, & mea sententia commutabitur. Videatur etiam Matt. 21. quæ omnia, vt explicuimus sunt intelligenda.

§. VI.

De Misericordia Dei.

MIsericordiam Dei, omnis & sæpè personat Sacra Scriptura, nec mirum; cum misericordia Dei, plena sit terra: Vnde & misericors, & miserator, frequenter acclamatur. Quod non parum videtur habere difficultatis. Quia misericordia tristitiæ connexa videtur, & quia misericordia, à misero corde vocata est, eo quod dum vnusquisque intueatur quempiam miserum, & ei compatiens, animi tangitur dolore, & ipse cor miserum facit, vt eum à miseria liberet, cui intendit. Et D. Hieronymus. Ideò Deus immutabilis dicitur, quia misericordia, ira, & his similia, non accidunt, illi: Simplex enim natura est, & immutabilis, & imperturbata, nec aliud est ipse, & aliud quod habet; sed ipsum est, quod habet, & est. Resolvit D. Thomas difficultatem 1. p. q. 21. art. 3. dicens: quod repellere miseriam alicuius hoc maximè competit Deo, origini totius bonitatis, qua miseria repellitur, & defectus tolluntur. Pro quo supponendum: quod misericors dicitur quasi miserum habens cor, quia visa alterius miseria per tristitiam, ac si propria esset, affligitur, & sic nititur ad expellendam illam, ac si propria esset. Cum ergo in misericordia, duo reperiantur, & tristari de malo alieno, ac de proprio, & repellere tale malum. Primum proprium est creaturæ, secundum maximè Deo cõvenit. Qua de causa dicitur miserationes eius super omnia opera eius. Et Ecclesia Deus cui proprium est misereri, & parcere. Et qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas, &c.

Subdit tamen D. Thomas notandam doctrinam. Elargiri autem perfectiones rebus quibus miseria, & defectus tolluntur, pertinet & ad bonitatem divinam, & ad iustitiam, & ad liberalitem, & misericordiam. Communicatio ergo perfectionum, absolutè considerata, pertinet ad bonitatem; sed in quantum perfectiones dantur rebus à Deo, secundũ earum proportionem, pertinet ad iustitiam, vt autem Deus tribuit rebus perfectiones, non propter sui vtilitatem, sed bonitatem, pertinet ad libertatem: in quantum vero perfectiones datæ rebus à Deo, omnem defectum expellunt, pertinet ad misericordiam. Per quod patet ad rationem dubitandi.

Sed ingerit scrupulum hæc D. Thom. doctrina, dum asserit, misericordiam Deo cõpetere, secundum effectum; non autem secundum passionis affectum; atqui ex do-

doctrina communi, & supra iam tradita; quæ Deo solum quantum ad effectum competunt, solum metaphoricè dicuntur de illo, vt patet in furore, odio, &c. ergò si misericordia solum quantum ad effectum, & non passionis affectum competit Deo, solum metaphoricè illi poterit adaptari. Et quia in Deo formaliter est iustitia saltem distributiva, ex D. Thoma q.21. art.1. Ergò non est in illo formaliter misericordia quæ est iustitiæ opposita, vtpotè relaxatio iustitiæ.

2 Pro solutione observandum: quod 1.p.q.4.art.3. Agendo an Deus sit vniversaliter perfectus; & omnium rerum in se perfectiones habeat? Solet distingui quod aliquæ sunt res, quæ intrinsecè in se imperfectionem dicunt inseparabilem, vt corpus, sensibile, &c. & tales non sunt formaliter in Deo: aliæ sunt, quæ licet in nobis cum imperfectione sint; illam tamen in suo non includunt conceptu; vt sapientia, licet in nobis sit cum limitatione, & inhæsione; hoc tamen non est de illius intrinseco conceptu, & sic formaliter in Deo reperitur.

Hoc supposito, dico: quod licet misericordia sub conceptu compassionis sit in nobis, & solum sub hac ratione quantum ad effectum sit in Deo; quia tamen hoc nō est de intrinseca illius ratione, sed solum affectus auferendi defectus, & miseriam; ideò sub hac consideratione, & non sub illa, competit Deo; quæ autem intrinsecè imperfectionem claudunt in suo conceptu, solum metaphoricè Deo possunt adaptari, vt esse tristem, dolentem, & alia huiusmodi sicut dicebamus de corpore, & sentiente.

3 Ad illud de oppositione reperta inter iustitiam, & misericordiam. Respondetur ex D. Thoma: quod Deus misericorditer agit, non contra iustitiam suam faciendo; sed aliquod supra iustitiam operando. Sicut si alicui cui debentur centum denarij, quis de suo ducentos det, non facit contra iustitiam, sed liberaliter, vel misericorditer operatur. Et similiter si aliquis offensam remittat: qui enim remittit aliquod, quodamodo donat illud, ex Apost. ad Ephes. 5. Vnde misericordia, non tollit iustitiam, sed est quædam iustitiæ plenitudo. Vnde Iacobi 2. dicitur: *Misericordia superexaltat iustitiam.*

§. VII.

De Iuramento.

IVrare Deum aliquando, testatur scriptura: quod tamen dedecere Deum videtur, quia iuramentum vt docet D. Thomas 2.2. q.99. ex Apostol. ad Hebr. 6. ad confirmationem ordinatur; cum humanum testimonium non sit sufficiens ad huiusmodi confirmationem: tum propter defectum veritatis humanæ, quia plures in mendacium labuntur iuxta illud: *Omnis homo mendax.* Psal. 115. Tum propter defectum cognitionis plurium rerū, & eventuum; ideò necesse fuit recurrere ad divinum testimonium, quia Deus neque mentiri, neque falli vel fallere potest, nec aliquid illum latet, qui fines, in Deo non habent locum, vt patet.

Et quia cum art. 10. inquireret: an omnes possent iurare? Proponit quartum argumentū, quia Angelus maior est omni vivente. Matth. 11. *Qui minor est in Regno Cælorum, maior est illo*, scilicet, Ioanne Baptista, sed Angelus potest iurare. Apoc. 10. quod Angelus iuravit per viventem in sæcula sæculorum: ergo. Et respondet: quod iuramentum Angeli inducitur, non propter defectum ipsius, quasi non sit eius simplici dicto credendum; sed ad ostendendum id quod dicitur ex infallibili Dei dispositione procedere. Sicut etiam Deus aliquādo in scripturis, iurans inducitur, ad ostendendum immobilitatem eius, quod dicitur ex Apost. ad Hebræ. 6. Sed ad hoc, non est opus in Deo iuramento, cū omnes sciant, nec mentiri, nec fallere posse, est autem Deus verax Roman. 1. & quæ decernit, certo, & infallibiliter erunt. Esther 13. *Et non est qui possit resistere, si decreveris salvare ergo.*

Pro luce supponendum: quod vt dicit D. Thomas 1. p. q.2. art.1. de quo su-

pra: dupliciter aliquid potest dici notum. Primo secundum se, & non quo ad nos: secundo, quoad se, & quoad nos. Primo modo, cum res sufficientem entitatem, & veritatem habet vt cognoscatur, vt quod Deus sit, licet ab aliquibus ex eorũ hebetudine, non percipiatur, & sic dixit insipiens, non est Deus Psalm. 52. Secundo modo contingit, quando prædicatum includitur in ratione subiecti, vt hominem esse animal, & si hoc cognoscatur, propositio illa erit omnibus nota: Licet ergo hæc propositio: Deus est, in se sit nota, quia prædicatum est idem subiecto, sed quia nobis non est notum quid sit, indiget demonstrari per ea quæ nobis magis sint nota.

Idem in præsenti, licet Deus sit verax, imo ipsa veritas, ita vt nec falli, nec fallere possit, vt demostratur in materia de fide, & quæ ipse dicit, vel promittit infalibiliter, & certo erunt. Vndè Isai. 46. dicitur: *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* (modo quo dicitur 1. p. q. 19. art. 6.) & hoc insitum erat etiam apud barbaras nationes, & sic Deum, vel Deos consulebant, & eorum responsis vt veracibus fidebant. Quia tamen, non ita apud omnes certũ est, vt patet Genes. 18. de Sara quæ ad filij promissionem risit. Et Iudic. 6. de Gedeon. & Luc. 1. de Zachar. & alibi sæpè: ideo dicit Apostolus ad Hebr. 6. *Homines enim, per maiorem hunc iurant, & eorum omnis controversiæ finis, ad confirmationem, est iuramentum.* In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationes hæredibus, immobilitatem consilij sui, interposuit ius iurandum. Vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, &c.

En in hoc celebri loco Apostoli (circa quem videatur omninò D. Thomas) causa & ratio quare Deus vtatur iuramento circa homines, vt statim dicemus. Adnotando ex D. Augustino lib. 19. contra Faustum: quod non vbique iuramentum inseritur in Sacra Scriptura, sed vbi est consideratio maior, atque propensior, illis in locis iuramentum invenitur. Sciẽdum etiam ex D. Hieronymo, Ezech. 16. quod diversis verbis, atque modis, in veteri, ac novo testamento, proferri solet iuramentum. In veteri testamento sic, *vivo ego dicit Dominus.* Et Ierem. 4. *Vivit Dominus, &c.* In novo autem, *amen amen dico vobis.* Hoc iuramento: *Vivit Deus*, postea Prophetæ vsi sunt, & ipse Dominus aliquoties ita iurat per Prophetas dicens: *Vivo ego ait Dominus.*

Quid sibi autem vellit, vel significet iuramentum? Varie explicatur. Eucherius in Psal. ait: Iurare Domini est immutabiliter promittere. Iuxta illud Psal. 131. *Iuravit Dominus veritatem, & non frustrabitur eam.* Et Isai. 14. 24. Iuravit Dominus exercituum dicens: si non vt putavi ita erit, & quomodo mente tractavi, sic eveniet, &c. Damascenus lib. 1. cap. 14. Iuramentum significat immutabilitatem consilij Dei, eo quod apud nos contractus qui invicem fiunt, per iuramentum rati sunt, & habent firmitatem. Et Basilius serm. 1. in Psal. 14. nominant Prophetæ iuramentum multis in locis immutabilem, firmamque rei cuiuslibet confirmationem, &c. *Iuravi, & statui, custodire iudicia iustitiæ tuæ.* Psal. 118. & *Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum.* Psal. 105. Non quod Deum ad testimoniũ dictorum, fidemque dubietati faciendam induxerit; sed quod immutabili decreto gratiam promissionis confirmavit.

Vel secundo iurat Deus, hominum ob incredulitatem, vt illos certiores reddat. Vnde Basil. hom. de pœnit. Hoc ius iurandum, vivo ego dicit Dominus, Deo competit, quia se maiorem non habet. Iurat autem propter hominum incredulitatẽ. Et Hieronymus in epist. ad Titum: Dominus iure iurando quædam pollicetur, vt nos securiores faciat, & magis speremus futura esse, quæ prædicta sunt, & tota mente credentes, ad sequenda ea quæ ventura sunt præparemur.

Denique iurat Dominus, nostris se attemperans affectibus: nam alias, omnia verba Dei, iuramenta sunt. Vndè Hierony-

nymus Isai. 14. Iurat Dominus, cui non iuranti credendum est, humano loquens affectu. Quam plura alia nomina Dei; sed non ita communia & perspicua in Sacra Scriptura reperiuntur, de quorum enodatione, & significatione, in sequentibus pertractabimus.

Dictis in hoc capite, finem imponamus verbis Origenis lib.4. contra Celsum sic rectè proloquentis: sed cum Celsus minus intelligat, quæ de Deo pro humanis affectibus exprimuntur, carpit hæc planè, & cavillatur. Dicendum ergo erit: quod quemadmodum ipsi vti cum pueris minutioribus oborta est nobis disceptatio, non nostras dicendi vires attendimus; sed illorum imbecillitati nos ipsos accomodantes: non solum his consentanea fabulamur; sed ea etiam facimus, quæ ad puerorum videntur emendationẽ sat facere, & illis non parum conducere. Hic item & Dei verbum videtur quæ scripta sunt dispensasse, pro auditorum, & viribus, & vtilitate, demetiendo quæ decenter denuntiaret. Quæ post latè exemplificat, & declarat.

CAPVT SEPTIMVM.

De nominibus significantibus in Deo, conditionem, vel partes corporis humani.

DIcendorum varietati in præsenti capite, dent initium verba Dionys. cap. 2. de cœlest. Hierarch. Igitur Scripturæ divinitatem interdum ex istis visibilibus pretiosisque rebus concelebrant, vt cum solem iustitiæ, Stellam matutinã, in cordibus fidelium orientem vocant. Aliquando ex his quæ sunt media, divinam prædicant maiestatem, cum scilicet ignem vocant, aquam fluentem in vitam æternam, & fontem vivum. Aliquando ex infimis Deum laudant, lapidem angularem, oleum effusum, leonem, & quod est omnium vilissimum, ego sum vermis, & non homo, &c. Aliquibus ergo ex his nominibus iam explicatis, ad infima deveniamus, scilicet ad illa quæ in Deo cõditionem, vel partes significant corporis humani.

Pro quo præmittenda necessario veniunt verba D. Hieronymi, ita fantis: vbicunque Sacra Scriptura per libros divinos sparsim in Deo humana membra describit, idest caput, capillos oculos, palpebras, aures, nares, os, labia, linguam, cor, vterum, manum dexteram, & sinistram, digitos, brachium, scapulas, posteriora, pedes, & his similia: non carnaliter iuxta historiam à rectè intelligentibus sumenda sunt, sicut à Iudæis, & plerisque Hæreticis carnaliter sapientibus, qui Deum corporeum atque localem opinantur; sed spiritualiter omnia de eo intelligenda, & contuenda sunt. Si quis enim, Deo humana membra more humano inesse credit, proculdubio, in corde suo idola fabricat, &c.

Suffragatur Augustinus explicans illa verba Levit. 26. *Et non abominabitur anima mea vos.* Animam suam Deus, voluntatem suam dicit. Non enim est animal habens corpus, & animam; neque substantia eiusmodi est, cuiusmodi creatura eius, quæ anima dicitur quam fecit. Sicut ergo cum dixit oculos suos, labia sua, &c. Vocabulo membrorum corporalium, non vtique accipimus, cum forma corporis esse definitum: sed illa omnia, membrorum nomina non intelligimus, nisi effectus rationum atque virtutum. Illa quippè simplex natura quę Deus dicitur non constat ex corpore, & anima, sed spiritus est Deus, &c.

Triplex ergo error potest esse de Deo (inquit Augustinus lib. 1. de Trin. cap. 1.) Primo ea aliqui quæ de corporalibus rebus per sensus corporeos experta, sive quæ natura humani ingenij, vel artis adiutorio perceperunt, ad res incorporeas, & spirituales transferre conantur: vt ex his, illa metiri, atque opinari vellint. Secundo alij, qui secundum animæ humanæ naturam, vel effectum de Deo sentiunt, si aliquid sentiunt, vel sapiunt, & ex hoc errore cum de Deo disputant, distortas, & fallaces regulas fingunt. Tertio alij, qui creaturam mutabilem transcendunt, vt

vt ad immutabilem substantiam, quæ Deus est erigunt intentionem: sed mortalitatis onere prægravati, dum de Deo aliquid scire volunt intelligentiæ sibi vires præcludunt.

Vitandi sunt ergo hi tres errores. Et licet primi errent, existimando ipsum esse candidum, vel rubicundum; sed tamen hæc inveniuntur in corpore. Secundi etiam, qui existimant Deum recordari, vel oblivisci, errant, sed hæc reperiuntur in nostro animo. Peius errant tertij, putantes Deum se ipsum generasse, cum nulla res possit se ipsam generare. Ergo Ex D. Gregor. lib. 32. mor. cap. 6. Deus, vt ad sua nos trahat vsque ad nostra se humiliat; atque vt alta insinuet, humilibus condescendit. Vnde fit vt per scripturam aliquando à corporibus hominum, aliquando ab avibus; aliquando etiam ab insensatis rebus, quasdam longè disimiles in se similitudines trahat: ex quibus, quasi gradatim, ad divina noster intellectus velut nutritus assurgat.

Concinit Origenes dicens: simplex est illa substantia, neque membris vllis composita; sed quod divina virtute geritur, hoc vt homines possent intelligere, aut humanorum membrorum appellatione profertur, aut communibus, & notis annuntiatur affectibus. His ergo ita præsupositis, veniamus iam, quo posit fieri ordine, quæ nostrorum corporum conditiones, & partes Deo attribuuntur explicare, quæ sub diversis §§. melius præstabitur.

§. I.

De capite, capillis, & oculis.

CVm ergo iam in particulari de his nominibus nobis proloquendũ veniat, prius Augustinum lib. 1. in Genes. contra Manichæos audiamus, ita differentem: Istam maximè quæstionem solent Manichæi loquaciter agitare, & insultare nobis, quod hominem credamus factum ad imaginem & similitudinem Dei: Attendunt enim, ad figuram corporis nostri, & infeliciter quærunt; vtrum Deus habeat nares, dentes, & barbam, & membra interiora, & cætera, quæ in nobis sunt necessaria? In Deo autem talia, ridiculum est, imò, & impium, credere, & c. cum tamen in vtroque testamento, talia Deo attributa reperiantur. Sed omnes (concludit) qui spiritualiter intelligunt scripturas, non membra corporea per ista nomina; sed spirituales potentias accipere didicerunt.

Caput ergo, quod dignissimum est corporis membrum, reliquorumque Princeps, cum Deo attribuitur, ipsam essentiam divinitatis eius; quæ omnia præcedit, & cui omnia sunt subiecta intelligere debemus. Vnde Apostolus 1. Cor. 11. *Caput Christi Deus.* Iam quia capilli capiti inhærent, & Sancti Deo, iuxta illud Psal. 72. *Mihi autem adhærere Deo bonum est*; per capillos qui in summitate capitis sunt, vel Dei consilia, & cogitationes. Isai. 55. *Sicut exaltantur Cæli à terra, ita cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Vel Angelos, vel vniversos electos accipere opportet. De quo Danielis 7. *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, & capilli capitis eius quasi lana munda.* Per capillos eius, Angeli, vel electi dealbati sanguine agni, intelligendi sunt. Vel ideò capilli eius, lanæ mundæ comparantur, vt per hoc antiquus dierum esse credatur.

Sed non sine allusione, nomen capitis Deo attributum esse, vt intelligamus, sciendum: quod in sacris litteris, caput Hebraice dicitur *Ros*, & quia est summũ, & præcipuũ membrũ, significat in Sacra Scriptura summas, & præcipuas res, & præcipuum cuiusvis rei. Vnde adiective sumptum signat *Koen, ros ha*, Sacerdos capitis, idest summus Sacerdos: indicat etiam primatem, cuius consilio reliqui reguntur, Amos 6. *Væ qui opulenti estis, optimates capita populorum.* Et alia, quæ Deo, quia primus, supremus, & omnium rector, optimè aptantur. Plurima alia, apud phrases Villavincentij videantur.

Iam oculos lustremus, qui sæpissimè Deo in scriptura attribuuntur. *Oculi Domini*

mini super iustos, &c. Sunt autem pars corporis præstantissima, in quibus (teste B. Alberto Magno) maxima amoris, vel odij signa conspiciuntur. Et vt Tulius: oculi tanquam speculatores altissimum locum obtinent, vnde conspicientes illorum munere plura funguntur. Videatur Plato in Thimæo. Claudi lumina, vel oculos, est morii & oculus est sedes amoris, quia per illum tanquam per fenestras, animus imagines concipiat, & interius admittat, quibus perculsus oritur rei visæ desiderium. Et D. Basil. Isai. 1. per visum evidentissimam cognitionem percipi dicit. Et D. Hieronymus, Ierem. 19. magis enim mente retinetur, quod visu quam quod auditu ad animum pervenit. An autem visio fiat emisso in res ab oculo radio, an ab ipsis rebus ad oculum recepto per species? non est præsentis loci examinare, sed secundum communius.

In Sacra autem Scriptura, oculus Hebraicè dicitur *Ayn*, idest fons, quia fons est quasi terræ oculus; nam sicut ex fonte aqua, ita ex oculo lachrimæ profluunt, & per oculum, facies sumitur. Isai. 5. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris*, Hebraicè, coram facie prudentes. Et Iob 16. *Facies mea intumuit afletu;* idest oculi. Significant etiã ductorem, vt Numer. 10. de Moyse. *Eris ductor noster*, Hebraicè hecnaim, idest, eris nobis vice oculorum: sicut oculi docent viam, ita tu doceas nos viam bonam. Quid autem sibi vellint illa verba Genes. 20. Abimelech ad Saram: *Hoc erit tibi in velamento oculorum tuorum*? Videatur M. S. Thoma 2. 2. in quæstione 1. expositiva.

§. II.

Pupilla, palpebræ, & aures.

IN oculo datur pupilla, pars illius speciosior, imo & centrum, in quod omnes tendunt, & recipiuntur species rerum visibilium. In Sacra Scriptura, pupilla, nomen accipit ab imagine quam reddit; Hebraicè *Ison* eo quod aspiciatur in illa, imago seu figura rerum. Varij & diversi coloris sunt pupillæ oculorum. De quo Plinius lib. 11. cap. 37. Signum magni amoris est velle aliquem, vt pupillam oculorum. Hinc David Psalm. 16. *Custodi me vt pupillam oculi tui.* & Deuter. 32. *Custodivit illum vt pupillam oculi sui.* & Zachar. 2. *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.*

Igitur ex Hieronymo: oculos dicitur habere Deus, ex eo quod omnia videt, & nihil eum latet. *In cuius conspectu* (ait Apostolus Hebr. 4.) *nulla creatura invisibilis est. Omnia enim nuda, & aperta sunt in conspectu eius.* Augustinus, & Damascenus. Oculos ergo Dei virtutem ipsius omnia inspectricem, & quod nihil eius cognitionem effugiat intelligimus; eo quod nobis per hunc sensum, perfectior cognitio, certiorque innascatur. Vel intelligitur vis qua omnia intelligit, atque percipit. Denique oculi respectu gratiæ illius intelliguntur, vt est illud Psal. *Præceptum Domini illuminans oculos.*

Palpebræ, sunt tegumenta, vel pelliculæ terminatæ pillis, quibus custoditur, & clauditur oculus. Ita Cicero dicens, esse tegumentum oculorum. Sic autem dictæ putantur à palpitando, vel tæmendo, vel à palpando. Ob id enim, natura homini palpebras concessit, vt vallum quoddam visus essent, & præeminens monimentum contra quælibet occurrentia. Et ex Plinio, sunt partes membranosæ, pilis ornatæ, supra, infraq; oculos ambientes, & claudentes. Cilla autem dicũtur genarum extremitates, quibus pilli adhærent, alia in Cicerone.

In Sacra autem Scriptura Hebraice vocantur *Aphaphaim*, designat enim hæc vox, pupillam oculi, & inde fulgorem, & claritatem, & sic dicuntur à vibratione, & motu: quia *VPS*, volare, & celerem agitationem, quasi alarum remigio, & volatu designat. Sic etiam palpebræ, pupillam ipsam significant, Psal. 10. *Oculi eius in pauperem respiciunt, palpebræ eius interrogant filios hominum;* palpebræ, idest pupillæ. Sed optimè Cayetanus, Metaphoricus est sermo ad similitu-

tudinem hominis claudentis oculos, vt experiatur, quid se non vidente, alij faciant: vt Deus se habeat tanquam habens oculos clausos ad experimento probandum homines, & explicat filios Adæ, qui sic probatur à Deo, esse iustos vel impios.

D.Gregor. lib.14.mor.cap.22.ait: oculos Dei, & palpebras, & visum, virtutem ipsius omnia inspectricem, & quod nil eius cognitionem effugiat intelligimus; eo quod nobis per hunc sensum, perfectior cognitio certiorque innascitur. Significant etiam, occulta sive incomprehensibilia Dei iudicia, sive spiritualem in divinis libris locutionem de quibus oculis, & incomprehensibilibus Sacramentis, atque iudicijs in Psal.10.legitur, *palpebræ eius, interrogant filios hominum*, idest probant. Vide phrases Villavincentij.

Auris si propriè accipiatur, significat ipsum audiendi sensum, organum, vel instrumentum; auricula verò, partem illius exterius apparentem, quasi sit aurium custodia. Est ergo auris, pars illa capitis qua vocem accipimus & haurimus, & derivatur ab hauriendo aspiratione detracta; eo quod vocem accipiat & quasi hauriat, & Aristoteles lib.1. de historia animalium dicit; aures hominum, tantum immobiles, (licet contrariũ viderim) & aures mediocres notam optimorum morum habere, aures autem magnas & arrictas, stultitiæ indices esse; sed vt vulgo dicitur, sæpè falluntur vel mentiuntur signa.

Hebraicè autem auris dicitur *Ozen*, vnde deducitur verbum *Izen*, quod significat duo, scilicet auscultata, sivè audiendo perpendere, & investigare: & etiã librare seu ponderare. Et vox Hebraica *Mosnaijm*, deducta ab *Ozen*, significat stateram; est enim media trutina rationis & iudicij inter aures, eo quod in capite ratio residet, principaliter propter internos sensus, ratione & iudicio ministrantes: duæ autem aures, homini sunt concessæ, non tam vt multum audiendum sit, quam quæ audiuntur mentis iudicio expendenda sint. Et non omnes qui aures habent, audiunt. Vnde Christus conclamat Matth. 21. *Qui habet aures audiendi audiat*. Vt enim expendit Hieronym. Ioel.1. Auditus enim ex Sacris Scripturis, non est iste qui in auribus resonat; sed qui corde percipitur. Vt sciamus, sacratiorem esse auditum, quam id quod in auribus sonat. Et Iob 12. *Nonne auris dijudicat, & fauces comedentis saporem?*

Aures autem aggravare, in sacris litteris indicat eum, qui pro malitia, & obstinatione, obedire renuit. Aggravari enim vel ingravari, ille dicitur, qui magno pondere tenetur ne opus suum exequatur. Sic 2.Reg.3. *Et pedes tui non sunt compedibus aggravati*. Insuper, aures dicuntur aggravari, quia ipsum cor aggravatur, & in proposito malo, pertinaciter adhæret. Ita 1.Reg.6. *Quare aggravatis corda vestra, sicut aggravavit Ægyptus & Pharao cor suum*. Et etiam in Scriptura, auditus, sivè auditio, sumitur pro re audita Abach. 3. *Domine, audivi auditionem tuam, & timui*, idest audivi verbum tuum, quod locutus est. Et alibi sæpè.

Aures autem, Deo adaptantur vt significent, ex Damasceno, virtutem eius propitiatricem, & nostræ præcationis susceptricem. Nos etenim his qui supplicationes porrigunt, per hunc sensum mites sumus, familiarius eis aures inclinantes. Vel etiam dicitur aures habere, quia omnia audit, nihil eum sub silentio latet, de quo in libro Sapientiæ dicitur cap.1. *Auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur.*

§. III.

Nares, & os.

AD nares deveniamus, quæ sunt quædam spiracula per quæ aerem atrahimus & odoramus. Et vt per illas magnam spirituum copiam inspirãtes & expirantes, cordi calido & æstuanti subvenire commode possimus. Vndè Genes.2. *Inspiravit in faciem eius spiraculum* vi-

vitæ, idest, *halitum vitæ*. Et sic vita in Hebræo in duali dicitur numero, quasi anima correspondeat duobus nasi foraminibus, quorum vtrumque reciprocatur. Apud Latinos ex nasi magnitudine subsanatorium hominis ingenium colligitur. Apud Hebræos autem ingenium mite, & quod non facile exæstuit, & irascatur. Sed apud festum, sagacitatem designat, eo quod vniuscuiusque rei odoré statim exploret, & prius sentiat, quam oculi inspiciant. Nasus autem brevis iracundum designat. Vndè: *Cavete ad homine, cuius spiritus est in naribus eius.* Isai. 2.

In Sacra Scriptura, nasus dicitur *Aph*, quæ vox significat irã, & furoré, & etiã sumitur pro nasi sufflatione quæ in ira fit, idest ira, & Græce *timos*, idest animi concitati impetus; dicitur auté *Aph*, eo quod in naso iræ signum appareat. Semel tantum Sacra Scriptura (ni fallor) nares Deo attribuit, scilicet 2. Reg. 22. *Ascendes fumus de naribus eius* (odoratus sæpè) & significant Dei inspirationem in corda fidelium, vel lachrimosam conpunctionem pænitentium de inspiratione Dei; odoratus verò, vim acceptabilem nostræ erga Deum intelligentiæ, & benevolentiæ. Quia per hunc sensum, in nobis gignitur boni odoris susceptio. Vel significant perscrutationem illam, qua Deus corda hominum odoratur. Indicãt etiam aliquid Deo placere vt de sacrificio Noe; odoratus est Dominus, idest valde illi placuit sacrificium oblatum.

Os audiamus, quid nobis loquatur. Sæpè enim Deo attribuitur. Os Domini locutum est. Est autem os, concavum illud intra quod, lingua, & dentes recluduntur, & cui labia insunt vt ostia. Variè in Sacra Scriptura vsurpatur. Aliquando, pro lingua, Genes. 25. *Quod os meum loquitur ad vos*, idest lingua. Aliquando pro maledicto vt Iob. 16. *Aperuerunt super me ora sua.* Alibi mandatum; vt Iob. 22. *Suscepit ex ore ipsius legem.* Iterum, testimonium Proverb. 19. *Os impiorum, demonstravit iniquitatẽ.* Sæpè vaticinium, 2. Paralip. 18. *In ore omnium Prophetarũ eius.* Designat etiam voluntatem, vt Genes. 24. *Vocemus puellam, & quæramus voluntatem eius.* Hebraice, *quæramus os illius.*

Significat etiam imperare, vt Psal. 148. *Ipse dixit, & facta sunt, &c.* Et Matt. 4. *Dic vt lapides isti panes fiant.* Transfertur etiam ad designãdam stragem hominum, vt Num. 21. *A quo percussus est in ore gladij.* Hic enim non accipitur os gladij, pro acie gladij acuti; sed pro maxima strage, & occisione. Licet aliquando accipiatur pro ipsa acie gladij, vt gladius ex vtraque parte acutus, idest gemini oris. Hebreo. 4. *Penetrabilior omni gladio ancipiti.* Ponere manum super os, dicit hominem tacentem. Eccles. 5. *Aut pone manum tuam super os tuum.* Et aperire os, indicat orationem de rebus magnis. Psal. 77. *Aperiam in parabolis os meum*; idest insignes sententias. Significat etiam os aperire, confidentiam loquẽdi sic Eliu. cap. 33. Iob. *Ecce aperui os meum.* Denique demonstrat locutionem, consilio, & meditatione factam. Proverb. 9. *Aperientur labia mea vt recta prædicem.* Et alibi.

Os autem in Deo, & loquellam, & vim demonstratricem voluntatis eius, significat: eo quod per os & locutionem, in aperto facimus locutiones cordis. Vel os significat Filium Dei Patris, idest Christũ Dominum, de quo Ieremias, ex persona populi est affatus: *Quia os eius ad iracundiam provocavimus.* Vel os Dei sermo eius. De quo Isai. 1. *Os Domini locutum est*; idest Verbum Filius Dei Patris, per quem omnia facta sunt. Et in Psal. *Verbo Domini Cœli firmati sunt, & misit Verbum suum, & sanavit eos.* Et Ioan. 1. *In principio erat Verbum.*

§. IV.

Labia, & lingua.

Labia sunt opercula, vel oris extremitates, quibus vallatur, & ad dentium deformitatem tegendam data: & deserviunt ad sumendum, vel retinendum

cibum, vel potum, & ad formanda verba. Significant aliquãdo circulum. Exod. 25. *Faciesque illi labium aureum.* Et etiam loquellam, & idioma, Genes. 11. *Erat terra labij vnius.* Et etiam eloquentiam. Iob 12. *Commutas labium veracium.* Etiam designat ipsum os. Deuteron. 23. *Egressum est de labijs tuis.* Iob 1. *Non peccavit Iob labijs suis.* Vocantur ostium. Psal. 140. *Et ostium circumstantiæ labijs meis;* quia aperiuntur, & clauduntur more ostij: & quia labia, sunt oris extremitates, cuiuslibet rei finis, limbus, & margo, ita dicũtur, vt os maris, vel fluminis, idest littora maris, vel fluminum.

In scriptura labium pollutum est, quod loquitur placens carni suæ, vt Isai. 6. labium verò purgatum, & electũ, quod ad Dei laudes celebrandas idoneum, labium incircumcisum, quod minus ad loquendum, vt Exod. 4. de Moyse. Labia dolosa fictum cor, quia aliud loquitur os quam homo sentit corde. Psal. 119. Labia venenata, lingua quæ incensa est ad famam vrendam. Proverb. 25. Labium veritatis veritas est, sicut è contra labia mendacij, significant hypocrisim, cap. 10. Proverb. Labia ergo in Deo mystice indicant vtriusque testamenti consonantiam. De quibus Proverb. 16. *Divinatio in labijs Regis, in iudicio non erravit os eius.* Et etiam prædicatores, vt Cant. 4. *Labia tua sicut vita coccinea.*

Lingua de qua dixit Iacobus cap. 3. *Et lingua ignis est, vniversitas iniquitatis.* Linguam autem, nullus hominum domare potest. In ipsa benedicimus Deum, & maledicimus hominẽ. Hac ergo de causa, intra os concluditur deserviens pro vocibus formandis, & pro saporibus dignoscẽdis. Experientia constat, quod nullus ex animalibus, ita humanas articulatius profert voces quam psithacus, & hoc quia latam habet linguam. Quam avem, quidam putant inter alias cicuratas, ab Psaphon homine perditissimo, docuisse canere, Magnus Deus Psaphon: & ipso mortuo, solutæ per varias hoc delirium divulgavere nationes.

Significat in scriptura aliquando flammam. Isai. 5. *Sicut devorat stipulam lingua ignis.* Etiam aptitudinem ad docendum. Isai. 5. *Lingua autem sapientum sanitas.* Item lingua est doctrina recta, vel prava, vt Proverb. 5. *Lingua prauorum peribit.* Etiam loquelam, vt Actuum 2. *Loquebantur varijs linguis.* Item lingua percutere, est calũniari, accusare vt quis moriatur. Ierem. 18. aliquando ipsum verbum significat, Psal. 38. *Vt non delinquam in lingua mea.* Lingua pro verbo suavi, Proverb. 25. *Lingua mollis confringit duritiam.* Transfertur etiam, ad significandam terram iuxta mare. Isai. 15. *Et lingua eius, quæ respicit ad meridiem.* Etiam nationem. Vt desolavit Dominus linguam maris Ægypti. Et Roman. 15. *Omnis lingua confitebitur Domino.* Mystice verò, designat Spiritum Sanctum, per quem Deus Pater, secretum suum manifestavit hominibus, vnde Psal. 44. *Lingua mea calamus scribæ, &c.* In cuius primo Paschatis die, hæc scripta fuere.

§. V.

Facies, & humeri.

FAcies quæ in homine pars anterior est capitis, in qua sunt omnes sensus, & in qua homo maximè innotescit, & discernitur ab alijs. Aliqua differentia inter ipsam, vultumque versatur, quia vultus, voluntatis indiciũ est, eo quod motus animi in facie conspiciantur. Sed frequẽter pro eodem vsurpantur. Tertulianus autem, aptissimè faciem, omnium intentionum speculum proclamat lib. de resurrect. carn. & Hebraicè facies, *panim* vocatur, quia huc vel illuc respiciat, quia pana est aspicere, & respicere. Facies etiã vocatur omne quod externe apparet, & splendorem habet in manifesto, & contrarium in abscondito: vt 1. Reg. 16. *Ne respicias in vultum eius, & illud nolite iudicare secundum faciem.* Dicitur etiã facies superficies terræ, 1. Reg. 14. *In qua erat mel super faciem agri.*

Facies præsentiã Dei aliquando designat. Psal. 9. *Peribunt à facie tua.* Facies

Dei

Dei sæpè gratiam, & benevolentiam Dei, vt *oculi Domini super iustos.* Requirere faciem Domini, est eius auxilium petere, *faciem tuam Domine requiram.* Psal. 26. facies etiam significat suscipere, aut non suscipere. Genes. 19. *Etiam in hoc suscepi preces tuas.* Et cap. 32. *Forsan suscipiet faciem meam.* Idest propitiabitur. Significat etiam facies, conscientiam, vel cor, Psal. 26. *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea.* Facies peccatorum sumere, est coercere alios, & ipsi impunite peccare. Psal. 81. *Vsquoque iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis.*

Aliquando facies sumitur in malum pro ira, Psal. 33. *Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat.* Et Threno. 4. *Facies Domini divisit eos.* Faciem abscondere, cum auxilium avertit Deus, vel homines excæcat, vt non cognoscant, neque inveniant ipsum. Sicut è contrario: *Ostende faciem tuam, & salvi erimus.* Item abscondit Deus faciem, cũ non exaudit orationes nostras. Facie ad faciem Deum videre, dicit, certissimam, atq; manifestam cognitionem Dei. Deuter. 5. *Facie ad faciem locutus est nobis,* vel revelationem, vel signa, vt negari non possit quin re vera Deus fuerit. Ita Iacob Genes. 33.

Ponere faciem ad aliquid, est animum ad aliquid agendũ obfirmare. Sic Luc. 9. Christus: *Et ipse faciem suam firmavit, vt iret in Hierusalem.* Significat etiam, mutuam inter præsentes actionem Exod. 33. *Loquebatur autem Moyses ad Dominum, facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicũ suum.* In scripturis etiam facies Dei, non caro; sed divina cognitio intelligitur. Iuxta illud, Psal. 79. *Ostende nobis faciem tuam.* Idest, da nobis cognitionem, & intelligentiam tui, & facies Dei, est vis, vel cognitio, qua se manifestat, atque dignoscitur. Vel cognitio veritatis, vel divinitatis. Ostende nobis Domine faciem tuam; quæ cognitio, fit per Christum: *Nemo novit Patrem, nisi Filius,* & cui voluerit revelare. Facies etiã Dei, invisibilem eius essentiam significat, *posteriora mea videbis; faciem autem meam videre non poteris.* Exod. 33. Posteriora autem Dei videre, est cum aliquibus in aliqua forma, specie, vel imagine apparet. Genes. 16. *Vidi posteriora*, hoc est, non faciem videntis me. Denique facies Dei sui manifestationem, & apparitionem per opera eius dicit; eo quod nostra ipsorum manifestatio per faciem fit.

Humerus est, pars illa corporis à qua brachia dependent, quæ ab aliquibus vocatur, armus, quasi ab illa parte, arma dependeat. Et est pars illa sublimior, in qua cervix desinit, & est apta ad portandã onera. Hebraice dicitur, *Cetepb.* Isai. 11. 14. *Et volabit in humeros Phylistim per mare.* Vbi Forerius. Velocitatem prædicantium significat. Insuper, & subiectionem credentium, & apponit similitudinem. Cum enim leo, aut alia fera truculenta, in bovis, aut alterius animalis scapulas insilit, sine mora ipsum descipit. Sic Apostoli, & Prædicatores in terga Palestinorum, veluti aves involarẽt, & subijcerent omnes populos. Quæ victoria, debebat esse per verbum Dei, & prædicationem Evangelicam, qua audita, statim manus dederunt.

§. VI.

Brachium.

Brachium, sæpè totum membrum cum manu comprehendit, at aliquando ab humero vsque ad cubitum, quæ pars superior armus dicitur; à cubitu verò, vsque ad vertebram manus, lacertus nuncupatur. Est ergo pars humani corporis, coniuncta humeris, in cuius extremo est manus, quo instrumento, opera & labores exercemus. Et in scriptura Hebraicè dicitur *Zeroa*, ab aspergendo, & ventilando, & si eius radix assignetur *Zara*, dicit seminare & serere.

Brachium, significat fortitudinem. Ierem. 28. *Et præcidam brachium tuum.* Etiam sumitur pro viribus, Ierem. 27. *In brachio meo extenso.* Auxilium (de Christo) Isai. 51. *Induere fortitudinem brachium Domini.* & cap. 44. *Et brachium*

chium eius dominabitur. Pro vi, opibus, & maiestate, Iob 40. *Si habes brachium vt Deus*. & Isaì. 53. *Et brachium Domini cui revelatum est*. Designat etiam, omne illud cui innitimur. Psalm. 43. *Brachium eorum non salvabit*, idest carnalis potentia; sed dextera tua. In brachio extenso vel excelso redimere. Psalm. 77. dicit insignem potestatem Dei, qua populum redemit de Ægypto. Brachia denudare, est expeditum esse. Ezech. 4. *Et brachium tuum denudabis*.

Brachium, vel brachia Dei Patris, Filius, & Spiritus Sanctus intelliguntur iuxta illud Isaì. 51. *Et brachia mea, populos iudicabunt*. Brachium Dei Patris singulariter Filius Dei accipitur. Deuter. 5. *Et nunc Domine Deus qui eduxisti populum tuum de terra Ægypti, in manu forti, & brachio extento*; ideo autem dicitur Filius Dei brachium, quia creatura ab ipso electa, nemo rapiet de manu illius, Ioan. 10. Brachium dexterum Dei, vnigenitus Filius accipitur, de quo Psalm. 117. *Dextera Domini fecit virtutem*. Aliter dextera gloriā Patris ęternā designat, Ps. 109. *Sede à dextris meis*, dicitur etiā dextera Dei, omnis creatura electa, in Coelo & in terra, sicut per sinistram intelligitur omnis reprobus vt in die iudicij.

Manus est in hominis extrema brachij parte, constans quinque digitis, & palma, sivè vola, & est instrumentum, ad omnia quæ homo operatur. Hebraicè dicitur *Iad*, & reduci potest ad verbum *Iada*, quod est proijcere manus, & ad extensionem quidā referūt, sicut Latini deducunt ab emanando: cum autem manus, variæ sint cōditiones & officia, ad varia & multa significanda transfertur.

Primo esse in potestate alicuius. Genes. 16. *In manu tua est*. & Ioan. 10. *Nemo rapiet de manu mea*. Et pro iussione, vel verbo præcipiente 2. Reg. 14. *Nunquid manus Ioab tecum est in omnibus istis!* idest, præcipit tibi. Et Iosue 17. *Dominus præcepit per manum Moysis*. & Esdræ 3. *Per manus David Regis*. Manus pro quolibet opere & functione, vt Isaì. 1. *Vestra holocausta nolo, quia manus vestræ plenæ sunt sanguine*. & Paul. 1. Thesal. 4. *Vt quilibet manu sua laboret*, idest, attendat suam obligationem. Aliquando potestatem vt Psalm. 30. *In manibus tuis sortes meæ*. & Genes. 49. ad Iudam: *Manus tuæ in cervicibus inimicorum*. Item pro tutela Isaì. 20. *In manu Domini*. Pro operatione bona. Psalm. 76. *Deum exquisivi manibus meis*. & etiam pro mala. Malach. 1. *Vestra manus fecit hæc*. & Psalm. 134. *Adoraverunt opera manuum suarum*.

Pro favore Dei 1. Esdræ. 7. Item incipere aliquid. Prover. vlt. *Manum suam misit ad fortia*. & Actuum 13. *Herodes misit manus vt affligeret*. Levare manus, est orare. Psalm. 27. *Dum extollo manus meas*. Item gratulare Nehem. 8. *Et respōdit populus amen elevans manus suas*. Item auxiliare Ezech. 20. *Et levavi manum meam pro stirpe Iacob*. Pro virtute & fortitudine. Num. 11. *Nunquid manus Domini invalida*. & Luc. 1. *Manus Domini erat cum illo*. Aliquando vocare Isaì. 49. *Ecce levo ad gentes manum meā*. Pro vindicta & plaga. Psalm. 9. *Tradas eos in manus tuas*. & Psalm. 20. *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis*. & Psalm. 37. *Leva manus tuas in superbias eorum*. Manus extenta, ira Dei parata ad puniendum Isaì. 31. *Dominus extendit manum suam, & simul omnes impij deficient*. & alibi sæpè.

Manum levare inter Iudæos, sumitur pro iurare. Genes. 14. *Levo manum meā ad Dominum*. Manibus plaudere, est exultantis. Psalm. 46. *Omnes gentes plaudite manibus*. Aprehendere alterius manum, tristitiæ est signum. Zachar. 14. *Et aprehendit vir, manum proximi sui*. Manum ponere super os, est obmutescere. Mat. 22. de nō habēte veste nuptiali. & Micheæ. 7. *Ponent manum super os*. Manus pro prophetia. *Manus Domini tetigit me*. In manu servorum suorum idest in ministerio. Est comune omnibus Prophetis. Manum ad hærere ori, est superstitiosum. Vt Iob 13. *Si osculatus sum manū meam*. Manus imponere, est offerre vel commendare aliquid Deo. Genes. 48. Iacob si-

filijs Ioseph. Peccare in manu excelsa, est totis viribus vel per contemptum peccare. Numer. 15.

In Deo autem manus Dei Patris, Filius eius accipitur; eo quod per ipsum omnia facta sunt. Isai. 66. *Omnia hæc manus mea fecit.* Aliter verò manus Dei, potestas eius intelligitur, de qua Ierem. 18. *Sicut lutum in manu figuli, ita & vos in manu mea domus Israel.* Manus Dei efficacem virtutem operationis eius. Nam nos vtilia, & maximè pretiosa manuum ministerio dirigimus. Et Deus manus habere describitur, quia cuncta operatur. Vel virtus & vis qua operatur.

§. VII.

Dextera, & sinistra, & digiti.

IAm manum dexteram, vel sinistram attendamus, quarum significatio, pene ex brachiorum, & manuum declaratione, dependet. Brebiter. In Scriptura sedere à dextris, est primam sedem & potestatem obtinere, vt Matth. 12. de filijs Zebedæi. Et Christus sedet ad dexteram Patris. Et Psalm. 105. *Sede à dextris meis.* esto rex. Dextera vita æterna. Cant. 8. *Et dextera illius amplexabitur me.* Sinistra, damnatio Matth. 25. Reprobis. Vel vita præsens. Matth. 6. *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Idest non hominum gloriam; sed vni Deo velle placere. Dextera iniquitatis, doctrina falsa. Psalm. 143. *Quorum os locutum est vanitatem; & dextera eorum, &c.* Tentatio duplex alia à dextris, ex abundantia, alia à sinistris ex afflictione. Psalm. 90. *Et decem millia à dextris tuis.* Et sæpè in Iob. Dextera Dei auxilium in prosperis, eo quod nos magis in optabilibus, & pretiosioribus, & plurima virtute indigentibus, dextera vtitur.

Digiti, sunt partes manus, quibus simul cum ipsa res capimus, stringimus, & operamur. Sunt vt in plurimum quinque in hominibus, raro sex vt 2. Reg. 21. avibus ex Aristotele lib. 4. cap. 12. quatuor in sunt. Hebraicè dicitur *Esba*, à colorando, sivè tingendo; eo quod digito tingimus, & operamur: accipitur ergo in scriptura pro divina energia, vel virtute, Psalm. 8. *Opera digitorum tuorum.* & Exod. 8. *Digitus Dei est hic*: quo tabulæ legis scriptæ sunt, Exod. 31. Significat etiam Spiritum Sanctum cum enim Lucas cap. 11. dixisset: *Si in digito Dei eijcio dæmonia.* Matth. cap. 12. in spiritu Dei, protulit. Sicut autem digitus cum manu, vel brachio, vel brachium cum corpore, sunt in natura vnum, ita Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, tres quidem sunt in Personis, vna verò substantia divinitatis.

Sive autem ipse spiritus propter diversitatem donorum, de quibus 1. Corin. 12. in numero multitudinis dicantur digiti, sive ipsa dona, nihil refert. Digiti verò Dei pluraliter, Sancti intelliguntur Prophetæ, per quos Spiritus Sanctus, legis, ac Prophetarum libros, sua inspiratione describit. De quibus in Psalmo 8. dicitur: *Videbo Cælos tuos opera digitorum tuorum.* Per Cœlos enim libros legis, & Prophetarum: Per digitos, Sanctos Prophetas insinuavit. Denique brachium, manum, & digitum Dei, pro potentia, & virtute Dei, frequens est in Sacra Scriptura, Exod. 4. *Digitus Dei est hic.* Et est elegans Synedoche, qua Hebræi virtutem Dei amplificant, quasi dicerent: tam potens est Deus, vt solo digito omnium potentium huius mundi potentiam facilè superet, de quo 3. Reg. 12.

§. VIII.

Dorsum, & venter.

DOrsum, quod & aliàs tergum, est tota corporis pars posterior, quæ incipit à collo vsque ad os sacrum, & est commune hominibus, & cæteris animantibus. Solet in illo esse giber, & significat eum qui reijcitur à sacris, & peccatorum sarcina gravatus est, nec tamen illa intelligat, vtpotè qui non videat. Et dicitur in Hebræo, *Gab*, eo quod emineat, & excelsum sit, hinc giben, dicitur gibosus,

sus, quod eius altitudo, propter curvitatem sit depressa. Scapulæ sunt partes dorsi, & propriè sunt duo ossa in posteriori corporis parte figura triquetra externa parte tumescente. Tergum, à terendo dicitur, quoniam vehendis oneribus teritur.

Significat autem dorsum, fugare, & ita propulsare hostem, vt tergum illius appareat, Psal. 17. *Inimicos meos dedisti mihi dorsum.* Et Psal. 20. *Pones eos dorsum.* Et quia cum hominum tergis, & iumentorum onera imponuntur, dorsum ad id videtur accomodatum, non inepte ad labores, & molestias ferendas transfertur, vnde Psal. 128. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Et alij araverũt arantes, ac si diceret: posuerunt me curvatum. Dorsum incurvare, est deprimi opinione, vel conscientia. Psal. 68. *Dorsum eorum semper incurva*, non solum vt foris malis omnibus præmantur; sed nec vt Cœlum videant, nec ex fiducia Deum invocare possint.

Nec omittendum venit, quod quidquid in vna re eminet super alias, hoc solet nomine vocari. Vnde in Evangelio *gabata*, Syriaca voce; Græce verò *Litostrotos*, dicit suggestum eminens lapidibus stratum. Scapulæ autem, dorsi partes, etiam Deo attribuuntur, Psal. 90. *Scapulis suis obumbrabit tibi*, quia infirma membra Ecclesiæ, quasi in scapulis portat, & protegit. Posteriora Dei, Filij incarnatio. Exod. 32. *Posteriora mea videbis.*

Venter etiam Deo adaptatur, & continet illam corporis partem anteriorem à costis notis, vsque ad pubem: in qua continetur ventriculus, vel stomachus, cibi, & potus receptaculum, primæque decoctionis instrumentum. Hebraicè autem dicitur *Beten*, quia est in medio corporis, & per translationẽ locum medium significat. Et metaphoricè intimũ cuiuslibet rei, & cogitationem, & sic translatum est ad cogitationem humani cordis, quæ valde intima est. Inde Psalm. 63. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*, ac si dicat: quicquid potest homo scrutari, & investigare, totum hoc positum est in alto, & profundo, scilicet, in cogitationibus, & consilijs.

In Deo venter, origo secreta substantiæ eius intelligitur: vnde in Psal. 109. *Ex vtero ante luciferum genui te.* Vel significat incomprehẽsibilia iudicia eius, quæ scrutari nequeunt. De quo mystice Iob 38. *De cuius vtero egressa est glacies, & gelu de Cœlo quis genuit?* Fructus ventris in Sacra Scriptura, filios designat. Luc. 2. *Fructus ventris tui.* Et Psal. 131. *De fructu ventris tui*, sive fœminæ sint, sive viri. Ventris etiam nomine, viscera significantur, quæ in perturbationibus animi, commoveri solent, 3. Reg. 3. *Commota sunt quippè viscera eius.* Et sic accipe illud, Psalm. *Conturbatus est venter meus.* Et Psal. 21. *Factum est cor meum tanquam cera liquescens, in medio ventris mei.*

§. IX. *Cor.*

Cor in animalibus, est præcipua pars corporis animati, & diffinitur, quod sit primum sentiendi organum, est domicilium vitæ, sedes caloris, fons sanguinis vitalis, quod primum vivit, vltimumque moritur. Hebraice dicitur, *Labab*, sive *Seb*. Et aliqui putant verbum *Labab*, à corde deductum, idem esse, ac fieri cordatum. Et sic Iob 11. *Vir vanus in superbiam erigitur.* Aliqui, vir vanus, & vacuus, efficietur cordatus. Quia homo in principio nascitur inanis, & vacuus scientia; postea autem cordificatur, & prudens efficitur.

Et quia cor, inter omnes corporis partes, primatum tenet quantum ad vitæ inceptionem, & conservationem, & secundum antiquorum opinionem erat sedes mentis, & animi, hinc cor translatum est, vt significaret idem quod, mens, animus, affectus, propositum, cogitationes, intellectus, voluntas; vnde Matt. 15. dixit Christus: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, blasphemiæ, &c.* Hinc nomine cordis, vis tam agendi, quã discernendi, & omnis industria, intelligitur.

tur. Vnde Psal. 7. dicitur: *Deus scrutans corda, & renes*; quia voluptates per renes significatæ ex corde, ideſt, ex vanis opinionibus cõſequuntur. Hinc sapientia carnis inimica Deo. Rom. 8. quia voluptates Deo adversas quærit, & in illis delectatur: Deus autem dicitur ſcrutator, quia omnes illas percipit, & intelligit, quia spirituum ponderator eſt Dominus, & illos probat, & examinat.

Recti corde dicuntur, qui Deo firmiter adhærent, & vtraque fortuna æque ſunt compositi, & non nutantes. Pſal. 72. *Quam bonus Deus Iſrael, his qui recto ſunt corde*; vel qui eſt iuſtus, & animum paratum habet, vt medio virtutis conſiſtat, vel qui bonam habet conſcientiam. Cor obliquum, vel per arrogantiam, vel per calamitates deiectum; vnde Ecclef. *Cor obliquum non dirigitur*. Cor non eſſe rectum, eſt eſſe averſum à Deo. *Cor autem eorum, non erat rectum cum eo*. Pſal. 77. Mundi corde, illi qui cordis mũditiam, vel ſimplicitatem cuſtodiunt: aut qui non aliud corde, aliud foris, præſeferunt, ſed Dei gloriam tantum. De quibus Pſal. 14. *Quis aſcendet in montem Domini? Innocens manibus, & mundo corde*. Et ſic cor rectum, quod ſolum Dei gloriam, & proximi intendit commodum. Et corde contriti, qui peccatorum ſunt magno oppreſsi dolore. Pſal. 34. *Prope eſt Dominus confractis corde*. Et Pſal. 50. *Cor contritum, & humiliatum*.

Cor carneum per anthiteſim ad lapideum, in bonam partem, ſcilicet pro docili, & ſequaci, de quo 2. Cor. 2. Sed cor lapideum, ideſt protervũ, & contumax, & rebelle, vt Dei verbum recipiat, ſicut adamas. Cor vnum, quod non claudicat in alteram partem, Ezech. 11. *Et dabo eis cor vnum, cor novum*, vel qui vetuſtatem deponit, & novitatem meditatur. Cor, affectus, & concordia. Actu. 4. *Multitudinis credentium, erat cor vnum*. Cor pro medio, Exod. 19. *In cor tuum*. Sic cor maris, ideſt medium illius. *Transferentur montes in cor maris*. Pſal. 45. Fatui, cor in manu habent, quia non librant quæ loquuntur; ſecus prudentes. Eccleſ. 21. *In ore fatuorum cor illorum, & in corde ſapientium os illorum*. O bene.

Ad cor redire, eſt ad bonam mentem ſibi reſtitui, Iſai. 46. *Redite ad cor prævaricatores*. Cor erraſſe, ſignificat dolorem, vt cor à ſuo loco amoveatur, Iſai. 27. Corde carere, eſt prudentia eſſe deſtitutum. Ad cor, vel in cor ponere, eſt rem ponderare, vel perpendere, Iſai. 47. *Non poſuiſti ſuper cor tuum, nec recordatus eſt noviſsimi tui*.

Ad cor loqui, vel ſuper cor, eſt ſuavia, & dulcia loqui. Ruben ad Dinam. Geneſ. 34. Triſtem delinivit verbis. Iſai. 49. *Loquimini ad cor Hieruſalem*. Cor dilatari, eſt gaudere lætari. Iſai. 60. *Sicut contrahi eſt triſtari*. Convertere cor, eſt mutare ſententiam, vel iudicium in malum, Pſalm. 104. *Convertit cor eorum vt odirent populum eius*.

Et quia cor intus latet in Deo ſignificat illud arcanum ſapientiæ divinæ, ex quo Pater, verbum ideſt filium ſuum impaſsibiliter, ideſt, ſine initio genuit ipſo dicente: *Eructavit cor meum*. Pſalm. 44. Denique adnotat D. Hieronymus: in vno eodemque verſu, cor in malam, & in bonam accipi partem. Pſalm. 73. *Defecit cor meum & caro mea, Deus cordis mei, & pars mea Deus ſaecula*. Defecit cor, vtique mala cogitatione. Deus autem cordis, hoc eſt, Author boni intellectus, quia cum ſine eius gratia non habet!

§. X.

Sinus, & pedes.

Sinus etiam venit inſpiciendus, qui eſt concavum vel curvitas, ſita intra pectoris & brachiorum ſpatium, & differt à gremio, quia in illo complexu, mulieres concipere ſolent, ſicut de B. Virgine: *Tuo gremio contuliſti*. Et Hebraicè dicitur *Chex*. Partem ſcilicet certis limitibus comprehenſam. Et quia eſt hæc concava pars, transfertur vt ſignificet intimum rei, etiam affectum, & ſic dicitur Ioan. 1. *Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris*, ideſt intimus conſubſtantialis, caracter

ip-

ipsius. Et Ioan.13. *Vnus ex Discipulis recumbens in sinu quem diligebat Iesus.* Hinc indicat medium cuiuslibet rei. 3.Reg.22. *Fluebat autem sanguis plagæ in sinum currus*, idest vsque ad medium currus. Sinus etiam pro societate, & fide accipitur, Genes.16. *Ego dedi ancillam in sinum tuum.*

Quid autem sibi vellit illud Psalm.34. *Humiliabam in ieiunio animam meam: & oratio mea in sinu meo convertetur.* Quod autem dicit: orationem suam in sinum suum reversuram, explicat Cayetanus, quod licet oratio eius quantum ad sufficientiam esset pro omnibus; quātum tamen ad efficaciam, erat pro solo sinu ipsius, hoc est, pro electis, iuxta illud Ioan.17. *Ego pro eis rogo non pro mundo.* & infra. *Non pro eis tantum rogo; sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me.*

Ad pedes iam devolvamur, sunt etenim vltima, & infima hominis pars, stricteque accepti, continent convexam pedis quæ est pars superior, calcaneum, quæ est pars posterior, volam, quæ est pars medij cava pedis, & plantam, quæ est pars tota inferior, insuper digitos, & vngues. Hebraicè autem dicitur *Regel* à *Ragal*, quod est detrahere, accusare, eo quod detractores iugiter eant, & enarrent verba huius alteri, quasi dicat, pedes deferre. In Sacra Scriptura, pedes Dei, stabilimentum, & eius virtutem indicant, eo quod vbique præsens est, & vniversa ei subiecta sint. Isai.56. *Cælum mihi sedes est; terra autem scabellum pedum meorum.* Etiam Genes. cap. 30. v. 30. *Modicum habuisti antequam venirem ad te, & nunc dives effectus es, benedixitque tibi Deus ad introitum meum.* Hebraice, ad pedem meum, idest, ad introitum pedis mei, quia omnia percurrens lustrem, vel quia causa mei, vel propter me, dives effectus es.

Pes pro desiderio, & voluntate. Psal.25. *Pes meus stetit in rectitudine*, idest neminem læsi, nec malum volui. Et Psal.75. *Non veniat mihi pes superbiæ*, idest affectus, & cogitatio superbiæ. Pes lassus, Doctor vocatur, qui non vult cernere quæ sunt fidei. Proverb. 23. Claudicare vtroque pede, est instabiles esse, sermone, & opere, 3.Reg.18. Ad pedes sedere Dei, vel Christi, est humilitatem suam recognoscere, suppliciter invocare, voluntati propriæ, & carnis affectibus resignare. Sic Magdalena. Luc.10. Pedes, ac manus, pro stabilitate, vel actione: *Pes meus stetit in via recta.* Psal. 25. *Et statuit supra petram pedes meos.* Psal.41.

Pedes Dei, significant Filij Dei Incarnationem, quæ divinitati subiecta est, tanquam capiti pedes: sicut enim, per caput divinitas; ita per pedes, humanitas eius exprimitur. Vnde Exod. 24. *Viderunt Dominum, & sub pedibus eius, quasi lapis saphirus, & quasi Cælum cum serenum est.* Sicut autem, per lapidem saphirum, cœlestes naturas, vel Sanctos Angelos, ita per Cœlum serenum, Sanctam Ecclesiam electorum ex hominibus assumptam, figuraliter demonstrari voluit: super quas duas creaturas, homo assumptus filius Dei, in perpetuum regnat.

Vel etiam per Dei pedes, vel Iesu Christi, signati sunt sancti Prædicatores. De quibus Deuteron.33. *Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina eius.* Vel etiam pedes Dei, auxiliorū indigentiam, hostium vltionem, Adventum Dei in animam, de quo Bernardus serm.1. Adventus: quia in nobis, pedum beneficio hæc omnia perficiuntur. Vel etiam per Dei pedes, vis qua in omnia custodienda & gubernanda protendit, intelligitur.

CAPVT OCTAVVM.

De aliquibus de nominationibus Dei, ex partibus corporis illi attributis, consurgentibus.

Licet Deus omnipotens (ait Hieronymus) invisibilis sit, quia nemo Deum vidit vnquam, Ioan.1.cap.4. Quia spiritus est, & tales quærit adoratores. Ioann.4. Immensus sit, quia quantitas, vel eius qualitas à nullo metiri potest, 3.Reg. 8. *Si Cæli, & Cæli Cælorum te non capiunt.* Illocalis sit, quia de loco in locum

non

non transit, nec detinetur. Per Ierem.23. *Cœlum, & terram ego impleo.* Immensus fit, de quo Iob 11. *Excelsior Cælo est quid facies?* Immutabilis, Malach.3. *Ego Dominus, & non mutor.* Immortalis, 1. Timoth. 6. *Qui solus habet immortalitatem.* Cum hæc omnia ita se habeant, vt nostræ mentis imbecillitati se adaptaret, per res sensibiles, & corporum membra, se cognosci voluit, decrevitque. Ita, & denominationes ex illis rebus dimanantes subire voluit, vt melius ad eius cognitionem capiendam deveniremus, aliquas ergo in mediũ explicationis gratia adducere, conveniens visum est.

§. I.

Sedere, gressus, ascendere, & descendere.

QVia sedere, indicium præsefert maiestatis, inde initium sumimus. Sedere ergo, est regnare, vel administrare Regnum, & sic, sedere super Thronum, est Regem esse. Exod.11. à primogenito qui sedet in solio, qui vel iam erat inauguratus, vel debebat succedere: vel à summo vsque ad infimum. Sedere in Tribunali, iudicium agere Ioel.3. Isai.6. & Apocal. 20. Sedere & habitare confidenter suo arbitrio, quod Balaam de Israele: *Ecce populus per se sedebit*, idest suis legibus vsurum. Sedere in cinere, pœnitentiam agere, vel humiliari, Iob.2. *Sedebatque in medio cineris.* Sedere in Cathedra, est docere Matth. 23. *Super Cathedram Moysis sederunt.* Sedere in Cathedra pestilentiæ, malam doctrinam. Sedere seu assidere ad pedes, est Discipulorum, vt Paulus ad pedes Gamalielis Actu. 22. & Luc.7. de Magdalena, *vt audiret verbum Dei.* Sedere, est mansionem facere; vt Actu.2. *Seditque super singulos eorum Spiritus Sanctus.* Et Luc.24. dixit Christus Apostolis: *Vos autem sedete, in Civitate.*

Sedere etiam est consilium alicuius sequi. Exod.11. *Cunctus populus qui est sub pedibus tuis.* Sedere tanto tempore, est regnare, vt Iulius Cæsar, regnavit, vel sedit quinque annis. Et sedere ad dexterã, est præcipuum, & summum locum obtinere. Matth.7. Mater filiorum Zebedæi: *Dic vt sedeant vnus à dextris, & alius à sinistris*, idest, vt primi constituantur. Et sic Christus dicitur ad dextram Patris sedere, idest in præcipuis bonis. De quo 3.par.quæst.58.

Iam sedere dicitur Deus ex Augustino, non membrorum positione; sed designans iudiciariam potestatem, qua illa maiestas nunquam caruit, semper dignis tribuendo digna; licet in extremo iudicio, multo manifestior inter homines Vnigeniti Filij Dei, iudicis vivorum atque mortuorum, claritas fulsura sit. Sedere Dei, est super omnem creaturam regnando præsidere. Vnde Psal.46. *Deus sedet super sedem Sanctam suam.* Sedere autem dicitur Deus super Cherubim, quod interpretatur plenitudo scientiæ; quia in illis sedet, qui scientia Dei pleni sunt; anima enim iusti sedes est sapientiæ. Sapientia vero Dei Patris, Christus est; qui in animabus Sanctorum sedere dicitur. Vide D. Hieronymum ad Ephesios cap.1.

Vel cum Deus sedens inducitur, dupliciter intelligi valet, vel vt Rex, vel vt Iudex. Vt Rex Isaiæ.6. *Vidi Dominum sedentem super Solium excelsum*; quasi Iudex vero à Daniele cap.7. *Throni positi sunt, & antiquus dierum sedit.* Sed & ipsum verbum Dei sedere, Regni significat potestatem, per quam Deus illi tribuit beneficium, super quibus sedere dignatur: quod scilicet, regat eos, & in curru suo habeat, & ad proprium nutum, vaga, & libera colla subijciat, & convertat.

Antequam ascendere, & descendere Dei lustremus, ipsius gressus inspiciendi veniunt. Gressus Dei, adventus Filij Dei in mundum, & regressus ad Patrem, de quibus in Psalm. 67. *Visi sunt ingressus tui Deus, gressus Dei mei, & Regis mei*, idest gressus de Cœlo, qui venit in vterum Virginis. De vtero vero nascendo, positus est in præsepio, postquam omnia implevit pro quibus à Patre missus venerat,

Tt appen-

appensus est in signo Crucis; de Cruce autem depositus secundum corpus sepultus est, & secundum animam, ad infernum descendit. Tertia autem die, per potentiam suæ divinitatis, carnem suam de sepulchro suscitavit. Et post diem Resurrectionis quadragesimū, videntibꝰ Apostolis, ascendit in Cœlum, & sedet ad dexteram Patris, idest ad gloriam eius. Hi sunt enim gressus Filij Dei, isti ascensus, & descensus eius, qui frequenter in sacris leguntur Scripturis.

Ascendere ergo, sumitur pro crescere, augeri, adolescere, &c. Ierem. 46. *Qui tanquam flumen ascendit*. Hinc evanescere, & superbire indicat, quia sæpè ascendentes in aerem vertuntur, Isai. 5. *Ascendere cogitationes super cor*. Ezech. 38. in malam partem. *Ascendent cogitationes in cor tuum, & cogitabis cogitationem malam*, idest affligendi iustos. Ascendere super nubem levem, Isai. 19. est visitare, vel occurrere velociter, sicut nubes de Regione in Regionem cito transit. Et Psalm. 67. qui ascendit super occasum Dominus. Exurgere in excelsum, vel ascendere, est immissam vltionem amovere, Psalm. 7. Exurgere in ira, est punire. Ascendere etiam in Cœlum dicitur Deus, cum Filius carnē ex nobis assumptam in Cœlum invexit veluti captivam. Ita Psalm. 67. *Ascendens in Cœlum captivam duxit captivitatem*; quia natura humana, quę à diabolo captiva tenebatur, assumens secum in Cœlum vbi nunquam antea fuerat, tanquam captivam deportavit.

Descendere dicitur Deus aliquando, vt videat, & puniat. Genes. 11. *Descendit vt videret turrim*; confundamus linguas eorum. Et Genes. 18. *Descendam, & videbo, vtrum clamorem opere compleverint*. Aliquando vt videat, & benefaciat, Psal. 71. *Descendet sicut imber*. Descendere etiam dicitur Deus in mundū, quando aliquod novum, quod antea non fecerat in natura humana operatur. Sicut Filius Dei Patris, descendisse narratur, quādo veram carnē ex Maria Virgine, propter nostram redemptionem suscepit, & homo fieri dignatus est, non amittendo quod erat, sed assumendo, quod non erat. De cuius Incarnatione, idest descensione. Psal. 17. *Inclinavit Cœlos, & descendit, & caligo sub pedibus eius*. Cœlos inclinavit, quia Adventum suum prænuntians, Angelos, sive Prophetas misit, qui Adventum eius, hominibus nuntiarent. Caligo sub pedibus eius; quia impij homines ob suam malitiam, Incarnationem eius agnoscere non potuerunt, nec adhuc possunt.

§. II.

Ambulare, currere, transire, & stare.

Ambulare est idem quod vivere, & conversari, Psal. 14. *Qui ingreditur sine macula*; idest, qui sine dolo, & innocenter vivit, sic Psal. 83. *Qui ambulat innocenter*. Et Psal. 100. *Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat*. Et Roman. 8. *Qui non secundum carnem ambulant*; idest, non secundum præscriptum carnis. Vnde quidquid agimus, & vivimus, & conversamur, via dicitur, Psal. 1. *Quoniam novit Dominus viam iustorū*. Ambulare coram Deo, est velle illi placere, ad eius nutum vivere. Vt patet in Abraham. Genes. 17. *Ambula coram me, & esto perfectus*. Et Enoch. Genes. 5. *Ambulavit Enoch cum Deo*; idest placuit. Ambulare in vetustate litteræ, de quibus Rom. 7. Est cum S. Sanctus, non animavit amore legis, sive qui sunt hypochritæ, Lucæ 18. sive qui veteri legi nimis insistebant. Ambulare post desideria carnis, est vivere, vt solent bestiæ. Epist. Iudæ. Et ambulare in portis inferni, est versari in latibulis sepulchri cum mortuis. Isai. 58.

Currere autem cum Deo, est valdè eū diligere, & sincere colere. Vnde Iob 34. dicitur; *Non placebit vir Deo, etiam si currerit cum eo*; idest, sine bona intentione. Et currere significat officiū docentium, & prædicantium, sive male, vt Ierem. 23. *Currebant, & non mittebam eos*, sive benè. Vt Psal. 147. *Velociter currit sermo eius*; idest, Prædicatores magis currant quam eant. Ezech. 1. hinc verbi

Dei

Dei præcones, pedes Christi vocantur. Et olim in curribus pugnabant, & sic designant principum potentiã. Et Psal.67. De Christi ingressu in Cœlum: *Currus Dei decem millia*, idest legiones. Currere in stadio, est magno animi ardore festinare; si vsque ad terminum perveniant, sed vnus accipit bravium, 1. Cor.9. Et idem: *Currite, vt comprehendatis, quod est perfectorum*. Et è contra de obstinatis. Proverb.1. *Pedes eorum ad malum currunt*. Et currere cum peditibus est inferiorem esse, vt dicitur Ierem.12.

Ambulare ergo Dei, est non de loco in locum transire, quia impium est, ita de Deo sentire, sed ambulatio eius, est in cordibus Sanctorum venire. Ioan.14. *Ad eũ veniemus*. Et Levitici 26. & inhabitabo in eis, & ambulabo, & ero illorum Deus. Vel aliter Dei ambulare, est in Sanctis Prædicatoribus de loco in locum transire. Quid sit autem illud Genes. 3. cum audisset vocem Dei deambulantis ad auram post meridiem? Communiter quod Deus aliqua visibili specie apparuit, vel forte forma humana, qua apparens, quasi deambulans, gressus direxit ad locum vbi abscondit se Adam. Et sic ambulare erat ad inquirendum de culpa primorum parentum; & vt serpenti, & illis supplicium inferret.

Sequitur transire, & significat redigere in potestatem, venire & conditionem mutare, vt cum liberi servi fiunt. Sicut Genes.47. Populus, & omnes res, opes, & terra ipsa, in servitutem, & potestatem Pharaonis, dicuntur transisse. Sic etiam Exodi 13. vbi legitur: *Separabis omne quod aperit vulvam Domino*; Hebræus: *Transire facies*, idest mancipium facies Domino omne primogenitũ. Et Ierem. 15. *Transferam te in terram hostilem ignotam tibi*, vtique vt sis servus, vel captivus.

Transire autem dicitur Deus, cum de cordibus quorundam hominum quibus antea per fidem condebatur, postea subrepente perfidia, vel quolibet delicto ab eis recedit, & ad alios transit, sicut de Iudæis ad gentes, de Hæreticis ad Catholicos, sicut de quibuslibet irreligiosis; & negligentibus, pro vitio suo recedere dicitur, & ad alios transire. Sed Deum transire, iuxta naturam casus adiuncti optimè explicatur, transivit per Ægyptum, primogenitos occidendo; pertransit super faciem Moysi, aliqua sui cognitione illustrando; transit Deus cum se patefacit, sicut quando populo contaminato in Ægypto, per Moysen & Aaron se aperuit. Psal.67. *Deus cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto*. Idest pertransibas, concomitando & protegendo populum.

Stare, capitur pro diu & permanenter perseverare: *Stantes erant pedes nostri*, Psal.122. Et Psal.1. *In via peccatorũ non stetit*. Elias: *Vivit Deus in cuius conspectu sto*. Et Oseæ 10. *Vbi steterunt in eadem perfidia*. Aliquando designat emphatice plura eadem agere actione, vt Genes.18. Abraham. *Ipse verò stabat*, non quidem immotus, sed sicut ministri mensæ adstant, respiciendo, currẽdo; sic etiam illud Genes. *Abraham stabat coram Domino, rogans veniam, &c.* Stare in iudicio, idest causam vincere, & contrariũ cadere causam. Stare, est in fide & charitate consistere firme. Rom.15. *Domino suo stat*. Et ad Philip. 4. *Sic state in Domino charissimi*. Coram Rege stare, est Regi ministrare, & apud illum, auctoritate, & officijs valere, Genes.41. *Ioseph triginta annorum erat cum stetit coram Pharaone*. Stare etiam est ministrantium, ita Angeli ad Hebr.1.

Stare etiã pro habitare sumitur, Exod.8. Hebræ. *In qua populus meus stans*. Stare super speculam, & custodiam mentis, Isai.21. Est se immunẽ ab omni inquinamẽto servare. Super custodiam, stare die ac nocte, est eodem esse modo in prosperis, & adversis. Stare super pedes, Ezech. 2. Est firmiter Dei imperio adhærere. Stare in medio, est surgere, & conversari. Matt. 24. *Surgent pseudo Prophetæ*, idest, *stabunt*. Stare in medio, est vt Iudex: *Deus stetit in Synagoga Deorum in medio autem Deos diiudicat*. Psal.81. Aliquando significat consolationẽ, *vt stetit*

Iesus in medio Discipulorum. Deus etiã dicitur stare cum nos infirmos, ad pœnitentiam, & conversionem patienter sustinet. Abac.3. *Stetit & mensus est terram, & dissolvit gentes;* idest stetit ad subveniendum, & dissolvit credentes in se à vinculis peccatorum. Stans Iesus super illam Luc.4. idest propè illam.

§. III.

Ostendere, abscondere, vigilare, & dormire.

Ostendere, sæpè sumitur pro facere, vt Paulus 2. Timot. cap. vlt. *Ærarius multa mala mihi ostendit*, idest fecit. Ostendere, inspirare, illuminare, quis ostendit nobis bona? Psal.4. *Signatũ est super nos lumen vultus tui.* Item manifestare aliquid signis, vel favore. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.* Psal. 84. Ostendere, præsentare se coram aliquo. De leprosis. Matt. 10. *Ite ostendite vos Sacerdotibus. Ego ostendã illi quanta oporteat pro nomine meo pati;* idest sciet per experientiam, & labores, &c. Ostendere faciem Dei, est cum Deus respectu gratiæ suæ, quibus vult, scilicet electis suis, se ipsum in corda eorum, occulta inspiratione insinuat, & ad diligendum se suum amorem infundit.

Abscondere, significat servare, vel custodire. Ad Colos.3. *Vita vestra abscondita est cum Christo,* idest servata. Et Psal. 30. *Abscondes in abscondito faciei tuæ;* ex repetitione, idest valde custodies. Absconder faciem, est non exaudire, & auferre signa benevolentiæ. Iob.13. *Quare faciem tuam abscondis?* Et Psal.29. *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Sicut audire, & respicere, idem sunt, Psalm.83. *Respice in faciem Christi tui.* Et Num.6. Sic etiam, suscipere, & non suscipere faciem, est exaudire, vel negare. Abscondere etiam dicitur Deus faciem suam, cum hominibus quibusdam exigentibus eorum culpis, cognitionem suam abscondit, sicut in populo Iudæorum impletum videmus, qui negantes Filium Dei; Dei scientiam etiam perdiderunt, vt similes fierent gentibus, quæ Deum non cognoverunt. Et Deuter. 32. *Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo novissima eorum.* Idest ero quasi non respiciens, vel non dans eis auxilium, vt quid postea valeant, vel faciant videam. Vel significabo eis, ea quæ illis in futurum eventura sunt, vt ante futura eis supplicia dolorum sint participes.

Vigilare, vel dormire dicitur Deus ex Hieronymo; quando propter peccata nostra corripimur; vigilat super nos Deus, & visitat; quando verò à Deo deserimur, & nõ iudicamur, indignique sumus correctione Domini, tunc dicitur dormire. Vnde in Psal.77. *Surrexit tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino.* Malitia enim nostra inebriat Deum, quæ quando in nobis corripitur, evigilare dicitur, & de sua ebrietate surgere; vt nos à peccatis ebrios, evigilare faciat. Vel dormire dicitur, cum suos permittit impijs; è contra vigilare, & respicere, dum impijs postratis, suos servat. Psal.47. *Exurge quare obdormis Domine.* Et Ambrosius, dormit tepidis, vigilat perfectis.

Deum vigilare, est vltionem de suo populo sumere. Psal.67. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius.* Exurgere Dei, est effectum auxilij, & salutis ostendere. Psal.3. *Exurge Domine saluum me fac.* Et Psal.11. *Exurgam, & ponam in salutem.* Et Rom.13. Evigilare, est mentes, & oculos recipere. Expergefieri, est vigilare, & fervere spiritu. Matt.24. & 1. Thesal.6. Ne dormiamus sicut cæteri; sed vigilemus, & sobrij simus, & sicut somnus est non timere Deum; è contra vigilare, est timere, & fidere fervente spiritu. 1. Corin.15. Expergescimini iustè, & non peccetis.

Dormire in Sacra Scriptura, pro morte sæpè sumitur, 1. Thesal.4. *Deus eos qui dormierunt.* & ibi: *Nolumus vos ignorare de dormientibus.* Hinc cõsolatio magna vt nedum omnia ista parvi faciamus, sed vitam etiam contemnamus, cum finis & periodus illis non mortem, sed somnum

num sæpè soleat appellare. Dormire, est negligere, & ignorare. Matth. 13. *Cum autem dormirent homines.* Dormientes, vel mortui dicuntur, qui nullum sensum legis habent, & libenter absque timore mortale vivunt. Dormire, cubare, & requiescere, est pax, tranquillitas, & summa securitas, Psal. 4. *Dormiam & requiescam.* Quæ omnia, populo Israelitico promisisset Deus, si legem servasset. Ezech. 34. *Dabo pacem inquit Dominus*, & ad quietem iacebitis, nec est qui exterreat. Et Oseæ 2. Dormire pro coire. Levit. 20. *Si quis dormierit cum nuru, &c.*

Vel dormire Dei, cum vnigenitus Dei Patris in assumpta carne pro nobis mori dignatus est, cuius mors dulcis rectè fuisse prædicatur. Ierem. 31. Ideò quasi à somno excitatus sum, & vidi, & somnus meus dulcis est mihi. Aliter, dormire Deus dicitur, cum fides eius inter prosperitates huius mundi, in quorundam corda fidelium non vigilat, sed dormit. Hanc dormitionem ipse signavit cum in mari inter fluctus maris dormit. Vel certè dormire Dei est, anxijs tarde subvenire. Sicut in Psalm. *Quare obdormis Domine!* Sicut vigilare Dei, est in defensione suorum electorum, & vltionem inimicorũ suorum manifeste se demonstrare. Denique, dormire dicitur Iere. 14. *Surge cur dormis Domine*, non quod Dominus dormiat de quo Psalm. 120. *Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel*, sed quod ijs videatur dormire, quos deserit.

§. IV.

Cognoscere, nescire, recordari, videre, & loqui.

COgnoscere Dei, præsefert favorem & ipsius benevolentiam, vt Ierem. 1. *Priusquam te formarem in vtero novi te.* Psalm. 1. *Novit Dominus vias iustorum.* Et Exod. 33. *Cum dixeris novi te, & invenisti gratiam coram me.* Cognoscere Dei, est cognoscentes facere, Genes. 22. ad Abraham: *Nunc cognovi quod timeas Dominum*: neque enim in tempore novit, qui scit omnia antequam fiant, id est cognoscere: dicitur Deus cognoscentes facere, vt qui prius de se quales essent incogniti erant, per eius interrogationem, & probationem quales essent sibi metipsis cogniti fierent, tale est illud in lege Moysi de populo Israelitico: *Tentabo eos virũ, custodiant mandata mea, an non.* Cognoscere etiam in scriptura, est rem habere cum muliere, vel consuetudinem. Vt Genes. 4. *Cognovit Adam vxorem suã.* Dicunt Hebræi quod verbum, *novi*, magnam Dei dignationem explicat. Vt novi te ex nomine.

Nescire Dei, est reprobare sicut Luc. 13. *Nescio vos vnde sitis.* Et Matth. 25. de Virginibus. *Nescio vos.* Deus enim, cum optimus sit, ipsaque bonitas, eos dumtaxat cognoscit, quibus iustitia quæ ex fide est, illi probatur, & cum alijs nihil convenit. Et sic dicit: *Nescio vos.* Ignorare, aut nescire, dicitur Deus, nõ quod Deus nesciat, sed quod indignos sua notitia, ignorare se dicat iuxta illud Evangelium: *Discedite à me operarij iniquitatis.* Nescio vos, novit enim Dominus, eos qui sui sunt. Oblivisci autem dicitur Deus, cum quibusdam impijs, & peccatoribus, non miseretur: quod vtique non facit propter crudelitatem (quæ in Deo non est) sed per occultum iustumque iudicium suum. Vel oblivisci dicitur, quando cito affectis nõ auxiliatur, aut suppetias fert. Psal. 73. *Ne obliviscaris voces servorum tuorum.*

Recordari, est mentionem facere. Genes. 40. ita. Recordatus est inter epulas Magistri pincernarum, idest: mentionem fecit. Recordari Dei est, vt nobis indigentibus, auxilium conferat, & palam faciat, quod antea fuerat occultum. Genes. 9. *Recordabor fœderis mei.* Et Psalm. 73. *Memento congregationis tuæ.* Recordari nostrorum peccatorum, cum ea non remittit, sed castigat, Psalm. 73. *Memor esto improperiorum tuorum.* Et Psal. 136. *Memor esto filiorum Edom.* E contrario quasi nostrorum peccatorũ obliviscitur, dum illa dimittit, nec punit, Psalm. 78. *Ne memineris iniquitatum nostrarum*, idest: non punias vt meremur, propter quod

quod statim subiungit. *Cito anticipent nos misericordiæ tuæ.* Recordari dicitur Deus, cum facit nos credentes recordari, Genes. 9. *Arcum meum ponam, &c. Cumque obduxero nubibus Cœlum, apparebit arcus meus, & recordabor fœderis mei vobiscum.*

Videre, accipitur pro intelligere, Lucæ 9. *Iesus autem vt vidit cogitationes eorum,* & Ioann. 6. *Videns ergo Iesus.* Item videre, pro dare. Exod. 33. *Ostendam tibi omne bonum,* idest *dabo.* Et pro accipere. Ioann. 3. Iesus Nicodemo, non visurum Regnum Dei, idest, non accepturum, vel possessurum. Videre etiam pro comparere. Isai. 38. *Non videbo Dominum,* idest, non visitabo, vel comparebo. Videre consequi, & voti compotem fieri. Psalm. 54. *Et super hostes meos vidit oculus meus,* idest, vidi quod optabam. Idem Psalm. 7. & Psalm. 73. *Aperuerunt super me os suum, & dixerunt, euge euge viderunt oculi nostri,* hoc quã pridem libenter vidissemus. Et Psalm. 11. & Psal. 90. *Verumtamen oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis.*

Videat Dominus & iudicet, apud Hebræos est vindictam Domino cõmittere. Videre corruptionem, pro corrumpi, & videre mortem pro mori. Luc. 2. & Ioan. 3. Videre autem Dei, est acta bona probare. Genes. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, &c.* Idest intelligentibus bona esse demonstravit. Vel videre Dei, est mala hominum scienter reprobare. Isai. 59. *Vidit Deus, & apparuit malum in oculis eius.* Vel videre Dei, est videntes facere. Psalm. 138. *Proba me Deus, & scito cor meum.* Modus iste locutionis in libro Iob similiter reperitur vbi de sapientia Dei Patris, postquam plurima insignia locutus est de Deo Patre, adiunxit: *Tunc vidit illam, & enarravit, & investigavit, & imperavit,* idest videntes fecit, atque prædicantes, & investigantes, atque alijs nunciantes.

Loqui Dei, aliquando pro cogitare, vel meditari, Psalm. 36. *Lingua mea loquetur aut prædicabit.* Et Psalm. 37. *Os iusti meditabitur sapientiam,* idest, loquetur. Et 1. Corinth. 1. *Omnes vos idem loquimini,* idest sentite, & sapite vnanimes. Loquitur Christi sanguis melius quam Abel, inter alia, quia sanguis Abel contra fratrem; Christi vero pro nobis ad Patrem. Ad Hebr. 4. Loqui Deum in ira sua, est destruere, dissipare. Ierem. 18. *Repente loquar ad gentem, & ut destruam, & disperdam.* Psalm. 2. *Tunc loquetur in ira sua;* scilicet ad Iudæos quos per Romanos destruxit. Loqui etiam Dei, est revelare, manifestare. Psalm. 84. *Audiam quid loquatur in me,* idest, animadvertam: & hoc tripliciter. Primo: per subiectam creaturam, vt Moysi in igne, & rubo, vel per Angelos, vt Abraham. Secundo: per occultam revelationem vt Prophetis, qui postea dicebant: hæc dicit Dominus. Tertio: in somno vt ad Iacob, & Ioseph.

Loqui etiam, idem est, ac docere, Psal. 118. *Loquebar de testimonijs tuis.* Et Psal. 59. *Deus locutus est in Sancto suo.* Loqui ad cor, est consolari, & auferre mærorem, Isai. 49. *Loquimini ad cor Hierusalem.* Loqui veritatem in corde suo, est ex animo, & bona fide, cum proximis agere, & non simulate. Loqui mendacium, idest doctrinam falsam, & iniquitatis. Loqui iustitiam, est nostras inventiones iactare, vel sacra præter spiritum enarrare. Loqui linguis, est legem, Prophetas, & alia explicare. 1. Corin. 15. Loqui in aliquem, est illum detrahere, vel vituperare, vt Maria, & Aaron, Moysi, num. 12. & Ezech. 34. *Filij populi tui colloquenti sunt in te propè parietes,* idest clanculè contra te susurrarunt. Ac denique, loqui absolutè est statuere, mandare, & ordinare.

§. V.

Sapientia, scientia, & præscientia.

O *Altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei,* exclamat Apostolus ad Roman. 11. Quod in Deo sit sapientia, & scientia, frequentissimum est in scripturis, vt patet. Breviter tamen sciendum

dum, ex D. Thoma 1.p.q.1. art.6. Quod cum sapientis sit ordinare, & iudicare; iudicium autem per altiorem causam de inferioribus habeatur, ille sapiens dicitur in vnoquoque genere, qui considerat causam altissimam illius generis. Cum ergo Deus sit omnium rerum nedum causa; sed prima & altissima; inde talis Dei cognitio, sapientia erit. Imo etiam respectu sui dicendum est idem; quia licet omnia in Deo, æqualis sint perfectionis, essentia tamen illius cognoscitur vt ratio à qua attributa, & perfectiones Dei procedunt, & sic talis cognitio, potest dici sapientia, de quo statim.

Scientia etiam in Deo adstruenda, quod D. Thomas probat 1.p. q.14. art.1. Ex differentia inter cognoscentia, & non cognoscentia, quia prima receptiva aliorum, & hoc ex immaterialitate, quia cum materia sit quæ limitat, & coarctat formam, vt patet, inde secundum modum immaterialitatis est modus cognitionis; & cum Deus sit summe immaterialis, sequitur quod ipse sit in summo cognitionis, & scientiæ: & sic quod in illo perfectissime sit scientia.

Sed adnotanda venit doctrina D. Thomæ art.1.cit. ad.2. Quod ea quæ sunt divisim, & materialiter in creaturis, in Deo sunt simpliciter & vnite; homo autem secundum diversa cognita habet diversas cognitiones: nam secundum quod cognoscit principia, dicitur habere intelligentiam; scientiam verò secundum quod cognoscit conclusiones; sapientiam, secundum quod cognoscit causam altissimam: consilium, vel prudentiam, secundum quod cognoscit agibilia. Sed hæc omnia, Deus vna simplici cognitione cognoscit: vndè simplex Dei cognitio omnibus istis nominibus nominari potest: ita tamen, quod ab vnoquoque eorum secundum quod in prædicationem venit, secludatur quidquid imperfectionis est, & retineatur, quidquid perfectionis est: vndè Iob 12. *Apud ipsum est sapientia & fortitudo, ipse habet consilium & intelligentiam.*

Expendit hoc optimè, & latè D. Augustinus lib. 2. ad Simpl. q.2. Vbi multa disserit. Nihil communius in Sacra Scriptura, quam Dei scientia; diversa tamen ac nostra. Scientiæ enim nomen, à rebus quas per sensum corporis experimur, desumptum videtur, & sic in Deo nulla est scientia. Et in nobis dicit mutabilitatem transitus à cogitatione in cogitationem, & de parte in partem crebris recordationibus transilimus. Vnde Apost. 1.Corin.13. ex parte dicit nostram scientiam. Si ergo hæc omnia detraxerim, & relinquā solum certā rei cognitionem, & vivacitatē certæ atque inconcussæ veritatis, & quod nihil eum lateat, sic insinuatur nobis vtcunque scientia Dei. De qua Theologi 1.p.q.14.

Vt ergo de sapientia breviter aliquid dicamus sciendum: quod aliquando pro eruditione sumitur, vt 1. Corint. 1. Non in sapientia verbi; differt ab intelligentia, quia illa, est donum propriè Doctorum; ista Discipulorum. Sapientia etiam & prudentia in Scriptura, significat, verā idest, non mundi sapientiam. Vt Paulus ad Colos.1. *In omni sapientia spirituali.* Prudentia etiam, idem est ac permanere vt non seducamur, sic Matth. 10. *Estote prudentes sicut serpentes.* Et ad Ephes.6. plura Apostolus cap. 2. & sapientes dicuntur, qui non nude à Deo edocentur, sed etiam studio proficiunt. Sic Aaron. Exod. cap. 4. Accepit à Moyse quæ ipse postea populo loqui debebat.

Scientia etiam, aliquando ponitur pro cultu, & religione. Isai.11. *Scientia Domini. Et non glorietur sapiens in sapientia sua, neque in scientia sua, sed in hoc glorietur, scire & nosse me*; Ierem. 9. idest agnoscere vere & colere. Hinc cognitionem quam sæpè Apostoli, & Prophetæ nominant, scientia est Domini. Isai. 11. *Quia terra repleta est scientia Domini, sicut aqua inundantis maris*; idest, sicut cum aqua inundans eruperit, & totam aliquam Regionem oppleverit.

Nedum Deo Sacra attribuit Scriptura, sapientiam, & scientiam; imo etiam, & præscientiam quatuor in locis, scilicet 4. Reg.19. Sapi.19. Rom. 8. & cap.11. Imo etiam.

etiam, Act. 2. & 1. Petr. 1. Sed cum præſcientia ſit, futurorum ante habita ſcientia, vel prior ſcientia, antequam ipſa exiſtant futura, cum Deus ab æterno omnia noverit, & ex 39. Eccleſ. Opera omnis carnis coram illo, & non eſt quidquam abſconditum ab oculis eius, à ſæculo vſq; in ſæculum reſpicit, & nihil mirabile in oculis eius: cum his ergo quomodo præſcientia compati poteſt in Deo?

His obiectionibus permoti Authores, in duas diviſi ſunt ſententias. Negat prima, præſcientiam in Deo reperiri, ita Auguſt. lib. 2. ad Simplician. q. 2. Boetius lib. 1. de conſol. proſ. vltima. Et Anſelm⁹ de caſu diaboli cap. 21. Ratio Auguſtini continetur ſequentibus verbis. Quid eſt præſcientia (inquit Auguſtinus) niſi futurorum ſcientia? Quid autem futurum eſt Deo, qui omnia ſuper greditur tempora? Si enim in ſcientia res habet, non ſunt futuræ, ſed præſentes, & ſic iam non præſcientia, ſed tantum ſcientia dici poteſt: aliàs ſi Deus res prævenit ſciendo, bis ea ſentit; vno quidem modo ſecundum futurorum præſcientiam, altero, ſecundum præſentium ſcientiam: ergo aliquid temporale Deo, accidit ſcientiæ Dei, quod abſurdiſsimum, & falſiſsimum eſt.

Proſequitur autem Auguſtinus dicens: Nec enim poteſt quæ ventura prænoſcit, noſſe cum venerint, niſi bis innoteſcant, & prænoſcendo antequam ſint, & cognoſcendo cum iam ſunt, &c. Redditur ergo ad id, vt fiat rebus iam præſentibus ſcientia, quæ eiſdem rebus futuris erat præſcientia. Et cum ea quæ præſcientia erat prius, poſtea ſcientia fiat in Deo, admittat mutabilitatem, & temporalis ſit: cum Deus qui vere ſummeq; eſt, nec vlla parte ſit mutabilis, nec vllo motu noſtro temporalis.

Aliorum verò, exiſtit affirmans ſententia, in quam etiam alibi inclinat Auguſtinus, qui aliquando negat, aliquando talem aſtruit præſcientiam. Vt lib. 5. de Civit. cap. 9. & de prædeſt. & gra. cap. 5. Hieronym. Ezech. 1. & Magiſt. in 1. diſt. 36. & 38. quibus ſubſcribit D. Thomas in 1. diſt. 33. q. 1. art. 8. & q. 2. de veri. art. 12. & communiter Theologi. Et ſuadetur primo: quia verba Sacræ Scripturæ in omni proprietate ſunt accipienda, vt ſupra diximus, niſi ſequatur inconveniens, quod in præſenti abeſt, vt vidimus. Secundo: quia definitio prædeſtinationis communiter accepta ſcilicet, præſcientia, & præparatio, &c. tradita ab Auguſtino, aut illam includit, vel cum D. Thoma illam ſupponit ex. 3. q. 1. art. 2. ad. 4. & q. 24. art. 1. ad. 3. inquit, quod prædeſtinatio importat quandam anteceſsionem reſpectu futurorum.

Iſtæ autem ſententiæ, quæ prima facie ita diſſidere videntur, duabus vijs ad concordiam redigi poſſunt. Nam ſi cognitio divina, cōparetur ad futura vt ſuæ æternitati coexiſtentia, vel præſentia, ſic non præſcientia, ſed futurorum ſcientia, vel præſentium, venit appellanda: ſi autem divina cognitio, comparetur ad futura, vt in propria ſunt temporis menſura, vel vt in ſuarum continentur diſpoſitione cauſarum determinatarum; ſic propriè dici poteſt præſcientia, cum ſalvetur anteceſsio divinæ cognitionis ad futura, vt in propria continentur menſura. Tam reſpectu æternitatis, quam indiſpoſitione cauſarum, reſpectu actualis exiſtentiæ quam poſtea habebunt.

Vel ſecundo dici poteſt: quod ſi divina cognitio referatur ad futura, antecedenter ad determinationem divinæ voluntatis, ſic non eſt futurorum præſcientia in Deo, cum adhuc non ſit talis futuritio. Quod iudicare videtur Auguſt. in illud Sapient. 4. *Ne malitia mutaret intellectum eius.* Quod inquit dictum, non ſecundum præſcientiam; ſed ſecundum pericula huius vitæ. At ſi cognitio divina referatur ad futura, poſt divinæ voluntatis determinationem, ſic poteſt in Deo poni præſcientia: & hac ratione definitur ab Auguſtino prædeſtinatio; præſcientia beneficiorum Dei, quæ Deus efficaci voluntate electis decrevit conferre videantur Theologi 1. p. q. 14. ar. 13.

(∴)

CA-

CAPVT VLTIMVM.

Syluam variam nominum Dei continens.

MAgnus Gregorius lib.32.mor.c.6. ita affatur: Omnipotens Deus ad sua nos trahens, vsque ad nostra se humiliat: atque vt alta insinuet humilibus condescendit; quatenus paruulorum animus, rebus cognitis enutritus, ad inquirenda surgat incognita: atque ab eo qui longè super ipsum est, quædam iuxta se audiens, quasi quibusdam passibus ad illum moueatur. Vndè fit, vt per scripturam suam aliquando à corporibus hominum, aliquando à mentibus, aliquando ab auibus, aliquando etiam ab insensatis rebus quasdam longè dissimiles in se similitudines trahat. Et talibus verbis non nunquam de Deo vtitur, quæ apud homines habentur in vitio: vt ex his quæ indigna videntur hominibus, & tamen dicuntur de Deo, admoneantur homines, quod nec illa iam Deo digna sunt, quæ dum digna habentur apud homines, digna putantur Deo.

Quod optimè prosequitur Euthimius Psalm.6. Et quia Prophetæ qui loquûtur, & qui audiunt homines sunt, humana lingua exprimunt quod loquuntur. Nec enim possibile est alio modo loquantur, qui in corpore sunt quam corporaliter. Nam quoties barbaros alloquimur, eorum lingua vtimur: & cum pueris aliquid dicere volumus, eorum more balbutimus, &c. Postquam ergo in superioribus, Dei nomina propria, communia cum hominibus, à nostris affectibus desumpta, & à conditione corporum translata in Deum, satis iam verba fecerimus: breviter de alijs nominibus ex sensibilibus. siuè auibus, siuè animalibus, siuè etiam ex rebus insensibilibus vt perfecta sit nostra tractatio, sermo noster progredietur.

§. I. *Aquila.*

AQuilam ergo primo inspiciamus, & merito, quia vt dixit Bellicens. lib.19. de aquila; in ea regiæ virtutes omnes elucescunt, regios mores, regiam prorsum maiestatem in omnibus imitatur. Adeò vt etiam homines nasum aquilinum habentes, spiritu generoso, moribusque regijs exornati existunt, teste Porta lib. 3. de Phisio. Sed iam ipsum Deum Iob 39. attente audiamus: *Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponit nidum suum?* In petris manet, & in præruptis scilicibus commoratur. Indè contemplatur escam, & de longè oculi eius prospiciunt, pulli eius lambent sanguinem, & vbicúq; fuerit cadaver statim adest. Hinc enim (vt puto) & sacri & prophani Scriptores hauserunt quidquid de hac regia ave cóscribunt.

Plures illius enarrantur proprietates. Prima: quod supremam aeris elevata in regioné, alitum Regina intendens aciem, criniti Lumina Solis suspicit, obtutoque oculo fixa hæret acuto. Huius singularis virtutis rationem examinare non vacat. Videatur Valdecebro de avibus fol. 10.

Secunda proprietas, in arduis ponit nidum suum. Et D. Hieronymus reddit rationem, maximum esse aquilarum amorem in pullos, quæ in excelsis, & in accessis locis, nidos collocant, ne coluber fœtus violet. Tertia: excludit binos, edit terna, educat vnum; probat enim pullos Solis ad iubar, & illum qui oculis irreverberatis, Solis fulgorem exhaurit, probat, reijcit cæteros.

Quarta, inde contemplatur escam. Et Hieronymus in Abdiam, tantique contritus esse dicitur, vt cum super maria immobili penna feratur, de tanta sublimitate natare pisciculos videt: & cum iuxta litus fuerit, tormenti instar descendere, raptamque prædam pennis ad litus pertrahere. Quinta, tanta odoratus vi gaudere, vt etiam procul valdè, cadavera percipiat, & odoretur. Denique refertur, aquilarum senectutem reviviscere mutatione pennarum, iuxta illud Psalm. 102. *Renovabitur vt aquilæ iuventus tua.* Plura alia apud Aristotelem, Plinium, B. Albertum Magnum, Pagninum, & Val decebro.

Comparatur Deus aquilæ, Deuter. 32. cuius visum nihil latet, omnia nuda, & aperta sunt oculis eius, & ab Oriente, & ab Occidente, omnia conspicit. In arduis ponit nidum suum, cum assumptam humanam naturā, ad Patris dexteram in Cœlum invexit. Probat suos, idest iustos: *Tanquam aurum in fornace probavit electos suos Dominus.* Sapient. 3. Tentavit Deus Abraham. Genes. 22. Iob. Tobiam, &c. Ad dexterāque Patris residens semper vivens ad interpellandum pro nobis, Hebr. 7. & vt Bernard. ait, advocatum præmisit peregrinatio nostra. Et ibi stat deglutiens mortem 1. Petri 3. Veteremque Adam renovans per gratiam. 2. Corint. 4. Is tamen qui intus est renovatur de die in diem; & ex Deuter. 32. Dei protectio cura, defensio, & auxilium mire colligitur.

Aquilæ in scriptura, maligni spiritus animarum raptores designāt iuxta illud: velociores sunt persecutores nostri aquilis Cœli. Designant etiam potestatem terrenam, Ezech. 17. Aquila grandis magnarum alarum. Aquilæ etiam vocabulo subtilis Sanctorum intelligentia, & sic Ioannem præfigurat, qui per subtilem intelligentiam, interna mysteria verbi videndo penetravit. Demonstrat etiam primum parentem, qui de sublimibus ad ima corruit. Sanctos etiam ostendunt qui finito laborum studio repuerascunt, assumpto immortali corpore, & in Cœlo cum Christo iam regnantes consistunt.

Vbicumque fuerit corpus illuc congregabuntur & aquilæ. Ambrosius lib. 8. in Lucam. Iustorum animæ aquilis comparantur, quod alta petant, humilia derelinquant, longævam ducere referantur ætatem. *Renovabitur sicut aquilæ iuventus tua.* Si ita intelligimus aquilas, de corpore iam dubitare non possumus, maximè si meminerimus quod à Pilato Ioseph corpus accepit, Matth. 27. Nonne tibi videntur aquilæ circa corpus, Maria Cleophæ, & Magdalenæ, & Mater Domini. Marc. 16. Est etiam corpus de quo dictum est: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Circa hoc aquilæ sunt, qui alis circumvolant spiritualibus. Dum scilicet corpus, & sanguinem Christi Sacramentaliter sumunt. In cuius clara festivitate hæc conscripta fuere.

§. II. *Columba.*

COlumbæ oculos habere Sponsum, cecinit Sponsa, Cant. 5. ita loquens: *Oculi eius sicut columbæ.* Avis est notissima, & vbique reperta, in omnibus fere similes, licet in magnitudine aliquæ distent. Fœcundissima inter omnes, cum per omnes anni mēses ova emittat, cum magna domorum vtilitate exornantur plumis, varios emittentibus colores. Pernici, celeriq; discurrūt volatu, Æneyd. 6. Tollunt se celeres liquidum per aera lapsæ. Et si fœcunda, ne lascivam dixerim (ista enim illi adversatur) sed nulli alteri fæmina miscetur; imò viduata (inquit Pierius lib. 21.) Incomparabile exemplū continentiæ, summamque pudicitiam, marito servat inviolatam. Et quandiu marito priori viduata est alijs non copulatur.

In pullis alendis, prior assistit Pater, & illos proprio cibat ore, & dum primo avolare incipiunt, comitantur, nec in longos circuitus, ne fatigentur, spaciari permittunt. Nulli alteri cedunt in filiorū amore, nec etiam pelicano, si enim desit cibus, pectora vi opprimunt, donec è sanguine effuso recreentur. Felle carere dicitur; sed incertū ex Aristotele, & Plinio, sed fortè alio in loco quam aliæ aves, quomodò si ægrotent curentur, videatur apud citatos, & Valdecebro cap. 73.

Fœlicissima quidem avicula dum sacrificijs dedicata, & quod caput est, cum Christus Iordanis vndas in baptismo cōsecravit pneuma divinum, in specie columbæ sese reddidit conspicuum. Cuius optimam rationem tradit Origenes homil. 27. in Lucam. Descendit (inquit) Spiritus Sanctus super servatorē in specie columbæ, avis mansuetæ innocentis, & simplicis. Vndè nobis præcipitur vt imitemur innocentiam columbarū. Talis est Spiritus Sanctus, mundus, &c. quā-

obrem orantes dicimus: *Quis dabit mihi pennas vt columbæ, & volabo & requiescam.* Psal. 67. Ideſt quis dabit mihi pennas Spiritus Sancti? & alibi: *Si dormiatis inter medios Cleros, pennæ columbæ de argentatæ, & poſteriora dorſi eius in virore auri.* Si enim inter medios Cleros (vel ſortes) veteris, & novi teſtamenti requieverimus, dabuntur nobis pennæ columbæ de argentatę, & poſteriora dorſi eius in virore auri, ideſt, ſermones Dei vt ſenſus noſtri Spiritus Sancti ſenſibus compleantur, ideſt mens, & ſermo illius compleatur adventu, & nec loquamur aliquid nec intelligamus niſi quod ille ſuggeſſerit. Sed de huius loci elucidatione videatur Scalante lib. 7. cap. 9. referens. 24. explicationes.

Reſidere dicitur columba, ſuper rivos aquarum. Et Origenes: ſciant (inquit) vbi columbæ requirendæ ſunt. Ad aquarum ergo plenitudinem requiredæ ſunt. In columbis oculi prædicantur. Ferunt hoc genus avis, quam ad aquas venerit, quia ibi ſolet accipitris inſidias pati, venientem, deſuper inimicum, volitantis vmbra in aquis conſpecta deprehendere; & oculorum perſpicatia, fraudem periculi imminentis evadere. Quod etſi tu ita proſpicere potueris, inſidias diaboli, & cavere, ſacrificium Deo columbas obtuleris. Videantur homil. 15. in Matthæum.

Iam columba avis ſincera & ſuavis, & ideò Spiritus Sanctus in illius apparuit ſpecie, cui bonitas, & benignitas attribuitur. *Spiritus tuus bonus, deducet me in terram rectam.* Pſalm. 142. Vndè D. Bernardus: Suaviſsimum quid eſt Spiritus Sanctus, &c. Et quia bonus, fictos fugit, & deſpicit. Sapient. 1. *Spiritus enim Sanctus diſciplinæ effugiet fictum.* Et D. Hieronymus in illud Matth. 10. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Vt per prudentiam (inquit) devitent inſidias, per ſimplicitatem, non faciant malum. Reſident etiam oculi columbæ ſuper rivos aquarum, quia ex D. Thoma, puris & ſinceris mentibus delectatur, & caſtas & puras mentes ſibi habitaculum facit ſpiritus.

Et per oculos Sponſi, Doctores accipe. Hi vt columbæ ſuper rivos aquarum reſident, vt accipitrem vel diabolum, & Hæreticos videant & arceant. Origenes tract. 6. in Ioann. Columbam vnam vides ſuper caput Chriſti, linguas vides in toto Orbe terrarum. Idem ſpiritus per columbam, & idem per linguas: ſi ergo idem per columbam, & linguas datus eſt per totum Orbem, à quo te præſcidiſti, vt clames cum corvo, non vt gemas cum columba. Videatur infra optimè hiſtoriam de corvo, & columba, Geneſ. 8. Moralizantem; & ſubdit: cum miſſus eſt Spiritus Sanctus, duobus modis oſtenſus eſt viſibiliter. Per columbam ſuper Dominum baptizatum, & per ignem ſuper Diſcipulos congregatos: ibi ſimplicitas, hic fervor oſtenditur.

Et vt plura alia mittamus, exagitari poterat quomodò Spiritus Sanctus in ſpecie apparuit columbæ? De quo latè Auguſtinus lib. 2. de Trinit. cap. 5. Et D. Thom. 3. p. q. 39. art. 6. & 7. Supponendo: quod triplex poteſt eſſe miſsio, viſsio, vel apparitio: alia realis, ſubſtantialis, & in vnitate perſonæ, ſicut Chriſtus humanam aſſumpſit naturam, non ſic in præſenti, quia talis creatura, non eſt aſſumpta in vnitatem divinæ perſonæ: non enim dicitur Spiritus Sanctus columba, ſicut dicitur quod filius Dei eſt homo ratione vnionis. Alia imaginaria, ſicut Prophetæ, & Ioannes in Apocalypſi; nec ſic: quia tales viſiones, factæ ſunt per ſpirituales imagines rerum corporalium. De illa autem columba nullus dubitavit vnquam, quod oculis fuerit viſa.

Denique nec hoc modo, in ſpecie columbæ, viſus eſt Spiritus Sanctus, ſicut dicitur 1. Corinth. cap. 10. *Petra autem erat Chriſtus*; illa enim petra, iam erat in rerum natura, & per modum actionis nuncupata eſt nomini Chriſti, quem ſignificabat. Illa autē columba ad hoc tantū ſignandum repente extitit, & poſtea ceſſavit ſicut in flāma, quæ in rubo apparuit Moyſi. Deſcendit ergo columba in Chriſtum ratione ipſius columbæ ſignificātis Spiritum Sanctum, qui deſcendendo ſu-

per Christum venit. Vel etiam ratione spiritualis gratiæ, quæ à Deo per modum cuiusdam descensus in creaturam derivatur iuxta illud Iacobi 1. *Omne datum optimum, &c.* Denique columba singultus vel gemitus edere patet, sic Spiritus Sanctus dicitur Roman. 8. *Postulat gemitibus innenarrabilibus;* hoc est facit nos gemere vel postulare (sicut alibi dicitur) Deus nunc cognoscere, idest facere cognoscentes.

§. III.

Gallina, & Leo.

SEd quod magis mirandum, gallinæ etiã nomen Deo adaptatur. (de quo sectione seq. latè) Nunc breviter ex Chrisostomo in illud Mat. 23. quoties volueris congregare, ita de Deo loquente cum populo Israelitico. Cum te in Ægypto quasi sanguinarius accipiter persequebatur Pharao, misi super te Moysem, & Aaron, quasi duas mollissimas pennas misericordiæ meæ: & liberatos vos, de vnguibus eius, rapui in desertũ, & noluistis sequi me, facientes vobis vitulum in Horeb vt serviretis potius Deo mortuo, quam Deo viventi. Percurre si vis, libros antiquos, quoties peccaverunt, & tradidit illos Deus, & iterum liberavit.

Leonem sine formidine audiamus (de quo sectione seq. plura) est ferarum omnium princeps, & cui omnes cedunt, *ita Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum.* Prover. 30. *Et Leo rugit quis non timebit.* Amos 7. Generosum animal subiectis, horribile adversarijs. In Leonũ lacũ proiecta simia, eorũ pedibus obvoluta & varijs, vti ipsa assolet, figuris, & ludis ipsos alliciens, intacta permansit, sed fenestra qua ipsis cibus inferebatur aperta, illorum dorso tãquam scala vtens, evasit libera, tunc Leo, illusum se videns rugitus ita validos emisit, vt omnes timore afficeret. Dormire dicitur appertis oculis, sed alij ex palpebrarum defectu provenire cõtendunt. Dum à venatoribus persequitur non terga vertit, sed lento gradu ipsos aspiciẽs recedit.

Ambiguum nomen est in Sacra Scriptura dum in bonam, & in malam partem accipi potest. Sic D. Gregorius, quia natura vniuscuiusque rei ex diversitate cõponitur, in sacro eloquio per rem quamlibet licite diversa figurãtur. Et D. Augustin. Sed ne forte aliquib⁹ indè scrupulus nascatur, quare frequenter vna res, & optimis personis aptatur, & pessimis? Dicendum est: quod ad similes partes debeat applicari. Vnamquanque rem diversas certũ est habere qualitates: vt Leo, de quo nunc sermo est habet fortitudinem propter quam, bestiarum rex appellatur; habet & sævitiam propter quod ferox dicitur. Ex fortitudine Christo comparatur, de quo Apocal. 5. *Vicit Leo de Tribu Iuda.* Ex ferocitate diabolo. 1. Petr. 5. *Quia adversarius vester diabolus tamquam Leo rugiens.* Ita fit vt vnum animal consideratis eius qualitatibus, rebus à se discrepantibus rationabiliter comparetur; quæ pro alijs etiam rebus, memoriæ sunt amandanda.

Deo O.M. Leonis proprietates merito adaptari possunt. Quis ita miserator, & misericors in humiles & trementes, indè David Psalm. 114. *Humiliatus sum, & liberavit me.* Sed in adversarios & superbos, quam fortis & terribilis: *Tu terribilis es, & quis resistet tibi.* 75. Psalm. *Deiecisti eos dum allevarentur, & quomodò facti sunt in desolationem;* & supplicia in impios inflicta attestantur. Iam quomodò Deus dormire dicatur explicuimus, sed oculis apertis: *Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel,* iustos scilicet semper protegens, defendens, & auxilians: sicut è contrario diabolus, tanquam Leo rugiens circuit, quem devoret quærens.

Iam Leo, Ecclesiæ Doctores designat cum in Templo Domini Leones cum bobus ex ære in basibus Templi fieri mãdatur. Item pro principibus, vt Ezech. 19. *Quare mater tua Leæna &c.* E contrario significat diabolum ex dictis, & etiã Antechristum. Sedet in insidijs in occultis sicut Leo in cubili suo. Item depredantes vt Psalm. 7. *Ne quando rapiat vt Leo* ani-

animam meam. Et ex truculenta natura hominum monstra præsefert, qui hoc solum sapiunt vt quærant quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi. Et 2. Timoth. 4. *Liberatus sum de ore Leonis;* intelligitur Nero Imperator.

Catuli Leonum, diaboli, Hæretici, pravi homines, & Antichristi ministri. Psal. 103. *Catuli Leonũ rugientes vt rapiant.* Qui ad iniquam vitam malignorum spirituum errore generati: qui simul omnes vniversam mundi Civitatem scilicet. Babyloniam faciunt, & sic leænæ catuli vocantur. Ita D. Gregorius. Iob cap. 4. Et D. Hieronym. exponens illud Ierem. 23. *Ascendit Leo de cubili suo.* Intelligit de Nabuchodonosor; & etiam de diabolo. Et concludit: si quis ergo fautor, & Author est perversorum dogmatum, de hoc dici potest: *Ascendit Leo de cubili suo.*

Quid autem intendat David Psalm. 34. *Domine quando respicies, restitue animam meam à malignitate eorum, à Leonibus vnicam meam?* Optimè D. Augustinus, ibi: A Leonibus enim, à potestatibus cruentis atque crudelibus significat. Vnicam quidem, carnem Domini advertere voluerunt; quæ licet sit ista communis; vnica tamen facta est, quia de Virgine, quia sine peccato, quia sociata est Verbo, hoc est, Dei Filio. Sivè vnicam Catholicam Ecclesiam intelligamus, quæ in toto mundo vna est, & delectatione magna vnica nuncupatur: à qua Hæreticorum conventicula, omnimodè excluduntur.

§. IV.

Sol, & Lux.

Licet oculis ægris odiosa sit lux, quæ puris est amabilis: tales nostri sint, vt Solis lucem videre possimus & lumen. Et licet hæc tria distincta sint vt patet, simul tamen vt ad rem pertinent nostrã enodabimus. Lux ergo de qua Apostolus 2. Corinth. 4. Deus qui de tenebris lucem splendescere dixit, idest post tenebras, inter omnes creaturas pulcherrima, quæ primo die facta, imò per quam omnes facti sunt dies, appellavitque lucem diem; quæ æternum Dei dirupit silentium, ipsius tulit gratiam & beneplacitum, dixit Deus fiat lux & facta est lux: viditque lucem quod esset bona, & ad omnia bona, imò sine qua quid nisi caligo involvens, & densissimæ tenebræ reliquuntur? Per illam autem, omnia manifestantur, decoranturque.

Hæc ergo eadem ex D. Dionysio, & D. Thoma 1. p. q. 67. art. 4. Divisa fuit quarta die in vasis Solis, Lunæ, & Stellarum: vndè illa lux iam fuit lux Solis, sed adhuc informis, & solum habebat virtutẽ illuminativam in cõmuni; sed post modum data est ei specialis, & determinata virtus ad particulares effectus. Nomen autem lucis (inquit D. Thom. art. 1.) licet secundum primam sui impositionem, significet id quod facit manifestationem in sensu visus. Postmodum autem extensum est, ad significandũ omne illud quod facit manifestationem, secundum quamcunque acceptionem. Et primo modo metaphoricè lux dicitur in spiritualibus: ex vsu tamen loquentium, ad omnem manifestationem est extensum, & sic propriè dicitur in spiritualibus.

Remansit ergo Sol orbis oculus, fons lucis, à quo cætera splendorẽ accipiunt, dictus Sol quasi solus & vnicus. Et est Planeta fortunatus, salutaris, diurnus, calidus, & siccus, iucunditas diei, pulchritudo Cœli, mensura temporum: quique motu suo omnibus rebus vitam infundit, & cuncta perficit vniversa. Dicitur autem Hebraicè *Semes*, ab administranda luce: vel *Cheres*, ab ardore, & excitatione; vel *Chama* à calore quem producit. Græce *Elias*, qui Apolion à iaculando radios. Et in sacris litteris luminare maius. Ab ethnicis Deus est creditus, quia omnium rerum generationis principium, & Patrẽ arbitrati sunt.

Quod autem, Deus sit lux, clarè expressit Ioan. 1. cap. 1. *Quoniam Deus lux est, & tenebræ non sunt in eo;* & ex Apostolo: *Lucem habitat inaccessibilem, quam nemò vidit, neque videre potest.* 1. Timoth.

moth. 6. nisi iuxta Psalmographum: *In lumine tuo* (scilicet gloriæ) *videbimus lumen*, scilicet ipsum Deum. 35. Psalm. & ex D. Iacobo 1. *Omne datum bonum, descendit à Patre luminum.* Et sic Christus dicitur: *Lumen de lumine.* Sed non ita expressè sub nomine Solis explicatur Deus: sed cum sit ipsa lux, solus & vnicus Deus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & in quo vivimus, movemur, & sumus, sine quo nihil, & omnia ab ipso, merito & proprijssimè Deus Sol appellandus venit.

Solis autem & lucis nomine, vltra Deũ, etiam Christus est insignitus, de quo plura sectione sequenti. Beatissima Virgo, quæ *pulchra vt Luna, electa vt Sol.* Et Concilium Ephesinum illud Psalm. 106. *Lux orta est iusto*, explicuit sic. Lux, idest Beatissima Virgo orta iusto, scilicet Christo Domino; & alibi sæpè. Iam Apostolos. *Vos estis lux mundi.* Matth. 5. Iam Sanctos & iustos, tunc fulgebunt iusti tamquam Sol. Matth. 13. Doctores autem, & Magistri, & qui ad iustitiam erudiunt multos, tanquam stellæ. Daniel. 12.

Per Lunam autem, Solem, & lucem, plurima in Sacra Scriptura designantur. Ipsa Sacra Scriptura: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Psalm. 118. Illuminatio etiam fidei, vel donum Spiritus Sancti. Psal. 4. *Signatum est super nos, lumen vultus tui Domine.* Consolationem etiam conscientiæ. Micheæ 7. *Cum sedero in tenebris Dominus lux mihi, educet me ad lucem.* Gaudium etiam lætitia, & exultatio sic. Psal. 120. *Per diem Sol non vret te: neque Luna per noctem.* Idest affulgente luce consolationis Dei, non extolleris, non eris securus, neque negligẽs Deum. Rursumque adveniente tentationis nocte, non deijcieris, non cades à fiducia tua in Deum.

Divus autem Gregorius, explicans illa verba Iob 41. *Sub ipso erunt radij Solis.* ait: Aliquando Sol Dominus appellatur, iuxta illud Sapient. 5. *Sol ortus non est nobis, & luminis radius, nobis non refulsit.* Rursus Sole, persecutio designatur. Ex Matth. 13. *Quod nata sine radicibus semina, orto Sole aruerunt:* quia verba vitæ in corde terrenorum hominum temporali momento virentia, superveniente persecutionis ardore siccantur. Rursus Sole, manifestæ visionis ostensio designatur. Ex Psalm. 18. *In Sole posuit Tabernaculum suum*, idest humanitatis assumptæ Sacramentum in lumine manifestæ visionis ostendit.

Solis etiam nomine, & per illius radios, acumina sapientium demonstrantur; quia enim multi qui in Sancta Ecclesia luce sapientiæ resplendere videbantur, vel minis territi, vel persuasionibus capti Leviathan istius, iniqua se operatione substernunt, vt iam non recta prædicanda desuper luceant; sed ei perversè obsequendo famulentur. Et sicut lux Solis, fœlicitatem & gaudium designat: ita Solis obscuratio calamitates, & afflictiones, Ioel. 2. *Sol obscurabitur*, & Lunam non splendere, horrendum iudicium: & Lunam obnubilari, mæroris indicium est, apud Ezechielem 7. & Isai. 13.

§. V.

Ignis, & flamma.

IGnis, præcipuum & nobilissimum inter quatuor elementa, est corpus simplex, calidum & siccum, cuius locus ex Philosophis, est inter concavum Lunæ, & regionem æthereã (licet Author libri examinis ingeniorum dicat esse propriè in infimo loco scilicet centro terræ) quia levioris naturæ, & superat alia elementa puritate, subtilitate, mobilitate, & activitate. Triplex sortitur nomen, dicitur enim lux in sua sphera, flamma, in materia accensus; carbo autem ignitus, si in materia terrea producatur. Latine dicitur ab, *in*, privativè, & gignendo, quasi in eo nihil nascatur. Græce dicitur *Pyr.* Hebraicè, *Es*, deductũ ab *Anas*, eo quod insanabiliter infirmet & consumat. Anus enim, dolorem, infirmitatem, & defectum significat. Et in sacris litteris vix de igne elementari fit mentio, sed de eo, vel

qui

qui in terra concipitur, vel in aeris medio incenditur, quem ignem de Cœlo scriptura dicit.

Eius autem effectus à Dionysio cap. 12. & 15. Cœlestis Hierar. describuntur scilicet illuminare, & calefacere; comburere, exiccare, coquere, indurare molia, dura liquefacere, metalla purificare, & quæ sunt vnius naturæ copulat, & quæ diversæ separat. Varias istas actiones, operationes, & effectus, breviter insinuabimus postea, cum ex eorum explicatione, plura Sacræ Scripturæ loca, lucem possint accipere.

Igitur Deus dicitur ignis Deuter. 4. *Quia Dominus Deus tuus ignis consumens est.* Et cap. 9. sequenti; vocatur autem ignis ex D. Hieronymo, Isai. 60. Vel quia sustinentibus pœnas, ignis esse videtur: vel quia quidquid vitiorum est in nobis, consumit. Et hunc ignem puto sedisse supra linguas Apostolorum omniumque credentium, cum linguis varijs loquebantur, & omnis erroris fugabat tenebras, & illuminabat corda eorum, qui recipiebant sermonem Domini. Dicitur ergo Deus ignis cõsumens, vt quidquid in nobis vitiorum est, fœnum, ligna, stipulamque consumat: & spinas, quas pro bono semine terra attulit in fœcunda.

Ignis etiam vocabulo, quandoq; Verbum divinum venit intelligendum, quia nimirum in alijs ardorem salutis; in nonnullis verò, incendium æternæ condemnationis excitat Ierem. 5. & 23. *Verba mea quasi ignis.* Et hoc convenit verbo, ex vi suæ processionis, cum procedat cũ virtute spirandi, est enim notitia Sãctum spirans amorem, vt ait D. Thom. 1. part. q. 41. art. 5. & Spiritum Sanctum, qui ignis divinus est. Et ex Hieronymo, hic est ignis quem Dominus venit mittere super terram; & antequam pateretur in Discipulis suis optabat ardere. Ignis naturæ est duplicis, habet lumen credentibus, habet tenebras, suppliciaque incredulis. Quid consumit ignis iste non ligna, non fœnum quæ videntur, si autem super edificaveris fundamenta Christi, consumet opera peccati ligna, fœnum opera peccati inferiora, iste ignis vniversa examinat. Quis est iste ignis sic sapiens vt custodiat aurum meum, argentũ meum, &c. Et mala tantum consumat quæ feci, &c. Iste est de quo Isaias 10. dixit. Sanctificavit eum in igne ardenti, & voravit tanquam fœnum sylvam.

Nomine etiam ignis, Spiritũ Sanctum intelligi, non indiget probatione: tum quia vt amor procedit, ex D. Gregorio homil. 30. Ipse Spiritus Sanctus est amor: vt ostendit D. Thomas 1. p. q. 37. Quia procedit per voluntatem à Patre, & Filio in quantum dicit habitudinem eius rei quæ procedit per modũ amoris, ad suum principium & è converso. In cuius signum in die Pentecostes in igneis apparuit linguis; & iste ignis est de quo dixit Christus: *Ignem veni mittere in terram.* Vt enim expendit D. Gregor. hom. 2. in Ezech. Per ignem aliquando Spiritus Sãctus; aliquando autem mentis malitia designantur. Ignis quippè bonus mittitur, cum per ardorem Sancti Spiritus terrena mens à carnalibus suis desiderijs concrematur. De malo autem igne dicitur: & nunc ignis adversarios consumit. Et sicut ignis amoris, mentem erigit, & elevat, ita ignis malitiæ, mentem involvit, & incurvat.

Et vt plura omittamus; verba Origin. homil. 13. in Exodum merito expendenda veniunt: est ignis in hoc sæculo, scilicet charitas, & in futuro: *Ite in ignem æternum,* Matth. 25. Verumtamen ignis quem venit Iesus mittere in terram, & illuminat omnem hominem venientem in huc mundum, & etiam incendit. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis?* Luc. 24. Simul ergo incendebat & illuminabat. Quomodò ergo offerimus ignem istum duplicatum? Ecce ad Ieremiam dixit. Dedi verba mea in os tuum: idest ignem. Si ergo solum increpes & corrigas, & nihil consolationis, vel intelligentiæ Sacræ Scripturæ, non erit duplicatus. Et si solum doceas, & non corrigas & increpes, non erit duplicatus. Qui autem offert, & rectè dividit duplicatum habet,

vt

vt cum scientiæ lumine igniculum severitatis admisceat.

Ignis ergo, sæpè auxilium efficax, & præsentissimum, dicit 4. Reg cap. 6. *Ecce mons plenus equorum, & currum igneorum, in circuitu Elisæi.* Significat etiam liberationem iustorum, & malorum punitionem. Isai. 5. & 66. *Quia ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius.* Probationem & examen 1. Corint. 3. *Vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.* Psalm. 16. *Igne me examinasti.* Et Zachar. 3. *Ducam tertiam partem per ignem, &c.* Ignis de Cœlo, ira, plaga & iudicium. Psalm. 88. *Vsquequo exardesces sicut ignis ira tua?* Ignis generaliter, omnis plaga. Amos 2. *Mittam ignem in domum Iezael.* Est etiam divini Iudicij cruciatus quolibet fulmine intolerabilior. *Ite in ignem æternum.*

Iam flammam videamus, quæ est ignis accensus, sivè materia ignea in substantia aerea succensa: aer enim facile in ignem convertitur. Vndè flamma non est ignis, aliàs videri non posset; sed est fumus accensus, vel aer inflãmatus. Hebraicè autem dicitur *Labab.* Et quia gladius assimilatur flammæ, eodem nomine dicitur, & sic. Iudic. 3. *Extenditque sinistram manum, & tulit siccam.* Vt capulus sequeretur ferrum, habetur Lahab. Ac si flammam gladij dicas. Flamma etiam dicitur lingua, quia quasi ad modum illius lambit. Isai. 24. *Sicut devorat stipulam lingua ignis, &c.* Et Apocal. 1. dicitur: *Oculi eius tamquam flamma ignis.* Rupertus idest aspiratio eius, illuminans omnem hominem, vt non simus in tenebris, sed simus filij lucis, & non tenebrarum. Et Danielis 7. *Thronus eius flamma ignis,* idest fulgens, patens, imo & terribilis, quia flamma combusit peccatores, idest, magno incendio combusti sunt.

§. VI.

Scintilla, pruna, carbo, & mons.

SCintilla, est parva ignis portio, ex materia ignea, impetu & virtute caloris, resoluta & excusa, vndè motus scintillæ, subitus & velox est, & dicitur Hebraicè, *Nison,* quasi eruptio flammæ; hinc per translationem semper accipitur pro minima lucis alterius particula; vndè & belli reliquiæ, scintillæ dicuntur. Et sic accipitur in Sacra Scriptura vt patet 2. Reg. 14. Sapient. 3. & aliquando significat damnum, vt Sapient. 11. *Bestiæ aut horrendas ab oculis scintillas emittentes.*

Pruna est, carbo ignitus, cum scilicet ignis materiæ terrestri miscetur; cum ergo carbo ardet, ruborem contrahit, extinctus verò, niger efficitur. Vndè pruna à carbone distinguitur, quod illa ardens sit & viva, iste autem ater & extinctus. Et vocatur Hebraicè *Pacham,* & cum ardet *Gechal.* Et Sciendum: quod pavimentum lapidum atrij in quo super carbones accensus pinsebantur tortæ vel oblationes, dicebatur *Rispa,* & post ad quolibet pavimentum est translatum. Ex quo intelligitur illud Canticorũ 3. *Media charitate constravit,* idest pavimentum ex lapidibus, scilicet amoris, & dilectionis cõstratũ. vel pro lapidibus strata ipsa dilectio. Et nota, quod Isai. 6. dicitur de Seraphin: *Et in manu eius calculus,* in Hebraico est *Respa,* idest, carbo, seu pruna ignita.

Sed inquisitione digna dua loca primum, Psal. 17. *Ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo.* Cayetanus, nomine vero carbonum, grossior materia ignis significatur, vt contingit in conflagratione alicuius partis terræ. Sed Hugo Cardinalis: Ascendit fumus lachrimosæ compunctionis, à corde ad oculos, in ira eius, scilicet prætimore iræ eius. Psalm. *Tange montes, & fumigabunt.* Ignis scilicet clarus charitatis à facie eius exarsit, à Dei cognitione, & non dicit arsit tantum, in cognitione divinitatis; sed exarsit in cognitione humanitatis, idest, extra arsit. Carbones, qui prius peccato mortali erant mortui, & denigrati; Thren. 4. Succensi sunt ab eo, scilicet Deo qui dicitur ignis, Deuter. 4. & Hebr. 12. Tales Paulus, Matthæus, & Magdalena, & alij.

Secundum est illud Prover. 25. & Roman. 12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba*

illum

Autem; hoc enim faciens, carbones congeres super caput eius. Hoc enim, dupliciter dicit D. Thomas, potest intelligi; & in malum: quia tuum beneficium bonum, vertitur ei in malum, quia ex hoc incubrit combustionem ignis æterni per suam ingratitudinem. Sed cum hic de charitate agatur, secundo & melius in bonum fit. Hoc enim faciens, idest in necessitate ei subveniens, carbones ignis, amorem scilicet charitatis, cógeres, vel congregabis, super caput eius, scilicet super mentem eius; quia ex Augustino lib. de Cathec. rud. Nulla est maior provocatio ad amãdum, quam prævenire amando. Nimis enim durus animus, qui dilectionem, & si nolebat impendere, nolit rependere.

Venite ascendamus in montem Domini. Isai. 2. Ipse enim Deus, montis nomine insignitur, & intelligitur sic Isai. 14. *Sedebo in monte testamenti, similis ero altissimo.* Vndè Hieronymus in illud Psal. 3. *Et exaudivit me de Monte Sancto suo.* ait: Hoc tamen dictum intelligendum est de monte, idest de divinitatis excellentissima summitate, sicut & alius Psalmus dicit: *Iustitia tua sicut montes Dei.* & alius: *Levavi oculos meos in montes*, idest, ad Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: per altitudinem ergo mótium, divinitatis celsitudo designatur.

Montes ergo, altissima terrarum loca sunt, solidi, duri, atque compacti, è terra versus Cœlum erecti; ipsi tamen terræ radicitus cóiuncti, sæpè interius spongiosi, & concavi ob vacuitaté, & sic aquã ad se trahentes, atque sugentes, quam cavernis eorum repletis per capita fontes emittunt, & sunt origo, & principium fluminum. In illis metalla, fructus, aromata preciosissima, ob aeris puritatem gignuntur, & procreantur. Sunt fœcondi & vberes pro pascuis, & animalibus pascendis. Viget in illis valdè, frigus & nix, & ictus fulminum sæpè patiuntur, vndè aliqui montes Pyrineos sic dictos putant, à crebris fulminum ictibus: *Pir*, enim Græce, ignis, *ceraunus* vero, est fulmen. Dicuntur montes Hebraicè *Harim*, quia lapidibus, mineralibus, aquis, & alijs rebus gravidi sunt, quod deservire potest ad intelligentiam Sacræ Scripturæ, pluribus in locis.

Digladiantur Authores, an à principio creationis mundi, mõtes iam extiterint, an postea aquarum diluvij impetu, & agitatione congesti sint & coacervati. Aristoteles & alij, ab initio totam terrã rotundã, & planam fuisse contendunt, & figuræ perfectæ sphericæ, sicuti orbes cœlestes, & postea vel terræmotibus, vel aquarum accessu & recessu, vel diluvio vniversali, & particularibus, quæ mollia erant, & rara in vnum congesta esse, indeque montes evasisse. Sed contrarium probabilius; & colligitur tum ex illo Psalm. 103. *Ascendunt montes, & descendunt campi, in locum quem fundasti eis.* Et vt diluvij aquæ totam cooperuisse terram arguantur, excelsos etiam montes super gressæ dicuntur, tum etiam ex pluribus vtilitatibus, ex montibus nobis provenientibus, & quia communior sensus Authorum contrarius est.

Dicuntur autem in Sacra Scriptura montes Dei, Psal. 35. *Iustitia tua sicut montes Dei*, quia magnum & eximium sic ipsa solet appellare, vt cedri Dei, exercitus Dei, &c. Et quia ita excelsi, & Cœlo propinqui, maiestatis quandam præseferunt speciem, & ideò visionibus, & spectris divinis deligũtur. Vt Exod. 9. Moyses, vocavit eum Dominus de monte. Abac. 3. *Et Sanctus de monte Pharã.* Et Deuter. 5. Et Christus in monte transfiguratus. Matth. 17. & 2. Petr. 1. *Cum essemus in monte Sancto.* Sunt etiã apta ad habitandum secure. Genes. 36. *Habitavit Esau in montibus.* Et Genes. 19. *In monte salvum te fac.* Et etiam in illis vexilla ponũtur, & præconia edũtur, ita Isai. 40. *Super montẽ Sion exalta, &c.*

Montes, Cœlos indicant, Psalm. 75. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Aliquãdo Ecclesiam significant, Isai. 2. *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini; ibunt ad illum omnes gentes.* Montes, populus Dei, Hebræor. 12. *Accessistis ad montem Sion, & Civitatem Dei.* Montes designat re-

regiones, populos, & regna, & sic mons Samariæ pro ipsa Samaria, & mós Amorrhæi pro regione Amorrhæorum, Ezech. 28. Ad Regem Tyri qui Luciferum figurabat, dicitur: *Posui te in monte Sancto Dei*, idest in supremo loco gloriæ: & ejscere de móte Sancto Dei, est illum è gloria vel Cœlo deppellere; vt dixit Christus: *Videbam Satanam tamquam fulgur cadentem de Cœlo* Luc. 10. Plura alia Sectione sequenti adducentur.

§. VII. *Mater.*

VSque adeò benignitas humanitasq; Dei elucet, vt cum fiducia ad thronum eius accedamus, ad Hebr. 4. Quod nedum gallinæ vt supra diximus; sed etiã matris dulce, & si humile non recusset nomen, & officia subire: ita suaviter suos alloquitur, Isai. 66. *Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis. Et, quemodò si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos.* D. Hieronymus. Ego qui cæteris generationẽ tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus secundum illud quod alibi dicitur, qui plantavit aurem non audiet, &c. & postea. Misericordiam Creatoris in creaturas suas exemplo Matrum discimus, quæ liberos in sinu suo nutrientes, omnem superant charitatem. Denique volens Deus ostendere, quomodò diligat quos creavit: numquid obliviscetur mulier sobolis vteri sui, at ego non obliviscar tui. Et cõfirmat exemplo gallinæ Matth. 23. & aquilæ Deut. 32.

In Sacra autem Scriptura Mater Iesu, pro Ecclesia intelligitur: ita benè Rupertus in illud Ioann. 2. *Nuptiæ factæ sunt in Canà Galileæ, & erat ibi Mater Iesu*, idest Ecclesia, vbi quotidie nubentibus Christo adolescentulabus, vera fides Incarnationis eius prædicatur. Mater etiam piorum in fide militantium, Psalm. 112. *Matrem filiorum lætantem.* Et pro cœlesti Hierusalem, quæ sursum est, quæ est mater omnium. Et pro Synagoga, Isai. 50. *In sceleribus vestris dimisi matrem vestram.* Item pro Babylonia vel carnali generatione: *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me.* Psal. 26.

Accipitur etiam pro Doctore, vel Prædicatore verbi Dei 1. Timot. 4. *Per Evãgelium vos genui.* Et ad Galat. 4. *Filioli mei quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Quæ conceptio, & nativitas spiritualis, fit per semen verbi divini cooperante Spiritu Sãcto. Item mater, est concio vel congregatio populi; Oseæ 2. Contendite adversus matrem vestram. Denique omnis populus, dum simul in Ægypto moraretur, & dúm non est divisus in duo Regna, vna mater dicebatur: at post Roboam in duo Regna divisus, duæ mulieres, vel duæ congregationes sunt dictæ. Ita mater Hierusalem, filia Sion, sed filia Tyri. Plurima autem Dei nomina ommittimus, vel quia infinita, vel quia non ita obvia, & cómunia, & ne manuale in librum grandem erumperet.

Hæc pro ingenij tarditate, & imbecillitate de divinis nominibus humiliter explicare tentavimus. Sciens Gregorij dictum; quod balbutiendo vt possumus, divina, & excelsa resonamus. Vndè Psal. 63. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Et quod dicitur Eccles. 43. *Glorificantes Dominum quantum potueritis, supervalebit enim adhuc, & admirabilis potentia eius. Benedicentes Deum exaltate illum quantum potestis; maior est enim omni laude; ne laboretis, non enim comprehendetis.* Et Sapien. 11. Quoniam tamquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum; & tamquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram. Et cum Deus à nobis ex visibilibus cognoscatur creaturis, & istæ finitæ, & limitatæ sint; Deus autem infinitus & immensus: vincit omnem scientiam nostram, Iob 36. qui etiam finem apponat. cap. 26. Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum eius, & cum vix parvam scintillam sermonis eius audierim?, quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri? Det autẽ vt sicut nominamur Filij ipsius, tales etiã simus per gratiã, vt eius nobis dilect⁹ Apost. 1. epis. c. 3. annũciavit, & prædixit.

SEC-

SECTIO SECVNDA.

DE NOMINIBVS CHRISTI DOMINI.

QVIA ut testatus est Apostolorum Coriphaeus, Petr. Act. 4. Non enim est aliud nomen sub Caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, &c. Postquam laconicè, & graphicè (imperfectè tamen) de nominibus Dei sermo noster peroravit. Iam de Iesu Christi servatoris, & Salvatoris nostri nominibus, quae sparsim in tota continentur, & pronunciantur Scriptura, cum finis, & scopus illius, ex iam dictis, existat, dicente Augustino Psal. 71. Omnes promissiones Dei in Christo formatae sunt agendũ venit. Cum in illo cõpletum est quicquid pro salute nostra prophetatum est. Hoc autem in terra esse voluit; quia propter eos conscripta sunt, vnde & ipse in terrã venit, vt ea cuncta firmaret, idest in se monstraret impleri. Oportebat enim impleri omnia quae scripta sũt in lege, Prophetis, & Psalmis de me, Luc. 24. Nobis ergo recta methodus efflagitat tractatũ aggredi, vt sic, opus praesens ex parte materiae perfectũ evadat. Et si forte labor assumptus propitium nobis illum reddat, vt cum Iacob dicere valeam, Genes. 32. *Placabo illum muneribus.*

Omnia quidem nomina in medium adducere, cum plurima sint, impossibile est, & manuale in immensum, vt patet, excresceret, aliqua communiora, & sacratiora lustrare, sicut iucundum, ita & vtile omnibus spero futurum. In qua re plurimum suscepere laboris, Cantapratensis lib. 10. cap. 3. & Vincentius de Fumario duobus libris, in quorum primo 151. & in secundo 142. per alphabeti ordinem, nomina lustrat, explicat, & declarat. Et quia nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto, ipse mihi adsit, vt de illo vera & digna sapiam, vera & digna loquar, vera & digna quaecumque sunt diligam. De quo Sect. 3. aliqua breviter dicemus.

CAPVT I. PRIMVM.

Aliqua fundamenta pro dicendis continens, & praemittens.

PRaesens caput vt dicendorum fundamentum, elucidandum prius venit, ad cuius exactam intelligentiam, quae supra tract. 1. sect. 1. cap. 1. & 2. scripsimus, necessario in memoriam revocanda sunt. Etenim fide vt dicitur 3. par. q. 2. quod ex vnione Personae divinae cum humanitate consurgit persona, vel suppositum, terminans tam divinam, quam humanam naturam, ex qua vnione vera, physica, & reali venit, quod ea, quae sunt Dei, dicantur de homine, & è contra, & sic Deus dicitur homo, & homo Deus, de quo D. Thomas 3. par. q. 16. defectu cuius distinctionis plures in varias Haereses, & errores prolapsi fuere.

Vnde D. Ambrosius lib. 3. de fide cap. 3. est in scripturis promiscua consuetudo, vt interdum de divinitate Christi incipiant, & ad Incarnationis Sacramenta descendant; interdum ab Incarnatione exordium sumant, & ad gloriam divinitatis assurgant. Et lib. 5. cap. 5. Christus nunc ex persona hominis, nunc in Dei maiestate, se significat, nunc vnitatem divinitatis sibi cum Deo Patre vindicans, nunc fragilitatem humanae naturae assumens. Et D. Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 11. Distinguamus (inquit) quid de Christo sonet, secundum formam Dei, in qua est aequalis Patri, & quid secundum formam servi, quam accepit, in qua minor est Patre; & non turbabimur tanquam contrarijs inter se Sanctorum librorum sententijs.

Rationes autem, quare ita mixtim, & promiscue Scriptura loquatur: Variæ assignantur. Prima, ex Chrisostomo hom. 1. ad Hebr. vt carnis dispensationem confirment, & perfectam confirment naturam. Secunda, eiusdem Chrisostomi homil. 26. in Matth. Excelsa (inquit) humilibus, & rursus excelsis humilia Christus permiscet, vt suspicionem qua Deo contrarius putabatur, auferat & tollat. Tertia, ex eodem Chrisostomo homil. 8. in Ioan. propter auditorum imbecillitatem. Christus enim Ioan. 17. dixit Patri: *Nunc cognoverunt quia omnia quæ dedisti mihi abs te sunt.* Et infra; *tui erant, & tu mihi eos dedisti.* Noli, qqia audis Patrem mihi eos dedisse, existimare alienos iam à Patre esse. Quarta, ex Theophil. Ioan. 5. Christus interdum sublimia de se testimonia vt dignum erat, fert: interdum autem humilia, propter insaniam inimicorum Iudæorum: videntes enim ipsum cum publicanis conversari, si semper sublimia de se dixisset quid non fecissent?

Sed præstat iam communia capita, eorum quæ de Christo dicuntur in medium proferre, certis clasibus comprehensa, quæ satis aperte recenset Damascenus lib. 4. cap. 19. Alia sunt quæ illi cōpetunt ante Incarnationem. Alia secundo, quæ in ipsa vnione. Tertio alia, post vnionē. Quarto denique, post Resurrectionem. Eorum quæ primo ante Incarnationem sex sunt modi. Alia dicunt convenientiā in natura, vt: *Ego & Pater, vnum sumus.* Aliam perfectionem hypostasis, vt Filius Dei, character substantiæ eius. Alia mansionem hypostasum ad invicem, vt: *Ego in Patre, & Pater in me est.* De quo 1. p. q. 43. art. 5. Alia immobilem statum, & proprietatem à Deo inseparabilem, vt verbum, sapientia, &c. Verbum inquam substantiale; & sic de alijs.

Alia, ex Patre vt causa; *Pater maior me est.* Nam ex ipso habet esse, & omnia quæcunque habet, & *mea tua sunt*, Et *ex Patre exivi*: Sed licet apud Græcos, talis modus loquendi sit in vsu; non verò apud Latinos vt ostendit D. Thomas 1. p. q. 33. art. 1. Admittentes in personis divinis rationem principij, sed non causæ; videatur. Denique, alia competunt prophetice, vel vt futura: *Ecce Rex tuus veniet tibi*, vel vt præterita: *Post hæc in terris visus est. Vnxit te Deus.* Et notandum: quod ea quæ ante vnionē de Christo dicuntur, etiam de illo post vnionem dicentur, quæ verò post vnionem, ante vnionem non dicentur, nisi ad summum prophetice.

Quædam verò diximus convenire in ipsa vnione. Et hoc tripliciter. Vel ex meliori loquentes, & sic deificationem carnis, & super exaltationem dicimus. Vel ex inferiori, & sic Incarnationem Verbi, humanationem, humiliationem dicim⁹, quæ de Deo ex vnione ad humanitatem dicuntur. Tertio, ex vtroque extremo simul, vnionem, communionem, conformationem proferimus. Et ex isto tertio modo, alij duo dimanant: nam per vnionē, & caro deificari dicitur, & Deū fieri, idest assumpta à Verbo: ita vt caro Dei dicatur, & homo ipse, dicatur Deus. Et hoc, non ex duabus naturis mutatis, & confusis: de quo 3. par. q. 2. art. 1. in vnam naturam transeuntibus, sed ex duabus naturis in vna persona vnitis.

Tertius modus, est post vnionem, & triplex existit. Alius, divinæ naturæ est insinuativus, vt: *Ego in Patre, & Pater in me est. Ego & Pater, vnum sumus.* Et omnia quæ ante humanitatis assumptionem dicuntur, illa etiam de ipso post susceptam humanitatem dicentur. Alius est humanæ naturæ insinuativus. *Vt quid quæritis me interficere? tristis est anima mea, &c.* Qui in sex modos dividuntur brevitatis causa apud Damascenum, & Cantaprat. colu. 479. videndi. Vltimus modus est, tàm hypostasis, quàm vtriusq; naturæ indicativus: *Vt ego vivo propter Patrem; & qui manducat me, vivet propter me. Et nullus ascendit in Cœlum, nisi filius hominis qui descendit de Cœlo*, & alia.

Denique quarto alia sunt, quæ competunt post resurrectionem, vt illud esta *Baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Ecce ego vobiscum*

cum sum vsque ad consummationem seculi, nam vt Deus est nobiscu. Alia nota quæ hominem decent; ex his quædam secundum veritatem, & ad fidem faciendam, vt quod sit passus, resurrexerit, cicatrices, &c. quædã, ad veritatem, & naturam pertinent, vt transire de loco in locum sine labore, per portas clausas ingredi. Quædam secundũ simulationem, vt cum finxit se longius ire, &c. Sed tenendum est, vtraque nomina, esse eiusdem Christi Domini nostri. Cuiusque enim propria agnoscentes, & vtraque ab vno & eodem patrata videntes, non errabimus, sic recte credentes.

Denique pro dictorum, dicendorumque intelligentia, cum de Christi Domini propriis nominibus sit agendum, operæ pretiũ duxi, causas insinuare, ob quas in Scripturis nomina propria indita reperiuntur. Prima, ex Hieronymo Isaiæ cap. 62. Hoc est Hebraicæ consuetudinis, vt ex eventu, rebus semper vocabula imponant. Sicut Domino Salvatori Isaias: Cito spolia detrahe, velociter prædare. Et arbor scientiæ, boni & mali ita dicta ex Eucherio lib. 1. in Genes. cap. 13. quia homo per experimentum ab ipso didicit, quid esset obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum. Et in nomine Saræ. Adnotat Hieronymus in qq. in Genes. Quod prius vocata est *Sarai*, idest Princeps mea & vnius tantum domus mater familias, & postea Sara absolute Princeps, quia in semine Abrahæ, benedicendæ erant omnes gentes.

Secunda causa fuit, à tribu vel cognatione. Vnde Hieronymus: Paulus ante Saul⁹ vocabatur, quia de tribu Benjamin erat, in qua hoc nomen familiarius erat. Siquidem & ille Saul Rex Iudeæ, persecutor David, de tribu Benjamin erat. Et cognati Ioannis Baptistæ, nomen Patris ipsi imponere volebãt, scilicet Zachariæ, quia nullus erat in cognatione qui Ioannes vocaretur. Tertia causa, ex Hieronymo propter virtutis auspicium ponuntur vocabula. Sic Michæas, idest humilitas, & Abdias, servus Dei. Et Basilius de humana Christi gener. vbi de industria nomina imponuntur subiectam ostendunt naturam, vt Abrahami, Isaac. Horum enim quodlibet, vitæ immaculatæ proprietatem designat.

Quarta & vltima causa, ex operibus desumitur. Sic de Spiritu Sãcto. Ioan. 15. dicitur: Cum venerit consolator, quem ego mittam vobis. Sic vocatur Spiritus Sanctus, ab operatione, quia consolatur eos qui se dignos repererit, & gaudio inenarrabili afficit. Et Gabriel qui fortitudo Dei dicitur, ad Mariam Virginem mittitur, quia illum nuntiare veniebat, qui ad debellandas aereas potestates, humilis apparere dignatus est. Alias causas attulit D. Thomas 3. par. q. 32. art. 2. quas infra expendemus.

CAPVT SECVNDVM.

De nomine Sanctissimo Iesu.

SIcut præfati sumus, præcipua Christi nomina solum lustranda suscepimus, inter quæ principem locũ obtinent hæc tria, scilicet *Christus, Iesus, & Messias*, circa quæ explicanda, nostra intentio principaliter versabitur, alia cursim, & per transellam salutantes, cum opus vltra intentionem manualis excrevisse videatur. Auspicamur ergo initium à Sanctissimo nomine Iesu, D. Bernardi serm. 15. in Cant. verba venerantes. Si scribas non sapit mihi, nisi legero ibi Iesum. Si disputes, aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Iesus. Et quia ex Apost. 1. Corin. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, quod est Christus Iesus*, hinc super ædificemus præsens caput.

1. Quoad primum, Iesus Hebraicè, *Soter*, Græce, Salvator autem, vel Servator Latine dicitur; & quantum ad eius antiquitatem dictio est communis vtrique testamento. In veteri enim hoc nomine insigniti præcesserunt tres viri insignes, scilicet Iosue filius Nun Iosedech, alius Iesus, de quo Esdras, Ecclesiasticus, Aggeus, & Zacharias, qui fuit Summus Sacerdos, & Iesue filius Sepach. Et merito quidem, quia cum ex Apost. Hebr. 10. Lex

an

antiqua fuerit vmbra futurorum, si tres ita nominati sunt, vt in ore duorum, vel trium testium stare omne Verbum; & Redemptorem nostrum praecederent ipsum praefigurantes, tum nomine, tum officio. Qui primus fuit Dux populi Israelitici, secundus fuit Sacerdos magnus, qui Templum construxit: tertius Doctor legis eximius, atque sapientissimus: sed quanta differentia? Iam diximus.

Quoad secundum, circa ethimologiam vel pronuntiationem sciendum: Quod nomen *Iesus* significat salutem, *Iasa* enim est salvare. Iudaei ergo, ne fateri cogantur, hoc nomen à salute dictum, tribus tantum litteris scribunt illud, tollentes quartam litteram *Ayn*. Quae tamen est substantialis nomini, sine qua, non salvatur significatio eius. E contra Oliander Author damnatus, contendit scribendum *Iehesuh*, vt sic litteras omnes contineat nominis Tetragramaton. Alij, proferendum *Iehesu*. Sed haec omnia reijcienda veniunt, sed quia in hoc impugnando multum temporis esset insumendum. Nos breviter reliqua apud Angelum Caninium de locis novi testamenti, Matthaeum, Ballestrem, & alios videnda remittimus.

Contra Iudaeos quidem, quia Angelus expressè dixit, Luc. 1. *Vocabis nomen eius Iesum*, & causam reddit: *Ipse enim salvum faciet populum suum*. Et sic vocatur à Iacob. Genes. 49. *Salutare tuum expectabo*, & Hebraicè *Lisuahteca*, id est salutem. Vt infra, contra Oliandrum dicemus sine fundamento aliquo negare, idem nomen esse Iesu, & Iosue. Insuper Summum Sacerdotem Iosadach filium, appellatum esse Iesua & Iehosua; & sic etiam vtrumque nomen idem esse. Quia vt benè ostendit Angelus Caninius cap. 1. Idem Summus Sacerdos qui è Babylonia cum caeteris exulibus rediit in Iudaeam ab Aggaeo, & Zacharia semper nominatur Iehosua filius Iosadach. Et idem apud Nehemiam dicitur Iesua filius Iosadac ablata littera *he*, vt textum inspicienti patebit; quia licet Hebraicè Iehosua, ac Syriacè Iesua, vt loquebantur Iudaei post redditum in Hierusalem, profertur.

Quod autem Iesu & Iosua idem nomen sit, iam demonstrato, solum est discrimen, quod à Iesua ablata est littera *Aain*, vt mos is est apud Syros, nam quod Hebraicè dicitur *Sebha*, id est *Septem*, Syriacè dicitur *Sab*, vltima littera reiecta, & pro *Quieta* quod est absolutus, Syri legunt *Quiet*, & sic de alijs. Iam de nomine Iehoua diximus, nihil significare, vt benè ostendit idem Angelus Caninius. Nam cum Hebraica omnia nomina, etiam aliquid habeant, Iehesu nullum habet, nisi *Hayah*, quod nihil significat. Nec ideò scribendum sic, vt litteras habeat, nominis Iehova, hoc enim non requiritur vt ibi ostendit Angelus citatus.

De hac variatione & ratione illius, videatur Nebrisensis quinquagena 3. c. 3. & Didacus Ximenez in Lexicon. Verbo Iesus. Veteres qui ex vna lingua in aliam dictiones Hebraicas transferebant, vel dulcem soni & emollirent vocis Iehosuah, addiderunt vel abstulerunt litteras. Et sic ex Iehosuah detractis, *He* cum apice, [illegible] contrahunt in vocalem [illegible], & duabus posterioribus per sinaeresim contractis in vnam, nomen Iesu fecerunt. At Latini ex prima syllaba apicem *Iod* reddiderunt, & ex secunda aspirationem, & sic ex *Iod*, & *Olem*, fecerunt, *Io*; & *Ain* quod in fine erat, verterunt in *E*, ex quo resultat Iosue. Et sic in libris ex Graeco in Latinum conversis, semper dicitur Iesus; at in traductis ex Hebraeo dicitur Iosue communius, exceptis Abacuch, Aggaeo, Zacharia, Esdra & Nehemia. Vnde sequentes Authores Hebraeos, proferunt Iesum bisyllabum, at sequentes Graecos, trisyllabum.

Iam ad tertium, scilicet convenientiam impositionis huius nominis deveniamus. De qua pertractat D. Thom. 3. par. q. 37. artic. 2. vbi inquirit. An convenienter Christo tale nomen impositum fuerit? Et ratio dubij consurgit; tum quia alia nomina, imponenda Christo, continet Scriptura: tum quia non est nomen novum, sed alijs pluribus in veteri testamento fuit impositum. Hoc explicandum se offert; vt sic differentia, & discri-

cri-

commen inter hoc nomen alijs attributum, & Christo Domino communicatum perpendamus.

Audiamus ergo primo D. Thomam sic discurrentem art. cit. nomina (inquit) debent proprietatibus rerum correspondere: nomina autē, vltra quatuor causas prædictas solent imponi, vel ab aliqua circunstantia tēporis, sicut à Sanctis in quorum diebus quis nascitur. Vel à cognatione vt de Baptista dicitur. Vel ab eventu; sicut Ioseph vocabit primogenitum suum Manassen dicens: *Oblivisci me fecit Deus, omnium laborum meorum*. Genes. 41. Vel à qualitate illius cui nomen imponitur, vt Esau quia rubeus erat. Et sic de alijs.

Prosequitur autem, & dicit: quod nomina quæ divinitus aliquibus imponuntur, semper significat aliquod gratuitum donum eis divinitus datum, vt patet in Abraham, & D. Petro, & alijs. Quia igitur Christo hoc munus collatum erat gratiæ, vt per ipsum omnes salvarentur; ideò convenienter vocatum est nomen eius Iesus, idest Salvator, Angelo hoc nomen prænuntiante, non solum Matri; sed etiam Ioseph qui erat futurus nutritius. Hinc prima ratio dubij patet; quia in omnibus alijs nominibus quæ continet Scriptura, iam significatur aliquo modo nomen Iesus, per Emmanuel, idest nobiscum Deus designatur causa salutis ex vnione Verbi cum natura humana, per illa verba: *Accelera, spolia, &c.* quod Christus nos salvavit à diabolo, &c. Et sic de alijs.

Circa secundam autem dubitandi rationē, de salute causata per Iesum, sciendum: quod vbi Genes. 49. dicit vulgata: *Salutare tuum expectabo*, secuta Græcam quæ redit *Sotirion*, quasi in concreto scilicet, pro salvatore, & Simeon: *Quia viderunt oculi mei salutare tuum*. in Hebræo est *Lisuateca*; idest salutem in abstracto, sed in idem coincidunt cum abstractum ponatur vt maxima salus causata intelligatur, frequens in scripturis, & in bonum & in malum; qui factus est nobis iustitia, sanctificatio & redemptio. Et Isai. 14. Abominatio est homo, idest valdè abominabilis.

Sed notare debemus. Quod Zachariæ 9. dicitur: *Ecce Rex tuus venit tibi iustus, & salvator*, & in Hebræo: *Ve nosa bir*, idest salvatus; ipse, vel servans se ipsum: qui enim se ipsum servat, potest & alios servare. Nec emphasi caret, quod Christus se ipsum servare potest, scilicet per se ipsum, non egens altero, contra Pharisæorum errorem, qui videntes eum in Cruce, dicebant: *Alios salvos fecit, se ipsum salvare non potest*. Zacharias ergo salvatorem etiam sui dicit, & sic optimè significare salutem dicit. Et etiam Isai. 45. *Et germinet salvatorem*.

Ad quartum iam de virtute, & salute causata ab isto Sanctissimo nomine, D. Thomas solutione ad secundum dicit: quod his qui fuerunt ante Christum, potuit convenire nomen Iesus secundum aliquam rationem scilicet, quia aliquam salutem temporalem causaverunt: sed secundum rationem spiritualis, & vniversalis salutis hoc nomen propriū est Christi, & secundum hoc est novum. Quod latè & pijssimè prosequitur Origenes homil. 1. in Iosue. Ab illis verbis: *Donavit Deus nomen quod est super omne nomen Salvatori nostro. Et id circo in nomine Iesu omne genu flectatur*. Et quia est nomen super omne nomen; id circo nulli impositum est. Et deinceps conferens illud cum Iosue, plures differentias excessusque inter vtrumque assignat, dignæque, vt magna cum attentione legantur.

Etenim si illi tres vt imagines præcesserunt, illorum imperfectiones adimplevit. De primo enim legitur Isai. 55. Ecce testem posui eum, Ducem ac Præceptorem gentium. Et Michæ. 2. *Ex te exiet Dux, qui regat populum meum Israel*. De secundo Psalm. 105. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Et ad Hebr. 10. qui initiavit nobis vitam novam. De tertio Isai. 30. *Et non faciet vltra avolare à te Doctorem tuum*. Et Ioel. 2. quia dedit vobis Doctorem iustitiæ, rectè ergo dicitur Iesus Sal-

va-

vator quia Dux, Sacerdos, & Doctor. Et non sicut Iosue vnius populi, sed mundi vniversi, non respectu terræ promissionis, sed Ecclesiæ, tam Militantis, quàm Triumphantis. De quo Ioelis 2. *Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit.* Et si Græce, quia illos Iupiter liberavit *Σωτὴρ*, idest servator dictus: quanto ergo rectius nos Iesum Christum Dominum Salvatoris nomine nuncupamus, qui nos suo benignus cruore in veram æternæ vitæ libertatem asseruit.

Cum ergo hoc nomen sit supra omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro, hinc Sacra Scriptura & Patres, in illius laudes & encomia celebranda omnes vires extenderunt, vt ergo vltimam manum apponamus aliquas seligemus. Hoc enim nomen magnum est vnigeniti Filij Dei Patris, in quo omne genuflectatur. Ex Apost. ad Philip. 2. ad illud portandum per vniversum mundum electi Apostoli, in quo D. Petrus Actu 3. claudum reddidit ambulantem, dicens illi: *In nomine Iesu Nazareni surge, & ambula.* Ad quod per orbem terrarum divulgandum segregatus est D. Paulus dicente Domino. Act. 9. *Quoniam Vas electionis est mihi, vt portet nomen meum coram regibus, &c.* Quo ita affectus vt suis epistolis 460. vicibus in medium adduxerit. Quo discipuli reversi dixerunt. Luc. cap. 10. *Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.* De quo etiam ipse Dominus. Marc. 16. *In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint non eis nocebit.*

De ipso Malac. 1. *A Solis ortu vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus.* Hoc est, nomen quod cæpit invocare Enoch. Genes. cap. 4. Hoc nomen invocavit Abraham, quando ædificavit Altare Domino. Hoc etiam Isaac invocavit in Altari ædificato. Et Iacob super lapidem quem erexit in titulum de illo. Isai. 30. *Ecce nomen Domini venit de longinquo.* Et Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum*, vbi D. Bernardus, multa supra admirationem. De hoc etiam Isai. 26. nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ. Et iterum cap. 12. *Mementote quoniam excelsum est nomen eius.* Et Psal. 112. *A Solis ortu, & occasu laudabile nomen Domini.* Et Psal. 110. Sanctum, & terribile nomen eius. Et Ioel. 2. & ad Roma. 10. omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit. Vbi D. Thomas. Est autem invocare in se vocare per affectum, & devotum cultũ, vnde Psal. 90. *Invocavit me, & ego exaudiam eum.*

Cum autem supra aliqua de nomine *Iehova*, præfati sumus, non abs re erit litem dirimere inter Authores exagitatam; an scil. nomen Iesu, & Iehova, idem sint. De quo Angelus Caninus cit. & Alphonsus Mendoza, quæst. 10. expositiva, qui plures refert, dicentes: nomen Iehoveh, quod scribitur *IHVS.* Si in medio addatur litera *Sin*, converti in nomen *IHSVH.* Seu Iesuah: & sic illud nomen antea ineffabile, & impronuntiabile, apposita litera *S.* factum fuisse pronuntiabile.

Proponit etiam aliquas rationes. Tum ex illo Isai. 7. Ecce Virgo concipiet, & vocabitur nomẽ eius Emmanuel; Hebræa autem habet vocabit ipsa, idest Mater. Et idem Isai. 52. *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit*: scilicet ex Georgio Veneto, quia vocatus est nomine continente virtutem magni nominis in quo fiebant remissiones. Et ad Philip. 2. *Dedit illi nomen, quod est super omne nomen. &c.* Et Ierem. 23. *Et hoc est nomen, quod vocabunt eum.* Et Luc. 1. *Vocabis nomen eius Iesum.* Apocal. 15. *Vocabatur nomen eius fidelis*, & plura alia. Et ita sentiunt Iacobus de Valentia. Burgensis. Iansen. & latè Galatinus à cap. 8. & inclinat Mendoza citatus.

Qui optimè inquirit cur ad litteras nominis Iesuch, fuit magis assumpta littera *Sin*, quam alia? Respondent aliqui: quia talis littera, est clementiæ, & formam habet lampadis ש. & nomẽ Christi ab oleo desumendũ erat juxta illud Cant. 1. *Oleũ effusum nomen tuum.* Alij ideò appositam

tam talem litteram, quia illa mysterium indicat Trinitatis, eo quod vt Hebraice, figuratur, tres veluti ramos ab eodem principio provenientes, & in idem punctum coeuntes. Alias refert, videantur.

Refragantur tamen huic sententiæ Angelus Caninus, Maluenda, & alij. Tum quia Angelus, Matt. 1. Etymon nominis Iesu explicans, dixit: *Vocabis nomen eius Iesum; ipse enim salvum faciet populum suum;* ergo Iesue deducitur à verbo *Iasab*, idest salvandi cum *Ain*, quam literam non admittit nomẽ Iehovah. Et quia semper intellectum nomen Iesu dici à salute per *Ain*, & sic diversum à Iehovah. Et etiam patet ex titulo Crucis Christi, in quo nomen Christi scribitur per *Ain*. Inter has sententias iudicium ferre poterit, qui linguam caleat Hebræam, sed licet prima valdè pia; secũda firmior, quia illa transpositio litterarum, & intercallatio literæ *Sin*, in nomine Iehovah, videtur voluntaria, alij iudicent.

Sed concludamus etiam ethimologiam Græcam scrutantes, in qua ex Beda lib. 1. in Lucam, sic scribitur: ΙΗΣΟΙΣ. Quæ sex literæ efficiunt numerum 888. sic. 10. 200. 8. 70. 400. & 200. qui numerus octavus significat quietem, & Resurrectionẽ. Videatur etiam D. Irinæus lib. 2. cap. 41. Et alij dicunt: Iesum Græce significare Medicum, Curatorem, & Servatorem. Quia licet sic nomẽ Hebræum, vt Græcum interpretantur; sicut Pascha, Hebraice est transitus, & tamen Authores deducunt illud à verbo Græco, quod significat Pati, & sic de alijs.

CAPVT TERTIVM.

De nomine Sacratissimo Christus.

CHristus Græce, Messias Hebraice, Latine Virtus, dictio est communis vtrique testamento, in veteri primo dicta habetur, vel pronuntiata 1. Reg. cap. 2. & postea sæpissimè attributum varijs Personis reperitur, quia *Creyn* est vngere, & in tertia Persona præteriti passivi *Cheriste*, inde Christos vnctus, per vnctus, vel inunctus: Cum ergo in veteri testamento plures homines invngerentur hinc plura fuerunt Christorum genera.

Audiamus iam D. Hieronymum Abacuch 3. sic scribentem: Christorum multa sunt genera. Primo enim in veteri testamento Christi dicebantur Patriarchæ, vel Prophetæ, quorum Vnctio facta fuit per Spiritum Sanctum, absque oleo sensibili. De his Psal. 104. *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Licet Elisæus Propheta, oleo vnctus sit. 3. Reg. 19. Secundo, Sacerdotes vngebantur, vt patet Exod. 30. & Levit. 8. & cap. 21. Tertio, Reges vngebantur, vt Saul. 1. Reg. 10. David 1. Reg. 16. & Salomon 3. Reg. cap. 1. Sed adnotat D. Hieronymus, Vnctionem Regum, duplicem esse, Davidis idest manu fortis; & Salomonis, idest pacifici, cornu sit. Iehu, & Azahel perfunduntur lenticula. Cyrus etiam Persarum. Isai. 45. Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro; qui eduxit, vel relaxavit captivitatem Populi.

In novo autem testamento super omnia vnguentorum genera supra dicta, est vnguentum spirituale, quo vngitur Salvator, & dicitur ad eum: *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo letitiæ præ participibus tuis.* Et sub hac ratione, hoc nomen est proprium Salvatoris nostri: quia ipse erat vere Sacerdos, Propheta, & Rex. Quia vnctus oleo letitiæ præ cõsortibus tuis, idest gratia vnionis, habituali, & gratis datis vt. 3. p. docent Theologi. q. 7. Hinc Hebræi illum appellant *Meleech ha* Messiach, idest Rex ille Christus, vel vnctus per antonomasiam, vel emphatice propter excellentiam.

Circa ethimologiam etiam notandum: quod Tertulianus lib. de Baptismo, cap. 7. dicit: Vnde Christus dicitur à Chrismate, quod est Vnctio, quæ Domino nomen accomodavit, facta spiritalis, quia spiritu vnctus est à Deo Patre, sicut in actis convenerunt, &c. adversum puerum tuum Iesum quem vnxisti. Sed Lactantius lib. 4. institut. 1. Christus non proprium nomen est, sed nuncupatio potestatis, & Regni. Sed exponenda est huius nominis ra-

ratio, propter ignorantium errorem, qui cum mutata littera Christum solent dicere. Sed Maluenda.1.Reg.2.hoc illustrat, & dicit, vsurpatum fuisse à Suetonio in vita Claudij, cap. 25. Qui Iudæos impulsore Christo assidue tumultuantes Roma expulit. Et Iustinus Martyr oratione ad Pium. Christiani esse deferimur: atqui Christum, hoc est commodum, & bonum odisse iniustum est. Et Tertul.in Apolog. cap. 3. Christianus verò quantum interpretatio est de vnctione deducitur, sed cum perperam Christianus pronuntiatur à vobis, de suavitate, vel benignitate cópositum est. Sanè Christus vnctus; Græcis, bonus, commodus, vtilis. Et Suidas. Christus bonus ex charitate, Christus oleo invnctus, ecce differentiam vtriusque nominis.

Sed facessunt negotium, Tertuliani verba obscura lib.ad Martyres sic proloquentis: Epitastes vester Christus Iesus, qui vos spiritu vnxit, & ad hoc scamma produxit, voluit vos ante diem Agonis ad duriorem tractationem, à liberiore conditione seponere. Quibus in verbis, videtur docere, Salvatorem nostrum, nó quia vnctum, sed quia nos vnxit, Iesum vocatum fuisse. Verbum enim *Epitastes*, significat idem quod *Xystarca*, sive *Gymnasiarcha*, idest Præfectus, & Magister. Sed nihil contra nos: quia sicut supra diximus Iesum salutare, & salutem dici, quia vtrumque continet ob sui excellentiam; ita in præsenti, & ipse vnctus omni gratia, & vngit nos, vt strenue contra adversarios pugnemus, vel vngit secundum divinitatem, & vngitur secundum humanitatem, ex glossa. Vnde Chrisostomus: invngitur more athletarum, qui stadium iam ingressuri sunt. Et Cyprianus, hoc oleo vncti cum spiritualibus nequitijs colluctemur.

Iste ergo Christus sic vnctus, est Iesus Dei Filius, quem futurum omnes antecedentes præsignificare accipimus; vsque adeò vti omnes hi ad verum Christum divinum, & cœleste Verbum, qui solus totius orbis summus Sacerdos: solus cuiusque creaturæ Rex est. Solus inter Prophetas summus Patris Propheta est, apte, & congruenter referantur. Et sic verius, & magis quam illi omnes Christus nominatus est. Vnguentum enim, quo vnctus est, non ex aromatibus confectum; sed divinum, ex ipso Spiritu Sancto libatum, paternæ divinitatis participatione assumpsit.

Sed dubium potest insurgere: an Salvator, & Redemptor noster, sicut ab æterno Deus, & Verbum, & Deus vocatus, ita & Christus dici ante nostræ carnis assumtionem? Respondet Damascenus lib. 4. cap. 6. Nos Filium Dei vocatum Christú dicimus, ex quo Sanctæ Virginis vtero conceptus, & caro immutabiliter est factus. Vnctio enim ipsa ad humanitatem attinet ex Nazianz. lib. 4. Theolog. Et Cyrillus ad Reginas ait. Quando Verbum caro factum est, tunc & ipsum nominatum esse Christum dicimus; quia vnctus est oleo lætitiæ, idest Spiritu Sancto à Deo Patre, & hac causa Christus nominatur: quod autem vnctio circa humanitatem facta sit, nequaquam dubitaverit quispiam corú, qui recta sapere consueti. Videatur D.Athan.serm.de Epiphania.

Sed dicet quis primo. Psal.44.habetur: *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*; ergo ex hoc colligi potest, ante Incarnationem Christum hoc nomine vocatum. Secundo ex Apost. Hebr.13. *Iesus Christus heri & hodie, & ipse in sæcula*; ergo semper hoc nomine insignitus videtur. Ad primum respondetur, vel loqui de generatione æterna; vel si de temporali, quod Scriptura sæpè vtitur præterito pro futuro, vt post hæc in terris visus, parvulus datus, cú tamen nondum visus, nec datus. Ad secúdú. Cayetanus, ait, quod æternitas Christi significatur per hæc tria tempora, & in hoc consistit vniversa fides nostra, vt Iesus credatur verus Deus & verus homo, ex quo nihil contra nos. Vel ex D.Thoma. Iesus Christus heri in tempore scilicet primitivorum; hodie in tempore isto, ipse in sæcula, idest vsque ad consumationem mundi, & sic solum convincit quod dictus sit Christus omni tempore.

Li-

Licet ergo Christi nomen ita Sanctũ, & ad vtriusque populi salutem venerit scilicet Iudaici, & Gentilis, vt esset Rex ac Sacerdos, & Dux noster, & tot signis, symbolis, & Prophetis designatus. De quo Clemens Alexandrinus lib. 6. stromatum. Et Origen. lib. 5. contra Celsum. De Sibillis, de quo etiam Sixtus Senensis lib. 2. Multi tamen in eum credere noluerunt, quia ex Arnob. lib. 1. Dicebant Gentiles Christum suis, libros de magia conscriptos reliquisse. De quo Augustinus lib. 1. de Cons. Evang. cap. 8. & Tertul. in Apolog. contra Gent. cap. 16. In tantumque Gentiles Christi nomen detestabantur, vt omni modo eius memoriam delere conati sunt; iam demoliendo Ecclesias, iam libros sacros ignibus cremandos tradendo, ob quam causam, plures fideles strenue vsque ad mortem decertarunt. Vt indè rectè à Simeone dictum videatur; Christum Dominum futurum in signum cui contradiceretur; vt sic esset in ruinam infidelium, & resurrectionem eorum, qui in illum crederent.

Circa inscriptionem etiam nominis Christi observandum; quod duabus litteris descriptum, Constantino Imperatori in visione demonstratum est. Et sic deinceps in galea gestare consuevit, vt sic habens situm in galea totius orbis Imperatoris, per totum mundum, eius difunderetur notitia. Fuit autem talis inscriptionis figura ☧. Estque per *X.* & *P.* Christi nomẽ expressum. In littera *P.* Christi nomen exprimi antea solitum fuit iam. Sed observandum: quod magna cum ratione his elementis inscribitur Christi nomen, & eius Crux: vt crux in Christo, & Christus in Cruce demonstretur: quia per litteram X. licet transversa, Crux demõstratur: ab alijs sic delineata p. Quantum autem Christi nomen prælidij fuerit ad plures victorias consequendas, ad calamitates vitandas; historiæ narrant. Imò & eius imago. De quo Adrinus in Annalibus, & Auctor Mesecollæ lib. 17. censulantur, quia obvia sunt.

Liceat breviter quantam bonorum copiam Christi adventus, & mors ipsius in mundum invexerunt, indicare ex celebri loco Daniel. cap. 9. *Septuaginta hebdomadæ abbrebiatæ sunt super populum tuum, vt consumetur prævaricatio.* Hebraice *Pesa.* Scilicet, transgresio primi parentis, quæ licet aliqualiter expiaretur illa lege, sed non consumebatur penitus, cum adhuc iusti detinerentur in inferno, donec venit Messias. Secundo dicit: Finem habiturum peccatum. Hebraice, *Chata,* scilicet pronitatem ad malum, de qua ad Roma. 7. qua in novo testamento, Spiritus Sancti gratia, repressa fuit. Tertio dicitur, & deleatur iniquitas. Hebraicè *Abon,* idest peccatum personale, de quo Ioan. 1. cap. 3. *Omnis qui facit peccatum, iniquitatem facit.* Quæ omnia Christus sua abstulit morte. Denique dicit, & adducatur iustitia sempiterna, Hebraice *Sedech Olamion,* iustitia sæculorum; vel quia semper duratura; vel quia ad omnes spectat homines, qui sine ipsius fide, salutem consequi non valent. De quo 2. 2. q. 2. art. 7.

Ex Christi servatoris nomine, & nomen accepimus, & originem traximus omnes Christiani, vnde Christianus ille dicitur, qui Christi discipulum se profitetur: vnde Christianizo idem est ac Christianis faveo, sto, vel profiteor. Hinc Christianismus, professionem Religionis Christianæ dicit. Mirum quot ludibrijs, & dicterijs, primi fuerint vexati, & impetiti Christiani, dum cruciarij scilicet Crucis discipuli, patibularij, sarmentitij, semissi, quia sermentis circumiectis comburebantur. Galilæi, vel à Iuda Galilæo seditioso, vel quia in Galilæa plurimum conversati sunt. Adeòque Exosum Gentilibus nomen, vt omnes clades, & damna mundi, Christianorũ causa inducta fuisse inclamarent. Contra quos erudite Arnobius suos adversus gentes libros conscripsit.

Hoc autem nomen, initium sumpsit Antiochiæ, Actu. 11. Vbi Paulus, & Barnabas, vno anno conversati in Ecclesia, & docuerunt turbam multam, ita vt cognominarentur primum Anthiochiæ discipuli Christiani. Qua verò de causa, nomẽ

discipulorum, in Christianorum sit immutatum, docet Athanasius disp. contra Arrium. Scilicet, quia omnes novorum dogmatum Authores, sectatores suos, discipulos vocabant, & sic nulla erat differentia. Apostoli ergo convenientes Anthiochiæ, omnes discipulos vno nomine, nempè Christianos appellarunt discernentes à communi discipulorum vocabulo, qui etiam, fratres dicti sunt, sancti. Rom. 1. & Actu. 5. Credentes. Fideles Ephes. 1. Catholici, & alijs pluribus nomenclaturis.

Coronet caput, Rabani Mauri per pulchra descriptio, & adaptatio, ex Christi corporis partibus delineata, quæ licet prolixa videatur alicui; sed certè lectione digna. Inquit ergo: Inveniuntur ergo, membra corporalia ipsi Filio Dei describi, necnon, & habitus corporei. Nam caput Christi, Deus ex. 1. Cor. 11. & caput Ecclesiæ Christus, cuius corpus Sancta Ecclesia. Capilli ergo Christi candidi, multitudinem Sanctorum dealbatorum dicit Apocal. 1. cui velut capilli adhærentes oves assimilant ad dexteram futuras instar lanæ. Oculi Christi, præcepta Evangelica. Genes. 49. *Pulchriores oculi eius vino*; idest præceptis veteris legis; vel Doctores Sancti, per quos Ecclesia, quæ recta sunt videt. Cant. 5. *Oculi eius sicut columbæ super rivulos aquarum*, propter simplicitatem, & donorum abundantiam.

Dentes Christi, Apostoli sunt, & Prædicatores. *Dentes eius, lacte candidiores*. Gen. 49. quia præcidunt ab erroribus homines, & cor quasi comedendo in corpus Christi transferūt. Nomine autem lactis, doctrina legis significatur lingua Christi, Evangelicus sermo est. Psal. 21. *Adhæsit lingua mea faucibus meis*. Facies enim Christi, Prædicatores sunt Evangelij. De gutture eius legitur Cant. 5. *Guttur illius suavissimum*. Labia Christi, annuntiatores Verbi. Cant. 5. *Labia illius, distillantia myrrham primam*. Barba Christi, est homo assumptus à Verbo, vel perfecti, Psal. 132. *Sicut vnguentum quod descendit in barbam, barbam Aaron*. Manus Christi, operarij iustitiæ ad omne opus bonum paratæ. Cant. 5. *Manus eius tornatiles aureæ*. Digiti, fortes in Ecclesia vsque ad mortem pro iustitia agonizantes, & sic ibidem: *Digiti mei, pleni sunt myrrha probatissima*. Dextera Domini novum testamentum; sinistra vetus. Item, dextera beatitudo; sinistra vita præsens. Et sic Cant. 2. *Læva eius sub capite meo, & dextera, &c.* Dextera electi, sinistra reprobi, Matth. 25. *Statuet oves à dextris, & hædos à Sinistris*. Vbera Christi, Evāgelica doctrina, Cant. 1. *Meliora sunt vbera tua vino*. Mammillæ Domini, duo testamenta sunt. Apocal. 1. *Et Zona aurea circa mammillas*.

Venter Christi, lavacrum regenerationis, ex quo electi sui, per adoptionis gratiam regenerantur. Cantic. 5. *Venter eius eburneus*. Intestina Domini, secretum divinitatis, sive Sacramenta scripturæ occulta. Exod. 12. *Caput cum pedibus, & intestinis vorabitis*. Crura eius, Apostoli, vel cæteri Prædicatores, totum Ecclesiæ corpus sustinentes. Cant. 5. *Crura eius sicut columnæ marmoreæ*. Pedes Domini, homo assumptus à Verbo, vel Sancti Apostoli, Deuter. 33. *Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina ipsius*. Ossa Christi, fortes in Ecclesia, quæ est corpus eius, de quo in Psal. 21. *Dispersa sunt omnia ossa mea*. Carnes Christi, infirmi in Ecclesia; de quo Psal. 26. *Dum appropinquant super me nocentes, vt edant carnes meas*.

Iam ad extrinseca deveniamus. Vestimenta Domini, caro assumpta. Ezech. 9. *Ecce vir vestitus lineis*; idest, carne mūda. Item vestimenta Christi, electi omnes, Iob. 40. *Circunda tibi vestimentum tuū, & speciosis induere vestibus*. Tunica Christi, eius Ecclesia, cuius figuram, tunica illa habuit. De qua in Evangelio Ioan. 19. *Non scindamus illam*. Stola Christi, caro assumpta est passionis vino mundata. Genes. 49. *Lavabit stolam suam in vino*. Pallium Christi, est Sancta eius Ecclesia, aspersione cruoris lota, & in sanguine vbæ pallium suum. Lumbare Christi, populus Iudæorum superbiæ vitio putre-

trefactus. Hierem. 13. *Sicut lumbare adheret corpori.* Sic & ego applicui populum istum ad me. Cingulum Christi, iustitia, sive fides eius. Isai. 11. *Iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius.* Calceamenta Domini, eius incarnatio. De quo Baptista Marc. 1. *Cuius non sum dignus, procumbens solvere corrigiam calceamentorum eius.*

Varie hoc nomen accipitur in scriptura. Christum enim induere est iustitiã, gratiam, & totius legis plenitudinem habere. Roman. 13. *Induimini Dominum Iesum Christum.* Idem ad Ephes. 4. & Galat. 3. Christum habere, est illum, vt medium, & vt Salvatorem habere ad Deum, apud quem omnem gratiam nobis impetravit. Ephes. 1. *Qui benedixit nos omni benedictione spirituali.* Christũ ignorare, est nescire quomodo pie, & sancte vivendum sit. 1. Petr. 1. *Dum adhuc ignoretis Christum.* Christus, idest doctrina Christi, ad Galat. 2. *Nunquid Christus;* idest doctrina Christi, *peccati minister est?*

CAPVT QVARTVM.

De nomine Messias.

TErtium ergo & præcipuum vt diximus nomen Salvatoris nostri, est *Messias*, quod explicite, solum bis reperitur in novo testamento. Scilicet Ioan. 1. *Invenimus Messiam;* & cap. 4. *Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus.* Messias ergo, nomen Hebraicũ est, quod Græce Christus dicetur Latine autem, vnctus. *Masáh*, enim, tàm Hebraicè, quàm Syriacè, vngere dicit. Et circa Ethymologiã, mirantur multi cur Evangelistæ scribant Messias, nõ Massias, cum Hebraicè pronuntiatur *Mansiah.* Paulus Ricius scribit illum, Mosias, sed male, & sine fundamento, Syriacè autem dicitur *Mesiha*, sed illam aspirationem, non admittit lingua Græca. Rectè ergo Evangelistæ dixerunt Messias, vt Latine melius scriberent Messias, communiter duplici S. S. scribitur; sed Græce simplici.

Audiamus D. Isidorum lib. 7. Origin. cap. 2. Non est autem Salvatoris proprium nomen Christus, sed communis nuncupatio potestatis. Dum enim dicitur, Christus, commune nomen dignitatis est. Sed dum Iesus Christus, proprium est vocabulũ Salvatoris. Christi enim nomen, nusquam alibi omninò, nec in aliqua gente fuit, nisi tantum in illo Regno, vbi Christus prophetabatur, & vnde venturus erat. Messias autem Hebraicè dicitur, Græce Christus, Latina autem locutione vnctus. Sed sciendum: quod Iudæi, cum suum Messiam tardi gradum, Græce appellare vellent, non Christum dicebant, ne cum Latinis, vel nomine ipso convenire viderentur, sed Elimenon hoc est delibutum.

In Messia ergo, tria reperies, corpus humanum, animam rationalem, & divinitatem, sed hæc tria ita copulata, quod licet duæ priores tertiæ vniantur; non tamen in Messiam duæ, sed vna tantum persona, & vnus Messias; vna ergo natura divina, & Patri consubstantialis, altera humana, & matri consubstantialis, & eiusdem speciei; vna tamen persona, vtrãque terminans naturam. Vndè optimè Pselius: corpus & animam quod assumpsit, Ecclesia, non vocat hypostasim, ne duas, vt Nestorius, introduceret hypostases, sed nominat Enhipostaton, idest in filij hypostasi esse accipiens. Et sic corpus Christi Enhypostaton quidem est, non autem hypostasis.

Iudæi ergo, cum cœci sint, & duces cœcorum, adhuc suum expectant Messiam, de quibus rectè D. Hieron. Isai. 27. Hoc loco Iudæi, cassa sibi vota promittunt: quod in cõsumatione mundi, quando yleminos suus venerit de Assyrijs, & de terra Ægypti, dispersus populus congregetur, & veniat in Hierusalem. Sed sciendum: quod *Ileminos* Græce, idem, est quod Hebraicè *Masiach*, & Latine vnctus ab *Alifome, yleme*, est vox deducta. Ingens Iudæorum supplicium, quia verum Messiam recipere noluerunt, falsum suscipient; ex Christi verbis. Ioan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non acce-*

accepistis me. Si alius venerit in nomine suo illum accipietis. Et advertenda est differentia quod verbum *Elimmenos*, si scribatur, cum, *i*, in medio, & , *e*, in principio, non significat vnctum, sed captum, vel comprehensum à verbo *Lambano me*.

Ea autem cœcitate & affectu, suum expectant Iudæi Messiã, vt cum iure iurando aliquid intendunt affirmare, ita loquantur. Non videam venturũ Messiam, si hoc non præstitero. Sed quod magis mirum, cum tot scripturæ, prophetiæ, & oracula præcesserint, & subsecuta fuerint ita certa, ita increduli in hoc persistant, & ita inaniter ab alijs decepti sint, vt vix etiam moriones, & stulti in tantam dementiam, & stultitiam, non declinarent. Nam primus Cochibent. Deinde Bencoba, qui ab ipsis Iudæis postea neci traditus est. Tertius Barrocaban. De quo Galatinus lib. 4. cap. 1. Capta Ierosolyma anno Christi 434. Alius seductor pluribus congregatis Iudæis, eos præcipitari persuasit in mare pluribus ibi demersis, & suffocatis.

Ita ergo pertinaciter adhærent huic expectationis quia cum Iudæi avidissimi sint auri, argenti, & omnibus divitijs affluere vellint, suum Messiam, potentissimum, & ditissimum volebant, & sic eos redempturum, & dispersos Israel congregaturum. Quod cum in Christo non viderunt, recipere eum spreverunt. Huc forte intendebant illi duo discipuli, Luc. 24. *Nos sperabamus, quod ipse redempturus esset Israel*. Et duo filij Zebædei, vnus ad dexteram, & vnus ad sinistram in Regno tuo. Videatur D. Hieronymus. Et Matt. 24. interrogaverunt Christum discipuli: *Dic nobis quando hæc erunt, &c. Et consumationis sæculi*: quia credebant Regnum Messiæ temporale, & vsque ad finem sæculi duraturũ. Et quod peius est, multi ex Iudæis, videntes magnitudinem Regni Herodis, ipsum pro Messia habuerunt; cum viderint defecisse progeniem regalem in Iudæis. Et hi dicti sunt Herodiani. De quo iam supra, & postea dicemus.

Placet ergo in huius confirmationem, iterum lustrare celebrem illum locum Genes. 49. vbi sic Iacob affatur. *Non auferetur Sceptrum de Iuda, nec Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*. Circa quod observandum: quod pro, *non auferetur*, est in Hebraico, *non recedet*, & verbum Hebraicum *Hebeth*, insinuat virgam vel sceptrum, qualis fuit virga Assueri. Esther. 15. & Psalm. 44. *Virga directionis virga Regni tui*, & sic per sceptrum, indicatur regalis potestas & dignitas, vndè 70. verterunt nõ deficiet Princeps; & Caldæus: non auferetur habens principatum. Et per ly *Dux*, Hebraicè habetur *Mechokek*, quæ vox significat Legislatorem. Et idem Psam. 59. *Iuda Rex meus*. Muneris autem Regis est, sancire leges. Et Isai. 37. *Omnia hæc ita expressit Dominus Iudex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster ipse salvabit nos*.

Insuper vbi dicitur, *de femore*, Septuaginta legerunt de femoribus, & Hebraicè *Mi Ben Raglau*, idest inter pedes, scilicet, ex semine & ex stirpe ipsius. Caldaicus à filijs filiorum eius. Et D. Hieronymus de femore. Donec veniat qui mittendus est, paraphrasis Caldaica, donec veniat Messias; quod vocabulo aliquando nominatur in Scriptura, cum sæpè à Deo promissus sit. Et dicunt aliqui, quod in Hebræo pro, *mittendus est*, ponitur *Silo*, vox ambigua; & quia *Sil*, significat filium, legunt: Donec veniat filius. idest Messias. Alij ex voce *Salà*, quietũ, & pacificum, vt habetur Isaiæ, & Zachar. Vel *Silo*, quia est nomen loci in Tribu Ephraim, vbi divisa est terra Iosue 18. & vbi mansit arca, vsque ad Samuelem, ex Psalm. 77. & alibi.

Angelus tamen Caninus cap. 2. ita fatur: Allà, nomen Dei Arabicum, componitur ex articulo *Al*, & pronomine *Lah*, idest, *ei*. Quod nomen significat eum, cuius omnia sunt, & quia omnia habet, quod Hebraicè diceretur *Ascerlò*, & vno verbo *Scello*. Quod Etymon mirificè cõsentit cum versione Septuaginta qui lo-

cum

cum illum Genes. 49. *Non auferetur sceptrum,&c.* Sic reddunt. *O ta Apochimena*; ille cui reposita sunt omnia. Et Onchelus, vertit, Messias cuius est Regnum. Et vtrique legerunt *Scellò*. Quod magis placet quã *Silò*; frigida & absurda sententia. Nam quod quidam Hebræi somniant Sil, filium esse, vt sit, idem quod donec veniat filius eius, licet plausibile videatur, sed cum coniectura tantum nitatur, non probo. Illud verò, Selò, Christo optimè congruit cui data est potestas in Cœlo, & in terra ex scriptura. Ita Caninus.

Probabilius alij dicunt, esse legendum *Seloach*, ita vt vltima littera sit *Cheth*, non, *He*, vt sic enim tempore Hieronymi talis vox debebat inscribi. Quia *Salac*, est mittere, & sic transtulit, *qui mittendus est*. Et Septuaginta: *Donec veniant, quæ reposita sunt ei.* Et Cyprianus: *Donec veniãt deposita illi.* Et Hieronymus: *Vt veniant cui repositum est.* Et Theodoretus: *Donec veniat qui reservatur, vel quod reservatur.* Et alij dicunt Septuaginta vertentes *Silo*. Divisũ, ita vt, *si*, sit relativum *qui quæ quod*, & *lo*, significet ei vel ipsi, vt sit sensus, donec veniat quod ei, & Septuaginta addidisse verbũ illud, repositum est; reposita enim sunt valdè cara, & nihil Messia carius, & pretiosius ex promissione Dei, vatũ, & multis figuris. Et ipse erit expectatio gentium, Hebraicè *Iikhath*. à verbo *Iaka*, idest obedire, audire, ipse enim erit, cui obedient populi. Vel ipse erit congregatio populorum. Vel quem expectabunt populi à verbo *Kava*, quod sperare, vel expectare significat.

Iam supra, tract. 1. sect. 1. cap. 2. dub. 7. expendimus varios populi Iudaici status à Iacob vsq; ad Christi adventum; errores etiam plures circa ista verba. Nunc dicimus, aliquos per virgã, vel sceptrum intelligere tribulationem ex voce *Sibet*: sed est figmentum, cum constet in Tribu Iuda per plures annos principatum permansisse florentissimum. Nõ melius alij non deficiet, idest post adventum Messiæ non cessabit. Sed quis non videat quam diversum sit *donec*, ac *post*. Alij non deficiet, quia adhuc perseverat in Babylone, media, &c. Sed iam explosimus hoc. Alij donec veniat Silo, idest Saul, qui vnctus dicitur ibi. Sed hoc falsum est, cũ vnctus sit in Masphat, & Ieroboan in Sichem. Nec minus stulte alij, donec veniat Nabuchodonosor, qui regale sceptrum abstulit à Iuda capto Sedechia. Sed ineptè, cum non fuerit expectatio gentium, sed infestissimus, & crudelis valdè. Alij quod fuerit prophetia conditionata, quæ aliquibus placet, sed de hoc iam supra diximus.

Ergo alij ex Catholicis intelligunt Tribũ Iuda maiorem dignitatem, & honorem habituram. Sed vox *Sceptrum*, & *virga*, plus significãt. Alij, quod semper in Tribu Iuda sceptrum futurum vsque ad Messiam. Sed post redditum à captivitate, nullus Rex principatus remansit apud Sacerdotes & Pontifices. Et licet alij occurrant, quod Sacerdotes etiam erant ex Tribu Iuda, sed si loquãtur de genere paterno, obstat Paulo, neganti ab Hebr. 7. de tali Tribu fuisse Sacerdotes. Si de genere materno, nihil ad rem, cum etiam Herodes erat ex illa Tribu, vtpotè ex matre Iudæa, ex aliquibus, vt ibidem diximus. Alij non auferendũ sceptrum à Iuda, quia Machabæi etiam erant ex tribu Iuda, &c. Sed certè videtur obstare quod dicitur 1. Mach. 2. vbi de Mathatia qui Pater fuit Machabæorũ. sic ait: *In diebus illis surrexit Mathatias filius Ioannis, &c.* Ex filijs Ioarim, qui 1. Paralip. 24. Familias Aaron sorte exijt. De quo Iosephus lib. 12.

Plures intelligunt de consilio Sanhedrin, quod supremam potestatem in omnibus gerebant, quod abstulit, & extinxit Herodes anno 3. sui Regni, sed obstat, quod non omnes essent ex Tribu Iuda; neque apud illos Imperium esset supremum, sicut nec modo in Parlamentis, vel Consilijs. Ac denique alij explicant sic; non auferetur de Tribu Iuda, idest non deficiet illa Tribus, quia verbum *virga* significat Tribum, ex voce *Sebet*, ita Psal. 70. *Tribum Ephraim non ele-*

elegit, sed elegit Tribum Iuda. Sed cum ad Christi vsque Adventum, nulla Tribus defecerit, quid magnum Tribum Iuda, non defecisse. Et quia sceptrum, Regnum Imperium, non sic benè explicantur, & sic nihil apparientiæ habet.

Igitur vno ex supra dictis modis venit explicandus locus. Vel quia non auferetur à populo Iudaico, vsque ad Christi Adventum, licet ad tempus fuerit aliquando interpolatum, vt in captivitate, sed defecit penitus, cum Herodes Hircanum interfecit. Et sic isti Auctores, qui plures existunt dicunt: Prophetiam, non de Tribu Iuda, sed de Populo Iudaico intelligendam, in quo Principatus permansit vsque ad Herodem; tunc enim cœperunt habere Regem alienigenam, & sceptrum fuit à Iuda ablatum, & impleta prophetia, quæ non dixit non auferetur à Tribu Iuda, sed à Iuda. Plura videantur vbi supra.

Vel dici potest ita Iacob locutum fuisse, quia prophetice prævidit per annos penè quingentos in dicta Tribu Iuda extitisse, & sic per Sinedochem, partem pro toto sumpsisse. Vel quia totus Populus ille, Iudaicus erat appellandus; & quia Sedes Regia, in sorte Iuda erat assignata. Vel quia Tribus Sacerdotalis, & Iuda connubijs sæpè iungebantur, & huius ratione dici potest, sceptrum in Iuda Tribu permansisse. Videantur Expositores. D. Thomas, Oleaster, Pererius, Maluenda, & plures alij.

Sed cum hæc ita se habeant, eo Iudæorũ invaluit malitia, vt vim loci declinare volentes, ita illum explicant. Non esse sensum, quod quam primum cessaverit Regnum Iuda, Messias sit venturus, sed quod non dabitur alteri Tribui, donec Messias venerit. Iuxta eos ergo talis est sensus. Non recedet virga, scilicet Iudicis, aut Regia potestas de Tribu Iuda, vt scilicet alteri detur, quantuncumque cessent Reges Iuda, vsquequo veniat quietus, idest Messias, quod ex præcedentibus confirmant. Præcedet enim: Iudam accepto Regno accubuisse, neque aliquẽ ausum auferre ab illo, quem vt Leo quietus defendit. Sed reijcit Oleaster, hunc sensum. Videatur.

Denique Iudæi præsentes Patribus suis peiores, ex collirio, & antidoto venenum conficientes, etiam si Vrbe, Templo, Sacrificijs orbati, in omnes terrarũ plagas dispersi, & omnium gentium facti peripsema: & cum ex his resipiscere deberent, vt David Psal. 76. de illorum dixit Patribus: *Cum occideret eos quærebant eum*; per virgam Hebraice *Sebeth*, non sceptrum, & Regnum; sed virgam tribulationis, & oppressionis intelligunt, quam cum hodie perpetiantur, duraturam dicũt vsquequo tandem suus Messias tardigradus veniat, dives, potẽs, opulentus, & Hierusalem auratam, & gemmatam ædificet. Sed quis non rideat expositionem vel somnium: ex vi enim prophetiæ nihil tale colligi potest. Cum ex dictis iam, post illud: Sceptrum de Tribu Iuda; sequatur, & Dux de femore eius, qui vt cõstat omninò defecit ab eis. (& per plurimum temporis, in quiete, & pace, versati sunt) & cum ita abiecti, & pesundati sint, Psalm. 106. *Propter in iustitias enim suas humiliati sunt*: fœlices illi qui circa Domini secundum adventum, & ad vesperam convertentur vt canes, fidei Christi illuminati. Psal. 58. De quo Maluenda lib. 11. de Antichristo, per varia capita, vbi tractat hoc doctissimè.

CAPVT QVINTVM.

De nominibus Regis, Domini, & Principis, Christo Domino attributis.

HÆc tria epitheta vno capite lustranda suscipimus: eandem enim excellentiam, & magnitudinem, & si diversimode, significare videntur, nõ enim inter se convertuntur. Licet enim omnis Rex, & Princeps, Dominus existat, at omnis Dominus, Rex semper, & Princeps, non evadit. In Deo autem optimo maximo, hæc tria sine fine, sine termino, & limitatione, cum eminentia reperiuntur.

§. I.

§. I. *Dominus.*

A Communiori ergo initium auspicamur, scilicet, Domino. Dicitur autem quis Dominus, quia habet dominium, de quo statim; & dividitur in Dominum iure, qui scilicet dominium iuridice tenet, & de facto; & iste dividitur in liberum, quia ordinem dicit ad servum, & in non liberum, qui dicitur in ordine ad passum, vel suscipiens in quod agit. dominium autem est ius habendi, possidendi fruendi aliqua re, pro libito voluntatis, absolutè, vel determinatè. Vel ex D. Thoma. Dominium dicit potentiam, & sic est idem quod posse; & sic vel posse iuris, quod est idem quod ius; vel est posse facti, vel liberum vt homo respectu sui actus, vel non liberum, vt elementa in viam dominantur.

Sed non debent omitti verba D. Thomæ 1. p. q. 96. art. 2. Vbi dominium dicit, dupliciter accipi posse. Primo, vt servituti oppositum, & sic Dominus dicitur cui aliquis subditur, vt servus. Secundo, vt refertur communiter ad subiectum qualitercumque, & sic qui habet officiũ gubernandi, & dirigendi alios, Dominus dici potest. Et primum dominium, non fuisset in statu innocentiæ; sed secundum. Et hoc ex differentia, quæ reperitur inter liberum, qui est causa sui; & servum qui ordinatur ad alium, & talis subiectio, ordinatur in vtilitatem dominantis: sed dominatio ad liberum, est in bonum illius qui dirigitur, vel in bonum commune: & tale dominium esset in statu innocentiæ, cum non repugnaret, quia tunc esset aliquis forte sapientior, & prudentior, & sic alios posset regere, & docere. Plura de dominio apud Theologos, 2. 2. q. 57. & legis peritos varijs titulis.

His præsuppositis, nihil communius in sacris litteris quam Deum, & Christũ, Dominum appellare. Ex multis locis aliqua seligemus, ex dictis supra adnotando: quod vt dixit D. Thomas 1. p. q. 13. art. 7. Aliqua nomina de Deo dicũtur ex tempore, nõ propter mutationem ipsius Dei; sed propter creaturæ mutationem. Sicut columna fit dextera homini, nulla columnæ adveniente mutatione, sed homine translato. Ita Deus, dicitur Creator, Gubernator, &c. Quæ Deo in tempore adveniunt ex hoc quod in tempore creaturæ creantur, & gubernantur.

Ibi etiam diximus, qualis fuerit ratio, cur in Sacra Scriptura primo Genes. Semper dicitur creavit Deus, vidit Deus, &c. At in secundo capite iam Dominus appellatur. Dixitq; Dominus Deus, &c. Ad quod optimè attendit Tertul. contra Hermogenem, ita scribens: Nomen Dei dicimus semper fuisse; Dominum verò, non semper: quia Deus substantiæ ipsius nomen est, idest divinitatis. Dominus verò, non substantiæ, sed dignitatis, & potestatis. Nam ex quo esse ceperunt, quæ potestas Domini egerit, vel maximè hominem; ex illo per accessionem potestatis dictus est Dominus: quæ est doctrina D. Thomæ art. 7. cit.

Licet ergo Deo titulo creationis, conservationis, & gubernationis, & alijs pluribus, esse Dominum essentialiter competat, sed diversimode in ordine ad homines se habet. Et si enim vniversorum sit Dominus. Et in ipsius ditione, cuncta sint posita, & in manu ipsius omnes fines terræ, hominesque vniversi in manu ipsius simus, sicut vas in manu figuli, servique ipsius simus, imò & inutiles, hoc non obstante, Deus in nobis dominium exercet, tanquam in liberos, ex dominio enim in creaturas, nihil illi accrescit vtilitatis, Iob. 22. *Quid prodest Deo si iustus fueris, aut quid ei conferes si immaculata fuerit via tua.* Sed omnia propter nos, cum etiam se ipsum pro hominum se tradiderit redemptione, vt homo factus, homines faceres Deos.

Nedum autem in Sacra Scriptura, Dominus appellatur; sed alijs adiunctis nominibus: cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est. Dominus quasi vir pugnator. Dominus zelotes. Dominus patiens, & multæ misericordiæ, &c. Dominus Deus vester ipse est Deus Deorum. Dominus dominantium, Deus magnus,

& potens, & terribilis. Magnus Dominus, Dominus virtutum. Dominus Sabaoth, Dominus totius creaturæ, Dominus conterens bella, Dominus omnipotens, Dominus Rex Deorum. Dominus firmamentum, refugium, liberator, magnus Dominus, & laudabilis nimis, Dominus suavis, & mittis, altissimus, mirabilis, excelsus, Sanctus, Redemptor, Dominus Regum. Et sic de pluribus alijs quæ sparsim in Sacra Scriptura continentur.

Iam ad Christi nomina, dominium cōcernentia accedamus. Singulariter Zachar. 14. *In die illa erit Dominus vnus, & erit nomen eius vnum.* Non enim Dominus tantum, sed vnus. Et Psal. 67. *Psalmum dicite nomini eius: iter facite ei qui ascendit super occasum Dominus nomen illi.* De quo Gregor. hom. 17. Apocal. 15. *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Et cap. 17. *Agnus vincit illos, quoniam Dominus Dominorum est; & Dominus Deus omnipotens.* Et Amos 4. *Dominus Deus exercituum nomen eius.* Et Psal. 23. *Dominus fortis, & potens in prælio, & Dominus virtutum nobiscum.* Isai. 54. *Dominus exercituum, & Redemptor tuus.*

Ierem. 43. Dominus iustus noster. Matt. 5. Dominus messis. Et Matt. 21. Dominus vineæ, idest Ecclesiæ. Est autem Christus omnium Dominus, quia Pater constituit illum hæredem vniversorum, per quem fecit, & sæcula. Et Isai. 48. Ego sum Dominus Deus tuus, docens te vtilia. Et ipse Christus Ioan. 13. Ait Discipulis suis: Vos vocatis me Domine, & Magister; & benè dicitis, sum etenim. Vbi rectè D. Thomas. Primo ponit confessionem Discipulorum. Etenim cum Christus sit virtus Dei, omnibus dominatur, vnde Ambrosius: Dominus nomen est potestatis. Et cum addit, benè dicitis, cōmendat eorum confessionem, idest benè dicitis, idest verum, sum enim vt constat.

Non solum autem, Christus Dominus dicitur; sed etiam dominatio. 2. Petri 2. *Magis autem eos qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemq; contemnunt.* Vbi glossa. Christus, non solum dicitur Dominus in concreto, sed etiam dominatio in abstracto, propter excellentiam dominij sui: quia ipse est Rex Regum, & Dominus dominantium, qua etiam ratione dicitur. Via, Veritas, & Vita. Ioann. cap. 14. & Apost. 1. Corint. 1. *Factus est nobis iustitia, sanctificatio, & redemptio.*

Dominator etiā dicitur. Isai. 16. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ.* Et Malach. 3. *Et statim veniet ad templum sanctum suum dominator.* Et Michea 5. *Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel.* In sua epistola Iudas; & solum dominatorem, & Dominum nostrū Iesum Christum negantes. De quo Psal. 71. *Dominabitur à mari vsque ad mare.* Et Psal. 109. *Dominare in medio inimicorum tuorum.* Et de quo antea Num. 14. *De Iacob erit qui dominetur, & perdat reliquias Civitatis,* scilicet Babylonis, quam faciunt peccatores. Sicut Civitas Dei est congregatio iustorum, quam faciunt electi, de qua Psalm. 86. *Gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei.* Cæterum Christus dicitur dominator, quoniam illi subiecta sunt omnia. Psalm. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Et Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas, in Cælo, & in terra.*

§. II. *Rex.*

Regium nomen inter omnia, caput extollit & eminet, Reges enim vt sic loquar in terris quasi vice Dij reputantur, cum imperando, regendo, & dirigendo munia divina exequantur. Et licet in Sacra Scriptura quemlibet Principem ac summum, nuncupent Hebræi Regem, & sic fortè qui Genes. cap. 14. Reges Amorrheorum, Rex Sion, &c. Sic nuncupentur, alijs tamen placet, non Reges hos quinque, sed Duces ac illarū Vrbium extitisse magistratus.

Propriè autem Rex Hebræis *Malchi* dicitur, vel *Melech*, & vt notat Maluenda in opusculis col. 311. additione vnius litteræ in versu illo celebri, Psalm. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo* (& si

alij

alij active legant, constitui, vt verba sint Patris ad filium, sed vulgata, passive legit, constitutus vt sint verba filij. De quo Interpretis) mysterium latere, scilicet ibi cani, vel annuntiari magnum quendam, & augustissimum, & sacrosanctum Regem, qui Reges omnes, & imperij magnitudine, & diuturnitate, & præstantia vincat, & superet. Et Genebradus existimat, esse nomen dimidiatum *Malkitzedech*, vt ad illum sit allussum, & intelligamus hic agi de illo Rege cuius Typus fuit Melchisedech, qui fuit simul Rex & Sacerdos, qualis extitit Christus.

Christum autem Regem fuisse, sæpè Sacra testatur Scriptura. Et vltra locum adductum, suppetunt plura, sed præcipua attingemus. Rex ergo dicitur Christus, eo quod Cœlum, & terram hominesq; & Angelos regat; & quia ad Regnum ducit Cœlorum, & quia supremus existit Iudex. Hinc optimè David Psal. 70 *Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiã tuam filio Regis*. Sed nunquid idem Rex & filius Regis? Cayetanus. Messiam appellat Regem, quia quatenus Rex erit, de eo loquitur: & quidem secundum divinam naturam est filius Regis, qui reget vniversum; & secundum humanam naturam est filius David Regis. Et in Apocal. 19. dicitur Rex regum, & Dominus dominantium. Et in Ezech. 37. Erit Rex vnus omnibus imperans. Dicitur autem Christus, Rex regum, & vnus, sicut dicitur: Deus Deorum, & vnus Magister, & vnus mediator, quia ipse solus, est singularis Rex, Magister, & mediator. De quo admirative ac extasi pleni Sancti Angeli, inquirebant dicentes: *Quis est iste Rex gloriæ?* Psalm. 21.

Idem etiam David Psal. 46. *Quoniam Rex omnis terræ Deus*. Et Ierem. 10. *Quis non timebit te, ò Rex gentium?* Et Zachar. 9. *Ecce venit tibi Rex iustus, & salvator*. Et Psalm. 47. Nedum Rex; sed Civitas dicitur (scilicet Ecclesia) Regis magni, & Malach. 1. *Quia Rex magnus ego sum, dicit Dominus exercituum*. Et ille Rex fortissimus, de quo Ecclesiast. *Posuit David puero suo excitare Regẽ ex ipso fortissimum*: quod nõ Salomoni, sed Christo ad litteram convenit, de quo Isai. 9. *Super solium David, & super Regnum eius sedebit*. Hic Rex nobilis de quo Eccles. 11. Beata terra (idest Ecclesia) cuius Rex nobilis est. Et est Rex qui sedet in solio iudicij, dissipans omne malum intuitu suo: & per quem Reges regnant. Prover. 8.

Christus etiam dicitur Rex Iudæorum, vndè titulus causæ ipsius in Cruce divino numine disponente tribus linguis inscriptus fuit Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Vt tam Hebræi, quã Græci, & Latini, qui illuc convenerant, causam eius mortis legerent, vt in ore trium testium staret omne testimonium. Et Pilatus non retractavit dicens: *Quod scripsi scripsi*. Quod iam prænuntiatum fuit in trium Psalmorum titulis, scilicet 56. 57. & 58. Qui de Christi passione loquuntur: & sic intitulantur. Ne corrumpas tituli inscriptionem. Et tribus linguis scriptus, quia illæ in mundo præcipuæ. Hebræa propter Iudæos in lege Dei gloriantes: Græca, quia gentium sapientum, Latina propter Romanos, omnibus pene gentibus dominantes. Et quia omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.

Acclamatum ergo Christum vidimus in Scriptura Regem, & Regem magnũ, sed hoc vndè illi provenit? Disputant Theologi 3. p. q. 19. de merito Christi videantur. Nos pro nunc expendenda suscipim⁹ illa verba, Psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Quæ pijssime Maluenda perpendit. Ingens Patris amor erga hominum genus, vt filium moneat, atque invitet, vt supremam potestatem, & imperium in gentes omnes ab ipso petat, quod in illis regnet per fidem & Evangelium. Quod præstitit Christus, primo vitæ momento, tota vita, morte, & resurrectione; & si alias quod Filius Dei erat plenissimam ac supremam potestatem haberet in omnes, illa etiam gauderet vt homo.

Postulationem Christi, Cayetanus benè

nè intelligit meritum, & ipsius orationé, qua dicit Ioan. 12. *Clarifica me Pater;* & quando Lazarum suscitavit. Sed dignum indagine, cur dixit *postula*, de præsenti, & *dabo* de futuro? Quanto tempore post deprecationem donum distulit Pater concedere? Supponendum primo: Illum hominem, ex vi vnionis hypostaticè, qua est Filius Dei naturalis, habuisse supremum dominium ac potestatem in omnia, non magis meritis partum, quam sit ipsa hypostatica vnio. Secundo: Talem potestatem, esse sitam in vi, efficacia, & virtute illuminandi, & perficiendi omnes homines in fide, spe, & charitate, & alijs bonis spiritualibus, & miraculis patrandis conducentibus ad finem Incarnationis, & hominum salutem. Tertio, à principio vitæ hæc postulasse, & apud Patrem meruisse maximè morte, & passione, & hoc quantum ad vsum, & consumationem, & quantum ad sufficientiam quoad omnes, & efficaciam quo ad electos.

Quarto, hoc meritum exhibitum fuisse, vt id quod alias multis erat debitum titulis, novo modo ipse mereretur, & debitum esset, qualia sunt gloria corporis, exaltatio sui nominis, potestas, & dominium, vt titulo redemptionis omnium esset caput, & Ecclesia per Evangelium toto orbe fundaretur, & stabiliretur. Quinto, quod post Resurrectionem, & Ascensionem, pro hæreditate, omnes nationes & gentes totius mundi, in suam adduceret Ecclesiam. Denique absolutũ, & completum Regnum accipiet in die Iudicij, cum ex Apost. 1. Corint. 15. tradiderit Regnum Deo, & Patri, & erunt illi omnia subiecta, sitque supremus omnium Iudex, & solus æternus Rex, & Dominus dominantium.

Hæc omnia laconice Cayetanus. In hæreditatem, duplex hic mysterium vnum ad gentes, quia plures, & maioris dignitatis habita sunt apud Deum, vt olim Iudæi. Secundum in ordine ad Christum, qui duplici titulo gentes obtinuit, & iure hæreditario, & merito vt dixi. In possessionem; nedum complete vt in iudicio; sed nunc etiam inconcuse, & firmiter. Ioan. 10. *Oves meæ non peribunt in æternum. & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Terminos terræ, idest omnes mundi plagas, & quatuor puncta cardinalia mundi, nam in omnes Evangelium divulgatum est. Vel innuit Crucis mysterium, cuius forma quadrata quatuor mũdi extrema designat. Ita Hieronymus Marci 15. Species Crucis, quid est nisi forma quadrata mundi, Oriens de vertice fulgens, Arcton dextera tenet, Auster in læva consistit, Occidens sub plantis firmatur.

DIGRESSIO DE REGNO Christi Domini.

HÆc cum ita se habeant, circa Regnum, & dominium Christi temporale, magna nobis quæstio offerebat se examinanda; an scilicet fuerit verus Rex temporalis, & omnium rerum mundi immediatum, & directum ius, & dominium habuerit? Sed quia hoc ex professo tractatur à Theologis, 3. p. q. 22. vbi Suarez, disp. 28. Soto lib. 4. de iust. q. 4. art. 1. Bellar. lib. 5. de Roman. Pontif. cap. 4. & Alphonsus Mendoza relect. de Christi dominio; & Franciscus Mendoza, 1. Reg. cap. 2. annot. 15. & Maluen. ibi. Ex quibus aliqua punctim attingemus, vt nostrum concernunt intentum.

Ingerunt difficultatem inter alia, duo præcipuè loca. Primus ex lib. 1. Regum cap. 2. vbi habetur: *Dominus iudicabit fines terræ, & dabit Imperium Regi suo; & sublimabit cornu Christi sui.* Alter locus Matt. 28. *Data est mihi omnis potestas, in Cœlo, & in terra.* Circa primum supponendum: intelligi debere de Christo verò Rege, & omnis creaturæ Domino. Ita vertit Caldæus: & multiplicabit Regnũ Messiæ sui. Et in ipsa scriptura. Psal. 2. cit. versu 2. & 8. & Matt. cit. Ioan. 13. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.* Act. 15. *Hunc Principem, & Salvatorem Deus exaltavit.* Et Apocal. 13. *Quoniam Dominus Dominorum est, & Rex Regum.* Et cap. 15. *Rex Regum, & Do-*

& Dominus dominantium. Et ita communiter Authores, quos videre licet apud Mendoza, & Maluend. citatos, contra aliquos verba intelligentes de Regibus Hebræorum, vel de Apostolis, vel de alijs quibus dat Deus fortitudinem, vt sicut Reges carnem suam regant.

Sed quid sibi vult, Dominus idest Christus iudicabit, & postea, & dabit Imperium Regi, & sublimabit: nunquid idem, vel diversus intelligitur? Respondetur primo, quod idem intelligitur, scilicet Pater iudicabit, licet non in forma visibili. Et Pater dabit Imperium Regi suo. Secundo respondetur: quod duplex est suppositum, alterum Christus, vt iudicans ratione humanitatis, & alterum Pater, vt dans Imperium, qui transitus frequens est inscripturis, vt patet Psal. 71. qui iuxta aliquos intelligitur de Salomone, sed maior illius pars, loquitur de Christo, ita hic.

Alter locus est Matt. 28. *Data est mibi omnis potestas in Cœlo, & in terra.* Vbi optimè Cayetanus. Tum quo ad statum, tum quo ad modum; nam qui hactenus statum, in quo subiectus fui elementorum calori, ac frigori, hominum flagellis clavis, Crucique, assumpsi: modo statum adeptus sum Regni, quo præsum Cœlo, & terræ, & similiter qui prius quatenus homo potestatem habebam super omnia, ex simplici dono divino: modo etiam ex merito passionis, & mortis meæ, adeptus sum potestatem super cœlestia, & terrestria. Hæc enim duo loca, absolutum dominium videntur Christo attribuere.

Sed his alia obstare videntur è diametro, scilicet Zachar. 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi iustus & salvator, ipse pauper.* Et Psalm. 39. *Ego autem mendicus sum, & pauper.* Et Psalm. 68, num. 16. & Psal. 108. num. 17. & 2. Corint. 8. *Qui cum dives esset, egenus propter nos factus est.* Vbi D. Thomas, egenus, quod plus est quam pauper. Nam egenus dicitur ille, qui non solum parum habet, sed qui indiget vel eget; pauper verò ille qui parum habet. Ad significandam ergo maiorem paupertatem, dicitur, egenus factus est, scilicet, in temporalibus. Luc. 9. *Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Et Psalm. 40. *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem:* quæ cum Regno, & dominio temporali, non videntur stare posse. Idem pluribus Scripturæ locis.

Propter has auctoritates, & plures rationes, Authores in quatuor divisi reperiuntur sententias. Prima negat, Christũ Regnũ habuisse temporale, & terrenum. Ita Soto cit. & Bellarm. Maldc nat. Matth. 28. & alij apud Pererium lib. 8. in Danielé. Secunda sententia adstruit in Christo, Regnum temporale proprium, & eiusdé ordinis cum illo quod alij Reges habent. Suffragatur D. Thomas lib. 3. de Regim. Princ. cap. 13. cũ dicat: Augustum Cæsaré, à Christi nativitate, Christi in terris vices egisse, & tanquam ipsius substitutum. D. Bernardinus to. 3. ser. 1. de S. Iosepho, & quam plures alij apud Petrũ Morales lib. 2. in Matth. tract. 9. & Alphons. Mendoza cit.

Tertia autem sententia, quasi media cum secũda dicit: Christum habuisse Regnum temporale in omnes creaturas; excellentius autem, & superioris ordinis. Cum prima tamen negat, Regnum temporale, & terrenum, eiusdem ordinis, ac rationis, cum eo quod cæteri Reges possident, sed tantũ eminenter. Ita D. Antonin⁹ 3. p. tit. 3. c. 2. Turrecrem. lib. 2. sum. c. 116. Suarez tom. 1. in 3. p. d. 48. Vazq. disp. 87. & Mendoza lib. 1. Reg. c. 2. annot. 15. sect. 3. Quarta sententia dicit: Christum Dominum habuisse dominium immediatum, in singulas res vniversi, sicut alij Reges, & Pater familias, ita Lorca, 3. p. d. 38. & Cabrera disp. vnica. Sed negant alij, cum Suarez, & Vazquez citatis.

Vt breviter ab hac nos expediamus difficultate not. 1. quod non dependet illius resolutio, ab alterius dubij enodatione, an scilicet Christus Dominus, fuerit verus legitimus, & hæreditarius hæres, Regni Israelitici, cum ex Evangelistis constet, ex David processisse, & Angelus dixerit B. Mariæ: *Dabit illi Dominus, sedem patris eius, &c.* Hoc enim,

sub

sub lite adhuc est. Et Alphonsus Mendoza, qui neruosè defendit secundam sententiam, hoc negat. Vt ibi videri potest. Et quia hoc concesso, restat integra difficultas, an non solùm illius populi; sed totius mundi extiterit Rex, & Dominus.

Secundo notandum; quod ex D. Thomas 2.2. q. 78. art. 1. & legis peritum, dominium, & vsus rei permanentis, quæ nõ consumitur vsu, distinguuntur, vt patet: quia potest quis esse Dominus domus, & non vti illa, & alias vti domo, quin illius sit Dominus. An autem, etiam in rebus quæ vsu consumũtur distinguantur? Respondet Tapia tom. 2. lib. 5. q. 23. art. 2. Quod si loquamur de dominio propriè dicto, distinguitur ab vsu, vt patet in Religiosis, qui ex licentia rebus vtuntur, quin illarum possint habere dominium: Dominium verò improprium, quod dominium facti dicitur, non distinguitur ab vsu, quia est exercitium dominij, & potest in aliquo residere ex licentia Domini, vel Administratoris.

Si autem imperium, & dominium distinguantur? Respondet Franciscus Mendoza cum Almayno, distingui; quia inquiunt: Reges imperium habent, in bona Ciuium gubernanda, & dirigenda; sed nõ dominium, vt pro suo libito eas dispensent, & dissipent, sed quidquid sit de hoc, certum est in Christo reperiri vnita, & coniuncta ista duo. Et sic videmus in Sacra Scriptura indiscriminatim vtrũque Christo attribui, & quod Rex sit, & Dominus. Apoc. 19. *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Nec aliqua potest ratio assignari, quare hæc duo separari debeant in Christo. His positis.

Dico primo: certum est, Christum fuisse verum Regem, & Dominum Cœli, & terræ, & omnium rerum in illis existentium. In hac conclusione nullus debet, nec potest dubitare; sic enim absolutè prolata (quidquid sit de tali modo regnandi, vel dominij) sæpissimè in Sacra Scriptura habetur, vt vidimus supra, & valdè vrgent duo loca adducta, & plura alia. Nec valet dicere: quod illæ auctoritates impropriè, vel spiritualiter sunt accipiendæ. Vt benè enim vterque vrget Mendoza, mirum quod tot tantæque auctoritates, semper impropriè sint explicandæ. Et quia ex regula Athanasij, & D. Augustini, & omnium Doctorum, verba Sacræ Scripturæ, propriè, & rigorosè sunt intelligenda, nisi inde aliquod inconueniens consequatur, hoc autem in præsenti non reperiri, statim ostendemus.

Hoc autem ius, vel dominium ex quadruplici capite Christo competere, excogitari potest. Primo: ratione vnionis hypostaticæ, ex qua natura humana, consecuta fuit, vt omnibus creaturis dominaretur. Secundo: titulo hæreditatis quia cum esset verus, & naturalis Dei Filius, paternam debuit hæreditatem obtinere: si enim adoptivi, ius ad illam habẽt; quanto magis proprius, & naturalis Filius? Tertio iure redemptionis, ex quo in homines directè, in cœlestia ex hominum reductione, in illa, quibus ipsa restaurantur, ac in reliquas creaturas, vtpotè homini subiectas. Quarto titulo meriti, & orationis. Psal. 2. *Postula à me, &c.* Conclusio igitur ex omnibus his titulis roborata, pro communi debet haberi.

Dico secundo, hoc Christi Regnum, & Imperium, non solum spirituale fuit, sed etiam temporale, licet seclusis imperfectionibus, quibus Reges terræ regnantur, & dominantur. Prima conclusionis pars, quod fuerit Regnum spirituale, dubitari non potest, cum hoc consistat in illuminationibus, inspirationibus, conuersionibus hominum, in miraculorum patratione, & his similia, quæ Christus tot tantaque operatus est. Et vt dixit Hieronymus, lustrans illa verba Matt. 28. *Data est mihi potestas, &c.* In Cœlo autem, & in terra, ei potestas data est; vt qui antea regnabat in Cœlis, per fidem credentium regnet in terris. Hanc conclusionis partem, multis probant primæ sententiæ Authores; sed quia simul cum tali Regno spirituali, temporale, & temporalium denegant Christo, in quo ab illis dissentimus.

Secunda autem nostræ conclusionis

pars

pars dicit: Regnum Christi, nedum spirituale; sed temporale etiam fuisse, ita Authores secundæ sententiæ. Pro qua vrgeri possunt variæ Sacræ Scripturæ auctoritates. Prima Psalm. 71. *Deus iudicium tuum Regi da, &c.* Et licet aliqui, totum de Christo explicent, vt Alphonsus Mendoza; sed dato quod etiam de Salomone, & Christo intelligatur; de isto tamen propriè, & litteraliter venit explicandus, cum de nullo alio quæ ibi dicuntur, accipi possint. Vlterius potest proponi locus Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas, in Cœlo, & in terra.* Et illud Apocal. *Rex Regum, & Dominus dominantium, & Princeps Regum terræ, &c.* Effugium autem comune scilicet quod intelliguntur impropriè, & spiritualiter, iam satis explosum est. Et mirum quod cum ita frequenter Regnum Christi in Sacra Scriptura proponatur, nunquam propriè intelligendum; quod videtur absurdum.

Sed non possum non in medium adducere, Iudæorũ delirium, qui vt has & alias effugiant auctoritates, duos distinguunt Messias, in lege promissos. Quorum alterũ vocarũt *Benjosh.* De Tribu Ephrain, qui misere plecteretur, & occideretur cum tota sua gente; alterum vocabant *Bendavid* de Tribu Iuda nunquam moriturum, & semper regnaturum, qui ad vitam revocaret priorè illum Messiam; & talis Messias, florere debebat magnitudine, potentia Romanũ Imperium eversurus, & Regnum Israel restituturus, & alia plura. Hoc illis contingebat, quia cũ viderent scriptu de vno Messia, Michæ. 5. *Ex te exiet dux, & egressio eius à diebus æternitatis.* De quo Psal. 109. *Sede à dextris meis.* Et alia plura magnifica. Ex alia parte legebant Isaiam cap. 53. Leprossum, percusum, pluribus afflictum calamitatibus, Psalm. 21. & alibi. In vno & eodem tam diversa adaptare nesciebant.

Deus autem huius sæculi excæcavit mentes illorum, vel potius illorum malitiam, cum facile hæc tam distantia & diversa, eidem convenire posse secundum differentes conditiones & considerationes, advertere possent. Et hoc quinque modis, vt optimè expendit Alphonsus Mendoza cap. 5. Primò, secundum diversa tempora ex Iurisperitorum regula; & sic prius Messias futurus erat pauper, afflictus, moriturus; à tempore verò Resurrectionis potens, gloriosus, &c. Secundo, si in primo adventu, pauper, & humilis; in secundo verò, potens, & admirabilis. Tertio, hæc contraria illi convenire, secundum diversas naturas, secundum humanam, mortalis; secundum divinam, immortalis. Quarto, etiam in quantùm homo, tam diversas formas habiturus, secundum partem animæ, supremam; secundũ infimam, adversa. Quinto; de diversis Regnis, in temporali, pauper; in spirituali, dives, & potens.

Sed vt nostram stabiliamus sentẽtiam, opus est vt verba Ioan. 18. exprimamus, & præmamus, quæ in nos obijciunt adversarij. Interroganti enim Pilato, an Rex Iudæorum esset Christus, ter respondit Regnum nominando vti suum. Primo: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Secundo: *Si Regnum meum esset ex hoc mundo.* Tertio: *Regnum meum non est hinc.* Ex quibus verbis, contrarij eliciunt (& evidenter vt ipsi autumant) Christum negasse, Regnum suum esse temporale, & de hoc mundo: quibus enim verbis clarius exprimere hoc possit, quam dicendo: non est de hoc mundo, nõ est hic, &c.

Non possumus inficiari, apparientiam aliquam præseferre solutionem; sed facilè evincitur ex ipsis verbis. Supponendo, in omnibus illis, semper Christum asseruisse suum Regnum. Insuper in illis supponit, se esse Regem, ita vt benè intulerit Pilatus: ergo Rex es tu? Nec abnuit Christus, sed respondit; tu dicis quia Rex sum ego. Denique nulli dubium, sermonem fuisse de Regno temporali (de cœlesti enim quid curæ Pilato) ergo vt responsio interrogationi conformaretur, si ista de temporali, etiam illa de tali debebat procedere Regno. Sed modo statim explicando. Et notandum: quod non dixit Christus ex Agustino, non est hic, sed nõ est

est hinc: sic est enim Regnum eius vsque ad consumationem sæculi. Et Theophilatus: hic itaque est Regnum eius, nam regnat in mundo, & iuxta votum cuncta disponit, non est autem ab infimis constitutum, sed cœlitus, & ante sæcula. Videatur ibi Chrisostomus, de quo statim.

Quam plurimæ possent accumulari rationes, pro hac parte firmanda. Tum quia cedit hoc in maiorem Christi excellentiam, qualis Regia Maiestas, cuius munia scilicet superioritas Rex Regum; sapientia, Rex, & Sapiens erit, Legislatio, Legifer noster; directio, gressus hominis, idest actiones, dirigentur, nulli dubium, magnam præseferre perfectionem. Quid de iustitia servanda? *Et iustitiam tuam filio Regis. Et erit iustitia cingulum. Faciet iudicium, & iustitiam in terra. Et puniet iniquos, & interficiet impios spiritu oris sui.* Et sic de alijs pluribus, quæ in medium possent afferri.

Iam potest inquiri, supposito quod in Christo, Regnum, & potestas fuerit spiritualis, cur non etiam temporalis, cum hoc cedere in illius videatur dignitatem? Vt enim expendit Alphonsus Mendoza §.19. nullum inde sequitur inconveniens: etsi in nobis evenire posit: etsi enim Monachis, rerum administratio prohibita sit, quia ipsos à perfectione impediret; hoc tamen Episcopis licet, quia sunt in perfectiori statu. Quanto magis in Christo, ad hæc nedum indecens; sed decens valdè, quod vtraque potestas simul in Christo coniũcta videatur. Melchisedech etenim. Genes. 14. fuit Rex, & Sacerdos. Et primogeniti iure legitimo vtramque habebant dignitatem, & in Moyse vnitæ extiterunt; temporalis constat, spiritualis in Psal. 98. *Moyses, & Aaron, in Sacerdotibus eius.* De quo Turrecrem. lib. 2. sum. cap. 116. & in scriptura, vtraque Christum ornatum fuisse cõstat. Hebr. 7. *Talis decebat, vt nobis esset Pontifex.* Et Isai. 33. *Dominus Rex noster.*

Tertia autem conclusionis pars, consulto expendere oportet, quia forte per illam sententiæ oppositæ poterunt conciliari. Supposito enim, quod Potestas, vel Regnum temporale in Christo sit statuendum: discrimen potest esse, de modo quo illud debeat assignari. Negantes ideò, quia si eiusdem rationis, ac in hominibus, tale extiterit Regnum in Christo; hoc implicat, & dicit plures imperfectiones, quia solus non sufficit, indiget Consiliarijs, Militibus, armis, argento, & auro, quæ longe à Christo censenda veniunt, & quia Christi humilitati, & paupertati quarum præcipuè, vt Author esset, in hunc venit mundum minimè hæc congruere videntur.

His commoti rationibus, aliqui quos Franciscus Mendoza refert, Christo licet Regnum temporale attribuant; sed altioris, & superioris ordinis; at verò Regnum temporale proprium, & humanum, eiusdemque rationis, ac singuli Reges sortiuntur, solum eminenter possedisse. Qui loquendi modus, placet si benè perpendatur. Existimo ergo, Christi Regnum, & potestatem solum analogicè convenire cum alijs Regibus, & Potestatibus humanis. Quia tituli, & causæ, quibus illa habet, superioris sunt rationis. Humani enim Reges, tales sunt, vel quia electi, vel iure hæreditario, vel quia armis illa obtinuerunt: nullum ex his in Christo invenitur. Sed Regnum illi traditum, quatuor illis antea iam assignatis titulis; scilicet vnionis hypostaticæ, filiationis naturalis, redemptionis, & meriti, quæ in nullo alio possunt reperiri, vt constat, & in hoc sensu convenimus cum his Authoribus.

Si autem intendant à Christo auferre circa dictum Regnum aliquid ad illius perfectionem, & integritatem pertinẽs, quia scilicet videtur pugnare, cum paupertate, humilitate, & mundi contemptu, non sunt audiendi: statim enim dicemus, quomodo hæc facilè cohæreãt. Neque his obstare censendum, quod refert Euseb. lib. 3. hist. cap. 20. scilicet. Quosdam Christi consanguineos, à Domitiano interrogatos; quale ipsius Regnum, vndè, & quando venturus esset? Responsum præbuisse: quod non huius mundi, neque de præsenti, sed quia ei cœleste Reg-

num

num in sæculi consumatione per Angelos præparandum. Sed dato hoc, nihil contra nos, quia solum illi, & Patres negant Christi Regnum opum affluentia; militum copijs, armorum præsidijs constitutum esse; secus modo iam à nobis declarando.

Dico tertio, Christus Dominus etiam in hac vita mortali, habuit ius, & dominium omnium rerum immediatum, sicut habent Reges, & alij Patres familias, sed sine imperfectionibus: Licet illud non exercuerit, nec vsus semper fuerit. In hac conclusione conveniunt Lorca, Cabrera 3.p. q.22. & vterque Mendoza citati, contra Suarez, Vazquez, Sylvium, Araujo, & alios 3.p. cit. Sed consequenter loquendo, hoc dicendum, iuxta secundam conclusionem: & ex notatis, quod non sunt incompatibilia, ius spirituale, & temporale, & quod licet in alijs, ius, & dominium possint distingui, & separari, secus in Christo, & deindè probatur: quia cum dominium sit facultas vtendi re in vsus à lege permissos; Christus potuit hoc dominio vti, si vellet, neque facile hoc inficiari potest, cum absolutè Rex, Dominus, & Princeps omnium prædicetur.

Deinde probatur: quia vt ex Evangelijs constat Christus aliquarum rerum vsum, & dominium exercuit immediatum, vt cum Marci 5. Permisit dæmones in porcos introire, & qui se præcipites in mare sumerserunt sed optimus locus Matth.21. Cum Hierosolimam ingressurus, duos misit Discipulos, vt pullum cum asina, super quem nullus hominum sedit, afferrent, & subiunxit. *Si quis vobis dixerit aliquid* (& Marc. 11. *Si quis vobis dixerit quid facitis?) dicite, quia Dominus his opus habet.* vbi optimè Cayetanus. Prævidebat Iesus, obstaculum futurũ, & propterea remedium dat, prædicendo efficaciam auctoritatis suæ, quam primum audita fuerit, vt securi exequerentur iussa: modo sic, si Christus sicut in his rebus dominium exercuit, in omnibus exercuisset, certum foret in omnes immediatum dominium habere; ergo licet non illo vsus semper fuerit, solum colligitur, noluisse omnium actualem vsum habere; non verò, non habuisse dominium in actu signato, vel in actu primo.

Probatur etiam, satisfaciendo præcipuæ adversariorum obiectioni, scilicet quia incompatibile videtur circa eandem rem, duplex dominium totale, & insolidum. De quo solent tractare Theologi 3.p. q.1. agentes de satisfactione Christi; & plures negant id possibile esse cum Suarez disp.4. sect.6. quia sic vnusquisq; eorum esset minus perfectè Dominus quam si esset solus, cum invitus privari posset, vsu talis rei, si ab alio præveniretur. Sed alij affirmant cum Martino Perez disp.4.sect.4. & videtur convinci ex facto Iacob Genes. 29. qui Rachel simul, & Liam duxit vxores; & tamen quælibet illarum, in solidum dominium habebant in corpus Iacob, ad vsum matrimonij.

Sed hac pro nunc lite omissa, alibi cõponenda, nihil cõtra nos: quia dato quod incompatibilia sint duo dominia temporalia eiusdem ordinis, & rationis; secus si diversi ordinis, & rationis existant; vt patet in dominio Dei, & hominum, in ratione causæ primæ, & secundæ, & sic de alijs: ergo cum iam supra ostenderimus, Regnum, & dominiũ Christi, sublimius, excellentiusque extitisse, cum tituli, & causæ quibus illud possedit, nulli alteri communicari possint; indè benè infertur, non esse incompatibile cum dominio humano, creato & temporali. Quod etiam confirmari potest ex Philosophia quia licet vna res pendere non possit à duplici causa totali, eiusdem generis, & ordinis; benè tamen si diversi generis, & ordinis sint.

Dixi in conclusione, tale dominium habuisse etiam in hac vita mortali, contra aliquos asserentes, vsque ad resurrectionem non illud accepisse, & sic Apostolis dixisse: data est mihi omnis potestas, in Cœlo, & in terra. Sed facile huic auctoritati satis fit dicendo; consuetum esse in Sacra Scriptura, quando aliquid manifestatur, vel in cognitioné aliorum

venit; tunc dici incipere & fieri; & sic Apostolus Act. 3. verba Psalm. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, quæ de æterna communiter intelliguntur generatione, ad resurrectionem traxit, quia tunc Christi divinitas, maximè mundo innotuit, cum resurrexerit in virtute Dei.

Et quia vt communiter Theologi dicunt 3. p. omnis perfectio, & dignitas quæ Christo competit, ipse ab initio habuit (excepto immortalitatis, & impassibilitatis statu, quia hoc, nostræ obstabat redemptioni per passionem consummandæ, ex Isai. 53. *Si posuerit animam suam*. Et Apost. Hebr. 2. per passionem consummati) ergo cum talis potestas, sit Christo competens, & illius humanitatis exornativa, sine fundamento illi à principio denegatur cōceptionis. Licet illam, & alias novo titulo, & merito acquisierit, & possederit.

Diximus etiam in conclusione, quod Christus tali dominio non semper vsus fuit. Quod patet, cum dixit fratribus collitigantibus: *Quis me constituit Iudicem*, Luc. 10. non quia potestas deesset; sed convenietia respectu talis status. Et quia cum Christus venerit, vt nobis paupertatatis, humilitatis, & honorum cōtemptus, existeret Magister, & Doctor, ab his abstinere debuit, vt præclarum nobis tantarum existeret exemplar virtutum, & sic dixit D. Thom. 3. par. q. 31. art. 2. quod Christus, non sæculari honore regnavit. Quod intenderunt Pontifices, & maximè Ioannes XXII. qui Christo aliquarum rerum dominium in Bulla cum inter nonnullos concedit. At Nicolaus IV. in Bulla *exijt*. Omnium videtur rerum dominiū denegare. Sed explicādi sunt iuxta nostrā conclusionem, quoad vsum, vel proprietatem. Vel sub diversis temporibus; moriens enim in Cruce, etiam vestibus se spoliari passus est: at in vita aliquarum rerum dominio vsus est Ioan. 13. dum dicitur loculos habuisse in communi cum discipulis.

Aliqua contra nostram resolutionem possunt obijci. Primo, quia si Christus tale dominium habuit, etiam in Papam illud transfudisset, vel communicasset, quod est falsum, vt patet. Secundo, quia omnes Doctores videntur dicere, Christum in res temporales, dominium habuisse, vt in spirituales ordinantur; ergo in istas directè, & in illas indirectè. Tertio, nam aliàs omnes Reges essent tyrani; vel ad summum essent Christi Vicarij, quod videtur inauditum.

Ad primum respondetur, negando antecedens: quia multa habuit Christus, quæ Papæ non communicavit, vt potestas instituendi Sacramenta, &c. Ad secundum concedimus, res naturales ad supernaturales vti in finem perfectiorem ordinari; sed ex hoc non sequitur, quod etiam in illas directum non habuerit dominium, licet in istas principalius. Ad tertium respondetur: quod cum Christi Regnum, non sit eiusdem ordinis, & rationis cum alijs, non excludit illos, sicut diximus de Deo, vt causa prima, respectu causarum secundarum. Neque in rigore admittendum est, alios Reges esse Vicarios; sed in lata significatione, quia per ipsum Reges regnant. Et sic nec tyrāni censendi, si titulo hæreditatis, vel electionis, Regnum consecuti sint, & iuxta leges regant.

Longior quam instituti ratio poscebat, sed brevior pro rei dignitate, evasit digressio. Iam ergo sciēdum: quod Christus, nedum Rex; imò & ipsum vocitatur Regnum. *Pœnitentiam agite* (clamabat Baptista) *appropinquabit enim Regnum Cœlorum*. Vnde glossa; hoc est, Christus manifestabitur, quoniam ipse est Regnū Cœlorum. Et Remigius ibi: In hoc loco per Regnum Cœlorum, potest intelligi Deus Pater, qui Princeps est Regni. Potest etiam intelligi Dominus noster Iesus Christus, &c. Iterum glossa in illud Matt. 6. *Adveniat Regnum tuum*, dicit: ad gloriam Christi, qui est Regnum Dei, non veniemus, nisi ipse veniat ad nos per gratiam, & in illud Luc. 17. *Ecce Regnum Dei intra vos est*. Regnum Dei se ipsum dicit intra se ipsos positum, & in cordibus eorum, qui crediderunt regnantem.

Imò

Imò & ipse Christus se esse Regnum Dei fassus fuit, cum dixit Matt. 12. *Si in digito Dei eijcio dæmonia, profectò pervenit in vos Regnum Dei*, hoc est Christus, qui dator est Regni. Et meritò, Dei Regnum, quia ex Apost. In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.

§. III.

Christus Princeps.

VArijs in locis Scripturæ, Christus Princeps appellatur, qua voce, illi qui præ cæteris, dominatione, & potestate pollent, solent intelligi. Sed inter omnes Christus, & meritò qualis Luna inter sydera minora, si sic licet loqui in distantia infinita; nec mirum cum ipse solus existat Rex Regum, & Dominus dominantium: & Apocal. 1. *Qui est testis fidelis primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ.* Iam D. Thomam audiamus. Hic commendatur, quantum ad benevolentiam in retribuendo, quantum ad innocentiã in conversando, quantum ad ducatũ in præsidendo. Et dicitur Princeps, quia totius vniversi principatus, & regimen habet; & quæcunque vult facit in Cœlo & in terra, & in mari & in omnibus abyssis.

De ipso luculenter vaticinatus fuit Isaias 9. ab illis verbis: *Et vocabitur nomen eius admirabilis, &c. Princeps pacis*; quia per sanguinem suum dissolvit maceriam & inimicitias, & Deo nos reconciliavit, faciens pacem per Crucem, interficiens inimicitias in semetipso, ad Ephes. 2. & cap. 32. Princeps ea quæ digna sunt Principi cogitabit. Non enim cogitationes meæ, vt cogitationes vestræ, sed ego cogito cogitationes pacis, & afflictionis. Et Ezech. 44. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, &c.* Eritq; clausa principi. Princeps ipse sedebit in medio, vt comedat panem coram Domino: quæ verba, vsque ad admirationem, D. Hieronymus trutinavit & explicuit, videatur.

D. Petrus (in cuius vigilia hæc scribuntur) sic Act. 5. exclamavit: *Hunc Principem & Salvatorem, Deus dextera sua exaltavit, &c.* Et idem Ephes. 1. cap. 5. *Cum apparuerit Princeps Pastorum.* Et dicitur Princeps Regum terræ; quoniam per ipsum Reges regnant, & Principes imperant, Prover. 8. & legum conditores iusta decernunt. Item dicitur Princeps, quia omnem Principatum, & omne principium obtinet; & quia ipse est ante Principatum, & ante omne principium. Princeps etiam iure dicitur, quia electos suos Principes facit iuxta Psalm. 112. *Vt collocet eum cum Principibus, cum Principibus Populi sui.* Et Daniel. 8. Vocatur Princeps Principum, vbi de Antichristo Propheta prædixit, & contra Principem Principum consurget. Sed ipsum Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui. 2. Thesal. 2. & Isai. 2. Spiritu oris sui interficiet impium. Licet aliqui per talem spiritum, Archangelum intelligant Michaelem.

Sed dignus est Origenes hom. 5. in Iosue, vt audiatur; elucidans enim historiam Iosue, qui in agro existens Iericò, oculos abolens vidit virum contra se stantem gladium habentem evaginatum, quem interrogans ait. Noster es, an adversariorum, qui respondit: Nequaquam, sed sum Princeps exercitus Domini. Quem adorans Iosue, inquit: quid Dominus meus loquitur ad servum suum. At ille: Solve (inquit) calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas sanctus est. Fecitque Iosue vt sibi fuerat imperatum.

Nunc post plura Origenes: Cognovit ergo Iosue, quia vir ille non solum ex Deo est, sed quia Deus est: non enim adorasset nisi cognovisset Deum. Quis enim est alius Princeps militiæ virtutum Domini, nisi Dominus Iesus Christus? Omnis namque Cœli militia, sivè Angeli, sivè Archangeli, sivè virtutes, &c. Omnia hæc per ipsum facta sunt, sub ipso Principe militant: qui est Principum Princeps, qui largitur Principibus Principatũ. Ipse est enim qui dicit Luc. 19. Esto potestatẽ habens super decẽ Civitates: tu super quĩq; hic est qui accepto Regno, regressus est.

In Sacra autem Scriptura, superiores & antesignani, Principum nomine insigniuntur: aliquando in bonum, vt Psal. 44. *Constitues eos Principes*. Item magni, potentes & duces, vt 1. Corint. 2. *Sapientiam Dei, nemò Principum huius sæculi cognovit*. Et Psalm. 118. *Principes persecuti sunt me gratis*, idest Iudices, Reges, Seniores. Et Psalm. 2. *Et Principes convenerunt in vnum*. Et Psalm. 118. *Sederunt Principes, & adversus me loquebantur*, idest Principes & sapientes in consilio. Principes etiam Leones dicuntur. Vndè symbolum est Regum, & Tribui Iuda dictum: quod quasi Leo accubuerit. Nam Leo inter bestias Principatum tenet, Prover. 30. sed etiam rapacitatem significat, Psalm. 7. *Ne quando vt Leo rapiat animam meam*. Principes etiam, scuta terræ dicuntur. Psalm. 46. *Principes populorum cōgregati sunt &c.* Sic etiā Deus hoc nomine vocatur, quia defendit suos & mala avertit, vt scutis avertuntur iacula, & servantur quos illa tegunt. Et populi Principes ita appellantur, quia eorū est populum tueri, & avertere nocitura.

CAPVT SEXTVM.

De nominibus quibus se ipsum Christus dignatus est appellare.

§. I.

Ostium, Ostiarius, & porta.

ALijs Christi Domini nominibus ista præferimus; quia cum ipse se ipsum illis mundo manifestum reddere placuerit; proculdubio emphasim aliquam continere, censendum est vt ad illius perveniamus cognitionem. Igitur quia per Ostium aditus nobis patet, domum ingrediendi, & lustrandi, à nomine *Ostium*, auspicamur initium; ita se appellavit Ioan 10. dicens: *Ego sum Ostium. Per me si quis introierit salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & Pascua inveniet*. Sic etiam quomodo Christus sit porta, propter doctrinæ affinitatem explicabimus.

Officium Ostij est (inquit D. Thomas) vt per ipsum quis ad domus interiora ingrediatur, & hoc Christo convenit; nam per ipsum opportet quemlibet ad Dei secreta intrare, Psal. 117. *Hæc porta Domini*, scilicet Christus, *& iusti intrabunt in eam*. Per me si quis introierit, salvabitur. Ostendit, quod competit ei vsus Ostij, qui est salvare oves, arcendo ne interiores progrediantur, & exeant; & defendendo ab exterioribus ne invadantur. Ingredietur, & egredietur. Apostoli conversantes cum fidelibus intra Ecclesiam, vel cùm infidelibus extra vt convertantur. Vel ingredietur Ecclesiam Militantem credendo; & egredietur ad Triumphantem, & pascua inveniet, hic doctrinæ, & gratiæ. Psal. 22. *In loco pascuæ ibi me collocavit*. Et in Ecclesia Triumphante, scilicet gloriæ Ezech. 34. *In pascuis vberrimis pascam eas*.

De hoc etiam ostio dicitur Apocal. 3. *Ecce dedi coram te ostium apertū*, quod nemo potest claudere, & statim; *post hæc vidi ostium apertum in Cælo*, vbi gloss. per quod ostium, Christus intelligitur, qui sicut viam se dixit, ita hic se ostium nuncupat. Et ostium dicitur, quia non nisi per ipsum, fideles salvantur, & sine ipso, nemo venit ad Patrem. Placeat D. Gregorium audire, qui de Templo Ezechielis disserens, ita fatur: In Templo Domini tria tabulata sunt, &c. Ostium, inquit, lateris medij in pariete erat. Quod est ostium lateris medij, per quod introitur in tabulatum primum, vt ascendatur in medium, & à medio in tertium? Ostium lateris Templi, vulnus est in latere lanceato Dominici corporis, præter quod non est aditus, non est ostium, vel ianua qua intret quis, vt in quovis ordine coram Deo stare possit. Nam ex eo latere cū lancea percussum est, sanguis, & aqua profluxit, quo peccatum deletum, & quo baptizati sumus, ad Galat. 3.

Non solum autem Christus ostium est; sed etiam Ostiarius. Ex eodem Evangelio. Huic Ostiarius aperit. Sed dubitat D. Tho-

D. Thomas quomodo si Christus ostium, ipse, & Ostiarius sit? Et respondet: nam quædam in spiritualibus congruunt, quæ in corporalibus esse non possunt. Et quia magis differre videtur Pastor, & Ostium, quàm Ostium, & Ostiarius; & tamen ipse se Pastorem vocat: ergo melius potest Ostium esse, & Ostiarius. Et hoc ideo quia ipsemet introducit hominem ad se ipsum: ipse se aperit, quia ipse se ipsum exponit se & declarat, quia non nisi per eius gratiam intramus. Ephes. 2. *Gratia estis salvati.*

Sed circa hoc nomen, & plura alia, dubitat D. Thom. an ita proprium sit Christo, vt nulli alteri communicari possit? Excitavit dubium 3. p. q. 8. art. 6. An esse Caput Ecclesiæ, sit proprium Christo? Et vt conclusionem affirmativam impugnet, tertium sic proponit argumentum: Christus non solum est Caput, sed etiam Pastor Ecclesiæ; sed hoc alijs communicavit, vt patet 1. Petr. 5. *Cum apparuerit Princeps Pastorum*: ergo &c. Confirmatur: quia esse ostium, non minus est proprium Christi, quàm esse Caput; & tamen esse Ostium alijs communicavit, vt patet Apocal. 21. vbi dicitur: Cœlestem Civitatem habere duodecim portas, & supra singulas eorum, nomina Apostolorum; per portas autem, Ambrosius, Beda, Rupertus, & alij, intelligunt Apostolos, & Patriarchas: ergo hoc nomen Ostium, non est proprium Christi?

Respondetur: quod licet D. Gregorius lib. 28. moral. cap. 16. Chrisostomus hom. 36. ad Roma. & alij, absolutè omnes Prædicatores ostia vocent Ecclesiæ, quia per illorum doctrinam, alij ingrediuntur ad fidem. Sed negat D. Thomas cit. solutione ad 3. & Ioan. 10. lect. 3. vbi dicit: Sed attende quod nullus alius est ostium nisi ipse, quia nullus alius est lux vera, sed per participationem. Ioann. 1. *Non erat ille lux*, scilicet Baptista, *sed vt testimonium, &c.* Et sic esse Ostium propriè sibi retinuit, esse autem Pastorem, alijs communicavit. Ierem. 3. Dabo vobis Pastores secundum cor meum, de quo statim.

Sed pro maiori explicatione nota: quod in rigore, porta significat aperturam muri, vel parietis, quæ clauditur foribus; Ostium vero significat ipsas fores. Vnde 3. Reg. 6. dicitur: quod Salomon, fecit duo ostia olivarum. Et Proverb. 26. Sicut ostiū vertitur in cardine. Et Ioan. 20. dicitur: *Cum fores essent clausæ*. Igitur, si ostium sumatur pro porta, tribuitur Apostolis, & Prædicatoribus, & colligitur ex Isai. 60. *Occupabit tuas portas laudatio*. Sic Cyrillus. Si autem accipiatur pro foribus, sic solum convenit Christo; quia sicut ostium per se pulsatur, per se detinet volentes egredi, vel irrumpere domum, & ipsum aperitur, & clauditur; ita Christ⁹ ex Ambros. lib. 9. in Lucam, quia ipse Christus, per se pulsatur ab orantibus, & à benemeritis adoratur. Ipse detinet homines in fide, & reprimit impetus persequentium: aperitur quando ipse, Actu 16. Aperit corda nostra, vt attendamus rebus fidei, & clauditur quando negat auxilium. Vel responderi potest: Apostolos ostia dici, non per se; sed ratione capitis scilicet Christi, iuxta primam regulam Ticonij supra explicatam.

Christus etiam dicitur porta Domini, de qua Psalmista Psalm. 117. *Aperite mihi portas iustitiæ, hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam*. Porta ergo singularis, Christus est. Portæ autem in plurali, sunt vel septem Sacramenta, vel ex Apoc. 21. Angeli vel duodecim Tribus Israel, vel ex Glossa, duodecim Apostoli, quorum nomina sunt in duodecim fundamentis Civitatis cœlestis. De quo optimè Augustinus in illud Psalm. 86. *Fundamenta eius in montibus sanctis diligit Dominus portas Sion*. Sic ergo scite interrogat: Quare fundamenta Apostoli & Prophetæ? Quia eorum auctoritas portat infirmitatem nostram. Quare sunt portæ? Quia per ipsos intramus ad Regnū Dei; prædicant enim nobis; & cum per ipsos intramus, per Christum intramus, ipse enim est ianua. Et cum dicuntur duodecim portæ Hierusalē, & vna porta Christus, & duodecim portæ Christus, quia in duodecim portis Christus. Et de his por-

portis dicitur. Apocal. 22. *Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni; vt sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in Civitatem*: hoc est, in Ecclesiam Militatem per fidem; & in Triũphantem per speciem, & gloriam.

§. II.

Pastor, Via, Veritas, & Vita.

EGo sum Pastor bonus, dixit Christus Ioan. 10. vbi D. Thomas. Quod autem Christus sit Pastor, indè cõstat: nam sicut Pastore grex gubernatur & pascitur: ità fideles per Christum spirituali cibo, & etiam corpore & sanguine suo, reficiuntur. Vndè merito admirans exclamavit Chrisostomus; quis Pastor oves proprio pascit cruore? Vel ex Glossa, Christus dicitur Pastor, quia oves habet, & pascit agnos, & ducit ad pascua, ad illa proculdubio, de quibus ipse pollicetur, & dicit Ioan. 10. *Per me si quis introierit salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & Pascua inveniet.* De hoc Pastore legitur in Genes. 49. Inde Pastor egressus est lapis Israel. Et in Isai. 40. *Sicut Pastor gregem suum pascit*, & in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo levabit, fœtus ipse portabit.

Iste est pius, & mansuetus Pastor, de quo Ezech. 39. *Et Pastor vnus erit omnium*, & de quo Zacharias prædixit 13. *Percute Pastorem, & dispergentur oves gregis.* Hic est etiam ille Pastor, qui relictis nonaginta novem ovibus in montibus, descendit ad illam quæ perijt, quæsivit, & invenit; imponensque illam in humeros suos, gaudens, & veniens domũ, convocat amicos, & vicinos dicens illis. Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat. De hoc Pastore Ioãnis cap. 10. dicitur: *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ovile, & vnus Pastor.*

Dicitur autem Christus, non solum Pastor, sed etiam bonus Pastor. Ad differentiam mali Pastoris, & furis. Bonus, inquam, quia implet Pastoris officium: sicut bonus miles, qui implet militis officium. Et bonus quoniam super gregem suum semper vigilat: & quia nunquam dormitat, neque dormit, qui custodit Israel. De hoc Pastore Paulus dicit ad Hebr. 13, Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum Christum.

Non solum autem Christus dicitur Pastor bonus, sed etiam Princeps Pastorum, de quo Princeps Apostolorum, 1. Petr. 5. dicit: *Cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* Et tunc in consumatione sæculi, omnia dignitatum nomina tollentur, & vnus grex humilis, sub vno mansueto Pastore quiescet. Tuncque electi omnes, sub vno Pastore pascentur, & accubabũt, & non erit qui exterreat. Licet autẽ præpositi Ecclesiæ omnes Pastores sint (ex Augustino) tamẽ singulariter dicit Christus: *Ego sum Pastor bonus*, vt insinuet virtutem charitatis. Nullus est enim Pastor bonus, nisi per charitatem efficiatur vnum cum Christo, & fiat membrum veri Pastoris: officium enim veri Pastoris, charitas est.

In Sacra autem Scriptura. Reges, Principes, Præfecti, Magistratus, Doctores, Scribæ, & quicumque Rempublicam, sibi commendatam habent, Pastorum nomine insigniũtur. Isai. 56. Ierem. 22. Ezech. 24. & apud Paulum Ephes. 4. Pastores, & Doctores, coniuncti sunt in vnum: eo quod prophetia, & doctrina, regitur Populus Dei. Et Ambros. in illud Luc. 2. *Pastores loquebantur ad invicem*, inquit: Pastores sunt Sacerdotes. Et Ierem. 2. omnes Pastores tuos depascat ventus, hoc est consumat eos ventus. Et cap. 23. Pastores prævaricantur, idest pseudo Prophetæ.

Ioannis 14. Christus de se ipso dixit: *Ego sum Via, Veritas, & Vita.* Et in communi Christus est Via, sine errore quærentibus. Veritas, sine falsitate invenientibus. Vita, sine morte permanentibus. Vbi D. Thomas: Via autem dicitur Christus, quia per ipsum, accessum habemus

ad

ad Patrem. Roma.5. Et in præsenti valde ad rem: quia intendit declinare dubitationem discipuli dubitantis. Sed quia ista Via, non est distans à termino, addit, Veritas, & Vita. Et sic ipse simul est Via, & terminus. Via, secundum humanitatem; terminus, secundum divinitatem. Christus ergo est Via perveniendi ad veritatis cognitionem; cum tamen ipse sit Veritas, Psal.85. *Deduc me Domine in veritate.* Est etiam via perveniendi ad vitam; cum tamen ipse sit vita. Psal.15. *Notas mihi fecisti vias vitæ.* Vnde Ioann.1. dicitur: *In ipso Vita erat, & Vita erat lux hominum.*

Christus etiam est Via, sine qua inviũ: Veritas, sine qua vanum: & Vita, sine qua mors. De qua Via dicitur in Iudæos Psal.13. *Et Viam pacis non cognoverunt.* Et Isai.30. *Hæc est Via, ambulate per eã, nolite declinare ad dexteram, vel sinistram.* Apte etiam Christus Via dicitur: quia ipse solus Via Vitæ, qui Viam Dei nos docuit; & quia per ipsum accessum habemus ad Patrem. Ioann.14. *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Et in Psal.138. *Proba me Deus, &c. cognosce semitas meas, & vide si Via iniquitatis in me est, & deduc me in Via æterna.* Et Christus Via æterna vocatur, quia æternus est: vnde dicitur antiquus dierum, propter æternitatem.

Sed mirum quod Christus dicatur Via arcta, Matt. 7. *Quam angusta porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam.* Chrisostomus: sic dicitur non parvitate potestatis exiguus, sed humilitatis ratione collectus, vel arcta tepidis; sed lata præditis charitate. Apud Ezech. etiam cap.40. porta vocatur Orientalis. Vbi Gregorius: Via inquit Orientalis inter tres hinc, & tres inde thalamos, Dei Filius est, qui inter veteres, & novos Patres, carne velatus apparuit.

Via etiam dicitur Regia, per quam incedere debemus. Num.21. *Via Regia gradiemur, donec transeamus.* Vbi Origines: Via Regia Christus, quia Rex, Psalm.71. *Deus iudicium tuum Regi da.* Hæc incidendum est Via, & nusquam declinandum, neq; in agrũ, neque in viam; idest, nec ad opera, nec ad sensus diabolicos, sed pacifice volumus transire per mundum. Via etiam dicitur publica. Deuter.2. *Sicut enim Via publica communis omnibus est: sic Christus omnia omnibus factus, vt omnes salvos faceret.* Hinc cognoscitur Antichristus, qui in penetralibus est, Christus vbique alias iniuriam facit divinitati, qui in angulo illum quærit, ex Hilario.

Christus etiam dicitur Viator, qui viat idest iter facit. Dum enim factus est homo pro nobis, Viator dicitur congrue; qui vt gigas exultavit, ad currendam viam mortalitatis huius, pro nostra redemptione. Benè ergo Ierem.14. *Quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi Viator declinans ad manendum?* Etsi comprehensor esset, & dicitur 3. p. q.15. Viator etiam fuit, colonus, & peregrinus, vt nos peregrinos, & exules Cœli, Cives faceret, & hæredes. Descendit ad nos, vt nos ascẽderemus ad ipsum: venit in mundum, vt nos ascenderemus in Cœlum.

In Sacra autem Scriptura, Via aliquãdo pro itinere, aliquando pro Vitæ ratione capitur. Via impiorum, mores eorum, & instituta, & opera, in quibus quasi gradientes versantur. Via impiorũ prosperatur, quia fere semper illis prospere eveniunt eventus. Via iustorum, quia Deus cognoscit, & fovet: è contra malos, non novi vos, & sic intereunt, & pereatis de Via iusta. Viæ Domini misericordia, & Veritas, quibus suis, benè facit, & defendit. Viæ etiam Domini bonitas, & fides, Psal.25. Et Via bona Christus, Psal. 35. & Psalm. 118. *Lucerna pedibus meis Verbum tuum.*

Via pacis est fides, quæ per charitatem operatur. Rom. 5. vt in nostris actionibus Deo placeamus: quam Viam pacis, impij non cognoverunt. Via, & semita vitæ, est in Christo permanere, Ioann.8. Christus: *Si Vos manseritis in me, &c.* De qua Isai. 35. *Erit tibi semita, & Via sancta.* Charitas enim est sancta, & san-

& sancta sunt omnia, quæ facit. Via iudiciorum Dei, est afflictio, Crux, quæ à peccatis nos avertit. Roman. 5. & Isai. 26. quia non solū beneficijs affecti; sed etiam castigati te sustinuimus, & in te speravimus. Ac denique Via Christi, Vita est Christo Regi summo digna, scilicet Christiana, & Evangelica.

Veritatem etiam se Christus esse testatus est. Veritas quidem propriè, & per se Christo competit, quia ipse est Verbum (inquit D. Thomas.) Nihil enim aliud est veritas, quam adæquatio rei ad intellectū, quod fit cum intellectus concipit rem pro vt est. Veritas ergo intellectus nostri, pertinet ad verbum nostrum, quod est conceptio eius. Sed tamen licet verbum nostrum sit verum; non tamen est ipsa veritas, cum non sit à semetipso, sed ex eo quòd rei conceptæ adæquatur. Veritas ergo intellectus divini, pertinet ad Verbum Dei: sed quia Verbum Dei est verum se ipso (cum non mensuretur à rebus, sed res in tantum sunt veræ, in quantum ad similitudinem eius accedunt) indè est, quod Verbum Dei est ipsa veritas. Et quia nullus potest veritatem cognoscere, nisi adhæreat veritati; oportet omnem qui cognoscere veritatem desiderat huic Verbo adhærere, vti perfectissimo & exemplari.

Est ergo Christus prima, & infallibilis veritas, de qua Psalm. 44. *Veritas de terra orta est.* Hoc est Christus de Virgine, quæ terra dicitur Isai. 45. *Aperiatur terra, & germinet salvatorem.* Insuper Psalm. 116. *Et Veritas Domini manet in æternum.* Ex quo loco Iudæi cognoverunt Christi æternitatem, cum dixerunt Ioann. 12. *Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum.* Et Ioann. 5. dicitur: *Spiritus est qui testificatur quoniam Christus est veritas.* Quod etiam de se ipso testatur dicens: *Ego sum via & veritas*, quia mendacium nescit, & mentiri non potest, & quia non fallit nec fallitur.

Dicitur etiam Christus prima veritas, in quantum est Verbum Patris: & ideò est metrum & mensura, & causa totius veritatis: sicut etiam est prima iustitia, & causa omnis iustitiæ, prima sanctitas, & causa omnis sanctitatis: dicitur etiam veritas verificans; iustitia iustificans, & sanctitas sanctificans. Qui iure etiam, veritas dicitur; quia venit in mundum vt declararet omnem veritatem, quæ in veteri lege tegebatur. Ioan. 1. *Quia lex per Moysen data: gratia & veritas, per Iesum Christum facta est.* Vndè Pilato dixit Ioan. 18. *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.* Dicitur etiam veritas, quia verax & viam Dei in veritate docuit.

Apud Scripturam verò Sacram, veritas primo designat sinceritatem. Ita Ezechias Rex: *Recordare Domine, quod versatus sum coram te in veritate, & corde perfecto;* idest, in sinceritate & integritate. Significat etiam benignitatem ita Genes. 24. Servus Abraham ad familiam Bathuelis: *Si libet facere cum hero meo benignitatem, & veritatem.* Indicat etiam, certam & plenam beneficientiam. Idem servus. Deduxit me per viam veritatis, idest certam, & optatam. Et Ezechias gratulabatur sibi, eo quod in diebus suis futura esset pax, & libertas, idest firmitas Regni. Veritas Evangelij, est ipse Christus, quia veracem fecit Patrem æternum, siquidem præstitit, quod promisit. Via veritatis, 2. Petri 2. est Via vera absque vlla hypocrisi, & fuco, & sincera cōversatio secundum verbum Dei instituta, quæ nimirum est fides cum charitate viva. In qua omnes ambulant Christiani. Denique veritatem facere, est re ipsa præstare, quod audis, aut profiteris.

Vita etiam est Christus Dominus, & hoc propriè cōvenit illi, qui omne quod ex se aliquam operationem habet; dicitur vivens. Non viventia autem dicūtur, quæ ex se ipsis, motum non habent; inter operationes vitæ, præcipuæ sunt intellectuales: Vnde, & ipse intellectus dicitur vivens, & actio eius est vita quædam. In Deo autem, idem est intelligere, & intellectus. Vnde manifestum est, quod Filius, qui

qui est verbum intellectus Patris, est vita sua. De quo Theologi 1. p. q. 18.

Christus protulit Ioannis cap. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Ipse enim verus est Deus, & Vita æterna, eodem Evangelista testante, 1. Epis. cap. 1. *Vita manifestata est, & annuntiamus vobis vitam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis. Hic est verus Deus.* Dicitur etiam Christus, Vita æterna, quia vitam æternam præbet. Ioan. 10. *Oves meæ vocem meã audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego Vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & nemo rapiet eas de manu mea.* De qua Ioannes 1. Epis. cap. 5. ait: Hoc est testimonium quoniam vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio eius est; qui habet Filium Dei habet vitam; qui non habet Filium Dei, vitam non habet: hæc scribo vobis, vt sciatis quoniam vitam æternam habetis, qui creditis in nomine Filij Dei.

Est quidem Christus Vita per essentiam, qui dat vitam; Vita scilicet vivens, cui omnia vivunt, & in quo vivimus, & movemur, & sumus. Vita inquam, & fons vitæ, à quo fluit omnis vita, & vita, sine qua mors. Quicquid enim vivit, per ipsum vivit, quia sine ipso nihil vivit. Ad Colos. 3. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* De quo optimè Crysologus serm. 19. De qua vita dixit Moyses Deuter. 28. Populo non credituro: *Et erit vita tua pendens ante te, timebis nocte, & die, & non credes vitæ tuæ*; idest Christo venturo. Vnde glossa: nihil peius inter maledicta, quæ Iudaicæ merito superbiæ acciderunt, quam videre vitam suam, idest Filium Dei in carne manifestum, & non credere ei.

Christus etiam Vita dicitur, quia ipse est omnium viventium vita, & potest dare vitam mortuis; & quia habet vitam, vt ipse dicit. Sicut enim Pater Vitam habet in semetipso, sic, & Filio dedit, vitam habere in semetipso. Ioannes autem cap. 1. Vitam ponit pro esse rerum in Deo, *in ipso vita erat*; & postea pro doctrina, & conversatione vitæ Christianæ. Et cap. 5. dixit Petrus ad Iesum: *Ad quem ibimus? verba vitæ habes.*

CAPVT SEPTIMVM.

De nominibus Resurrectio, Lux, Principium, Vitis, Panis vivus, & Granum frumenti.

§. I. *Resurrectio.*

VT fidem Marthæ de resurrectione Lazari trepidantis, Christus Dominus confirmaret, ita ipsam Ioan. 11. allocutus est: *Ego sum resurrectio, & vita.* Quasi diceret (ex D. Thoma) credis quod frater tuus resurget in novissimo die? Totum autem hoc, quod homines resurgent, erit mea virtute: & ideò ego cuius virtute omnes resurgent, possum etiam fratrem tuum suscitare in præsenti. Duo autem dicit, scilicet quod est resurrectio, & quod est vita sciendum enim: quod effectũ vitæ aliqui participare indigent. Quidam quidem, quia vitam amiserunt. Quidam verò, non quia amiserunt ipsam; sed vt habita conservetur.

Sic ergo quantum ad primum dicit; Ego sum resurrectio; qua qui vitam per mortem amiserunt, reparentur. Quantum ad secundum dicit: Et vita, qua scilicet, viventes conservantur. Sciendum autem; quod hoc quod dicit, ego sum resurrectio, est locutio causalis, quasi dicat; Ego sum resurrectionis causa. Hic autem locutionis modus, in illis tantum fieri cõsuevit, qui sunt causa alicuius rei. Christus autem, est tota causa resurrectionis nostræ, tàm animarum, quàm corporum. Et ideò quando dicit: Ego sum resurrectio, est idem ac si diceret. Totum hoc quod resurget, tàm in animabus, quàm in corporibus per me erit. 1. Corint. 15. *Quoniam per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.* Hoc inquam quod sum, resurrectio, est mihi, per hoc quod sum vita. Nam vitæ est, quod aliqui reparentur ad vitam, sicut ignis est, quod aliquid extinctum, iterum reignia-

tur. Et ideò ait Ioan.cap.1. *In Christo vita erat, & vita erat lux hominum.*

Ego (inquit) sum resurrectio, & vita. Christus resurrectio est: tum, quia resurrectio Christi, est causa primæ nostræ resurrectionis à vitijs, & peccatis, quæ est resurrectio animæ ad vitam, quæ Deus est. De qua dicitur Apoc. 20. *Beatus, & Sanctus, qui habet partem in resurrectione prima*: tum, quia resurrectio generalis secundum corpora, fiet virtute Christi vocantis mortuos ad iudicium: Benè ergo resurrectio nostra dicitur Christus, quoniam resurrectio sua, est causa resurrectionis nostræ, nedum à culpa ad gratiam; sed etiam à morte corporali ad gloriam.

Item Christus dicitur resurrectio, quia iuxta Apostolum cit. Sicut per hominem mors, hoc est per Adam; ita per hominem hoc est Christum Deum, & hominem, resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Christo omnes vivificabuntur. Sicut enim mors inducta est per primum hominem; ita conveniens fuit, vt natura humana reduceretur ad vitam per secundum, hoc est Christum. Dicitur etiam resurrectio, quia ex Apost. ad Philip. 3. ipsum expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ: nam sicut reformavit animas, sic reformabit corpora, simul cum animabus, quando secundam stolam in die iudicij dabit electis.

Plura hic dicenda se offerebant pro dictorum explicatione, quæ à Theologis cum D. Thoma 3. p. q. 56. elucidantur. Scilicet, quo causæ genere Christi resurrectio, sit nostræ resurrectionis causa? Sed dicendum, id illi convenire in genere causæ efficientis, sive physicè, sive moraliter: & licet causa principalis resurrectionis mortuorum, sit divina iustitia, ex D. Dionis. cap. vlt. Cœlest. Hierarchiæ; resurrectio autem Christi, est causa secundaria, & quasi instrumentalis, non meritoria propriè, sed exemplaris, & efficiens, in quantum humanitas secundum quam resurrexit, est quodamodo instrumentum divinitatis ipsius, & operatur virtute eius, cuius virtus, præsentialiter attingit omnia loca, & tempora.

Omnium tamen istorum rationem tradidit D. Thomas cit. art. 1. quia primum in quolibet genere, est causa reliquorum. Primum autem in genere nostræ resurrectionis, fuit resurrectio Christi: & sic fuit causa nostræ resurrectionis, ex Apost. 1. Corin. 15. citato. Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium, quia per hominem mors, & per hominem resurrectio. Et hoc ideò, quia principium humanæ vivificationis, est verbum Dei, ex Psal. 35. *Apud te est fons vitæ.* Causa autem primo operatur, in id quod est propinquius, deinde in magis remotum. Et sic verbum Dei, prius tribuit vitam immortalem corpori sibi naturaliter vnito, & per ipsum operatur resurrectionem in omnibus alijs. Alia apud Theologos videnda.

In Sacra autem Scriptura, resurrectio, non solum corporum, imò etiam animarum designat immortalitatem, ita Christus contra Saducæos. Et Ioan. 6. *Ego resuscitabo eum in novissimo die*, nedum iudicij, sed mortis cuiuslibet dicit diem, & ad Hebræos 11. Sancti aspernati sunt redemptionem, vt meliorem invenirent resurrectionem, idest vitam semper consistentem. Et sic Ioann. 5. Christus dixit: *Resurgent in resurrectionem vitæ*, idest vt semper vivant. Et consolatio inducta 1. Thesal. 4. nedum vltimam resurrectionem, sed semper animas vivere respicit. Si enim anima solum viveret cum corpore, nihil remaneret solatij, sed quia etiam postea sine molestijs vivent, consolari potestis.

Hinc claret difficilis locus. 1. Petri 4. Mortuis prædicatum est Evangelium, idest animabus in Limbo, vel Purgatorio existentibus, qui cum Christi fide decesserant. Resurrectio ergo accipitur, & pro vita ad istam mortem subsecuta, & ita carnis resurrectio pro vltimo die sumitur, *tunc videbit omnis caro salutare Dei.* Etiam pro ipsa carnis revivificatione. Sic iudicium aliquando pro vltimo,

&

& aliquando pro quotidiano accipitur. Sic Christus: nunc iudicium est mundi, iudicium pro quotidiana Dei sumitur vltione.

§. II.

Lux, & lumen.

LVx mundi dicitur Christus, Ioan. 8. & cap. 5. *Erat lux vera, quæ &c.* an idem sit hoc nomen cum lumine, non præsentis loci est investigare. Indiferenter enim accipi videtur, vnde & Christus dicitur lumen de lumine; *& in lumine tuo videbimus lumen*, Psal. 35. Idest in Christo Patrem; nam qui videt me, videt & Patrem. Ergo Christus lux mundi, non Galileæ, neque Iudeæ tantum, sed totius mundi; imò ex Apocal. Cœlestis Hierusalem lucerna est agnus. Non ergo vt Manichæi sensibilia non transcendétes, aiunt Christus, Sol iste qui oculis percipitur sensibilibus, dicendus est, quia Sol non est suprema lux, quam intellectus solus percipere potest, illa enim est lux intelligibilis propria rationalis creaturæ.

Ista autem lux sensibilis, imago quædam est lucis intelligibilis: nam omne sensibile, est quasi quoddam particulariter, intellectualia autem quasi totaliter quædam. Et sicut lux ista sensibilis, colores facit actu visibiles, & oculos ad videndú confortat; sic intellectualis, intellectum facit cognoscentem, quia ab illa omne lumen derivatur, Ioan. 1. *Illuminat omnem hominem*: & facit res actu intelligibiles, quia ab ipsa omnes formæ per quas res habent, vt cognoscantur profluunt. Et advertit benè D. Thomas, per hoc hæresim excludi Nestorij dicentis: Filium Dei, solum per inhabitationem esse humanitati vnitum: homo enim erat qui dicebat ego sum lux mundi, si ergo qui loquebatur personaliter, non esset Filius Dei, non dixisset ego sum lux mundi, sed in me habitat lux mundi.

Dicitur autem Christus, lux, & Author lucis, quia lucem inhabitat inaccessibilem, & quoniam splendor est animarum, per quem facta est lux, & in quo tenebræ non sunt vllæ: & quia sine illo omnia tenebræ, & qui nostras illuminat tenebras, & tenebras expellit peccatorum. Et de qua Isai. 42. *Dedi te in lucem gentium.* Dicitur etiam matutina lux, qui alibi stella nuncupatur matutina, quia est ante omnem lucem, & lux magna, Isai. 9. *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Et Ioan. 8. *Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Et veni in mundum, vt omnis qui credit in me in tenebris non maneat.

Sed sciendum: quod Christus est lux per essentiam, quia à Patre, qui talis lux est, 1. Ioann. cap. 1. quoniam Deus lux est. Et sic lux de luce, & lumen de lumine. Dicitur autem lux vera. Pro quo not. ex D. Thoma, Ioan. 1. lect. 9. quod verum tribus opponitur; aliquando falso. Ad Ephes. 4. *Deponentes falsum, loquimini veritatem.* Secundo contra figurale. Ioann. 1. *Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum.* Tertio dividitur contra participans. 1. Ioann. vlt. *Vt simus in verò Filio eius*, idest non per participationem. Lux fuit in Philosophis, sed falsa, quia evanuerunt in cogitationibus suis. Lux etiam fuit in Iudæis; sed hæc figuralis. Hebr. 10. *Vmbram habens lex est.* Denique est lux in Angelis, & Iustis per gratiam, sed participata, Iob 35. *Super quem nō resplenduit lux illius.* Idest, omnes ab illo.

Ergo Christus non fuit lux falsa, neque figuralis, neque participata; sed lux vera idest per essentiam suam. Ex quo reijcitur Fotinus qui Christum ex Virgine dixit initium sumpsisse. Et etiam Arrius, & Origenes qui Christum non verum fuisse Deum, sed per participationem cótendebant. Aliàs non esset lux vera. Sed si Deus est lux à se & vera, & Verbum, est lux vera: ergo lux & non per participationem. Et sciendum: quod Christus est lux, non metaphoricè sicut Leo, agnus, lapis, &c. Sed per essentiam, lux vera, lux sancta, lux delectabilis, lux quæ in tenebris lucet, & nescit occasum; lux in creata, omnem creans lucem, quæ nedum illu-

minat omnem hominem venientem in mundum; sed mentes etiam Angelorum.

Lumen etiam Christus appellatur, de quo Ioann. 1. *Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.* Et Isai. 60. *Surge illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum.* Et cap. 2. Venite ambulemus in nomine Domini, quo Simeon irradiatus exclamavit: Lumen ad revelationẽ gentium; quod lumen prius latebat incognitum; at vbi plenitudo venit temporis, dignatum est nobis lucere. Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Super nos, non supra Angelos, quia nusquam illos apprehendit, Hebr. 2. & Psal. 78. *Domine in lumine vultus tui ambulabunt.* Psalm. 88. & miseri Sapient. 5. *Ergo erravimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis.* & 1. Pet. 2. Qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. Et Ioann. 1. cap. 2. tenebræ transierunt, & verum lumen iam lucet, de quo Psal. 33. *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.*

§. III. *Principium.*

IOannis 8. interrogatus Christus quis esset? præbuit respõsum dicens: principium, qui & loquor vobis. Vt in sui fidem Iudæos induceret, naturæ suæ sublimitatem proponit dicendo, ego principium. Si autem Grammaticam attendamus dubium est, quo casu, principium, collocandum cum neutrius sit generis? Augustinus putat sic legendum in accusandi casu: principium me credite, ne moriamini in peccatis vestris. Sed sciendum: quod nomen *principium* commune est Patri & Filio, respectu Spiritus Sancti, in quantum sunt vnum illius principium per communem spirationem: & tribus etiam personis est commune titulo creationis rerum. Et Patri est proprium, respectu Filij per æternam generationem. Hic autem Christus se dicit principium, respectu totius creaturæ; quia quod per essentiam est tale, est principium eorum quæ sunt per participationem; ipse autem vt diximus per essentiam est tale.

Sed Chrisostomus aliter legit, vt per hoc quod Christus dicit, principium reprehendat tarditatem, qui post signa non crediderunt, & ab illo quærebant tu quis es? Et ideo Christus respondit: ego sum principium, qui locutus sum? cum iam deberet esse manifestum ad Hebr. 2. Ego sum principium & finis Apoc. 1. & cap. 3. qui est principium creaturæ Dei; talis est Christus; quia omnia per ipsum facta sunt; & quia est principium omnium rerum; omniaque reducit in se ipsum cum sit omnium finis. In quo Genes. 1. scilicet principio creavit Cœlum, & terram, & Psal. 101. *Et tu Domine in principio terram fundasti.* Idest in filio, qui ex Apost. est principium, & primogenitus ex mortuis. Et dicitur principium tanquam Author, finis autem, vt cuius gratia omnia sunt facta, est enim ipse omniũ rerũ finis.

Sicut autem ex dictis supra constat, quod vnum ex Dei nominibus existit, ego sum qui sum, & qui est, sic enim Moysi insinuavit cum Exod. 3. mitteret illum ad Pharaonem, & ille ad Deum diceret, si dixerint mihi quod est nomen eius, quid dicam eis? Respondit Deus Moysi. Ego sum qui sum. Qui est, misit me ad vos. De quo iam aliqua supra diximus, nomen ineffabile Ieheveh, vel Iehova dilucidantes. Ita nunc in præsenti loquendum videtur cũ Christus dicit: Ego sum, Ioan. 8. & cap. 18. Nihil amplius nunc explicandum se offert, nisi quod indè etiam Christi divinitas auspicari possit, cum idem nomen cõpetat illi, quo Deus Moysi suam essentiam vel naturam, vt ab alijs omnibus secretam, & distinctam significavit, & qui omnia super greditur tempora, & cunctarum rerum in se amplectitur perfectiones, ita vt idem sit, Ehieh, asser, Ehieh, ero qui ero, ero qui missit me. Et sum, qui est. quod in Deo tempora omnia essendi vna æternitate, quæ tota est simul, includantur. Et D. Thomas: Ego sum idest habeo in me naturam Dei, & sum ille qui locutus est Moysi dicens: Ego sum qui sum.

Sed

Sed librandus venit effectus verborum Christi; cum enim Ioan. 18. dixisset ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt. Vbi erudite Cayetanus, tanquam vox illa percussisset eos omnes, ita vt non caderent in facies suas, sed caderent supini in terra (videatur de hoc D. Thomas sect. 1.) Et hoc facto, monstravit Iesus, se nō perdidisse potestatem quam hactenus exercuerat faciendo miracula. Simulq; monstravit in potestate sua esse evitare invasionem illorum. Qui enim sola voce illos sic prostravit, multo magis poterat se ipsum salvare.

§. IV. *Vitis.*

VT trepidantium animos Discipulorum Christus roboraret, confirmaretque, varijs rationibus, similitudinibusque, pluribus in locis vsus fuit atq; proposuit. Non infimum obtinet locum, quam his verbis expressit. Ioan. cap. 15. *Ego sum vitis vera.* Stat autem similitudo in hoc. Primo, quia licet vitis despecta videatur, inter omnia tamen ligna in fructus dulcedine excedit. Ita Christus licet mundo despectus videretur, quia pauper, & ignobilis apparebat; dulcissimos tamen fructus protulit, Cant. 2. *Fructus illius dulcis gutturi meo.* Et ideò Christus est vitis afferens vinum interius inebrians; quod est vinum compunctionis, Psalm. 59. *Potasti nos vino compunctionis.* Et etiam vinum confortans, idest nostræ refectionis. Ioan. 6. *Sanguis meus verè est potus:* Sic enim supra comparavit se grano frumenti, quia caro eius verè est cibus.

Secundo, similitudo stat in hoc, quod vitis nihil à palmite, iste autem à vite influxum recipit. Concilium Arausicanum, Secundum dicit cap. 24. Ita sunt in vite palmites, vt viti nihil conferant, sed indè accipiant vndè vivant. Sic quippè vitis est in palmitibus, vt vitam subministret eis, & non sumat ab eis. Ac per hoc manentem in se habere Christum, & manere in Christo, Discipulis prodest non Christo. Nam præcisso palmite potest de viva radice alius pullulare. Qui autem præcissus non potest sine radice vivere. Et Trident. sect. 6. cap. 16. Ipse Christus Iesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat. En ex fide, & Concilijs, secunda ratio similitudinis cur Christus vitis dicatur.

Et addit Christus vitis vera. Et sciendum: quod verum aliquando dividitur contra similitudinarium, sicut homo verus ab homine picto: aliquando à corrupto, sicut acetum à vino, quia est vinum corruptum; & hic accipitur secundò modo, vt discernat se à vite corrupta, scilicet à populo Iudæorum, de quo Ierem. 2. *Quomodo conversa es in amaritudinem vitis alienæ:* quia Isai. 5. *Expectavi vt faceres vbas, &c.* Et cum in Christo sit duplex natura, in divina convenit cum Patre, & est supra nos. Et in humana natura, est vitis vera in quantum est caput Ecclesiæ homo Christus Iesus.

Vitis ergo dicitur Christus; quia in eo inserti homines, vberes fructus afferunt; & quia tanquam vitis in Crucis torculari expressus, sanguinem suum fidelibus sumendum concessit; & quia sanguine ipsius redempti sumus. Et Eccles. 24. *Ego quasi vitis fructificavi suavitatē odoris.* Vnius autem sunt naturæ, vitis, & palmites, & sic Christus dicitur vitis, ratione naturæ humanæ, in qua fidelibus est similis. Sicut ergo palmites in vitis radice vivunt, & fructificant; ita nos in Christo manere debemus, vt fructum afferamus. De hoc Iacob, iam prædixerat Genes. 49. Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ò fili asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine vbæ pallium suum.

Hæc etiam vitis est, de qua legitur Genes. 40. Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines crescere paulatim in gemmas, & post flores vbas maturescere. Tres ergo progagines, tres naturas significant in Christo existentes; divinitatem scilicet, animam, & corpus. Et cap. 9. Iudicum dixerunt ligna ad vitem: Veni, & impera nobis. Vbi glossa. Hæc vi-

vitis, Christus est. Et Origenes: Christus est vitis. Oremus ergo, vt Iesus regnet super nos, & cesset terra nostra à prælijs; & tunc vnusquisque requiescet sub vitæ sua, idest sub Christo: & sub ficu sua, idest Spiritu Sancto: & sub oliva sua, idest Deo Patre. Sub velamento enim Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, requiescit anima, quæ pacem in se carnis & spiritus recuperaverit.

§. V. *Panis.*

EGo sum Panis vitæ, & ego sum Panis vivus, dixit de se ipso Christus Iudæis. Ioan. cap. 6. idest, dans vitam, vt Genes. 50. *Asser pinguis Panis eius præbebit delitias vitæ æternæ regibus.* Duo hic intendit Christus Dominus. Primum, quod talis Panis det vitam. Secundum causam assignare quare det vitam. Primũ ergo ostendit per contrarium illis verbis. Patres vestri manducaverunt manna, & mortui sunt. Supra enim præmisserat, quod Moyses nõ dedit eis Panem de Cœlo verum: omnis autem Panis, qui non est de Cœlo vero, non potest vitam sufficientem dare: & sic proprium erit huius Panis: Vnde omnes qui ex illo pane manducaverunt, mortui sunt præter Iosue, & Caleb. Hæc ergo fuit causa secundæ circumcisionis, scilicet quod omnis Populus, qui egressus est ex Ægypto, mortuus est in deserto.

Inquirit autem D. Augustinus, & D. Thomas hic: de qua morte in præsenti fiat sermo? Nõ de morte corporali; quia etiam Christiani, qui sumunt Panem istũ vivum, corporaliter moriuntur. Non de morte spirituali; quia etiam sicut tunc, ita & modo aliqui moriuntur spiritualiter, & aliqui non. Nam Moyses, & alij qui Deo placuerunt, mortui non sunt, licet alij mortui sint. Similiter & qui istũ Panem indigne sumunt, moriuntur spiritualiter 1. Corin. 11. *Qui manducat, & bibit indigne, &c.*

Sed respondetur: quod ille cibus, & iste conveniunt, quia idem significant, scilicet Christum, vnde dicit Apostolus; eandem escam manducaverunt, quia eadem ratione significationis spiritualis escæ. Sed differunt, quia illa tantum figurabat; ista verò continet, quod figurabat, scilicet Christum: vterque ergo cibus, vel sumitur quantum ad signum tantum, non intellecto signato, & sic, nõ tollitur mors spiritualis, nec corporalis. Vel sumitur quantum ad vtrumque quod sumatur cibus visibilis, vt intelligatur spiritualis, & spiritualis gustetur, & spiritualiter satiet: & sic qui manna spiritualiter manducaverunt, mortui non sunt spiritualiter. Et qui Eucharistiam spiritualiter, & digne suscipiunt, vivunt nunc, & spiritualiter vivent in æternum: præstat ergo cibus noster manna, quia in se continet, quod figurabat ille.

Hic est Panis de Cælo descendens, ac si dicat, illum Panem de Cœlo descendere, qui potest dare vitam, sed ego sum talis vt patet: ergo sum Panis de Cœlo descendens. Ideò autem talis Panis dat vitam indeficientem (quod est secundum intentum) quia omnis cibus nutrit secundum proprietatem suæ naturæ; Cœlestia autem incorruptibilia sunt; & ideò quia cibus ille cœlestis est, non corrumpitur, sed quandiu manet vivificat. Qui ergo manducaverit ex ipso non morietur, sicut si aliquis cibus corporalis nunquam corrumperetur dans nutrimentum, semper vivificaret. Et sic Panis iste signatus est per lignum vitæ Paradisi, quodammodo dans vitam in perpetuum. Genes. 3. Nunc ergo, ne forte mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ, & vivat in æternum: effectus ergo huius Panis erit, vt qui ex illo manducaverit, non moriatur. Ego sum Panis vivus; & ideò possum dare vitam. Panis enim corporalis, non in perpetuum vivificat, quia non habet in se vitam, sed vivificat alteratus, & conversus in nutrimentum, virtute viventis.

Panis ergo iste vivus, vel vitæ, dicitur etiam Panis Angelorum (omissis pluribus) quia forte solum Angelicam puritatem sectantes, cõmedere debebant, Christus ergo, non solum secundum verbum quo vivunt omnia; sed etiam secundum car-

carnem assumptam pro mundi vita, est Panis vivus. Qui rectè Panis dicitur, quia cor hominis pascit, & reficit. Et sic Matt.11. *Venite ad me, & ego reficiam vos.* De quo Psal. 103. *Et Panis cor hominis confirmet.* Et Psal. 77. *Panem Angelorum mãducavit homo.* Verbum eternum æternum, quod erat in principio apud Deum, quodque erat refectio, & Panis Angelorum: hoc ipsum Verbum caro factum est de Virgine, & habitavit in nobis, vt non solum Panis esset Angelorum; sed etiam vt esset Panis, & cibus hominum Viatorum. Iudæis etiam altercantibus, & super hoc Pane Cœlesti nauseantibus, dicẽtibusque anima nostra nauseat super cibo isto levissimo, dixit: non Moyses dedit vobis Panem de Cœlo, sed Pater meus dat vobis Panem de Cœlo verum. Ioannis 6.

In Psalmo etiam 104. dicitur: *Petierunt, & venit coturnix, & Pane Cœli saturavit eos.* Ad quem etiam Panem sapientia Dei Patris nos invitans clamat: Venite comedite Panem meum, & iterum: Comedite, & bibite, & inebriamini charissimi. Cant.5. De isto etiam Pane dicitur Sap.16. *Angelorum esca nutrivisti populum tuum, & Panem de Cœlo præstitisti eis.* Hic Panis supersubstantialis, de quo Matth. 6. Panem nostrũm supersubstantialem da nobis hodie: & vocatur Christus supersubstantialis Panis, quia substantia divina eiusque natura, ab omnibus creaturarũ substantijs separata est. Vocatur etiam Panis quotidianus, quia quotidie Christum sumimus in Eucharistiæ Sacramento, vel quia, qui edunt illũ adhuc esurient. In hac vita quotidianus, at in Patria æternus. Vnde Augustinus: accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit; sic vive vt quotidie merearis accipere.

De hoc Pane dixit quidam Luc. 14. *Beatus qui manducabit Panem in Regno Dei.* Idest Christum in Ecclesia Militante Sacramentaliter, & in Triumphãti Christi semper divinitate frui. Vocatur etiam Christus Panis; qui in Bethleem, quæ domus Panis interpretatur, natus est. Et qui mundo famelico, tres Panes commodavit, hoc est Sanctæ Trinitatis mysterium revelavit. Et quia Christus nobis puerulis, Panem illum fregit, quem nemo præter ipsum frangere potest, Trenor. 4. Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Cibus etiam dicitur Ioan.6. Caro mea verè est cibus. Et iterũ; operamini cibũ qui nõ perit, sed qui permanet in vitam æternã, hunc enim Pater signavit Deus. Et dicitur cibus spiritualis, non in alios conversus, sed ad se convertens eos quos reficit, ac si dicat cibus sum grãdium, cresce & manducabis me; nec tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me.

Piaculum iudicarem, si silentio præmerem illa, Ierem.11. Altissima verba Iudæorum Consilium contra Christum exprimentia sic: *Mittamus lignum in Panem eius, & eradamus eum de terra viventium.* Ac si dicerent: Crux lignum est, Panis autem Christi corpus, qui dixit: Ego sum Panis vivus, qui de Cœlo descendi. Hunc ergo Panem vivum, & Eucharisticum, Christum morte turpissima ipsum condemnantes, de hominum memoria abolere conati sunt; sed frustra, quia iuge sacrificium, non deficiet quousque sæculum præsens finiatur. Iuxta illud Matth.vlt. *Ecce ego vobiscum sum, vsq; ad consumationem sæculi.*

In Sacra autem Scriptura, nomine Panis omnis cibus, & annona intelligitur. Isai. 3. auferet à Iuda omne robur Panis, & omne robur aquæ, idest omnem vim, & copiam cibi, & potus. Et Luc.14. cum introisset Iesus in domum cuiusdam Principis Pharisæorum Sabbato manducare Panem; idest prandere, vel cœnam sumere. Panem pollutum commedere, Oseæ 8. est quod sit præter studium gloriæ Dei. Et apud Malachiam, Sacerdotes Panem pollutum obtulerunt, idest per hypochrisim, & non ex animo, quod valdè Deo displicet, qui cum sit ipsa veritas, eos qui cũ spiritu, & veritate colunt, hos amplectitur, & amat.

Panis molestiæ, sive angustiæ, dicitur, cum tristitia, & luctu desumitur, Isai.30.

Pa-

Panis impietatis, est frui carnali sensu, & facta carnis approbare. Panis absconditus, Proverb. 9. est quod caro concupiscit, & arripit, quasi Deus non videat. Panis doloris præ afflictione conscientiæ, Psal. 126. *Qui manducatis Panem doloris*, operibus carnis, quæ nunquam vos certos possunt de vestra reddere salute. Et Psal. 75. *Cibabis nos Pane lachrimarum, &c.* Idest valdè blasphemamur, & contradicitur nobis ob verbum, & tuam veritatem. Panis propositionis, vel facierũ, idest præsentiæ meæ, quia semper coram Domino positi erant.

Sæpè etiam in scripturis, Panis cibum animæ designat. Et aliquando Evangeliũ. Ita ex 8. Deuter. dedit tibi cibum manna, quem Panem edere, est edere Christum incarnatum. Ioann. 6. *Non Moyses dedit vobis Panem, &c.* Accipitur etiam Panis pro ipsa carne Christi in Eucharistia. 1. Cor. 11. quotiescumque manducatis Panem hunc. Et est tropica locutio. Vocatur enim ibi caro Christi Panis, non quia est, sed quia fuit. Sicut Exod. 7. Dracones vocantur virgæ, non quia erant, sed quia fuerant. Ita caro Christi dicitur Panis, quia fuit quæ cum à fidelibus ex Christi mandato sit sumenda, vt horrori non sit locus, sub specie Panis nobis velata conceditur.

§. VI.

Granum frumenti.

GRanum frumenti se dixit Dominus Iesus. Ioan. cap. 12. *Amen amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Assimilat se ipsum Christus grano, non tritici, sed frumenti (inquit Cayetanus) quod est genus ad triticum, hordeum, speltam, & siliginem; vt intelligatur omnibus commune, & nullum nisi per ipsum steterit à sua reijciendũ gratia, & influxu. Sed forte hic limitatur ad speciem tritici; sicut panis communis ad omnes panis species, dum Christus dixit: Ego sum Panis vivus, Et Evangelistæ accepto Pane in consecratione, quod de triticio intelligitur. Sed quidquid sit de hoc, ad rem parum.

Vsus fuit Christus hac similitudine, ac si diceret nisi ego moriar, fructus conversionis gentium nõ sequetur. Sed nunquid non erat convertenda multitudo gentium, nisi per mortem Christi? Erat quidem absolutè, & secundum virtutem Dei: sed non secundum Dei determinationem ordinatam ab ipso, vt per hunc modum fieret, qui congruentior erat ad Hebr. 10. Sine sanguinis effusione, &c. De quo Theologi cum D. Thoma 3. par. q. 46. Sed notandum: quod grano frumenti vtitur ad duo, scilicet ad panem, & ad semen. In præsenti intelligitur de fermento, secundum quod est semen; non provt est materia panis; quia secundum hoc numquam pullulat vt faciat fructus. Dicit autem mortuum fuerit, non quod amittat virtutem seminativam; sed quia mutatur in aliam speciem. 1. Corin. c. 15. Tu, quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur. Sicut autem Verbũ Dei est semen in anima hominis, quatenùs est voce sensibili indutum ad fructum bonæ operationis producendum, Matth. 13. *Semen est Verbum Dei.* Ita Verbum Dei carne indutum est semen missum in mundum ex quo maximè seges pullulare debebat.

Audiamus Cayetanum benè differentem: mortuum fuerit; & semen ipsum frumenti moritur satum, quod significat casus in terram, & Iesus verè mortuus fuit in Cruce. Si granum non seminatur, manet ipsum solum, per exclusionẽ fructus. Iesus autem significatus ad litteram si non fuerit mortuus, ipse solus in toto genere humano manet sine aliquo casu, manet in æternum beatus: nullum enim hominem salvaret non mortuus (ex D. Leone serm. 2. de Passione) non quia aliter non posset; sed quia sic diffinitum est. Adverenterque dicit *affert*, propter differentiam inter Christum, & granum satum: nam granum frumenti quod mortuum est, non resurget vt afferat secum fructum, sed fructus ex ipso mortuo profertur. Iesus verò sic mortuus est, vt ipsemet

semet idem numero resurgeret, & afferret fructum multum innumerabilium hominum.

CAPVT OCTAVVM.

De nominibus Caro, Agnus, Nazareus, & Sacerdos.

§. I. *Caro.*

SEmel atque iterum Christus Dominus de se ipso loquens dixit Ioan. 6. Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita, qui manducat meã carnem: & caro mea verè est cibus. Et nisi manducaveritis carnem filij hominis, &c. Postquam ergo præcedenti capite quomodò Christus sit Panis, & granum frumenti explicuimus, doctrinæ ordo, & cõnexio postulare videtur vt quid ita frequenter de sua carne sermonem instituerit, lustremus in præsenti capite.

Supponendum ergo primo: quod hæc verba, cum omni proprietate sunt intelligenda; vt enim D. Thomas adnotavit; ne aliquis crederet quod ea quæ de carne dicta sunt, & sanguine, enigma, & parabola esset, vt hoc Christus excluderet dixit: Caro mea verè est cibus: quasi dicat, non intelligatis, quod figuraliter loquor; sed secundum veritatem; caro mea continetur in cibo fidelium. Vel secundo cum Chrisostomo. Quia cibus & potus, sumuntur ad refectionem hominis: in homine autem, sunt duæ partes principales; quarum vna est anima, & altera corpus secundaria. Illud ergo est verè cibus hominum qui est cibus animæ, & non solius corporis. Vel tertio cum Augustino: illud verè dicitur aliquid, quod facit effectum eius, effectus autem cibi, est vt satiet: ergo quod verè facit satietatem, verè est cibus & potus. Hoc autem facit caro, & sanguis Christi, qui ducit ad statum gloriæ, vbi non est esuries, neque sitis. Apoc. 7. *Non esurient amplius.*

Vel aliter potest explicari. Caro mea naturalis (vt statim) est cibus verè. Non dicit, est cibus corporis; sed absolutè est cibus, ne arcteris sensum ad cibum corporis. Vndè sufficit ad verificandum hunc textum, quod sit cibus animæ. Transfertur enim (inquit Cayetanus) cibi nomen & ratio, à cibo corporis, ad cibũ animæ: ad significandum ergo, quod caro sua, non falso, non opinione; sed secundum veritatem cibat animam dicit, verè est cibus, vt excludat omnia temporalia, quæ reputantur cibare animam, sed nihil horum verè cibus est animæ; sed solus ille verè est cibus, qui vivificat.

Circa sensum etiam verborum notandum: quod signanter non dixit Christus, caro mea significat, sed caro mea est; quia secundum rei veritatem, hoc quod sumitur, verè est corpus Christi. Iob. 21. *Si non dixerunt viri Tabernaculi mei, quis det de carnibus eius vt saturemur.* Sed dignum indagine videtur, cum in hoc Sacramento totus Christus cõtineatur quare ad illud significandum, solum dixit, caro mea est? Plura circa huius dubij enodationem poterant adduci, ex his quæ Expositores dicũt ad illa verba cap. primi Ioannis: *Verbum caro factum est.* Et Theologi 3. p. q. 4. 5. & 6. sed breviter, dico: quod in Eucharistiæ Sacramento, totus Christus, secundum veritatem est, sed corpus est ibi, ex vi conversionis; divinitas autem, & anima, per concomitantiam. De quo 3. p. q. 76. Vnde si divinitas separaretur à corpore Christi, iam non esset in Sacramento divinitas; etsi in triduo mortis aliquis consecrasset, non fuisset ibi anima Christi sub Pane, sed tale corpus, quale erat in Cruce, vel sepulchro.

Ideò autem dixit potius, caro, quia cum hoc Sacramentum sit Dominicæ Passionis rememorativum. 1. Cor. 10. *Quotiescumque manducabitis Panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Passio autem Christi fuit ex infirmitate, 2. Cor. 13. Mortuus est ex infirmitate, vt ergo insinuetur infirmitas, ex qua mortuus est potius dicit: caro mea est, nam hoc nomen infirmitatem significat. Videatur supra cap. 1. D. Thomas, vbi quatuor assignat rationes, quare

Ioannes dixerit, verbum caro factum est; & nullam fecerit mentionem de anima rationali. De effectibus etiam ab istius carnis comestione causatis in anima; videantur Theolog. 3. p. q. 79. & de necessitate illius, q. 73. art. 3. & optimè Cayetanus Ioann. 6. ad illa verba: *Nisi manducaveritis, &c.*

Natura humana à Verbo Divino suscepta, caro dicta est iuxta illud: *Verbum caro factum est.* Et vigilanter Evangelista dixit, Verbum caro, magis factum quam hominem, ad illorum evitandum errorem, qui dixerunt, naturam humanam habere in Christo hypostasim propriam. Si ergo dixisset, & Verbum homo factum est; cum homo significet naturam humanam in supposito, dedisset occasionem cogitandi, quod natura humana in Christo subsisteret in propria hypostasi. Simili modo si dixisset: & Verbum anima factum est, & non caro, dedisset occasionem cogitandi, quod illa vnio esset tantum secundum actum animæ, vt per cogitationem, & amorem, non tamen in vnitate suppositi. Ad confutandas ergo omnes hæreses, Verbum caro factum esse dixit.

Nam per carnem intelligitur natura humana in scriptura: vt Isai. 40. *Omnis caro fœnum.* Caro ergo ista idest natura humana assumpta à Verbo, non in vnitate naturæ; quia in Christo, non vna natura est, sed duæ naturæ sunt, divina scilicet, & humana in vnitate suppositi. Erit ergo sensus: & Verbum caro factum est, ac si diceretur, Verbum homo factum est; quia licet fieri repugnet Deo, sive Verbo absolutè, potest tamen de eo dici ratione humanæ naturæ adiunctæ. Nam per tale fieri, non habetur Deum de novo incepisse esse, quod est impossibile, sed quod incipiat esse homo, quod est possibile, quia suppositum divinum, est infinitæ subsistẽtiæ, vel virtutis. De quo Theologi cum D. Thoma 3. p. q. 15. art. 6. dixit ergo: Verbum caro factum, vt securi credamus homines nasci ex Deo, cum Deus nascatur ex homine, ex hac enim susceptione infirmitatis, nostra sanatur infirmitas, vt possimus Filij fieri Dei. Imò ex hac susceptione, nedum filius hominis dictus, vel caro, sed etiam corpus, ex Matt. 24. *Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur, & aquilæ.*

In Sacra autem Scriptura caro, nedum naturalia, vt sitire, & esurire; sed etiam hominis affectus, & vires naturales citra Spiritus Sancti auxilium designat, vt Genes. 6. & 10. *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est.* Ideò caro, ratio humana, exterior homo, vetus homo, terrenus Adam, corpus peccati, idem sunt; nam his tota humana natura explicatur, vt naturalibus affectibus, & motibus obnoxia. E contrario spiritus, motiones, agitationes, impulsus ad bona opera dicit. Ioan. 3. quod natum est ex carne, caro est, quod natum est ex spiritu, spiritus est. Et sic novus homo, spiritualis, interior homo, nova creatura corpus iustitiæ pro eodem sumuntur. Et vbicumque de carne agitur per anthitesim ad spiritum, per carnem intellige omnia contraria spiritui, vt Rom. 8. *Prudentia carnis mors est.*

Caro, & sanguis varie vsurpantur. Iam pro humana doctrina, vel hominibus, vt cap. 1. & 2. ad Galat. *Non acquievi carni, & sanguini;* idest hominibus, vel humanæ eruditioni obnoxios. Aliquando accipitur pro affectibus, & concupiscentijs nostris. 1. Cor. 15. *Caro, & sanguis, Regnum Dei non possidebunt.* Idest sequuti concupiscentias suas, à Dei Regno excludentur. Etiam cognatos parentes, & necessarios caro designat, vt Matth. 16. Christus ad Petrum: *Caro, & sanguis non revelavit tibi;* idest nec ex tuæ naturæ viribus, vel à tuis proprijs accepisti.

Vtuntur etiam scripturæ carne, non tantum pro hominibus; sed etiam pro Christi humanitate, ita Apostolus ad Hebr. 5. *In diebus carnis suæ.* Item pro omni vivo, & spirante. Genes. 8. *Cuncta animantia, quæ sunt apud te ex omni carne.* Psal. 77. *Recordatus est quia caro sunt.* Carnem crucifigere, est mortificare veterem hominem: esse in carne, idest

in

in operibus carnis. Rom. 7. Vos autem in carne non estis. Carnem hominis edere, in bonum est amare, at in malum crudelitatis inditium. Comedere carnem populi, vsque ad ossa, Psal. 14. Est ipsum penitus expilare, & destruere.

§. II. *Agnus.*

AGnus, vox Greca est, quæ Latino sermone purus, & castus verti potest; eo quod sit Hostia pura, & immolationi apta. Hoc nomine Christus sæpissimè in Sacra Scriptura acclamatus reperitur, vnde & illud lustrare curiosius in animum venit, rem à principio inchoando. Sciendum: quod in veteri lege consuetum fuit, quinque animalia in Templo afferri, de terrestribus vitulus, capra, ovis, aries, & agnus, & de volatilibus duo, scilicet, turtur, & columba: quæ omnia, figura fuerũt veri sacrificij, qui est Christus, qui semetipsum obtulit oblationem Deo, vt dicitur ad Ephes. 5.

Hæc cum ita se habeant, inquisitione dignum videtur: quare cum his omnibus Christus designaretur, vt Baptista de Christo testimonium perhiberet de illo solum ipsum agnum vocavit? Sed respondetur: Causam fuisse ex Num. 24. quod licet plura alia fierent in Templo sacrificia certis temporibus, vnum tamen erat quotidianum, in quo iugiter vnus agnus mane, & alter vespere offerebatur, nec hoc mutationẽ patiebatur, sed tanquam principale, & præcipuum observabatur; alia verò, quasi ex adiuncto. Et ideò per agnum, qui erat principale sacrificium significatur Christus, qui est excellentius sacrificium. Et offertur mane, & vespere, quia per Christum patet aditus ad intelligibilia divinorum contemplanda, & fruenda, quod pertinet ad cognitionem matutinam, & instruimur quomodo vtamur terrenis, absque inquinamẽto, quod pertinet ad vespertinam.

Dicitur Agnus Dei, idest per agnum significatus, & dicitur Dei, quia in Christo sunt duæ naturæ, humana scilicet, & divina. Et quod hoc sacrificium esset virtuosum ad purgandum, & sanctificandum à peccatis, habet ex virtute divinitatis, in quantum scilicet Deus erat in Christo mundũ recõcilians sibi. 2. Cor. 5. Vel dicitur Agnus Dei, quasi oblatus Deo, scilicet ab ipso Christo, qui est Deus sicut dicitur oblatio hominis quam homo offert. Vel dicitur: Agnus Dei, scilicet Patris, quia ipse providit homini oblationem ad offerendum pro peccatis sufficientem, quam homo per se habere non potest. Vnde cũ Genes. 22. quæreret Isaac ab Abraham: Vbi est victima holocausti? Respondit: Deus providebit sibi victimam holocausti.

Iam Christus Agnus dicitur, propter puritatem, Exod. 12. *Erit Agnus anniculus.* Et 1. Petr. 1. *Non corruptibilibus: sed sanguini Agni immaculati.* Secundo, propter mansuetudinem, Isai. 53. *Quasi Agnus, &c.* Tertio, propter fructum, Proverb. 8. *Agni sunt tibi.* Et hoc, vel quantum ad indumentum, Rom. 13. *Induimini Dominum Iesum Christum.* Vel quantũ ad cibum, Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus.* Merito ergo exclamabat, Isai. 16. *Emitte Domine Agnum dominatorem terræ.*

Vel vt advertit Cayetanus, ecce Agnus Dei. Demonstratio exercita significatur per adverbium *ecce*. Et in textu Græco præponitur articulus dictioni *Agnus*, ad significandum insignem certumque illum expectatum agnum. Agnus autem metaphorice demonstratur, eo quod immolandus esset, & vt esset iuge sacrificiũ agnus, qui occissus est ab origine mundi, Apoc. 13. & adiungitur, *Dei*, vt determinetur tam hypostasis divina humanitatis immolandæ, quam Deus qui immolandus est. Et ad declarandũ quorsum monstratur agnus, quare immolandus dicatur, subiungit effectum tantæ hostiæ dicendo: qui tollit peccata mundi.

Agnus ergo vocitatus est Salvator similitudinis causa, non proprietatis substantia, per similitudinem, & exemplum, non per naturam. Agnus etiam dicitur, quoniam carne, & sanguine suo nos pascit, & valore protectionis suæ nos vestit.

De quo Isaias prædixit. Isai. 53. *Quasi agnus coram se tondente obmutescet, & non aperiet os suum.* Et Ierem. 11. *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* Et propter eius veram assumptam humanitatem, in qua pro nobis passus est, & immolatus. De quo 1. Reg. 7. dicitur: *Tulit autem Samuel agnum lactentem, & obtulit illum holocaustum integrum Domino: & clamavit Samuel ad Dominum pro Israel, & exaudivit eum Dominus.*

Iste est celeberrimus ille agnus, de quo Exod. 12. dicitur: *Erit agnus absq; macula, masculus, anniculus.* Absque macula; quia peccatum non fecit. Masculus, quia fortis, & virilis, Psal. 18. *Exultavit vt gigas.* Anniculus, quia prædicavit annum Domini placabilem, & diem retributionis. Iste etiam est agnus, de quo Baptista: Ecce Agnus Dei; ab initio mundi promissus, & ecce iam à Deo missus, vt hostia acceptissima pro mundi redemptione. Quasi Ioannes diceret, quid me contemplamini? quid me sequimini? Non sum ego ille Propheta, Pastor, & Agnus, quem vobis Deus, de fratribus vestris suscitandum promisit, sed vox, & Præcursor sum eius. Medius autem stat quem vos nescitis, ipsum sequimini.

Agnus etiam dicitur (vltra dicta) quia iuge sacrificium, quod in lege figurabat perpetuitatem beatitudinis, vespere fiebat de agno, quod sacrificium erat vltimum omnium, post quod non erat secundum, mane ergo offerebatur vnus agnus, & alter vespere. Ita Christus, vt perfectam beatitudinem electis suis conferret, mane immolatus fuit in Abel, & vespere in se ipso in veritate, quod dicitur sacrificium vespertinum, & vltimum in fine sæculorum litatum, & in æternum permansurum. De quo sacrificio legitur Psal. 140. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.*

Est etiam iste Agnus, qui Apoc. 13. dicitur: Occisus ab origine mundi. Dicitur etenim ab origine mundi occisus, vel in Abel, & alijs iustis, sive in sacrificio, quod immolavit Abel; vel ab origine mundi, sed ante originem mundi, quia ab æterno prævissus, & præordinatus occidi in tempore, vel quia virtus Passionis Christi operata fuit nostram redemptionem, & æternam salutem in omnibus, qui illius fidem habuerũt. Omnes enim electi, tam ante Christum, quam post in fide, & sanguine mediatoris salvantur. Etenim vt docent Theologi 3. p. de merito Christi, qui nobis omnia conducentia ad salutem æternam promeruit, & ex fide, & ei⁹ meritis prævisis in intentione, omnes acceperunt, Ioann. 1. *De plenitudine eius, omnes accepimus gratiam pro gratia.* Sive prima gratia sit lex vetus, & secunda lex nova: sive gratia primo dicta significet dona supernaturalia, quoad substantiam, & secunda dicta sit, & dicat illa dona gratuito accepisse, & omnia de plenitudine gratiæ Christi.

Sed Augustinum ita disserentem audiamus circa Exod. 12. agnus eligitur, vt simplicitas, & innocentia designetur; masculus quæritur, vt virtus comprobetur: immaculatus, vt sine crimine: anniculus, vt tempore prædicationis ex acto, perfectus: mense primo, vt totus annus à primordio consequatur: quarta decima die mensis, vt lumine veritatis impleto, erroris nox operiatur: ad vesperam, vt sæculi occasus imminẽs approbetur: eiecto fermento, vt à corde perversæ mentis, malitia corrupta tollatur. Oblitis sanguine limitibus domorum, vt figura Dominicæ Passionis fronte signetur. Igne assus, Evangelium, & sermo Christi robustus est. Nihil prætermittitur, nihil enim in Christo omnino reprobatur. Ossa non conteruntur, quia nec comminui, idest vinci Christus potest.

Quicquid superest divinis ignibus imponitur; quia quod quis capere non potest, Christi divinæ scientiæ remittitur; eorum tantum, quæ manifesta sunt pro viribus epulatur intentus. Stantes edunt, ne quis cadat, sed ingentis animi robore cõtra persecutionem prælia erectus existat. Succinctis lumbis, Evangelicæ signũ cõtinentiæ: addictis baculis, Spiritui Sancto quis nititur: pedibus calcatis, idest lubrico

brico

brico erroris eiecto, cuncta sunt fixa: festinantes etiam, nam ferventes fide probantur, tepidi respuuntur: cum azymis sumuntur; Christus enim cum omni simplicis animi pura simplicitate sumitur. Ita Augustinus.

In Sacra Scriptura, agnus Hebraice *Cesebh*. Si anniculus fuerit, si excedit dicitur he, Psal. 113. ***Montes exultaverunt, ut arietes, & colles sicut agni ovium***, signum est magnæ lætitiæ. Simplicitatis, & ignorãtiæ imaginem præfert. Prov. 7. ***Quasi agnus lasciviens, & ignorãs, quod ad vincula stultus trahatur***. Puri etiam, & innocentes agni dicuntur. Isai. 5. Et pascentur agni iuxta ordinem suum. Et cap. 11. Habitabit lupus cum agno. Et Luc. 11. ***Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos***. Et nova Ecclesia, nomine agnorum explicatur. Ioan. 21. ***Pasce agnos meos***. Isai. 65. Agnus, & lupus habitabunt simul, idest qui in Domino confidunt nulla adversitate possunt superari, quominus in Domino sint hilares.

§. III. *Nazareus*.

Nazareus, vel Nazarenus, Christus D. in Sacra dictus, & vocatus est Scriptura. Ethimologiam prius lustremus; dictio est vtrique testamento communis, scribitur autem *Nezir, vel nostri*: quorum primum à verbo *Nazar* derivatur, quod est separari ab alijs religione, sanctitate, voto singulari, vel dignitate, vnde *Nezir*, corona, vel diadema, quo Rex, vel summus Sacerdos ab *alijs* secernitur significat, hinc Ioseph dicitur Genes. 49. fiat in capite Ioseph, & in vertice Nazarei fratrum eius, ita vt ibi significetur quasi Dux, & Princeps, & coronatus inter fratres suos. Et sic Nazareus sumitur etiam si non voto sit talis, sed à dignitate, & alijs ornamentis, & hoc nomine Christum dicimus Nazareum, quia separatus ab alijs dignitate, & splendore suæ sanctitatis; vnde turbæ Ioann. 6. Regem facere voluerunt.

Si autem Nazareus Hebraice scribatur *nostri*, per litteram *tsade*, sicut in titulo Crucis testatur existere Pagninus; tunc quia *Nazir*, ex D. Hieronymo, Isai. 11. Plantam teneram, vel florem significat; Nazareus idem erit, quod floridus, & quasi planta tenera à corruptione servatus virtute divinitatis; *Nazar* enim, servare, vel præservare à corruptione significat. Et sic Isai. cit. hoc nomen Christo attribuitur. Egredietur virga de radice Iesse: & flos Nezer de radice eius ascendet. Et Caldaicus: & egredietur Rex de filijs Isai, & Christus de filijs filiorum crescet.

Nazarei verò vt constat Num. 6. illi sic dicti sunt, qui voto adstricti sanctificabantur, vt Deo deservirent, & Hebraice dicitur à *Iaphli Linder*, cum separaverint se à voto, & comercio rerum quorũdam, scilicet vsu veni, rasura, & alijs. Et alij vocem *Iaphli* interpretantur, miradũ: erat enim mirandum, si quis delitijs, & voluptatibus deditus, votum abstinentiæ emittat, & à delitijs abstrahatur. Et sic omnes qui sic voto adstricti vivebant Nazarei dicebantur à verbo *Nazar*, idest separavit; & tales etiam Christi tempore à Iudæis *Perism*, idest separati, & segregati dicebantur, & forte illi erant, qui communiter Pharisæi vocabantur.

Quam plura nobis in præsenti offerebant se discutienda; sed quia non ita ad rem pertinere videntur, indicare sufficiat. Primum apud Iudæos fuisse quinque sectas, vel quasi religiones, vt ita dicam. (omissis Rechabitis, qui parum temporis permansere, de quibus Ierem. cap. 35. Primi fuerunt Æssæi, vel Esseni, qui communem vitam valdè religiosam agebant, de quibus Philo apud Eusebium lib. 6. de præpar. Evang. & sic Essæus, idem erat ac Sanctus. Secundi Pharisæi, ita dicti, quasi ab alijs divisi, quia phares, divisio, vel separatio est, & Pharisæi divisi, hi in pluribus errabant, ex Iosepho lib. 18. cap. 2. Omnia enim attribuebant fato, animarũ iudicia, sub terra fieri affirmabant, transmigrationem animarum pythagoricam, & alia similia; vt cognoscerentur in quatuor angullis palliorum vittas hiacintinas affigebant, dilatabãt fimbrias, & phila-

lacte-

lachetia, de quibus Matth.23. paulò ante Christum initium sumpsisse traditur, & ipsi Christo valdè infensi fuere.

Tertij extiterunt Saducæi, & est dictio propria novi testamenti, deducitur à *Saddik*, idest iustus, sic enim vocabantur, vel tales se esse putabant; origo illorum, vel ab Heresiarcha dicto *Sadoc*, vel ex Hieronymo à Dosotheo Principe Samaritanorũ, qui omnes repudiabant Prophetas, solo Penthateucho admisso; animas mortales, non futuram resurrectionem, nec præmia, nec supplicia, nec Angelos existere, & plura alia asserebant: de quibus Iosephus lib.18.antiq. Quarti Galilæi, sic dicti ex quodam Iudæo, qui indignum ratus contra leges patriæ Iudæorum alicui Principi tributũ solvere Populum ad defectionem solicitavit, & pro hac vindicanda libertate, vsque ad sanguinis effusionem decertandum. Quod præstitisse strenue, testatur Iosephus lib. 7.de bello Iudai. cap.29. & tales fuerunt illi, quorum meminit Lucas cap.13. aderant tunc ipso tempore quidam nuntiantes de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cũ sacrificijs eorum. Et Christiani primitus in ludibrium hoc nomine improperabantur.

Vltimi dicti sunt Nazaræi, qui vt diximus, voto se adstringebant, quorum ritus, & ceremoniæ habentur, Numer.6. & hæc omnia præstabant, vt expeditius legis Dei studio se darent, & ob Dei contemplationem liberius habẽdam ab aliorum se communicatione secernebant, & separabant. Teste autem Basilio Magno, suo tẽpore aliqui sic vocati reperiebãtur, scilicet Nazareni, qui divino cultui penitus se mancipabant. Et primis nostræ Religionis temporibus Christiani Nazareni, vel Nazarei, nuncupari solebant; eo quia Salvator noster, incola fuit Nazareth, iuxta propheticum dictum, & etiam nostra Religio, secta vocabatur Nazarenorum. Vt patet ex cap.24. Actu. *Invenimus hunc hominem pestiferum, & auctorem sectæ seditionis Nazarenorum.*

Secundo nobis occurrebat agere circa ceremoniam Nazareorum de non tondendo capite, nec navacula vtenda, &c. Sed postquam tempus constitutum compleverunt, caput radebant, capillosque igni tradebant comburendos. Hinc in Ecclesia ab antiquo derivatum, vt qui arctius Dei cultui se manciparent, eorum capita, vel in totum, vel in aliqua parte, deberent abradi. De hoc plures plura etiam contra Hæreticos, circa hanc ceremoniam insectantes, scripserunt. Videantur Turrianus lib. 1. Const. Apos. cap.3. Sixtus Senens.lib.2. Bellar. tom.1. lib. 2. de Monch. cap. 40. & Alphonsus Mendoza quæst.5. expositiva, vbi plura digna lectu continentur.

Tertium, quod sciendum venit est: vnde Matthæus cap.2. desumpsit illa verba: *Vt adimpleretur quod dictum est per Prophetas; quoniam Nazaræus vocabitur*? Variant Expositores, & explosa quorundam imaginatione dicentiũ, per illos Prophetas intelligi eos, qui ab alijs prioribus edocti fuerant, nihil enim veritatis habet, de quo Iansen. cap. 11. concor. Cantapra. lib.6. cap. 1. & Mendoza citatus. Aliqui desumpta esse aiunt, ex Iudic. 13. Vbi fit sermo de Sampsone, qui Nazaręus fuit, & licet liber vnus, multorum continet narrationem. Alij ex Psal. 131. *Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea*. Vbi Christus à David vocatur Nazaræus per *Zain*, quasi habens Nazaræitatem, nam pro sanctificatione habetur Nazaræitas.

Alij ex Genes.49. dicunt esse desumpta, vbi Iacob appellat Iosephum Nazaræum dicens: fiant in capite Ioseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos. Sed verosimilius est, id desumptum ex Isai.11. *Egredietur virga de radice Iesse, & Nazaræus de radice eius ascendet*; ita D.Hieron.lib.7.in Isai. & Expositores, Matth. cap.2. & ratio videtur esse, quia vt dicemus Christus, non fuit de instituto Nazaræorum, & sic Matthæus, non allusit ad loca illa, Genes.49. Deuter.33. Iudic.13. & 16. 1. Reg. 1. in quibus scribitur per Zain Nazaræus, sed ad locum Isai.11. vbi scribitur per *Zade*. Sed dices: si ex vno Isaia, quomodo Evangelista dicit, per Pro-

Prophetas? Facilè respondetur: sæpè plurale accipi pro singulari, vt Luc. 23. de duobus latronibus, idest vnus. Et Matth. 26. videntes discipuli indignati sunt dicentes, vt quid perditio hæc, & solus fuit Iudas, de quo iam supra: videatur M. Benavides in lectura de fuga ad Ægyptum, &c. versu 23. hoc benè expendens, & quare Christus Nazaræus, & non Beethlemita vocatus, exponit.

Sit ergo Christus D. Nazarenus, à Civitate Nazareth, in qua conceptus, & educatus fuit, vnde & Paulo dixit Act. 9. *Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris.* Et de quo in titulo Crucis suæ scriptum fuit: hic est Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Nazarenus dictus est, propter Sacramentum. Nam Nazarenus, Custos, aut flos, vel floridus, sive virgultum interpretatur. Custos de quo Isai. 21. testatur: *Custos quid de nocte.* Flos in Cant. 2. *Ego flos campi.* Et Isai. 11. cit. Floridus dicitur ab Sponsa, Cant. 1. *Lectus noster floridus.* Virgultum Isai. 53. *Et ascendet sicut virgultum coram eo.* Virgultum est virga pullulans ex trunco, sic Christus ex Virgine.

Dicitur etiam Christus Nazaræus ijsdem rationibus, & de quo in Genes. cap. 49. fiant in capite Ioseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos. Vbi D. Thomas. Et nota quod occasione Regni Iudæ, egit de Regno Christi æterno; sic occasione benedictionis, seu gratiæ Patrum consumandorum in Ioseph, egit de vltimo fine gratiæ, qui est finis omnis desiderij sancti. Et glossa Fiant in capite Ioseph in vertice Nazaræi, hoc est Christi, qui caput Ioseph, & Nazaræus, idest consecratus, vel separatus, & sanctificatus. Et merito quia Christus rectè sanctificatus, quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, Ioan. 10. & qui dixit Ioan. 17. Sanctifico me ipsum, vt sint, & ipsi sanctificati. Consecratus etiam, quoniam seipsum Deo Patri consecravit, & in sacrificium obtulit: separatus autem, quia Apostolus dixit illum à peccatoribus segregatum. Hebr. 7. Coronatus verò, quoniam ille est decoratus sponsus, de quo in Apocal. 19. *Et in capite eius diademata multa.* Et Cant. 3. Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem, in diademate quo coronavit illum Mater sua in die lætitiæ cordis eius.

DIGRESSIO DE CHRISTI Domini Nazaræatu.

NOn tanti, à prima facie vt dicunt, res ista æstimanda videtur, vt illius causa à nostro deflectere debeamus instituto. Sed si rectè perpendatur, merito vt aliquam dictis lucem admoveamus examinanda venit: tum ob veritatem (quæ omnia vincit) adstruendam: tumquia nihil solidæ gloriæ Christo supraddat: imò illius ad nos adventum, & legationem, & ipsum verum esse Messiam fundamenta diruat vniversa, vt statim expendemus, & sic quantum intersit hoc elucidare perspicuum omnibus fiet.

Igitur ex dictis statuendum est: quod Christus tribus modis potest dici Nazaræus, vel Nazarenus. Primo ex patria, scilicet Nazareth, vnde existebat oriundus. Secundo, propter nominis ethimológiã, sive Nazaræus scribatur per *Zain*, vt sit separatus, sanctus, &c. sive per *Zadic*, seu *Zade* Hebræum, idest floridum florem, germen, fructum, &c. vtroque enim modo omnia hæc Christo competebant. Tertio, si forte Nazaræorum ritum, & statum sit amplexus, de quo in præsenti. Et sciendum etiam: quod in voce *Nethser*, per *Isadic*, quæ habetur Isai. 11. alia etiam designat, vt custodire, devastare, prædare. Primum Christo Iob cap. 7. tribuitur, quid faciam tibi ocustos hominum? Secundum 8. Isai. Voca nomen eius spolia prædare. Et hoc etiam modo Christus dici potest Nazaræus.

Hoc supposito, statuendum vt certum: Christum non fuisse Nazaræum, ita vt illorum ritum, sectam, & ceremonias, vt à lege præscriptas tutatus sit, & professus. Ita Benavides citatus: & cavendus Episcopus March. tom. 1. ref. 165. qui dicit Christum anno 19. ætatis suæ, sumpsisse habitum, & professionem Nazaræorum.

Con-

Conclusio probatur à Mendoza. Primo: ex eo quod Nazaræus, qui illi populo cōpetebat, scribitur per *Zain*; qui verò Christo, per *Thsade*, vt constat ex Pagnino, Sixto Senensi, & D. Hieronimo, & communiter apud Expositores Matth. cap. 2, & Mendoza cit. §. 11. Secundo probatur: quia illorum ritus non servavit. Primus erat abstinentia à vino, quo Christus licet temperatissimè, vsus fuit. Secundus, non assistere mortuis; Christus mortuis interfuit, imò & illos tetigit. Tertius, nec barbam radere, nec tondere caput; quod videtur incredibile in Christo, in triginta trium annorum cursu; deformis enim, & horribile appareret, & potius ablegaret, quam ad se attraheret homines. Quartus, quod hostias pro peccato cum cæteris ceremonijs offerebant, quod Christus in vita non præstitit.

Firmiora hæc fundamenta, quam quæ ab alijs adducuntur. Scilicet, quia Nazaræatus erat ad domandam carnem asperitate, & Nazaræus offerens, peccatorem se profitebatur. Secundo, quia forte tunc iam illa interierat, vel defecerat secta. Tertio, quia Evangelistæ non perhibent ritus illorum servasse cum biberet vinū, & mortuis interfuerit. Quarto, non competebat vita singularis Christo, qui omnium futurus erat Dux, & Magister. De quo D. Thom. 3. p. q. 40. ac denique quia nullus scriptorum reperitur tale dixisse.

Sed tribus vltimis probationibus pro nunc admissis, duæ priores non convincunt. Non prima, quia etsi Christus abstinentijs non indiguerit, vt carnem spiritui servire compelleret, cum Sanctus, sine peccato, & illius fomite existeret, ex D. Thom. 3. p. q. 15. Id tamen præstitit in nostrorum satisfactionem delictorum, & ex D. Ambrof. lib. 5. in Lucam. Species tibi datur, forma præscribitur quam imitari debeas. Etsi pro ipso hostia offerretur, non quia indigebat, sed in humilitatis signum, sicut circumcidi, & præsentari voluit in Templo. Nec secunda ratio, roboris aliquid habet: cum aliqui D. Ioannem Baptistam de ordine fuisse Nazaræorum dicant, quod innuere Angelus videtur dum dixit: vinum, & sicceram non bibet, & alij dicunt: Christum 40. diebus quibus in deserto ieiunavit, cum Nazaræis conversatum fuisse. Imò vt iam diximus ex Nazianzeno, vsque ad D. Basilij tempora Nazaræorum institutum servasse insinuatur.

Hæc pro veritate firmanda sufficere videbantur: sed dum in illis scribendis versarer, incidit in manus tractatus, paucis obvius de Christi legali sacerdotio cu iusdam Iudæi, vt illum in Latinum vertit Suidas verbo *Iesus*. In quo plura nefanda, erronea, & fabulosa continentur. Dicitur enim ibi, quod tempore Iustiniani quidam Theodosius Princeps Iudæorū, persuasus à quodam Catholico, vt Christianus fieret, plura respōdit. Primo, quod secundum numerum Hebraici Alphabeti, & eius litterarum, quæ erat 22. tot in Templo existebant Sacerdotes conscripti. Secundo, quod vnus si moriebatur de communi suffragio alter substituebatur. Tertio, quod vno defuncto post magnam altercationem, ab aliquo Iesus Ioseph Filius est substitutus, & ab omnibus acceptatus, antequam ipse se aperiret, vel prædicaret. Quarto, quod cum aliqui ex illis Iesum, ex Tribu Levi, non esse contenderent, qui illum optaverat dixit, cum duæ illæ tribus, sæpè coniugijs miscerentur, inde Iesum etiam ex *Tribu* Levi esse.

Quinto, quod vt moris erat vocati sunt parentes, & interrogata B. Virgo, respondit ipsius esse Filium, sed sine Patre in terris, referens modum Conceptionis illius, & salutationis Angelicæ (sequentia dictu, & scripto indigna, silentio præmantur) Sexto, quod his peractis, in libro hæc scripta mansere. Quiquidem codex servatus in Templo, postea Tyberiade repositus est, & hoc arcanum dicebat Iudæus paucis reseratum, sed sibi vt illorum Magistro communicatum. Et Iosephus teste Eusebio dicit: Iesum in Templo vna cum reliquis Sacerdotibus caste, & sancte agere solitū. En historiā, sed verius figmentum, cuius fundamenta statim proposita diluentur.

Hæc

Hæc omnia ita continentur in dicto tractatu, qui habetur post commentaria Euthimij in Evangelia, impressa Parisijs 1547. & illa retulit Ioannes Entenius Hieronymianus, & postea Prædicatoris instituti. Qui illum ex professo confutandum assumpsit, & nos etiam breviter præstabimus, ad singulos numeros observationes, vel impugnationes apponentes, vt sic errores aperiantur, & veritas inconcussa maneat.

Primum ergo quis non rideat audiendo 22. tantum fuisse Sacerdotes in Templo, cum sacerdotium applicatum fuisset filijs Aaron, & istos in 24. Clases fuisse divisos: iam ergo plures erant. Et 2. Paralip. 26. supputantur 80. præter summum Sacerdotem. Et 1. Paral. 23. numerantur Levitici generis à viginti annis, & supra 38. millia Virorum, quorum magna pars Sacerdotum erat. Secundum etiam, quod vno defuncto, alter communi suffragio sufficeretur, inauditum videtur vsque ad nostra tempora, nec aliquis litteris mandavit. Tertium etiam, quod post altercationem Iesus sit electus quis audivit? Sic etiam fabulosum, quod codex ille Tiberiadis esset asservatus, cum post clades, bella, & templorum diruptiones remansisse dicatur, cum ex Iosepho constet, à Vespasiano fuisse expugnatam ante Hierosolimam, & quod solus ille Iudæus, conscius tanti esset thesauri.

Alia etiam falsa convincuntur: Christus enim 30. annos cæpit prædicare, ex Luca cap. 3. quæ hic referuntur ante talem annum evenisse constat, cum Iudæus dicat; id contigisse antequam Christus se aperiret, & in eum crederent. Nullus autem ante 30. annum, ad Sacerdotij munus eligi poterat, ex 1. Paral. 24. & Num. 4. Insuper ante 30. annum Christi sapientiam fuisse celebratam; quod Iudæis mirum id fuerit, Marc. 6. dicentibus: quomodo hic litteras scit? Si enim litteras non sciebat, quomodo admissus ad functionem sacerdotalem; si verò novit quare tanto admirabantur? Falsa ergo, & fabulosa hæc omnia sunt censenda.

Maiori consideratione libranda sequentia, scilicet, quod Ioseph, qui Christi Pater putabatur, esset ex Tribu Levi, cum ex Evangelistis constet, quod Matthæus per Salomonem, Lucas per Nathan, illius genus deducat, & sine controversia Christus semper Filius est acclamatus David. Et Rom. 1. *Qui factus est ex semine David secundum carnem.* Etsi contrarium concederetur, hoc rima Iudæi elabi possent, ne Christum reciperent vt Messiam, si ex alia exortum Tribu dicamus; cum Messias ex Tribu Iuda, & domo David, toties illis fuerit repromissus. Ita sanè, sed non videtur negari posse, Christum etiam ex Tribu Levi, saltem per coniugium alicuius ascendentis cum fæmina illius tribus processisse, cũ expressè dicat D. Augustinus lib. 2. de Cós. Evang. cap. 1. firmissimè tenendum est, carnem Christi, ex vtroque genere fuisse propagatam, Regum scilicet, & Sacerdotum, & solum inconveniens esset si per lineam virilem ex Levi descenderet.

Sed iam ad Scopum dubij inspiciendum accedamus, scilicet Christum nullo modo coaptatum fuisse in numerum legalium Sacerdotum. Quod facilè evincitur, cum tale ministerium, solum posteris Aaron demandatum fuerit, adeò quod cum Rex Ozias de Tribu Iuda, & semine David ortus, eam intenderet præstare functionem, prohibitus sit; & cum Christus Sacerdotes è Templo eiecisset, quod proprium illorum videbatur esse, in qua interrogaverunt potestate id facere, cum non esset Sacerdos. Etsi Sacerdos, quando hostias obtulit, thus adolevit? panes commedit? &c.

Præcipuum autem argumentum, quo oppositus error penitus convincitur, & dissipatur, sumitur ex Apostolo epistola ad Hebræos, in quo totus videtur esse in adstruendo Christi sacerdotio, secundum ordinem Melchisedech, & quod Aaronicum sacerdotium evacuandum, & finiendum erat. Et cap. 7. ita alloquitur: nam hic de quo dicuntur (Christus nempè) de alia Tribu fuit, hoc est Iuda, de qua nullus altari præsto fuit. Et mox subiunxit. Manifestum est enim, quod ex Iuda ortus

fit Dominus noster, in qua Tribu nihil de Sacerdotibus statuit Moyses cap.7. & cum intendat Paulus, veterem legem finiendam, instituendamque novam transferendum etiam dicit sacerdotium Leviticum, in ritum Melchisedech. Quæ argumentatio infirma esset, si Christus Leviticus, vel Aaronicus esset Sacerdos, vt patet. Et poterat cõfirmari ex illo Psal.109. *Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.*

Iam contraria argumenta disolvenda suscipiamus. Iosephi relati testimonio muniuntur; sed falso, cum nihil tale in illo reperiatur, & in vno tantum loco de Iesu mentionem honorificam exhibet, & sic vt fabulosum reijcitur. Deinde testimonium 1.Reg.cap.2. vbi sic dicitur: *Et suscitabo mihi dicit Dominus Sacerdotem fidelem, &c.* quæ de Christo solent intelligi. Sed hoc dato, non Sacerdotem Leviticum, sed secundum ordinem Melchisedech intelligendum. Sed respondetur: locum de Sadoch Sacerdote summo suffecto in locum Abiathar intelligi, ex 3. Reg. cap. 2. vbi hæc dicitur completa prophetia. Insuper quomodo de Christo potest intelligi, cum talē Sacerdotem coram Christo meo dicat ambulaturum. Videantur Expositores.

Obijciunt etiam illud Psal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Quod est præcipuum nostræ sententiæ fulcimentū. Et ni fallor Sacræ Scripturæ auctoritates apparent sicut imagines duplices, quæ ex vna parte Angelum pulchrum, ex altera fædum oculis obijciunt spiritum. Ergo aliqui de interno, & spirituali sacerdotio; secus de externo, & Aaronico, ex cap. 7. ad Hebr. intelligendum putant, vbi novum genus Sacerdotij imitatione Melchisedech, sepulto iam Aaronico præcursore explicatur. Etsi Christus vnctus fuerit, sed spirituali vnctione, Psal.44.& Act.4. Cum tamen externa vnctio sacerdotalis, fuerit vna ex quinque rebus, quæ defuerunt in secundo Templo, ergo Iesus, Sacerdos spiritualis fuit. De quo statim.

Nec locus Zachar.3. scilicet: *Et ostendit mihi Dominus Deus Iesum Sacerdotem magnum*, amplius probat; cum non de Iesu Christo, sed de Iesu filio Iosedech fiat sermo Agæi 1. & 2. & constat, cum postea subdatur, *ecce transire feci à te iniquitatem tuam, &c.* quæ Christo minimè possunt aptari, nec officit, quod adducitur, scilicet Christum publicè in Sinagoga legisse, docuisse, & librum legis accepisse, quæ propria videntur Sacerdotibus. Sed negandum hoc est, quia etiam hoc sæpè præstitit Paulus, & erat de Tribu Beniamin: exercuit ergo Christus hæc munia, non quia legalis Sacerdos esset, sed quia ad hæc, & alia missus fuit à Patre, vt nostram operaretur salutem.

§. IV. *Sacerdos.*

Doctrinæ ordo exigit, vt exploso Aaronico Sacerdotio, de Christi Sacerdotio verba faciamus: hoc enim nomine sæpè prophetatus, & prædicatus invenitur in Sacra Scriptura. Egit D. Thomas, de hac re 3.p. q.26. per sex articulos divisa, cuius doctrinam ad compendiū redigemus. Statuendo 1. ex fide: quod Christo convenit esse Sacerdotem. Qui ad Hebr.4. dicitur: *Habemus Pontificem, qui penetravit Cælos, Iesum Filium Dei vivi.* Et quia ad officium Sacerdotis, duo munia propijssima videntur, scilicet esse mediatorem inter Deum, & hominem, quia Sacerdos dicitur quasi sacra dans Malach.2. legem requirent de ore eius, scilicet Sacerdotis: & etiam offerre Deo præces populi, & pro eius peccatis satisfacere cap. 5. ad Hebr. omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis, &c. Vtrumque munus maximè Christo competit, quia 2. Petri 1. per ipsum plura hominibus dona sunt collata; & Deo genus humanum reconciliavit ad Colos.1. ergo &c.

Sed duo veniūt merito observanda. Primum: quod talem dignitatem habuit à primo instanti suæ conceptionis. Tum quia

quia ex vi vnionis hypostaticæ talis dignitas ei debebatur: tum quia proprietas, quæ alicui debetur formæ, est illi coeva, vt calor formæ ignis: ergo & hæc vnioni hypostaticæ, quæ statim illi communicata est: & quia Magi Infantem vt Regem, & Sacerdotem simul, misticas ei munerum species harum protestativas dignitatum offerentes, venerati sunt in cunabulis. Et quia in primo sui instanti, hostiam se ipsum obtulit ex Psal. 39. ingrediens mundum dicit; hostiã, & oblationem noluisti, tunc dixi ecce venio.

Secundum examinandum venit: an talis dignitas aliquid reale in Christo ponat? sed ex D. Thoma infra q. 63. art. 5. Suarez disp. 64. & Araujo dub. 2. Respondetur: non imprimere sicut in alijs Sacerdotibus characterem, vel aliquam qualitatem de genere potentiæ: solum ergo dicit Dei extrinsecam ordinationem, atque deputationem ad munus sacerdotale quoties vellet, sed connotando simul potestatem capitis, & virtutem in alios influendi gratiam.

Sed statim occurrit difficultas, quia hinc inferri videtur: perfectiorem esse potestatem Sacerdotalem in puris hominibus, quam in Christo: quia in illis dicit aliquid reale, & intrinsecum, quod perfectius quidem est qualibet relatione rationis ex ordinatione extrinseca. Sed facilè respondetur: quod Sacerdotiũ Christi plura includit, quam creatum Sacerdotium, videlicet gratiam vnionis, dignitatem capitis, virtutem effectivam gratiæ in alijs, & sic perfectius existit quam creatum Sacerdotium. Et instatur: relatio dominij in Deo ad creaturas, est rationis, & in creatis dicit relationem realem, nec ista perfectior, cum illa fundetur in virtute Dei infinita, & suprema potestate: ista verò in virtute limitata, & finita.

Secundo statuendum: quod Christus nedum extitit Sacerdos; sed etiam oblatio, hostia, & sacrificium. Ita ex Psal. 39. Ideò ingrediens mundum dicit: hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem adaptasti mihi, tunc dixi, ecce venio: ac si diceret; hostiæ, & sacrificia antiqua non tibi placuerunt, quia carnalia, & imperfecta ad conciliandum Deum cum hominibus; ideò tui fuit consilij, vt novum institueretur Sacerdotium, cuius oblatio tibi non posset, non placere. Et 1. ad Thimot. 2. qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. Et latè ad Ephes. 2. ab illis verbis: *Ipse est pax nostra.* Vsque ad illa: *In vno Spiritu ad Patrem.* Et Luc. 22. cum Christus dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hic calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur.* Ex quo planè infertur: Christum non solum semel in Cruce hostiam cruẽtam immolasse; sed quotidie vt principalis offerens repetitis actionibus eandem offerre incruentam in sacrificio Eucharistiæ altaris.

Scrupulus alicui in mentem venire potest, si ita res se habet, videtur quod Christus se ipsum occiderit, cum voluntarie morti se tradiderit, cum Ioan. 10. dixerit: *Ego pono animam meam, & nemo tollit illam à me.* Et cap. 19. *Et inclinato capite tradidit spiritum.* Et quia Christus vti verus Sacerdos semetipsum obtulit, ergo occidit se. Plura aliqui dicunt; breviter tamen respondetur cũ D. Thoma quodl. 1. art. 3. Christum non se occidisse. Primo: quia nec alteri, nec sibi intulit nocumentum vt patet, sed Iudæi illud in Christum intulerunt. Secundo: quia alias Christus culpandus esset, & Iudæi excusandi, siquidem scienti & volenti, non fit iniuria, quod tamen nefas est dicere.

Obiectionibus ergo fit satis dicendo; quod etsi Christus se ipsum obtulerit, nõ tamen se occidit, quia in sua potestate habebat cedere nocumento illato cum vellet, & resistere quandiu vellet: vnde illo volente, natura restitit nocumento vltra vires hominis, cum post tantam sanguinis effusionem voce magna exclamavit. Luc. 23. Et sic cessit volens, vt se mortis, & vitæ Dominum ostenderet, & voluntarie animam tradidisse. Christus etiã ab alijs discriminatur martyribus, quia isti, & si ante illatum vulnus possint illud effugere, & nollint, secus postea: Christus

autem, antea, & postea potuit resistere, sed quia elegit mori, cessit nocumento, & sic dicitur sacrificasse se ipsum in passione.

Verum autem dicendũ sit, quod Christus non invitus mortuus est, ac proinde occidentes illum Iudæi, nullam iniuriam intulerunt ei, quia nullus patitur iniustũ volens. Respondetur sub distinctione, scilicet, animam Christi invitã fuisse egressam de corpore voluntate, & appetitu naturali, qua ratione iniuriam magnam passa fuit à crucifixoribus. Non invita autem, sed voluntaria, voluntate deliberata, & electiva, & sic non est passa iniuriam, sicut ille qui volens à propria egreditur domo, vt iterum ad illam revertatur cum vellit, secus si ab illa invitus aliunde atraheretur.

Tertio statuendum est: quod effectus Sacerdotij Christi, fuit peccatorum expiatio. Ita D. Thom. art. 3. tum ex illo ad Hebr. 9. *Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi.* Opera autem mortua, sunt peccata. Et quia ad perfectam peccatorum mundationem duo requirunt: scilicet gratia, & satisfactio; cum in peccato, & macula quam tollit gratia, & reatus quem tollit satisfactio reperiantur: sed vtrumque contulit Christi Sacerdotium, gratiam. Rom. 5. *Iustificamur per gratiam Christi*; satisfactionem, quia Isai. 53. *Languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.*

Ad quartum iam & vltimum enucleãdum accedamus; scilicet, quomodo Sacerdotium Christi æternum fuerit, secundum ordinem Melchisedech? Suponimus in præsenti: Christi Sacerdotiũ permansurum in æternum, vt constat ex verbis Psal. 109. *Iuravit Dominus tu es Sacerdos in æternum.* Et probat D. Thomas art. 5. Quia in munere Sacerdotis, duo veniunt consideranda, & ipsa sacrificij oblatio; & consumatio sacrificij, quæ cõsistit in hoc quod illi pro quibus offertur, finem consequantur sacrificij, qui fuit consecutio bonorum spiritualium: quæ consumatio præfigurabatur in hoc, quod Pontifex legalis semel in sanctuario per annum intrabat cum sanguine hirci, & vituli. Sic Christus in Cœlum intravit, parando viam nobis illuc intrandi per virtutem sanguinis sui, quem pro nobis in terra effudit.

Circa resolutionem nostræ dubitationis plurima aliqui expendunt. Scilicet, semper, & in omni lege fuisse Sacerdotes, quorum officium erat, esse mediatores inter Deum, & homines, vt illũ istis placabilem redderent. Et ante Aaronicum Sacerdotium, maiores natu possidebant sanè prærrogativam (licet forte non ita semper) in lege autem veteri ex divina institutione, ad vnam Leviticam familiam, fuit Sacerdotium legale cõclusum, & determinatum, per carnalem successionem. At denique his omnibus successit Christus, vt illis complementum daret in perpetuum.

Etiam adnotandum venit, tale Sacerdotium Christo competere, ratione humanitatis, vt sic iuxta verba Pauli fuerit ex hominibus assumptus, & pro hominibus constitutus, in his quæ ad Deum pertinent 1. ad Timoth. 2. Vnus Deus, vnus mediator Dei, & hominum Christus Iesus. De quo D. Thomas 3. p. q. 26. & probatur illius ratione art. 2. duæ requiruntur conditiones ad mediatoris officium [illegible], scilicet distantia ab extremis; & relatio ad extrema vnius ex altero: at Christus vt Deus neutram habet; non primam, quia vt Deus non distat à Patre, & Spiritu Sancto, in natura, vel dominio: non secundam, quia nihil Dei quasi non suum deferri ad homines potest: Christus autem vt homo vtraque gaudet conditione; quia distat à Deo in natura, & ab hominibus puris dignitate gratiæ, & gloriæ; defert etiam præcepta, & Dei dona ad homines, ac satisfactionẽ, & interpellationem hominum ad Deum: non quasi ab hominibus accepta, sed quia ipse vice hominum hæc Deo offert, & repræsentat. Verum ab hominibus carnem accepit passibilem in qua satisfaceret.

Cir-

Circa hoc, alia se offerebant explicanda, scilicet: an Christus vt Deus homo, sit mediator? & an sit proprium illius esse mediatorem? Sed prima scholasticam, & dialecticam concernit materiam, & D. Thomas dicit concedi posse si ly, *in quantum*, solum reduplicet Deitatem, vt principium, vel conditionem dignificantem opera mediatoris, sine quo careret plenitudine gratiarum: si autem ly, *in quantum homo*, reduplicet principium quo, satisfacit & mediat, quia per naturam humanam satisfacit, & meretur. Videatur Cayetanus.

Ad secundum respondemus: Mediatorem primarium, principalem, & immediatum esse Christum, ex Paulo iam adducto 1. ad Timot. 2. & Ioan. 1. cap. 2. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum.* Et quia solus ille non indiget alio mediatore: & quia tale officiũ convenit illi ex eo quod fuit hominum Redemptor, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus; & quia est Deus, & homo, & sic in deitate cum Patre, & in humanitate cum cæteris communicat hominibus; quod nulli alteri convenire potest. Cum quo stat, quod alij scilicet Angeli, sancti, & iusti, sint minus principales mediatores, quos sic liceat interpellare.

Omnibus his suppositis, dicimus: quod Christus fuit verus Sacerdos, secundum ordinem Melchisedech, tantæ gloriæ, & excellentiæ super Sacerdotium Aaronicum, vt vix analogice conveniant, & ad summum vt vmbra, & tenebræ respectu imaginis, & lucis. Probatur nostrum placitum, aliquas excellentias, & prærrogativas vnius supra aliud adducendo. Sit prima, quia Sacerdotium Christi exornatur potestate excellentiæ ad Sacramenta instituenda, ita vt illis etiam virtutem, & efficaciam conferat remittendi peccata, & homines sanctificandi, quod solius Christi proprium, nemo ambigit existere.

Secunda excellentia consistit in hoc, quod in alijs Sacerdotijs Sacerdotes offerebant non semetipsos, sed distinctam materiam, vt Melchisedech panem, & vinum; Sacerdotes veteris legis animalia, aves vt occiderentur in sacrificium. Sed Christus se ipsum vt diximus; & qua parte Deus erat virtutis infinitæ, efficaciam vt Deum placaret habebat, at qua homo habuit vnde pati, & mereri posset, prætiumque, & materiam aptam, vt de toto rigore eius redemptio, & satisfactio evaderet. De quo 3. p. q. 1.

Tertia excellentia resultat ex illis repetitis verbis Psal. 109. *Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum, &c.* Quia Pater Æternus, Christi Sacerdotium iuravit, & iure iurando illud confirmavit; in commendationem enim maximam rei redundat, illam iuramento stabilire; vt patet in Regno Saulis, cuius extinctio fuit iurata, & simul eius translatio in domum David. De quo Psal. 85. Idem patet 1. Reg. 3. de extinctione Sacerdotij Heli. Ac denique redemptio mundi Genes. 22. *Per memetipsum iuravit dicit Dominus, &c.* Ex semine tuo benedicetur omnes gentes: ergo cum Christi Sacerdotium, sit iuramento cõfirmatum. De quo Paulus ad Hebr. 6. inde eius prærrogativa satis colligitur. Quomodo autem sit æternum, iam supra diximus.

Vltima tamen excellentia aucupanda venit ex illis verbis: *Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Quis Melchisedech? Probabilius fuisse Sem, filium natu maiorem Noe; ita ex Hieronym. Augustino, Chrisostomo, & alijs, D. Thom. Genes. 14. Abul. & alij. D. enim Thomas, ideo inquit Melchisedech, Abrahæ benedixit, & pro illo sacrificavit, ad mystice designandum præcellentiam Sacerdotij Christi super Sacerdotium Aaron, & super Sacerdotium populi Abrahæ: Ex quo tale desumitur argumentum: Christus fuit Sacerdos, secundum ordinem Melchisedech, idest in Sacerdotio Melchisedech fuit Christi Sacerdotium præfiguratum, sed hoc Sacerdotium fuit præstantius Aaronico; quia decimas suscepit ab Abraham, in cuius lumbis decimati fuerunt Levitici Sacerdotes, & qui fuit sine patre, & matre,

ne-

neque finem, neque principium dierum habens,&c.

Insuper Melchisedech, non oves boves,aves,&c. obtulit, sed panem, & vinum, oblationem Deo placabilẽ, & cognominatus est Rex iustitiæ,& pacis.Ergo cum hæc omnia,Christo conveniant modo eminentiori, rectè in illo præfiguratus fuit,cum etiam mysticum sacrificium in nocte obtulerit cœnæ. Et quia Christus vt per omnia Melchisedech assimilaretur fuit Rex iustitiæ & pacis, iuxta Ierem. 23. vaticinium. Vnde duplici titulo,Christus Sacerdos dicitur secundum ordinem Melchisedech, & in ordine ad sacrificium cruentum oblatum in Cruce, & in ordine ad incruentum,quod in altari celebramus.

Sed poterit quis in nos obijcere: quia Sacerdotium veteris legis videtur fuisse propinquius Sacerdotio Christi, quam Sacerdotium, quod fuit ante legem, vt docuit D. Thomas 2. 2. q. 2. art. 7. ergo Sacerdotium Christi, magis debet denominari secundum Sacerdotium legale, quam Melchisedech. Respondet D. Thomas: duo in Christi Sacerdotio posse cõsiderari, scilicet ipsa oblatio, & eius participatio. In primo expressius significatur Sacerdotium Christi per legale in sanguinis effusione.Et in secundo,in quo excellentia Sacerdotij Christi attenditur, expressius per Melchisedech Sacerdotiũ designabatur,qui offerebat panem, & vinum,significantia ex Agustino Ecclesiasticam vnitatem: vnde in lege nova,verum sacrificium confertur fidelibus sub specie panis,& vini.

Cum ergo Sacerdos à sacris dicatur, quasi dans sacra,& qui à Deo datus est ad sacrificia facienda,hæc rectè Christo congruunt, quia pro nobis orat Patrem, & qui se ipsum obtulit,ac per suum sanguinem introivit in sancta. Hic ille Sacerdos, de quo in lege Num. 35. *Manebit ibi profugus,donec Sacerdos magnus,qui oleo sancto vnctus est moriatur.* Et Zachar.3.Ostendit mihi Iesum Sacerdotem magnum, & est Sacerdos in æternum, quia æternus est, & sempiternum habet Sacerdotium ad differentiam aliorum Sacerdotum,qui mortales erant vnde Apostolus ad Hebr.7. plures facti sunt Sacerdotes,eo quod morte prohiberentur permanere: Iesus autem,quia manet in æternum, sempiternum habet Sacerdotium, vnde & salvare in æternum potest, accedens per semetipsum ad Deum semper vivens ad interpellandum pro nobis.

Apud Sacram autem Scripturam, Sacerdos nomen generale est, & ad præfecturas etiam sæculares pertinens, & sic 2. Reg. 8. de filijs David dicitur, quod erant Sacerdotes,idest Præfecti. Et Ietro etiam Sacerdos erat Madian.Et præfectura fungi, Sacerdotalem indicat dignitatem.Isai.24.& erit populus sic Sacerdos. Hebræi autem, Choen pro Præfecto primario, & Sacerdote vtuntur sicut Melchisedech Rex fuit,& Sacerdos altissimi. Sacerdotes, apud antiquos magna pollebant auctoritate, præerantque Reipublicæ, & Magistratibus: aliquando sumuntur pro senioribus, pro Dei Ministris, & Discipulis sapientum. Et Zachar.7. accipiuntur pro his qui ex scriptura valent docere; & per Prophetas, eos per quos absque scripturis Spiritus Sanctus docebat,vel qui scripturarum abdita noscunt, & sic Prophetæ maiores sunt Sacerdotibus.

CAPVT NONVM.

De nominibus Deus, Homo, Angelus, Adam,David,& filius hominis.

ANimo iam insederat præsenti capite vltimam manuali apponere manum; sed tot, tanta, & mysterijs plena, adhuc Christi Domini nomina occurrũt, vt illa lustrare seorsim, conveniens ac vtile visum fuerit.

§. I. *Deus.*

PRæcipuum nomen est *Deus.* Circa quod ex fide, & Theologis 3. p. ex Cõcilijs,& Patribus Suppono: quod cum Christus ex duplici natura, divina scilicet, & humana, vnica divina vnctis subsisten-

ſiſtentia reſultet, & constituatur, neceſſe eſt ex D. Athanaſio in ſymbolo, vt credamus, & confiteamur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Dei Filius, Deus, & homo eſt. Vtriuſque ergo nominis recipit prædicationem. De quo egit D. Thomas 3.p.q.16.vbi Theologi.

Chriſtus ergo in Sacra Scriptura, ſæpiſsimè dicitur Deus. De quo Iob 36. Ecce Deus excelſus in fortitudine ſua, & nullus ei ſimilis in Legiſlatoribus, vnde & Vates Regius, Pſal.51. *Deus ſtetit in Synagoga Deorum.* Et Pſal. 49. *Deus Deorum Dominus locutus eſt.* Et frequenter in Pſal. & maximè in Iſai. 12. *Ecce Deus Salvator meus fiducialiter agam, & nõ timebo.* Et Paulus Rom.9. ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Dicitur etiam Deus appropinquans, vel quia cunctis rebus adeſt, & in cunctis locis eſt præſens. De quo 1.p.q. 8. vel quia nobis appropinquavit dum verbum caro factũ eſt, & habitavit in nobis.

Sed omni dignus eſt conſideratione, loquendi modus Regis David, Pſal.46.& 47. in quibus ita dicit: *Deus manifeſtè veniet, Deus noſter, & non ſilebit. Quoniã hic eſt Deus, Deus noſter.* Sed præcipuè Pſal. 66. *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus.* Vbi ter Deum nominat propter tres in Trinitate Perſonas, *& metuant eum*, dicit, non *eos*, quia & ſi tres exiſtant Perſonæ, non tamen tres Dij, ſed vnus eſt Deus. Dicit itaque Propheta: *Benedicat nos Deus*, ideſt Pater, *Deus noſter*, ideſt Filius, *benedicat nos Deus*, ſcilicet Spiritus Sanctus; ſed notanda verba, & ſignãda myſteria. Nam quia ſecunda in Trinitate Perſona, hoc eſt Filius incarnandus erat, ideò ſecundo loco, Deus noſter dicit, quia non Pater, non Spiritus Sanctus, incarnatus eſt, ſed Filius. Quod Ioannes benè perpendens dixit: *Et Verbum caro factum eſt.* Dicitur ergo Chriſtus Deus noſter, quia verè noſtram aſſumpſit naturam ex Virgine, abſque peccato.

Signanter etiam Iſaias 25. ita fatur: *Ecce Deus noſter iſte, expectavimus eũ, & ſalvabit nos.* Qua auctoritate, Arrij, Donati, & Manichæi, errores explodun tur. *Ecce* (inquit) *Deus*, qui contra Arriũ, qui Filium, Deum eſſe negavit, *noſter*, contra Donatum, qui verum hominem Chriſtum negavit, & Manichæum, qui duos Deos conſtituit. De quo etiam Baruch cap. 3. *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius adverſus eum: & poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Et dicitur Deus verus, & non adoptione: quia adoptio non cadit in Chriſto, quia eſt Deus per naturam, & eſſentiam, & non per adoptionem. De quo D.Thom. 3.p.q.23. ſed per gratiam vnionis.

Cæteri autem omnes, & ſi Dij, vel Filij Dei vocentur, vt Pſalm.81. *Ego dixi Dij eſtis.* Et Pſal.49. *Deus Deorum Dominus locutus eſt.* Et Iob.38. *Vbi eras cum me laudarent aſtra matutina, & iubilarent omnes Filij Dei.* Et Matt.5. Beati pacifici quoniam Filij Dei vocabuntur; ſed hoc tantum per adoptionem, & gratiam, non per naturam, ſicut Chriſtus & ſic, Pſal.96. dicitur: *Adorate eum omnes Angeli eius.* Et rurſus Pſal. 44. *Quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.* Et ad Philip.2. In nomine Ieſu omne genu flectatur. Ex quo rectè infertur, Chriſtum verum eſſe Deum, cui cœleſtia, terreſtria, & infernalia famulantur iam ſubdita.

Sed liceat expendere præſsius illa Regij Vatis, Pſal.73. emphatica verba. *Deus autem Rex noſter ante ſæcula, operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Aliqui de Deo ipſo abſolutè Pſalmum intelligunt, & dicunt Aſaph, vel David, recenſere in illo, & populi captivitatem, & mirabilia, quæ in populi liberationem exercuit. Ita Lira, Cayet. Genebrar. & alij. Ergo, Deus autem Rex noſter ante ſæcula, ideſt, ab æterno, decreto ipſius tempore exequendo operatus eſt tot tantaque prodigia. Vel ſecundo ex communi phraſi ſcripturæ, in qua præteritum ſumitur pro futuro, vt puer natus eſt nobis, &c. Ita operatus, ideſt operabitur. Tertio, ante ſæcula vt intelligantur revolutiones multo-

to-

torum iubilæorum sæculum enim communiter pro revolutione 50. annorum: ab exitu enim Ægypti, in quo tot Deus operatus est mirabilia, vsque ad fundationem Templi per Salomonem fluxerunt anni 480. 3. Reg. 6. Inde vsque ad captivitatem Nabuchodonosor 410. & sic patet, quod multi iubilæi transierunt ab exitu ex Ægypto, vsque ad Asaph, vel David, & multo plures vsque ad captivitatem Babilonicam.

Dicit deinde: *ante sæcula*, quod non significat extremitatem divinitatis, sed temporis, quod fluxit ab egressu filiorum Israel ab Ægypto, per ingressum in terram promissionis, vsque ad tempus quo Psalmus est compositus. Operatus est, adducendo filios Israel in signis, & prodigijs in Hierusalem, & terram promissionis, quæ est in medio climate terræ habitabilis. Ita Lyra, vel ex Cayetano, in medio terræ, in manifesto, coram omnibus, vt patet in tot salutibus exhibitis educendo populum de Ægypto, & introducendo in terram promissionis.

Alij autem verba intelligunt de Christo, qui ex dictis denominatur Deus, & Rex noster. Deus autem scilicet Christus, Rex noster. Apocal. 19. Rex Regum, qui est ante sæcula, quia in principio erat Verbum, vel quia prævisus ab origine mundi, cap. 13. Apoc. & per quem facta sunt sæcula, ad Hebr. 1. *Operatus est salutem humani generis, in passione sua, in medio terræ, idest Hierusalem.* Et notat Hugo, quod hinc quatuor hæreses elidun tur. Dicens *Deus*, contra Nestorium, qui dicit eum puram creaturam, contra Iudæum, qui Ioann. 19. dixit, non habemus Regem, nisi Cæsarem. *Ante sæcula*, contra Arrium, & *operatus est*, contra Manichæum.

Sed non ita per transellam illa verba, *in medio terræ*, expendenda sunt, sed D. Thomam audiamus 3. p. q. 46. art. 10. vbi inquirit: an Christus convenienti loco sit passus? & affirmativè respondet ex illo Luc. 13. *Non capit Prophetam occidi extra Hierusalem.* Tum: quia illa Civitas fuit electa ad sacrificia offerenda, quæ Christi præfigurabant Passionem. Secundo, quia virtus Passionis eius, ad totum mundum diffundenda erat; & ideò in medio terræ habitabilis pati voluit scilicet Hierusalem, vnde in Psal. 73. *Deus autem Rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ.* Tertio, quia hoc maximè conveniebat eius humilitati, vt sicut turpissimum mortis genus elegit, ita etiam ad eius humilitatem pertineret, quod in loco tam celebri, confusionem pati non recusavit.

Liceat tamen, & si mysticam, D. Bernardi expositionem de Beatissima Virgine in medium adducere, suavissimè enim ita disseruit serm. 2. Pentecostes: Et tunc Christus, iam operabatur salutem nostram in medio terræ; in vtero videlicet Virginis Mariæ, qui mirabili proprietate, medium terræ appellatur. Ad illam enim sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum respiciunt, & qui in Cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ex eis. Illi qui sunt in Cœlo vt resarciantur, & qui in inferno vt eripiantur; qui præcesserunt, vt Prophetæ fideles inveniantur, qui sequuntur, vt glorificentur. Eo Beatam te dicunt omnes generationes, Genitrix Dei, Domina mundi, Regina Cœli.

§. II. *Homo.*

SAlvator etiam noster Christus Dominus, homo, & filius hominis frequentissimè vocatur in Scriptura. Commendans nobis, quid misericorditer dignatus est esse pro nobis, ita Augustinus lib. 2. de Consen. Evan. cap. 1. Sicut Christus, quia naturam habet divinam, Deus; ita quia naturam dignatus est assumere humanã, homo, ex fide dicitur, & appellatur. Ita Num. 24. *Orietur stella ex Iacob, & cõsurget homo ex Israel*, & illud Ierem. 17. Homo est, & quis cognoscet illum. Homo quidem est, non simplex, vt cæteri homines; sed homo supra hominem, & vi-

vltra hominem, homo deificatus. De quo Isai. 2. quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus eius est, quia excelsus reputatus. Plura habet D. Hieronymus in hæc verba, & Iudæis confutatis, ita loquitur; cum hæc vniversa ventura sint vobis, moneo, atque præcipio, vt quiescatis ab eo qui secundum carnem quidem homo est, & habet animam; & ita spirat vt nos; sed secundum Divinam Maiestatem excelsus, & est, & reputatur, & creditur.

Ipse enim Christus de se ipso, ita loquitur parabolice. Luc. 16. *Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam.* Homo verè nobilis, quem nulla peccati macula sordidavit. Nobilis dicitur, quia Filius Dei est, secundum divinitatem, & Filius David Regis, secundum humanitatem. Hic etiam est homo, de quo ipse Matth. 25. *Homo quidam peregre proficiscens vocavit servos suos*, & tradidit illis bona sua, & qui fecit cœnam magnam, & qui reliquit Patrem suum, & Matrem, & adhæsit vxori suæ. Genes. 2. Christus Patrem suum reliquisse dicitur, quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: & quia exivit à Patre, & venit in mundum: ac etiam quoniam cum in forma Dei esset, formam servi accepit. Reliquit etiam Matrem, hoc est carnalem observantiam Synagogæ, quæ secundum carnem Mater est Christi; & adhæsit vxori suæ, idest Ecclesiæ; & sic sunt duo in vna carne, quia Christus, & Ecclesia vnũ corpus constituunt.

De hoc etiam homine testatur Paulus 1. Corin. 15. Primus homo de terra terrenus: secundus homo, de Cœlo cœlestis. Homo cœlestis dicitur Christus (nõ quia verum, & naturale corpus non habuerit, vt de fide tenendum, & docet D. Thomas 3. p. q. 5. art. 1. & 2. contra Marcionem dicentem, Christum solum apparens, & phantasticum corpus habuisse: & Valentinum, Christi caput ex cœlesti materia extitisse) dicitur ergo homo cœlestis, vel ratione divinæ naturæ: non quia in Cœlo esse desierit; sed quia in infimis novo modo esse incepit secundum naturam assumptam. Ioan. 3. *Nemo ascendit in Cœlum, nisi Filius hominum, qui in Cœlis est.* Vel quia ipsum Christi corpus virtute cœlesti, idest Spiritui Sancti est formatũ. Vel quia propter summam sanctitatem à terrenis omnibus est abstractum.

Iste etiam homo nobilis propter nos factus est homo, & filius hominis: imò Psal. 87. *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum; factus sicut homo, sine adiutorio*: quia omnes dereliquerunt eũ; imò & Pater ipse, cum in Cruce positus exclamaverit, Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me. Quomodo sine adiutorio, & derelictus? Diximus supra ad primam regulam Tyconij, scilicet, vel quia traditus, & non liberatus ab adversarijs, vel quia gaudio beatifico privatus pro illo tempore, vt sic biberet calicem Passionis, omni prorsus destitutus auxilio, & consolatione, ex aliquibus.

De hoc etiam homine legitur Psal. 63. *Accedet homo ad cor altum*, & Hebraice, ad cor profundum, & exaltabitur Deus. Hic homo Christus est, qui voluntate accedens ad Passionem, perfecit profundum Dei Consilium, quo disposuerat pati Filium suum pro mundi redemptione. Et quod magis admiratione dignum, ille homo est, de quo ipse in Evangelio, *sciebas quia homo austerus sum.* Homo austerus dicitur Christus, Matth. 19. quia licet nunc sit tempus misericordiæ, & tempus gratiæ; in iudicio tamen non erit tempus misericordiæ, sed rigoris, & iustitiæ: & tunc qui clementissimus est, & ad ignoscendũ facilis austerus, & acer sentietur, cum reddet vnicuique secundum opera eius; & cum acceperit tempus, & iustitias iudicabit.

Non tantum homo dicitur Christus, sed alter homo, quoniam fuit alter ab hominibus: nam omnes alij processerunt de radice peccati; ipse autem solus sine peccato, solus iustus, & innocens, per quẽ alij ad iustitiam reducti sunt, vnde Rom. 5. sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi; ita per vnius hominis obedientiam, iusti cõstituti sunt multi. Insuper Christus, nedum homo, sed

quasi homo. Ezech. 1. *Quasi aspectus hominis desuper.* Et Daniel. 7. aspiciebam in visione noctis, & ecce in nubibus Cœli quasi Filius hominis veniebat. Ita dicitur, quia non solũ homo, & Filius hominis, sed plus quia Deus, & Filius Dei est.

De hoc ergo homine dicitur Deut. 21. Si habuerit homo duas vxores, dilectam vnam, & alteram odiosam, genueritque ex eis liberos, & fuerit filius odiosæ primogenitus, volueritque inter filios substantiam dividere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ, sed filium odiosæ habebit primogenitum, dabitque ei de his quæ habuerit cuncta duplicia. Vbi glossa: hic homo, Christus est qui duas sibi vxores, populum scilicet Iudæorum, & Gentiliũ coniugij nomine copulavit. Odiosa est Synagoga, semper contentiosa, dura, cervice, & ingrata: dilecta verò vxor gentilitas est, idest Ecclesia, quæ fide, & devotione diligi meruit ab homine Christo. Qui Iudæam vxorem odiosam propter infidelitatem repudiavit, & Gentilem vxorem dilectam, propter eius fidem, & devotionem retinuit. Sed non potest filium dilectæ præferre filio odiosæ, idest Ecclesiam de gentibus, & filios eius Apostolis præferre.

Quid autem sibi vellit Regius Vates, dum Psal. 86. ita concinuit: ***Nunquid Sion dicet, homo, & homo natus est in ea, & ipse fundavit eam altissimus.*** In ipso enim Psalmo, Christi nativitas, & gentium salus aperte prædicitur, ex Euthimio. Vel ex Cayetano, materia Psalmi est Civitas Dei cœlestis Hierusalem, communis omnibus gentibus in suis initijs, quæ in terra habet. Vnde non loquitur de Civitate terrena Hierusalem. Vel ex Genebrardo: Ecclesiam fore gloriosam, Civium illius numerum, fore infinitum, ac fœlicem: ita communiter alij.

Sit ergo sensus ex Genebrar. Tunc Sion multorum filiorum matri fœcundissimæ quasi gratulando dicetur, homo, & homo, idest vir, & vir nati sunt ipsa; idest magni, & multi viri in ea sunt generati per regenerationem, scilicet ex aqua, & Spiritu Sancto. Homo, & homo, repetitio enim, vt sæpè diximus, multitudinem significat. Aliqui cũ Cayetano, Sion est in dativo, & significat Populum Hebræum, & Propheta introducit, quod Siõ idest Populo Hebræo admiranti, & invidenti de cõversione gentium dicitur illi quasi voce Evangelica, vir, & vir natus est in ea; quia nulla est disparitas Iudæi, & Gentilis, sed vterque natus est in ea, vt cum Petri prædicatione tria millia, & mox quinque millia accesserunt.

Sed ad nostrum institutum Euthimius, ita alloquitur: hoc ad Christi generationem pertinet, qui intra terminos Ecclesiæ natus est. Christus inquam, qui verus homo fuit, & qui integram humanitatis dignitatem servavit, quod est homo, & homo, idest ex Spiritu Sancto conceptus sine peccato, iustus, innocens, &c. vt Paulus testatur, talis nobis decebat vt esset Pontifex. Verum ne nudum hominem putares, sed Deum pariter, & hominem cognosceres, additur: & ipse fundavit eam altissimus. Ille, inquit, qui in ea natus est, vt homo, ille idem ab initio eam fundavit, veluti Cœli, & terræ Creator, qui altissimus est tanquam Deus.

Denique Hugo Cardin. nunquid Sion dicet homo, idest, ò Sion, & tu Ecclesia, nunquid homo purus dicet, idest persuadebit tibi istud gloriosum miraculum, quod sequitur? quasi respondeat, non. Nisi enim Christi divinitatem per miracula, & facta eius intellexisset, nũquam persuassum fuisset ei, quod homo natus est in ea; idest in Ecclesia Christus. Et tamen ipse altissimus, Deus fundavit eam. Hoc est enim imposibile in puro homine; qui enim fundat Civitatem, prior est Civitate, qui autem nascitur in Civitate, posterior est illa. Vnde non potuit hoc intelligere Ecclesia, nisi in Christo divinitatem intellexisset, Christus enim homo, natus est in ea. Christus autem Deus fundavit eam.

In Sacra autem Scriptura homo duplex, vetus, & novus, carnalis, & spiritualis. Vetus, sine Spiritus Sancti gratia, & sic dicitur caro, & corpus peccati, idest

ob-

obnoxium peccato. Et homo externus, animalis terrenus. Novus homo gratia perfusus, & sic nova creatura, interior homo, vel spiritus nuncupatur. Et sic idem homo, secundum naturam, est vetus homo; ex gratia novus ad Colloss. 3. *Expoliantes vos veterem hominem.* Ephes. 4. & Galat. vlt. dicitur etiam homo primus, & secundus; Adam primus, & terrenus; Christus secundus, & Cœlestis. Item vetus homo dicitur, vir primus cum fomite, turpis cuius opera carnis, &c. Vir autem secundus Christus, Ioan. 3. *Qui habet Sponsam, Sponsus est.* Et nobilissimos habet fructus spiritus, & iustitiæ. Deniq; spiritus in sacris literris, sæpè pro vi divina in homine, anima pro vita naturali, & corpus pro instrumento vtriusque accipitur, de quo 1. Thesal. 5.

§. III.

Angelus, Archangelus.

QVod Dominus, & Angelorũ Rex, Angelus nominetur nihil mirum, cum Psaltes Regius de ipso (etsi ratione humanitatis) dicat: *Minuisti eum Paulo minus ab Angelis.* Psalm. 8. Quod etiam Apostolus ad Hebr. 2. confirmavit. Igitur vt clarius hoc explicemus, sciendum ex D. Gregor. hom. 34. in Evãgelia: quod Angelorum vocabulum, nomen est officij, non naturæ. Nam sancti illi cœlestis patriæ spiritus, semper quidem sunt spiritus, sed semper Angeli vocari nequaquam possunt; quia tunc solum sunt Angeli, cum per eos aliqua nuntiantur, vnde nomen, Angelus, idem valet, ac nuntius, vel missus. Et sic cuilibet qui mittitur, vel nuntiat, vel tale exercet ministerium, valet adaptari.

Hæc cum ita se habeant, facilè quod Christus vocetur Angelus constare potest ex scriptura. Præcipuus locus habetur Malac. 3. *Et Angelus testamenti quem vos vultis.* Vbi Hieronymus. Ita de se quasi de altero loquitur, Christus, iuxta consuetudinem scripturarum nullique dubium est, quin dominator iste, Salvator sit, qui Creator est omnium, & Angelus testamenti, & magni consilij appellatur. Et rectè quidem, cum ipse de se ipso testetur Ioan. 6. *Quia descendi de Cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me.* Et postea: *Hæc est autem voluntas Patris, qui misit me.* Et re nomen adimplevit, prædicando, docendo, &c. Sed quia nedum nomen Angeli, sed omnium novem ordinum ipsi adaptare contendimus; si nõ omnes mittuntur, quomodo id verificabitur?

Exagitanda ergo quæstio veniebat, an omnes Angeli mittantur? De qua tractat D. Thomas 1. p. q. 112. Circa quod duæ extremæ sunt sententiæ. Prima, Dionisij, & D. Thomæ dicentium, non omnes mitti; sed solum inferiores. Secunda, quod omnes mittũtur. Tertia media scilicet, quod lege ordinaria superiores, non mittuntur, sed inferiores tantum, sed ex aliqua dispensatione divina interdum etiam superiores mittuntur. Sed ad nostrum institutũ placet doctrina euisdem D. Thomæ art. 2. ad. 2. proferre; ait enim, quod licet non omnes mittantur; cum tamen inferiores, munus exequuntur superiorum, illorum insigniuntur nomine. Et sic Angelus ille qui venit ad purgandum labia Isaiæ, & si de inferioribus, at Seraphin dicitur, quia venerat ad incendendum labia Prophetæ, quod est officium Seraphinorum; ergo à fortiori, cũ Christus omnia Angelorum munera in homines perfectissimè exercuerit, omnibus illorum nominibus rectè insigniri valet.

In pluribus ergo scripturæ locis, Angelus dicitur Christus. Vt Exod. 23. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, &c.* Hic Angelus qui peccata dimittit, & in quo nomen Dei est, Christus est, & in ipso nomen Dei esse perhibetur, quia in nomine Domini venit. Ioann. 5. *Ego veni in nomine Patris mei.* Præfiguratus etiam dicitur per illum Angelum, qui panem subcinericium famelico Prophetæ attulit. 3. Reg. 19. Ecce Angelus Domini tetigit Eliam, & dixit illi. Surge commede grandis enim tibi restat via. Sic nos Christus tunc tetigit, quando no-

nostram carnem assumpsit, nosque torpentes à somno inertiæ doctrina Evangelica excitavit; deinde Sacra Eucharistia munivit; qua refecti, vsque ad montem Dei Oreb, hoc est ad Cœlum transimus.

In Apocalipsi sæpè ita vocatur cap. 7. *Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis*, idest Cristum à Patre: habentem signum Dei vivi, scilicet, vel operatio miraculorum, vel Crux, de qua Isai. 9. & factus est principatus super humerum eius. Item cap. 8. per Angelum qui venit, & stetit circa altare. Et cap. 10. per Angelum fortem descendentem de Cœlo. Et cap. 18. post hæc vidi alium Angelum descendentem de Cœlo, habentem potestatem magnam, & terra illuminata est à gloria eius. Et cap. 20. vidi Angelum descendentem de Cœlo, habentem clavem abissi. Et etiam Genes. 18. figuratus fuit per illum Angelum, sicut scriptum est de Abraham, tres vidit, & vnum adoravit. Vbi Eusebius ait: Verbum Dei apparuisse Abrahæ in figura humana commitatum Moysi, & Elia. Ac denique Daniel. 3. per illum Angelum, qui descendit in fornacem. Vnde Hieronymus. In typo iste Angelus præfigurat Christum, qui ad fornacem descendit vbi erant inclusæ animæ, vt à mortis vinculis liberaret. Et Ioan. 5. Angelus descendens ad piscinam. Et Iob 33. si fuerit pro eo Angelus loquens vnū de similibus.

Archangelus etiam Christus, ex D. Ambrosio 1. ad Thesal. appellatur. Ipse enim Christus Dominus, voluntate, & nomine Patris, quasi primus Angelus Dei, cum exercitu cœlesti, vt dicitur Apoc. 20. descendit de Cœlo ad gerendum bellum nomine Dei contra Antichristum: quo extincto iussu eius resurgent mortui. Hoc est ergo in tuba Dei descendere, nomine Dei bellum gerere; est enim, vt ipse dixit ad Iosue, Dux, & Princeps exercitus Domini, propter quod Archangelus dicitur. Et D. Thomas. In voce Archangeli. Non quod operetur in voce eius; sed ministerio eius. Et dicit Archangeli: quia omnes Angeli, sub vno Archangelo ministrant Ecclesiæ, hic est Michael Princeps Ecclesiæ. Vel in voce Archangeli, idest Christi Principis Angelorum.

Insuper Magister in 4. d. 43. Causa enim resurrectionis mortuorū erit vox tubæ; quæ in adventu iudicis ab omnibus audietur, & cuius virtute excitabuntur mortui, & de monumentis resurgent, vnde & Propheta Psalm. 67. *Dabit voce suæ vocem virtutis*, idest effectum resuscitandi mortuos. Et Ioan. 5. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt audient vocem Filij Dei, &c.* Si verò quæritur cuius, vel qualis erit vox illa? Apostolus dicit, quod erit Archangeli, idest ipsius Christi, qui est Princeps Archangelorum.

§. IV.

Principatus, Potestas, Virtus, & Dominatio.

PRæterea Christus dicitur Principatus. De quo legitur Isai. 9. & factus est Principatus super humerū eius. Principatus, & Princeps dicitur Salvator sicuti alibi, Rex, & Regnum nuncupatur, Rex, & Princeps in concreto, Regnum, & Principatum in abstracto. Et dicitur Principatum, quia omne obtinet Principatum, sive in terra, sive in mari, sive in Cœlo, sive in inferno, vbi & si non regnet per gratiam, regnat per iustitiam, & potentiam. Cæterum dicitur Principatus, quia ex Apost. ad Colos. 2. est caput omnis Principatus, & Potestatis. Dicitur etiam Potestas, quia omnia potest, & quia Dominus fortis, & potens, dicitur in Psal. & cuius Potestati nemo resistere potest. De qua Daniel. 7. *Potestas eius Potestas æterna, quæ non auferetur, & Regnum eius, quod non corrumpetur.* Et Zachar. 9. Loquitur pacem gentibus, & Potestas eius à mari, vsque ad mare, & à fluminibus, vsque ad fines terræ. Et Matt. vlt. *Data est mihi omnis Potestas in Cœlo, & in terra.*

Item Christus dicitur virtus. 1. Cor. 1. *Prædicamus Christum, Dei Virtutem, & Dei Sapientiam.* Hæc est illa virtus, de

qua

qua Angelus dixit ad Mariam, Luc.1. *Et virtus altissimi obumbravit tibi.* Virtus etiam Dei dicitur Christus, quia propriè de Deo est, & omnis Patris potestas in ipso consistit. De hac virtute dicitur Sap. 15. Nosse enim te consumata iustitia est,& scire iustitiam,& virtutē tuam, radix est immortalitatis. Scire virtutem tuam, hoc est Christum, quem scire radix est immortalitatis, & vita æterna, vt Ioan.17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Sed iam Cyprianum audiamus ad Luc.1. verba. Vide cooperantem simplicem Trinitatem. Spiritus Sanctus supervenire dicitur,& virtus Altissimi obumbrare ei. Quæ est autem virtus Altissimi, nisi ipse Christus? qui est Dei virtus,& Dei sapientia. Cuius hæc virtus est, inquit? Altissimi: adest ergo Altissimus, adest virtus Altissimi, adest Spiritus Sanctus. Hæc est Trinitas, vbiq; latens, vbique apparens; vocabulis discreta, & Personis; inseparabilis substantia deitatis. Licet solus Filius nascatur ex Virgine, adest Altissimus, adest & Spiritus Sanctus, vt conceptus Virginis sanctificetur, & partus.

Dominatio etiam dicitur Christus, quia scilicet dominatur vbique: de quo Psalm. 71. *Dominabitur à mari, vsque ad mare, & à flumine, vsque ad terminos orbis terrarum.* Et Psal.109. *Dominare in medio inimicorum tuorum.* Vbi benè Euthimius. In ditionem, vsque in dominiū tuos inimicos compellens,& iugo Evangelico submittens. Hoc autem summa admiratione dignum fuit: quod Apostoli in medio inimicorum constituti; minisq; ac persecutionibus Tyranorum, vndique imperiti; nō tantum illorum manus evaserunt; sed potentissimè etiam eos superaverint. De qua dominatione, hoc est Christo, Petrus alloquitur dicens: magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt.

§. V.

Thronus, Cherub. & Seraph.

CÆterum Christus etiam Thronus vocatur, qui Solium, vel Sedes dicitur, in quo tota Beata Trinitas sedet. Deus enim 2. Corint. 5. erant in Christo mundum reconcilians sibi. Et Colos.1. *In quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Et Thronus divinitatis merito dicitur, qui alibi scabellum Dei sanctum nuncupatur. Psal. 98. *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Et Eccles.24. *Ego in Altissimis habito, & Thronus meus in columna nubis.* Gloss. Thronus meus humanum corpus, nullo pondere peccati prægravatum, sed Dei virtute sublevatum: in quo potentia divinitatis sua iudicia exercebit. Ascendit Deus super nubem levem. Ita glossa.

Cherub etiam vocatur Christus, qui multitudo scientiæ interpretátur; nomen Christo accomodatissimum, in quo Colos.2. *Sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi*; qui est sapientia Patris, quique scientiarum Dominus est, docetque hominē scientiam,& dat scientiam Sanctorum. Iure ergo Christus nomine Cherub insignitur, qui sedet super Cherubin, & ambulat super pennas ventorum, hoc est super omnes sublimitates, & ordines Angelorum.

Postremo iam dicitur Seraph, qui interpretatur ardens, ignitus, vel incendiū; deducitur enim à verbo *Seraph*, incendere, vrere. Et dicuntur Angeli supremi, non quod splendore fulgentes sint tanquam ignis, hoc enim omnium est Angelorum: *Qui facis Angelos tuos Spiritus, & Ministros tuos flamam ignis.* Hebr.1. & Psalm. 103. *Et Ministros tuos ignem vrentem.* Sed ita appellati, quia ex Dionisio ardentes sint charitate supra cunctos, Angelorum ordines. Quod nomen, iure Christo adaptatur, qui Malac.3. dicitur: *Ipse enim quasi ignis conflans.* Et Deuteron. 4. Dominus Deus tuus ignis consumens est. Et cap.9. Dominus Deus tuus

tuus transibit ante te ignis devorans, atque consumens.

Hic est ille ardens, atque ignitus Seraphin, de quo Apocal. 8. *Et accepit Angelus de igne altaris, & misit in terram;* vnde dixit: *Ignem veni mittere in terrã, & quid volo, nisi vt accendatur?* Hic est Seraph, qui facit Angelos suos spiritus, & Ministros suos ignem vrentem. Ignis enim devorans dicitur Christus, quoniam vniversa vitia consumit, cunctaque purgat peccata: portans omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens. Seraphin Christus dicitur: quia ardens, & lucens in vtraque Ecclesia, Apocal. 21. *Et Civitas illa non eget Sole, neque Luna, vt luceant in ea, nam lucerna eius est agnus.* Et Seraph, qui volavit ad purganda Isaiæ labia, est Christus, quia vsque ad nos volavit à Patre, & venit in mundum, & completo nostræ redemptionis mysterio revolavit ad Patrem. Psal. 18. *A summo Cœlo, &c. occursus eius vsque ad summum eius.* Et de quo ipse Salvator Ioann. 16. Exivi à Patre, & veni in mundum. Et ego ex Deo processi, & veni.

§. VI. *Adam.*

ADam etiam Christus solet in Sacra vocari Scriptura, & per illum figurari. 1. Cor. 15. *Factus est primus Adam in animam vivẽtem, novissimus Adam in spiritum vivificantem.* Est autem dictio communis vtrique testamento, & sic dictus ab *Adama*, idest terra, & Adam, quod est rubescere, quasi terra, de qua sumptus est rubra esset, & Adam idem quod rubeus, aut rufus, & fertur formatus in campo Damasceno, ex humo rubra, qualis est gleba Syriæ, & Armeniæ. De eius ethimologia, supra aliqua iam diximus, scilicet ita vocatum fuisse, quia terra de qua formatus est sumpta sit ex quatuor mundi partibus, comprehensis in quatuor nominis litteris. *A*, Anatoli, idest Oriens. *D*, Dysis, idest Occasus. Alterum, *A*, Arcton, Septentrio. *M*, Mesembrias, idest meridies.

Fuit autem Adam formatus sexta die, è terra virginea, quo anno ante Christũ, nihil certum, sed alibi, translatus in Paradisum, & paulò post dormiens ex eius latere formata Eva, *immisitque Deus soporem in eum*; Hebraice, *thardima*, idest extasim, & tunc factus Civis Cœlestis Curiæ, imò & Deum clarè vidit, ex August. lib. 9. in Genes. & alijs. Peccavit præceptum Dei transgrediendo, sed pœnitẽtiam egisse ostenditur, cap. 10. Sapiæ. Sepultus est in Hebron, vel in loco Calvariæ, & postea in Ebron translatus.

Ab initio omni sapientia, virtute, & gratia ornatus, & licet, per peccatum, gratia privatus, sed scientia remansit, per quam divinas, & humanas artes, posteros edocuit, per quam cum sapientissimus esset, nomina ab ipso imposita fuere, tam bestijs terræ, quam volatilibus Cœli. Genes. 2. Omne quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen eius. De his omnibus, & de pertinentibus ad originalem iustitiam, & statum innocentiæ, videatur D. Thomas 1. p. à q. 90. vsque ad 102.

Prætulit ergo Adam Christi figuram, vt si ille de terra virgine, & rubra formatus, Christus ex Purissimis Virginis Mariæ sanguinibus, quæ dicitur terra, sed sancta, sed benedicta; si ille creatus in gratia, Christus plenus gratia, ita vt de plenitudine eius omnes accipiamus; si sapientissimus ille, in Christo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, si ille caput generis humani, sed terrenum, & infectum; Christus caput nedũ hominum, sed etiam Angelorum, & vtriusque Ecclesiæ Militantis, scilicet, & triumphantis. Terrenus ille, cœlestis Christus, & sicut è latere Adæ dormientis, Eva producta est, sic è latere Christi in Cruce dormientis, Ecclesia Sacramentaque fluxerunt; sed quanta distantia diversi, ille peccando totum genus infecit humanum, pro quo Christus Sanctus, & innocens moriendo maiora dona, & gratias, quam ammisas promeruit, & nobis consecutus est. Roman. 5.

§. VII. *David.*

DAvid etiam nomine Christum insigniri, sæpè Sacra testatur Scriptura est autem dictio vtrique testamento communis, & designat dilectum, nam *Dod* amicus, & dilectus dicitur, vnde duo vbera, vel amores significat. De Regno ipsius, de fortitudine, victorijs, prælijs, sapientia, & alijs ab eo strenue peractis in Sacra Scriptura exactè, & dilucidè enarrantur. Sed adnotanda verba Eccles. 47. *Et quasi adeps separatus à carne: sic David à filijs Israel.* Vbi David comparatur, non cuivis adipi, sed adipi, qui Deo sacratus erat in sacrificio pacificorum; & sicut in tali sacrificio adeps præ carne reliqua separatus, & vt sanctior habebatur cum in Dei honore cremaretur, reliquæ carnes dividebantur. Sic David apud Deum separatus est à filijs Israel, hoc est præ alijs illi dilectus, & ei gratus.

Apud Ieremiam ergo cap. 23. sic habetur: *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & suscitabo David germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra.* Et cap. 30. Sed servient Domino Deo suo, & David Regi suo, quem suscitabo eis. Et cap. 33. In diebus illis, & in tempore illo germinare faciam David germen iustitiæ. Et Ezech. 34. *Suscitabo inter pecus, & pecus, suscitabo eis Pastorem vnum, & servus meus David Princeps in medio eorum.* Et cap. 37. Et servus meus David Rex super eos, & Pastor vnus erit ovibus eorum. Et David servus meus Princeps eorum in perpetuum. Et quia funiculus triplex difficile rumpitur accedat Oseas cap. 3. *Post hæc* (ait) *revertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum, & David Regem suum, hoc est Christum verum Pastorem, ac verum Regem Regum, & Dominum Dominantium.* Et alibi sæpè.

Cæterum David manu fortis, & dilectus interpretatur, & sic Christum aperte designat. Nam sicut iste electus inter fratres, ita Christus electus ex milibus. Si Rex ille, iste Rex Regum. Si ille ter vnctus. Primo, in Bethleem, per Samuelem, cum pasceret oves. Secundo, in Hebron, post mortem Saulis. Tertio, in Hierusalem, post mortem Isboseth. Ita Christus ter vnctus. Primo, gratia vnionis; secundo, gratia habituali; tertio, gratia capitis. Vel ter vnctus in Regem. Primo, cum natus fuit in Bethleem, vbi ab Angelis, ad Hebræ. 1. & à Regibus adoratus est. Secundo, in Cruce, vbi Rex Iudæorũ inscriptus. Tertio, in resurrectione, cum dixit: *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra.* Et si David dicitur quasi adeps separatus, sic Christus: *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus inter filios hominum.*

Et sicut David mutavit vultum suum coram Abimelech, & illidebatur inter manus astantium, sic Christus factus est gentibus stultitia. Vel ex Augustino in titulo Psal. 33. cum linteo præcinctus, vt servus pedes abluit Discipulorum, & inter manus illorum, cum panem consecratum illis manducandum præbuit, deferebatur. Et sicut David multa perpessus est à Saule: Ita Christus à Sacerdotibus, Scribis, & Pharisæis, & maximè tempore Passionis. Ac denique (vt plura omittam) sicut David potens viribus, & fortitudine, 1. Reg. 17. Goliath occidit, & vrsum, leonemque interfecit: sic Christus, diabolum, mundum peccata, & omnia illi adversantia comminuit, contrivit, ac devastavit, pacemque æternam suo populo fecit. Et sicut David factus est Rex reprobato Saule, sic Christus claruit in gentibus veteri populo reprobato.

§. VIII.

Filius hominis.

VT capiti finem imponamus, & conexionem aliquam inter hæc nomina observemus, placet lustrare, quomodo Christus Filius Dei, Filius Virginis, & Filius Hominis, & Filius David nuncupetur. Igitur in quantum Deus est Fi-

Filius Dei naturalis (de quo D. Thomas 3.p. q. 23.) nos autem Filij adoptivi, ad Galat. 4. *Vt adoptionem Filiorum reciperemus.* Ille ab æterno, nos in tempore facti: ille vnicus; nos multi. De quo Psal. 2. *Filius meus es tu.* Et Matth. 3. Hic est Filius meus dilectus. Dicitur autẽ in scripturis varie Filius. Vt Psal. 71. *Et iustitiã tuam Filio Regis.* Et Filius Altissimi, Luc. 1. & 2. Ioan. 1. Et à Iesu Christo Filio Patris. Et Marc. 12. Adhuc vnum Filium habens charissimum missit ad eos.

Dicitur etiam Filius olei, propter mansuetudinem, & ob plenitudinem gratiæ, de qua Isai. 5. *Vinea facta est dilecto meo in cornu Filij olei.* Dicitur etiam Filius masculus, Isai. 66. antequam veniat partus eius, peperit masculum. Et Apoc. 12. *Et peperit Filium masculum*, quæ alias gigas, Psal. 18. dicitur: quia virilis, & fortis, intrepidus, & zelotes. De quo Psal. 68. *Zelus domus tuæ commedit me.* Dicitur etiam Filius ancillæ, Luc. 1. *Ecce ancilla Domini.* De qua ancilla Psal. 85. *Respice in me: & salvum fac Filiũ ancillæ tuæ.* Et etiam Filius Virginis. Isai. 7. *Ecce Virgo concipiet.*

Et licet plura dixerimus iam, explicando quomodo Christus dicatur homo; sed vt nihil intactũ remaneat; quod etiam Filius hominis nuncupetur, scriptura sæpè testatur, aliquando per excellentiam, nam apud Hebræos Filij hominum nomine nobilis acclamabant, Psal. 48. *Quiq; terrigenæ, & Filij hominum.* Et Christus non hominum Filius: sed Filius dicitur hominis, quia non ex hominibus, scilicet viro, & fœmina, vt cæteri: sed ex Virgine, sine viri copula ortus est. De quo Psal. 79. *Fiat manus tua super Filium hominis, quem confirmasti tibi.* Et Dan. 7. *Ecce in nubibus Cæli quasi Filius hominis.*

Quare autem Christus se Filium hominis nuncupabat, quem Pater Filium suum dicebat, quemque homines Filium Dei confitebantur? Triplex (omissa ratione Augustini, iam adducta) solet assignari causa. Prima vt veram hominis naturam, absque peccato se assumpsisse fateatur. Secunda, vt humiliter de notis loqui, ac sentire discamus. Tertia, vt se ostendat non ex hominibus (vt cæteri homines) sed ex homine, idest de Virgine sine viri comercio (vt dicebamus) esse primogenitum. Vel quia est Filius Adam: sicut enim dicitur Filius Abraham, & Filius David, sic etiam dicitur Filius Adam, ad denotandum quod erat verus homo descendens ex Adam, secundum carnem, in qua venerat ad patiendum pro Filijs Adam liberandis.

Sed observatione dignum est, quod licet Christus dicatur Filius Adam, Abraham, & David, secundum carnem (& horum duorum, quia ex Hieronymo ad illos specialiter de Christo facta est repromissio) sed non dicitur illorum Filius naturalis, quia non per generationem naturalem ab eis descendit, sed solo Spiritus Sancti opere, & virtute. Ergo illorum dicitur carnalis; & ex semine David, Roman. 1. In quantum accepit carnem ex Virgine Maria, quæ est Filia naturalis illorum, à quibus per generationem naturalem descendit. Denique Christus dicitur Filius senectutis, Genes. 37. Israel diligebat Ioseph super omnes filios suos, eo quod in senectute genuisset eum, vt glossa: Ioseph præ cæteris fratribus à Patre dilectus, Christum significavit, quem Deus Pater, secundum carnem natum, cæteris fratribus ex Abrahæ stirpe genitis prætulit. Vnde amabat Ioseph Iacob, eo quod in senectute genuisset illum. Senescente enim mundo Filius Dei de Virgine natus fuit, tanquam Filius senectutis. Et D. Thomas, post alia lectu digna. Sciebatque Iacob, Christum ex se in novissimo tempore nasciturus esse omnibus prioribus Filijs præferendum.

Quæstione autem animum pulsat inquirere: cur Christus ita frequenter in veteri, & novo testamento, David Filius nuncupetur, cum nescio an expressu Filius Adam, & Abraham, nisi Matth. 1. Et vix alibi Filius nominetur ipsius? cum tamen Iudæi filios se Abrahæ iactarent, *vt Patrem habemus Abraham, nos Filij Abrahæ sumus.* Et alibi? Respondetur

pri-

primo: ex Dignitate Regia David, qua ipse primus inter Christi ascendentes positus est. Et sic dixit Hieronymus, & alij, Præpositum fuisse Abrahæ, & bis Regem dictum. Secundo: quia vt constat, David præ cæteris dilectus fuit à Deo, & de illo dictú: inveni virum secundum cor meú. 1. Reg. 13. Sed tertio: quia Iudæi, suum expectabant Messiam Regem oppulentum, fortem, & qui iterum Regnum Israel erat restituturus in pristinam fœlicitatem, quæ omnia cum in David præcesserint, ideo illius Filium in spem tantæ fœlicitatis consequendæ, continuo nuncupabant. Vel quia vt vidimus, Christus vocatus sæpè sit David, & Filius eius in scripturis per Prophetas.

CAPVT DEZIMVM.

Variam Christi nomimum sylvam continens.

ETsi mihi ora, linguæ, & manus essent centum, omnia Christi nomina lustrare, impossibile esset omnino. Vt enim dicebat Hieronymus, Christus complura habet nomina, quæ proprio indigent libro; aliquibus ergo in superiorious enucleatis, aliqua indicare capite præsenti (si ipse adsit, & sensum aperiat Scripturarum, vt sicut fuit principium, ita etiam finis existat) conabimur; reliqua quæ varia, & multiplicia sunt in Authoribus citandis, videnda remittentes.

§. I. *Salomon.*

FInem dedit capiti antecedenti Regius psaltes David, initium præsenti præstet, Regum omnium potentissimus, sapientissimusque Salomon, qui Christū præfiguravit in multis, & sub ipsius nomine Christus aliquando intellectus. Salomon ergo, dictio est vtrique communis testamento, & significat pacificum, perfectū, sive retribuentem, quia *Salam*, pacificare, perficere, & retribuere designat. Filius fuit David Regis ex Bethsabee, in Regem adhuc vivente Patre inauguratus, cuius sapientia, divitiæ, gloria, tantæ fuere, vt omnibus fuerit in admirationem, & cum videre ambirent, Spiritu dictatus cœlesti scripsit; sed heu, omnes res tantum secundæ magis obfuerunt, quam profuit sapientia, adeò infelix, vt de eius salvatione anceps inter Authores versetur iudicium.

Communiter tribus nominibus insignitur. Salomon, idest pacificus; Idida, dilectus Domini; Ecclesiastes, sive *Koeleth*, idest concionator. Et sic tres scripsit libros; Proverbia ad parvulos, Cantica ad maturos, & Ecclesiastem ad perfectos. Alij quartum superaddunt nomen, scilicet Lamuel, idest, cum quo est Deus. Sic ergo Christus dicitur pacificus. Cant. 8. *Vinea fuit pacifico in ea quæ habet populus.* Dilectus Domini, Matth. 3. *Hic est Filius meus dilectus.* Concionator, qui palam locutus est mundo; & congregator, quoniam Filios Dei, qui erant dispersi, congregavit in vnum: nec desistit congregare, donec numerus compleatur electorum. Cum quo est Deus: quoniam Deus erat in Christo, reconcilians mundum sibi.

Hic est ille Salomon, de quo in Christi figura dicitur, 3. Reg. 10. *Sed & Regina Saba audita fama Salomonis in nomine Domini venit tentare eum in ænigmatibus.* De qua in Evangelio, Matth. 12. Regina Austri resurget in iudicio, cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Per hanc Reginam Austri, Ecclesia designatur, quæ per prædicationem Apostolorū audita fama Christi veri Salomonis ad Christum conversa est. Salomon quoque Templum ædificavit; sic Christus Ecclesiam, quæ Templū est fundavit, quam sanguine suo acquisivit, & sanctificavit.

Canticorum etiam cap. 3. de Christo, sub typo, & nomine Salomonis, sic scribitur: *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate suo quo coronavit illū Mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Vbi glossa: Videte Regem Salomonem,

nem, idest verum Deum pacificantem homines Deo. Videte Christum Deum quasi latentem in humanitate qua vicit diabolum, cuius victoriæ causa, caro extitit. Nam nisi Deus carne obumbratus fuisset, diabolus eum aggredi nō præsumpsisset, nec genus humanum redemptum fuisset. At Cyrillus Hierosolym. cathec. 13. ad Christi coronam spineam hæc verba inflectit, & benè.

Sed esto Christus dicatur Salomon, idest pacificus, scrupulus insurgit: quomodo Christus dicatur pacificus cum ipse dixerit. Matth. 10. *Non veni mittere pacem, sed gladium, & separare, &c.* Certum est quod Christus fuit pacificus, & mansuetus, & ita sæpè in scripturis Prophetatus, vt Isai. 42. *Non audietur vox eius foris, &c.* Et Zachar. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Quod D. Matt. cap. 21. iterum confirmavit. Imò nedum pacificus, quia in pace venit, & homo factus est; ac per sanguinem Crucis suæ pacificavit, sive quæ in Cœlis, hoc est Angelos, sive quæ in terris sunt, hoc est homines.

§. II. *Pax.*

Christus est etiam pax nostra, qui fecit vtraque vnum, hoc est ex Iudæis, & gentibus vnum populum Christianum collegit. Iste est pax, de quo Michæas dixit cap. 5. *Et erit iste pax Assyriis, cum venerit in terram nostram.* Dicitur autem pax in abstracto per excellentiam, quia ipse est pax, & pacifer noster, qui pacem inter Deum, & homines, atque Angelos reformavit, de quo Cant. 8. *Vinea facta est pacifico in eo, quæ habet populos.* Hæc vinea Ecclesia est, Christi sanguine acquisita, & congregata; quæ olim à lege, & Prophetis est prænunciata; quæ non vnam tantum gentem Iudæorum continet, sed multos populos habet de toto mundo collectos, & colligendos in vna fide, & vno corpore nostri pacifici Christi, qui est pacificus, & Princeps pacis, evangelizans, & annuncians pacē, his qui propè, & his qui longè erant.

Hæc ergo cum ita se habeant, & vt dicit Chrisostomus, qualiter eis iniunxit, vt in vnamquamque domum ingredian pacem indicerent? Qualiter etiam & Angeli dixerunt, & in terra pax hominibus? Quomodo hæc cum verbis ipsius Christi cohærent? Respondet glossa: non ad hoc inter homines veni, vt carnales affectus confirmem; sed spirituali gladio disecē: & opera, & affectus carnales ab spiritualibus. Vnde Chrisostomus: licet autem ipse Christus hanc separationem non fecerit, sed illorum malitia, tamen dicit se facere, iuxta Scripturarum consuetudinem. Dedit eis Deus oculos, vt non videant. Sic etiam Iudæi alios interfecerunt cum vitulum adoraverunt. Et Hilarius. Cum ergo innovamur Baptismi lavacro per virtutem Verbi, ab originis nostræ peccatis separamur. Recisique quadam absectione gladij Dei, à patris, & matris affectionibus dissidemus, fitque gravis in domo vna dissensio, &c. plura apud D. Thomam in Catena Aurea.

In Sacra Scriptura pax, idem est quod reconciliatio ex Apos. ipse est pax nostra, & etiam peccatorum remissio. Et in terra pax hominibus, idest bona voluntas erga homines. Item pax Dei, non illa qua Deus in se pacificus, & tranquillus existit: sed quam nobis donat, & in cor nostrum effundit; sicut Verbum Dei dicitur, quod nobis donat, vt prædicemus, & credamus. Pax etiam Dei quam cum ipso habemus, & si in mundo pressuram sustineamus. Pax etiam omnem bonum successum, & integritatem dicit, sicut Genes. 43. Ioseph, est ne Patri meo pax, ita in Hebræo, idest salva sunt omnia.

Pax vobis, qua locutione Christus sæpè erga Discipulos vsus, idem est ac benè sit vobis, salvete, valete, & sic præcamur, & optamus omnia prospera, quæ Hebræi tribus ex vocibus explicant omnem fœlicitatē quam præcantur, scilicet: *Amen, Selach, & Pax.* Denique in scriptura pax est, si cuius rebus fœlices dentur successus. Luc. 18. *Si cognovisses quæ ad pacem tibi*, idest. O Hierusalem, paci tuæ consuleres, arbitraris tibi lætos, & lautos

tos esse dies, tibi benè esse, & res tuas infœlici esse positas statu.

§. III. *Amicus.*

ET quia inter amicos maxima solet esse pax,& concordia, iam Christum qui ita nos dilexit, amicum inspiciamus, cum ipse Discipulis dignatus sit dicere. Ioan.15. *Iam non dicam vos servos, sed amicos.* Amicus animæ dicitur; amator; corporis, amator ad tempus, amicus in perpetuum. Iuxta illud Prov.17. *Omni tempore diligit qui amicus est.* Verus ergo amicus noster Christus, qui animam suam posuit pro amicis suis, de quo sapiens. Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum Regem. Prov.22. & Sponsa. Cant. 5. *Talis est dilectus meus, & ipsa est amicus meus.* De quo ipse Dominus Luc. 11. *Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi, amice accomoda mihi tres panes.* Hic amicus Christus, qui tanto erga nec flagravit amore, vt corpus suum in cibũ, & sanguinem suum in potum tribueret: quique tres nobis commodavit panes, hoc est notitiam, ac intelligentiam Sanctæ Trinitatis revelavit.

De hoc amico præcipitur in lege, Levit. 19. *Diliges amicum tuum*, vel iuxta 70. proximum tuum, per quem Christus, qui dilexit nos,&c. & tradidit se ipsum pro nobis oblationem. De ipso Deut.23. *Si intraveris in segetem amici tui, franges spicas, & manu conteres; falce autem non metes.* Hoc est, si intraveris in campum Scripturarum Sanctarum, quæ de Christo amico tuo perhibent testimonium, caute stude intrare: vt discernendo capias cibum, non præcipitando succissæ messis incurras iudicium. Frange ergo spicas,& manu contere, idest vigorem litteræ expone,& ad spiritualem sensum redige; falce autem non metes, hoc est in alienum sensum non transferas.

Cæterum congrue etiam Christus dicitur amicus, propter amicos quos habet. Quibus dicit Cant. 5. *Commedite amici.* Et cap. 8. *Amici auscultant.* Et Ioann.15. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis.* Qualis autem fœlicitas, vt amici Dei nominemur, & simus? Sed quid mirum, qui alibi non solum amici; sed & Filij Dei dicimur, & hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, imò,& Dij, Psalm. 81. *Ego dixi Dij estis.* Nam oportet, vt evadat Deus, qui Deum vult videre, nemo enim potest videre Deum, nisi prius sit Deus, sed hoc per participationem,& gratiam, non per essentiam; & cum hæredes simus Dei in gloria,& veri amici, de quibus Psal.130. *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est Principatus eorum.*

Dubium autem non dissimulandum hic exagitari poterat: an scilicet inter Deũ, & homines perfecta reperiatur amicitia. Aristot. enim lib.2. Magnor. cap.1. & 8. ethic. cap.7. illam negavit penitus sublatã, vel infinitam attendens distantiam, inter Deum,& homines, cum tamen ad veram amicitiam aliqua proportio requiratur. Sed nec mirum ita sensisse; cum lumine fidei destitutus, quantum gratia, & charitas valeant supernaturales ipsius captum supervolaverit. De fide ergo affirmandum est, tum: quia ita expressè habetur pluribus in locis Sacræ Scripturæ adductis. Tum ex Trident. s.6. cap.1. iusti vocantur simpliciter amici Dei. Et Theologis 2.2.q.23.art.1.

Huic argumento potest occurri dicendo: quod loca Sacræ Scripturæ sunt intelligenda metaphorice, sicut cum dicitur Christus Pastor, Sponsus,&c. Sed cõtra: quia ex Athanasio lib. de communi essentia Patris, & Filij. Et D. Augustino lib.3. cap.10. de Doctrina Christiana. Verba scripturæ in sensu proprio, & rigoroso sunt accipienda, cum ex illo nullum sequitur inconveniens; quod autem intelligantur de propria amicitia, nihil instet absurdi, vt patet) sicut si propriè intelligatur de Pastore, Sponso, petra,&c. Et quia quatuor ad amicitiã verã requisitæ conditiones, hic reperiuntur. Prima, quia per charitatem Deus diligit hominem,& homo Deum. Secũda, datur communicatio bonorum vt gratiæ, & charitatis.

tatis. Tertia, quia datur aliqua proportio, & similitudo, cum per gratiam, & charitatem fiat quis divinæ particeps naturæ,& donorum supernaturaliũ. Quarta, quia per charitatem fit societas, non latens homines ad Deum,cum *nostra conversatio in Cælis sit*,ad Philip.3.ergo.

§. IV. *Desideratus.*

IAm Christus dicitur desideratus gentibus. Aggæi.2.adhuc,& vnum modicum,& ego commovebo Cœlum, & terram,& mare,& aridam, & movebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus. Desideratus gentibus dicitur Christus, qui alibi expectatio gentium appellatur iuxta illud oraculum, Genes. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de fæmore eius donec veniat,qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* De quo loco iam supra aliqua diximus.

Vocatur etiam Christus desiderium collium æternorum, Genes. 49. Ita Iacob, cum ad benedicendum Iosephum pervenisset, præsago spiritu dixit: Benedictiones Patris tui confortatæ sunt, benedictionibus Patrum eius, donec veniret desiderium collium æternorum,idest Sanctorum Patrum,qui magno,ac ardenti desiderio, Christi Adventum expectaverunt; qui colles dicti sunt,propter sanctitatis eminentiam; & æterni, quoniam æternam vitam quam sitiebant consecuti sunt. Et D. Thomas, gentes ponent in eo spem salutis suæ, & expectabũt ipsum tanquam Salvatorem suum.

Rectè ergo Christus antiquorum Patrum desiderium nũcupatur, quia ipsum summo desiderio desiderabant: quod illæ septé mysticæ Antiphonæ testantur,quæ ante Domini cantantur natale, scilicet. *O Adonai.O radix Iesse,&c.* quæ omnes secundo tono terminantur: quia scilicet ille invocatur ad salvandum, vt veniat qui est secunda Trinitatis Persona, vel quia Christus secundus vocatur homo,vt iam diximus: vel quia in secundo adventu expectatur ad iudicandum. Quæ etiam Antiphonæ septenario clauduntur numero; quia in Christo, omnis septiformis gratiæ plenitudo requievit, Isai. 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini,&c.* Vel dicitur Christus desiderium collium æternorum,idest Angelorum, qui æterni dicuntur respectu finis,creati ad laudandum Deum, & fruendum illo in æternum.

Sed breve dubium præmendum venit in præsenti:cur scilicet ita absolutè Christus Dominus desideratus dicatur cunctis gentibus; si enim fide infusa destitutæ intelligantur, sicut illius cognitione, ita, & desiderio,necessum est vt orbatæ considerentur. Dicere autem ideò ita asseveratum, quia in cunctis humanæ naturæ individuis, erat naturale quoddam pondus ad Christum. Hoc absonum videtur cum in toto naturæ ordine ad tantũ mysterium potentia solum reperiatur obedientialis: ergo Christus appellatus cunctis gentibus desideratuus; facta distributione pro generibus singulorum, idest quia nulla fuit olim natio, aut Respublica,aut status hominum, sive Regnum, in quo non esset aliquis, qui fide lustratus, Adventum Christi Redemptoris nõ crederet,& credendo expectaret. Et per cõsequens, non fuit in toto vniverso naturalis inclinatio, vel pondus ad vnionem hypostaticam, cum hæc non reperiatur ad bonum ordinis gratiæ,& sic minus ad ordinem hypostaticum.

§. V. *Dies.*

IOann.11.Christus se ipsum diem nuncupavit. Discipulis enim de eius morte formidantibus dixit: *Nonne duodecim horæ sunt diei.* Ergo se diem vocat in quo ambulare debeamus,ne offendamus, sine quo ambulantes cæcutimus, veluti qui in nocte sine luce ambulat, offendit. Et sic Ioann.12.dixit: *Qui ambulat in tenebris nescit quo vadat.* At Apostolos horas vocitat quæ diem subsequuntur. Nam non horæ faciunt diem, sed dies facit horas;& sic Ioan.15.dicebat: *Non vos me elegistis,sed ego elegi vos.* Et iterum:

Non

Nonne duodecim vos elegi? Duodecim horæ numerus sacratus, qui permanet plenus. Deiecto enim Iuda, qui non lucebat inter horas, alter subrrogatur: Dies ergo Christus, horæ verò Apostoli. Sicut enim dies artificialis duodecim habet horas, sic Christus duodecim Apostolos, per quos fideles qui credunt in Christum, qui est dies æternitatis, intelliguntur.

Probe Apostolus exclamabat Rom. 13. *Nox præcessit; dies autem appropinquavit.* Nox enim fuit ab Adam, vsque ad Christum, dies à Christo, vsque ad finem mundi. Hic est ille præclarus, & inocciduus dies quem Abraham videre desideravit, & ipso Christo attestante, Ioan. 8. *Vidit, & gavisus est.* Vbi Augustinus. Incertum an diem temporalem quo erat venturus in carne, an diem æternitatis, sed vtrumque Abraham vidit. De hoc etiam Ioann. 11. *Si quis ambulaverit in die non offendit, quia lucem huius mundi vidit.* Vnde & ipsa lux, & dies loquitur, & dicit. Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant. Et iterum. Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Denique Iob 5. *Per diem incurrent tenebras.* Quia Iudæi Christum præsentem errore perfidiæ obcæcati non cognoverunt, & sic occiderunt.

In Sacra Scriptura, variæ sunt diei acceptiones. Diei novissimi dies Apostolorum, & legis gratiæ, dies Domini, de iudicio. Etiam pro vita præsenti. Ioan. 9. Oportet me operari donec dies est. Aliquando fidem, & cognitionẽ Dei. 1. Thessalon. 5. *Omnes vos filij lucis, & dies estis.* Iam prosperitatem: sed per noctem tribulationem. Dies pro annis. Ezech. 4. *Ego dedi eis dies iniquitatis.* Et iubetur incubare super dexterum latus quadraginta diebus pro annis. Tota die idem est, ac perpetuò. Dies, Evangelium, quod illuminat, per noctem doctrina Evangelio contraria.

Dies hominis, est magnum esse apud homines, alijs præferri, sic Ierem. 17. *Diem hominis non desideravi tu scis Domine.* Et Ioan. 5. Christus, gloriam ab hominibus non accepi. Dicitur dies humanus, quia ab hominibus veniat, & cum illis transeat. Dies carnis in Christo ad Hebræ. 3. idest cum adhuc mortalis esset. Dies, & dies tertius pro tempore longissimo. Oseæ cap. 6. *Vivificabit nos post duos dies, & die tertio suscitabit nos.* Infinitam vitam designat. Exod. 10. dicitur, tribus diebus nemo se movit de loco in quo erat, hyperbolice. Neque enim immoti stabant, sed ad negotia nemo exire poterat. Horam novissimam dicit D. Ioannes, tempus secundus adventus: & per vnum diem, mille annos accipi docet Psal. 89. *Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies externa, quæ præterijt.*

Dies causatur ex Solis præsentia, ergo si dies Christus ipsum etiam Solem fulgentissimum inspiciamus, qui diem gratiæ sua doctrina, & prædicatione constituit. De illo enim Eccles. 11. *Dulce lumẽ, & delectabile oculis est videre Solem.* De quo Psal. 53. *Supercecidit ignis, & non viderunt Solem.* Iudæi scilicet avaritiæ, & invidiæ furore obcæcati, Christum nõ cognoverunt. Eccles. etiam cap. 1. *Oritur Sol, & occidit, & ad locum suum revertitur.* Sic Christus verus Sol, tunc ortus fuit quando venit in mundum manifestus in carne: occidit cum in Cruce occubuit, & in sepulchro fuit clausus: ad locum verò suum reversus est, quando à mortuis resurgendo in Cœlum ascendit. Ita ipse Ioan. 16. *Exivi à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.*

Figuratum fuit hoc Ascensionis mysterium in signo ab Isaia dato Ezechiæ Regi Iuda: cùm Sol decem lineis contra cursum naturalem retrogressus fuit. 4. Reg. 20. & Isai. 38. Hic Solis descensus, vel regressus per decem lineas, Christi ad nos descensum, & eiusdem in Cœlum regressum præsignavit. Prima itaque linea fuit Chorus Angelorum; secunda Archangelorum; tertia Principatuum, hæc est prima hierarchia. Quarta linea fuit Potestatum; quinta Dominationum; sexta Virtutum, ista secunda hierarchia. Septima

ma, Chorus Thronorum; octava Cherubim; nona Seraphim, tertia, & suprema hierarchia. Decima, est lux illa inaccessibilis, quam Deus Pater luminum inhabitat. Peracto ergo Redemptionis mysterio per easdem lineas in Cœlum ascendit, per quas ante descenderat. Et tanquam Rex Regum, & Dominus Dominantium cursum perfecit.

§. VI. *Sol.*

CHristus etiam est Sol ille æternitatis, & supermundanus, de quo dicitur Psal.103. *Ortus est Sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur;* quod contigit in Resurrectione. De illo etiam Cantic.1.dicit Ecclesia: *Nolite considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me Sol.* Idest Christus: quia Ecclesiam suam decolorasse dicitur; quoniam eam ad tempus æstu tribulationum, & ardore tentationum permittit affligi. Sicut enim proprietas Solis est vrere, & illuminare: Sic Christus verus Sol exterius suos persecutionibus exurit, tentari permittendo; interius autem dat vires resistendi cor illuminando. De illo Sap. 7. *Sol intelligentiæ non est ortus nobis;* idest Christus, qui illuminat omnem hominẽ venientem in hunc mundum. Sic est quẽ Pater cœlestis oriri facit super bonos, & malos, Matth.cap.5. De quo Sole legitur Malach.cap.4. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.*

Quid autem sibi vult, quod Sol iustitiæ vocetur, & non misericordiæ? Eusebium lib.5.demonst. Evang.cap.29. audiamus. Qui denominatus est, & Deus, & Angelus, & Princeps, & Christus, & Sacerdos, & verbum, & sapientia Dei, & imago, nunc idem Sol iustitiæ dicitur. Hunc igitur is qui genuit Pater, non omnibus oriturum promittit, sed Solis nomen suum timentibus, vt sic illius timoris erga se primum Solis iustitiæ Dei lumen. Dicitur Sol iustitiæ, vel quia gignit in nobis iustitiam, & virtutes, vel quia ex Hieronymo verè omnia iudicabit, & nec bona, nec mala, nec virtutes, nec vitia latere patietur: vel quia in die iudicij (de quo loquitur) vt iustus Iudex reddet vnicuique secundum opera eius.

Sol in Sacra Scriptura. Sanctorum claritas in Resurrectione, Matth.13. *Fulgebunt iusti sicut Sol in Regno Patris sui.* Aliquando decor virtutum, Matt.5. Luceat coram hominibus, vt videant opera vestra bona. Sol sapientiam, vel opera manifesta. Solis obscuratio, calamitates, & afflictiones, maximè conscientiæ. Ierem.15. & Ioelis 2. Lunam obnubilari, mæroris indicium est apud Ezechielem. Et Lunam non splendere apud Prophetas, horrendum Dei iudicium super populos. Sic etiam, & Stellas non lucere, fortunam adversam, vel nihil fœlicitatis affulgere significat.

§. VII. *Aquila.*

SOlis radios, & iuvar aquila irreverberata aciè conspicit, & exhaurit: & licet de illa iam supra aliqua præfati simus, iterum cum Christo illam adaptare non sine mysterio æquum videtur. Ergo aquila cum plumescere pullos suos videt, ad Solem convertit, illumque nutrit, qui oculorum aciem in Solem intendit at qui lumina deflectit, quasi degenerem in terram proijcit. Sic Christus dictis exemplis nos provocat, atque ad Patrem suum verum Solem, & luminum fontem invitat, nostrisque infirmitatibus compatitur, alisque suæ gratiæ sustentat. Qui tũc alas suas expandit, nosque in suis humeris portavit, cum brachia sua in Cruce tetendit, ac peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum.

Hæc illa aquila, de qua Salomon Proverb. 30. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro viam aquilæ in Cœlo.* Per quam Christus accipitur quando sicut aquila in Cœlum, & super omnes Cœlos ad Patris dexteram revolavit. De qua etiam Ezech. 1. *Et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Hæc aquila ex Gregorio, Christus est, qui post Resurrectionem suam ascendens in Cœlos, in su-

superioribus est elevatus vt aquila. Quæ tunc pullos suos ad volandum provocavit, cum Christus super omnes Cœlos ascendens corda Apostolorum, atque credentium ad superna contemplanda erexit.

Capite etiam 39. Iob. In arduis ponit nidum suum. Itaque composito nido, amethystum lapidem in medio nidi collocat, qui secundum physicos omnia fugat venena. Sic Christus in cordibus nostris lapidem hoc est seipsum, qui est lapis sine manibus de monte abscissus, ponit; quo omnia diaboli venena fugantur. Aquila etiam, plus omnibus avibus fœtus suos diligit: sic Christus suos electos supra omnem diligit amorem. Cuius tantus amor extitit, vt seipsum pro ovibus suis totum dederit: tum cum hominibus conversando, tum in Sacramento Eucharistiæ, tum in Cruce, ac denique in Cœlo, vbi non solum se, sed & omnia sua dabit electis. Matt. 24. *Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus eius invenerit vigilantem: amen dico vobis super omnia bona sua constituet eum.*

Aquila quæ ex Philosophis sic dicitur ab acumine oculorum, tam acute videt, vt cum super maria immobili penna feratur, nec humanis visibus pateat, pisciculos in mari natare videat, & ad torrentis instar descendens, raptam pennis prædam ad littus pertrahat. Sic Christus nos dictis, & exemplis exhortans ad alta provehit, vt sequamur quo præcessit. Super Cœlos etiam exaltatus, & humanis substractus aspectibus, in mari huius mundi nos natantes, oculis misericordiæ videt, & pennis amoris nos pertrahit ad littus æternæ securitatis. Vnde Ioan. 12. *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.*

Celebrem Proverbiorum cap. 30. locum iam ex parte attactum, sed integrũ nunc enucleandum apponamus. Tria inquit, sunt mihi difficilia. Via scilicet aquilæ in Cœlum, quam tenuit Christus in sua Ascensione, quando Ephes. 4. ascendit super omnes Cœlos, vt impleret omnia. Via colubri super petram, quam tenuit in Resurrectione, nam Christus per serpentem est designatus, Ioan. 3. *Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto; ita exaltare oportet Filium hominis.* Passus enim, & sepultus in sepulchro lapideo, inde mirabiliter exijt clauso tumulo, & sic tenuit viam colubri super petrã. Via navis in medio maris, quam tenuit in sua conversatione: quia in hoc mundo tanquam in mari procelloso, expositus fuit tribulationibus, & pressuris.

Via viri in adolescentia, per quam Beatissima Virgo intelligitur, quæ in iuventute Christum concepit virtute Spiritus Sancti. Quod adeò mirum vt dixerit Ierem. 3. Novum creavit Deus super terram, mulier circumdabit virum, idest Christum, qui in vtero Virginis fuit perfectus scientijs, & virtutibus ab instanti cõceptionis, & in nativitate egressus est clauso Virginis vtero. Et ob hoc Salomon dicit esse quartum quod penitus ignorat. Vnde Hieronymus (vel alius) sermone de Assumptione. Igitur quod natura non habuit, ignoravit ratio, mens non capit humana, pavit Cœlum, stupet terra, creatura omnis etiam cœlestis miratur, hoc totum est quod Mariæ per Gabrielem promittitur, & per Spiritum Sanctum adimpletur.

§. VIII. *Brachium.*

IAm supra cum de nominibus Dei ageremus, aliqua de brachio diximus; sed quia Christus aliquando tali insignitur nomine, superaddere alia censemus. Igitur brachium dicitur Christus propter fortitudinem, & ratione victoriæ contra diabolum: vel quia complectitur omniaque continentur ab ipso, de quo Iob 14. *Si habes brachium sicut Deus, & voce simili tonas.* Et Psal. 70. *Donec annuntiẽ brachium tuum generationi omni, quæ ventura est.* Et Isai. 62. *Iuravit Dominus per dexteram suam, & in bracbio fortitudinis suæ.* Et cap. 51. *Consurge, consurge, induere fortitudinem brachiũ Domini.* Et cap. 53. *Et brachium Domini, cui revelatum est?*

Bra-

Brachium ergo Domini Christus. Quia virtus est Patris, 1. Cor. 1. *Prædicamus Christum Dei virtutem.* Dicitur autem brachium Domini, eo modo loquendi, quo potestas sæcularis dicitur brachium sæculare. Insuper Christus dicitur brachium virtutis, Psal. 88. *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum: in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.* Item dicitur brachium sanctum, Psal. 97. *Salvabit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius.* Et illud Psalm. 72. Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium. De quo Eccles. 36. Innova signa, immuta mirabilia, glorifica manum, & brachium dextrum, per quam manum, & brachium, Christus intelligitur. Et Ierem. 32. dicitur brachium extentum. Ecce fecisti Cœlum, & terram in fortitudine tua magna, & in brachio extento, hoc est filio; diciturque Christus brachium, flagellando dæmones, sustentando debiles, & defendendo fideles.

§. IX. *Dextera.*

Ex brachio manus procedunt, solum dexteram inspiciamus, qua sic vocatur Christus, quia ad erigendum lapsum hominem venit, de qua Isai. 62. *Iuravit Dominus in dextera sua, & in brachio fortitudinis suæ.* Et Psalm. 73. *Vt quid avertis manum tuā, & dexteram tuā, de medio sinu tuo in finem?* Et Psalm. 75. *Perfice vineam istam quam plantavit dextera tua.* Et Psal. 117. *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem.* Notanda verba, signanda mysteria in triplici dexteræ manus repetitione, quia magnus Christus, & magna virtus eius, qui diabolum vicit, hominem Deum fecit, & mortalibus Cœlum donavit.

Vel liceat aliter intelligere: dextera Domini, idest Patris, fecit virtutem in rerum creatione, & tot prodigiorum in exitu Israel de Ægypto patratione, dextera tua Domine magnificata est in virtute, vel fortitudine. Exod. 15. Dextera Domini exaltavit me, idest Filius, qui nusquam Angelos aprehendit, sed semen Abrahæ, vt homo fieret Deus, & ad Patris dexteram collocaret. Dextera Domini fecit virtutem, idest Spiritus Sanctus, cum in die Pentecostes, Apostolos virtute ex alto indutos, omni scientia adimplevit, & fortitudinem roboravit, vt Divus dicit Bernardus. De hac etiam dextera Iob 14. dicitur: *Operi manuum suarum porriges dexteram.* Et Exod. 15. *Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine, dextera tua percussit inimicum.*

Dextera etiam Domini Christus vocatur, ratione mirabilium operum eius, quæ fecit in nomine, & virtute Dei Patris, & quia per eum omnia opera divina perfecta sunt. Et dextera dicitur, quia ad dexteram Dei sedet, & quia in novissimo die ad dexteram suam agnos collocabit. Vel etiam in Christo divinitas est dextera, læva autem humanitas. De quibus duabus substantijs in vna hypostasi consurgit, vnde Sponsa Cant. 2. *Læva eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Et sicut ex Philosophis dextera est potior pars animalis, quia inde ad reliquas partes derivatur motus, & sinistra dicitur pars infirmior: ita à paritate, divinitas in Christo dicebatur dextera, & humanitas sinistra, eo quia tota virtus, & potestas derivabatur à divinitate in humanitatem, quia humanitas erat instrumentum in miraculis faciendis. De quo 3. p. q. 43. art. 2.

§. X. *Verbum.*

De Verbo quod est Christus verba breviter faciamus, *quasi Verbum abbreviatum fecit Dominus super terram.* Isai. 63. nuncupatur ita, quia ex Dei ore propriè processit, & quia semper in Patre, & de Patre, nihilque sine eo Pater jussit, aut fecit. Hoc verbum cum esset à principio apud Patrem caro factum est, vt per carnem panis cœlestis transiret ad infantes. Idest Verbum Dei æternum, & invisibile, quod prius erat refectio Angelorum, fieret etiam refectio viatorum, Psal. 77. *Panem Angelorum manducavit* ho-

homo. Et de ipso Ioan. 1. *In principio erat Verbum, &c.* Et postea: *Verbum caro factum est*. Et Apocal. 19. dicitur, quod vocabatur nomen eius Verbum Dei.

Apud Iob cap. 4. dicitur etiam. Porrò dictum est ad me verbum absconditum, & quasi furtive suscepit auris mea vim susurri eius. Verbum absconditum dicitur Filius, quia carne velatum. Et sic Isai. 45. dicitur Deus absconditus, quia quod erat apud Patrem invisibile, & mundo incognitum, manifestatum est in carne, & fidelibus revelatū. Sive Verbum absconditum, vel Deus absconditus, quia incomprehensibilis est, & inscrutabilis maiestatis. Deum enim, vt est, nulla creatura quantucumque beata comprehendere potest: vnde Matt. 11. dixit: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem nisi filius.*

Filius insuper in divinis dicitur Verbum; quoniam ex ore Patris processit. Psal. 44. *Eructavit cor meum Verbum bonum.* Bonum, quia solus Deus bonus. De quo Isai. 33. Pater: *Ecce dies veniunt & suscitabo Verbum, quod locutus sum.* De quo etiam Psalm. 32. *Verbo Domini Cæli firmati sunt.* Varia ergo nomina sortitur. Isai. 43. *Egredietur de ore meo iustitiæ Verbum.* Et Verbum abbreviatum. Et Roman. 9. *Verbum consumens, & abbrevians in iustitia.* Verbum salutis. Act. 13. Verbum vitæ Ioann. 1. cap. 1. Verbum veritatis. Iacob. 1. Et Verbum insitum, nam sicut in vna arbore duæ naturæ vniuntur; & fit vna arbor: ita suo modo in Dei Filio duæ naturæ in vna persona: quod Verbum insitum dicitur: Verbum caro factum est.

Verbum in Sacra Scriptura significat rem, & sic Ioan. 1. exorditur: *In principio erat Verbum*, idest, ea res, ille Dei Filius; Verbum caro factum. Et 3. Reg. 15. Excepto sermone Vriæ, idest excepto facinore vel peccato. Designat etiam causam narrabilem, vel aliquod factum. Verbum quod vidit Isai. 2. & Luc. 2. Pastores: *Videamus hoc Verbum quod factum est*, idest rem ipsam de qua nobis dictum est. Hebræi enim quodlibet negotiū, causam, vel factum, Verbum dicunt; eo quod verbis soleant explicari, & compleсti. Et Luc. 1. *Non erit impossibile apud Deum, omne Verbum*. Et Luc. 1. Per omnia montana Iudææ divulgabantur omnia verba hæc. Verbum æternum, rem æternam designat, & Dei consilium. Verbum etiam significat negotium, Daniel. 2. & alia.

Occasionem nacti piaculum esset aliqua divini Verbi encomia, vel per transennam in medium adducere, & propalare. Igitur: aqua vocatur quia nos in æstu persecutionis à carne, mundo, vel diabolo, refrigerat Psalm. 22. Vinum, quia lætificat, atque pacificat conscientiam, Psal. 103. Lac, quia nutrit parvulos ad Christi, vsque mensuram, Isai. 55. Lucerna Psal. 118. Quia sine illo omnia caliginosa. Lumē, quia in medio nationis pravæ luceat. Psal. 119. Vox Ioan. 10. *Vocem meam audient.* Evangelium Marc. 1. Vox clamantis. Et etiam Prædicatorem. Dextera Domini, Psal. 79. *Quam plantavit dextera tua.* Idest Verbum tuum. Panis vivus. Ioann. 6. qui de Cœlo descendit, hoc est Verbum Dei quod vivificat. Lapides pretiosi apud Isai. cap. 28. Dicitur etiam folium Psal. 1. Quia folium significat Verbum; & doctrinam. Sermo Crucis à Paulo, quia carnem mortificat. Potentia vel Dei virtus 1. Corint. 1. & Hebr. 4. Vivus est sermo Dei & efficax. Pluvia voluntaria Psalm. 67. Gladius acutus Ephes. 6. Mensa Psal. 22. *Parasti in conspectu meo mensam.* Sagitta Psal. 44. *Sagittæ potentis cadent in corda inimicorum Regis.* Spiritus oris Psal. 33. *Et spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Idem de potentiā, & efficacia qua omnia creata, ei consistunt. Visio, apud Prophetas, per quod locutus est Deus, & onus cū iram, & supplicium Dei prædixerunt.

§. XI. *Altissimus.*

ALtissimum Ecclesia prædicat Christum, & concinit; cuius similitudinem, & æqualitatem cæco desiderio, perversoque appetitu Lucifer concupivit dicens: *Ascendam super altitudinem nubium,*

bium, similis ero altissimo. Vnde David Psalm. 45. *Sanctificavit Tabernaculum suum altissimus*, hoc est Christus sanctificavit Ecclesiam, quam sanguine suo sacro acquisivit. De quo iterum Psal. 86. *Nunquid Sion dicet, homo, & homo natus est in ea, & ipse fundavit eam altissimus.* Vbi ex aliquibus duæ in Christo designantur naturæ divina scilicet, & humana. Divina per Verbum *altissimus*, & humana per Verbum *homo*. Inquit ergo. Nunquid Sion dicet homo? Et homo natus est in ea, & ipse fundavit eam altissimus. Idest Deus altissimus, qui fundavit Sion, idest Ecclesiam, homo in ea factus est. Propter hoc incomprehensibile arcanum, ipsa Sion scilicet Ecclesia contemplans, & admirans ait. Nunquid Sion, hoc est Ecclesia, dicit homo? Hoc est purus homo Christus. Quasi respondeat: Non homo tantũ, sed Deus, & homo est. Vnde vtramque naturam declarans subiungit: & ipse fundavit eam altissimus.

Altissimus etiam dicitur Christus, quoniam ipse est altissimi Filius. Vnde Eccles. 24. *Ego ex ore altissimi prodivi.* Et Luc. 1. *Et tu puer Propheta altissimi vocaberis*; altissimi, idest Filij, qui Christus est, & altissimus vocatur, quia super omnia, & ab omnibus abstractus est. Huic altissimo superbus ille, Isai. 14. Invidit, & eius gloriam concupivit, dicens: *Similis ero altissimo.* Non solum autem Christus in quantum Deus dicitur altissimus, sed etiam in quantum homo. Ioan. 3. *Qui de Cœlo venit super omnes est.* Allegoricè etiam, & pijssimè dicta verba in Beatissimam Virginem inflecti possent, quæ Civitas Dei, & Sion dicitur, quam Christus fundavit, idest creavit, & de qua fieri homo dignatus est. Videatur Hugo Card.

§. XII. *Caput.*

SEd quia caput præcipua, & altissima hominis pars existit: iam ipsum Christum, qua ratione caput omnium constituatur exploremus. Igitur Psal. 17. dicitur: *Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium.* Et Psal. 117. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Dicitur autem gentium caput sicut Dux militiæ, dicitur caput exercitus. Caput verò anguli, quia ipse est lapis angularis, qui duos parietes, idest duos populos, in vna fide, & in vno Ecclesiæ corpore copulavit; ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraque vnum, vel angularis, quia Princeps duorum testamentorũ, & duorum populorum. De quo Oseæ 1. *Et congregabuntur filij Iuda, & filij Israel. Pariter, & ponent sibi met caput vnum*, *idest Christum.* Et 1. Corint. 11. *Volo autem vos scire, quod omnis viri caput est Christus.* Et Ephes. 1. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Et Collo. 2. *Qui est caput omnis Principatus, & Potestatis.* Ex quo infertur, Christum nedum hominum; sed Angelorum etiam caput existere.

Caput verò hominum, sed potius Ecclesiæ dicitur Christus quadruplici ratione, vt expendit D. Thomas 3. p. q. 8. Prima ex perfectione, quia sicut in capite sunt omnes sensus, solo tactu in alijs mẽbris existente, sic in Christo est gratiæ plenitudo, de quo D. Thomas 3. p. q. 2. Ioann. 1. *Plenum gratiæ, & veritatis*, in alijs verò ex Apost. 1. Cor. 12. sunt gratiæ singulares, sapientiæ, scientiæ, &c. Secunda accipitur ex eminentia; sicut enim caput cæteris supereminet membris: ita Christus nedum homines, sed Angelos etiam excellit omnes, Ephes. 1. *Constituẽs eum ad dexteram suam super omnem Principatum, & Potestatem.* Tertia ex influentia; quia sicut caput influit in cætera membra sensum, & motum; ita & Christus fidelibus auxilia gratiæ, & omnia dona. Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus.*

Quarta sumitur ex conformitate in natura, quam habet caput ad membra; similiter Christus ad homines, vnde Philip. 2. *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus vt homo.* Dicitur etiã Christus caput secundum Deitatem, ad hunc sensum, quia omnes Angeli, & homines ab ipso conditi sunt. Dicitur etiam ca-

caput, quo ad humanitatem, quâ illi coniungitur Ecclesia natura, & gratia. Quomodo autem Christus, Angelorum & hominum sit caput? Pertinet ad 3. p. q. 8. art. 3. & 4. De quo iam supra aliqua diximus. Videantur.

An autem proprium sit Christo esse caput Ecclesiæ, vt nulli alteri convenire possit? Exagitant Theologi 3. p. q. 3. art. 6. de potentia ordinaria certum est ipsi soli proprium esse ex locis adductis, & ex quatuor conditionibus requisitis, quæ modo in nulla creatura reperiuntur. In ordine verò ad potentiam absolutam, etiam est certum, quod si Pater, vel Spiritus Sanctus, Angelicam, vel humanam assumerent naturam, influendo dona gratiæ in homines, essent propriè caput Ecclesiæ. Restabat ergo solum inquirere: an etiam de potentia absoluta possit hoc communicari puræ creaturæ? Ad quod.

Respondetur: etiam in hac consideratione proprium esse Christo, quòd caput existat Ecclesiæ. Ex D. Thom. cit. & alijs. Summa autem rationum, compendio sic proponitur. Prima: quia Christus ita fuit caput, vt de rigore iustitiæ satisfecerit pro peccatis hominum, quod repugnat puræ creaturæ, vt dicitur 3. p. q. 1. art. 2. Secunda: quia gratia cuiuslibet alterius hominis, solum respicit proprium subiectum, cum non sit operativa ad extra. Idest erga alios. Tertia: quia Christus vt homo, est instrumentum coniunctum excellentiæ, habens à se vim influendi, & non à supposito distincto, quod nulli puræ creaturæ communicari potest. Latè autem puræ creaturæ communicari potest esse caput Ecclesiæ per influxum gratiæ, & donorum; sed hoc non ita vt Christo; & etiam quantum ad extrinsecam ordinationem, & gubernationem, & per modum instrumenti separati.

In Sacra autem Scriptura, caput initium significat, sive temporis, vt Genes. 1. sive alicuius negotij ardui Psal. 39. *In capite libri.* Sive dignitatem, Psal. 17. *Constitues me in caput gentium.* Sive pro rei summitate, vt Genes. 49. *Adoravit Iacob super lectuli caput.* Summitur etiam pro tyrannide, & potentia, vt Genes. 3. *Ipsa conteret caput tuum*; idest Regnum peccati, & mortis diaboli. Etiam aliquando pro sene, & auctoritate prædito, vel pro magnatibus, Isai. 7. Caput levare, est exaltare in gloria sic. 4. Reg. vltimo. *Sublevavit Rex Babilonis caput Ioachim Regis Iuda.* Et Psalm. 3. *Exaltans caput meum.* Exaltatur etiam caput per fidem; nam caput viri est Christus, in quem credentes exultabimus.

Omnia etiam bona, vel mala in caput imprecari solent: *Benedictio illius, qui apparuit in rubo veniat super caput Ioseph.* Deuter. 33. Mala Psal. 7. *Et in verticē ipsius iniquitas eius descendet.* Languere omne caput, & mærere omne cor, tropice; quia Prophetæ, & Magistratus pessimè se haberent: sic etiam à planta pedis vsque ad verticem capitis non est sanitas. Labia, & capita movere, & consolantium aliquando, & insultantium, solet esse signum. Iob 16. *Consolarer ego vos; & moverē caput meum super vos:* Iudæi autem irridentes capita movebant Christo crucifixo, Psal. 21. & 43. *Posuisti me commotionem capitis in populis.* Capitis etiam corona, sumitur pro divitiarum splendore, & magnificentia. Iob 19. *Spoliavit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo.*

§. XIII. *Calvus.*

A Summa Christi excellentia, qualis est Ecclesiæ esse Caput, nescio an ei summum naturæ vellimus impingere opprobrium, scilicet, illum calvi nomine appellare; sic videbitur, sed licet talem non passus fuerit defectum; alios non minoris propter nos non est dedignatus subire (& si calvitium honoris, & reverentiæ debitæ insigne reperiatur) & sic D. Paulum D. Chrisostomo insignis calvitie apparuisse describitur (hoc in solatium Authoris) de quo Synesius integrum composuit tractatum. Sed quis de calvitie mysterium eliciet? Qui de tenebris lucem splendescere dixit.

4. Regum 2. refertur, quod Eliseus

à 42. pueris calvus convitiabatur, ascende calve, ascende calve inclamabant, qui Christum in Calvaria crucifixum præfiguraſſe, oſtendit D. Hieronymus Pſal. 84 ita locutus: Frequenter dixi Core, quod interpretatur Calvariæ locus, neceſſum eſt vt Lætum aliquid ſignificet. Denique quis eſt iſte Core, qui de Iericò aſcendebat in Bethel? Bethel domus Dei. Diligenter animadvertite. Quicunque in Iericò eſt, & vult ire in domum Dei, neceſſe eſt vt aſcendat. Ergo de Iericò Core noſter hoc eſt Eliſeus, aſcendit in domum Dei Bethel: & egrediuntur de Bethel, hoc eſt de domo Dei, ideſt de Synagoga, vbi pri⁹ fuerat domus Dei; egrediuntur quadraginta duo pueri, & illudunt Eliſeum, & Core noſtrum, & dicunt. Aſcende calve. Ille venit in domum ſuam, & irridetur à parvulis Bethel.

Verum Eliſeus ille patientiſsimus, qui propterea venit in Bethel, vt ſalvaremur, reſpexit aliquando, reſpexit & iuſsit de ſaltu exire duos Vrſos, & interfecerunt 42. pueros. Sic & Dominus noſter Core cum veniſſet in Bethel, & voluiſſet aſcendere, irriſus à parvulis iuſsit exire duos Vrſus, hoc eſt Veſpeſianum, & Titum. Et occiderunt quadraginta duos pueros. Qui ſunt iſti quadraginta duo pueri. Ab aſcenſu Chriſti ad ſubverſionem Hieruſalem quadraginta duo anni ſunt. Diligenter inſpicite, & ſic invenietis. Deditque illis locum pœnitentiæ quadraginta duos annos poſt Reſurrectionē ſuam cum ad Bethel aſcenderet. Sed quoniam illi irridebant aſcende calve, egreſsi ſunt duo Vrſi, & interfecerunt eos.

D. etiam Iſidorus ſuper eadem verba. Eliſeus ſalus Dei eſt, qui ſalvator vocatur, cui illudunt Iudæi, quia in Calvariæ loco aſcenſurus erat in Crucē. Sed Chriſtus poſtquam aſcendit in Bethel, ideſt in domum Dei, quadrageſimo ſecundo anno immiſit duos Vrſos de ſylvis gentium, Veſpeſianũ ſcilicet, & Titũ, qui eos crudeli ſtrage deiecerunt, ibiq; ſanguis eorũ effuſus eſt, vbi Dominum ſuſpenderunt.

Liceat modo feſtiva, & ſi humana ita rebus ſerijs promiſcue ſupra caput Philoſophi Eſchili, quod calvũ penitus erat, lapidem eſſe aquila exiſtimans, raptam teſtudinem cum proijeciſſet, capite fracto illi mortem intulit. Chriſtum Dominum nomine calvi diximus ſignificari; modo, quomodò lapis ſit qui ſupra capita Iudæorum dilapſus illis necem cauſavit iuxta illud Matt. 21. *Super quem autem ceciderit confringetur*, elucidemus non ſine myſterio.

§. XIV. *Lapis.*

Dicitur ergo Chriſtus lapis, propter firmitatem, ſuper quem omnis ædificatio cōſtructa creſcit in Templum Sanctum Domino. De quo Iacob Geneſ. 45. *Inde Paſtor egreſſus eſt, lapis Iſrael.* Et cap. 28. Eſt lapis delinitus ab eodem Iacob, quem erexit in titulum. Lapis autem Chriſtus in vnctus eſt, qui Latine vnctus dicitur. De quo Iob 38. *Quis dimiſsit lapidem angularem eius.* Et celebris Iſaiæ 28. locus. *Ecce ego mittam in Sion fundamentis lapidem angularem, probatum, pretioſum:* de quo 1. Petri 2. Et Paulus ad Epheſ. 2. *Super ædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſumo angulari lapide Chriſto Ieſu.*

Lapis iſte angularis, tetragonus, & quadratus eſt, qui duos parietes iungit, qui Chriſtum deſignat, qui dum Iudaicum populum, & Gentilem in vna Eccleſiæ fabrica ſuſcepit, quaſi duos parietes copulavit: apud Iſai. cit. Dicitur lapis pretioſus, quia humanitas ex vnione ad divinitatem, gaudet infinito valore. Et quia Chriſti ſanguine, peccata remiſſa ſunt, & mundus redemptus eſt. Dicitur 1. Petri 2. Vivus. Et Iſai. 8. Lapis offenſionis, & ſcandali, fuit Iudæis, propter pertinaciam, & incredulitatem, vnde 1. Corin. 1. *Prædicamus Chriſtum crucifixum Iudæis quidem ſcandalum.* De quo mirificè Daniel. 2. *Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percuſsit ſtatuam, & factus eſt mons magnus, qui eſt Chriſtus abſque virili conſortio de Virgine Matre natus.*

Za-

Zacharias etiam cap. 3. pulchrè est affatus: super lapidem vnum septem oculi sunt: lapis vnus Christus, quia vnus in Persona, & si duplex in illo natura. Septem oculi, septem Spiritus Sancti Dona. Vel vniversitas Angelorum, qui Dani. 4. Vigiles dicuntur, & Matt. 18. semper vident faciem Dei Patris. Et rectè super lapidem oculi dicuntur, quia præsto semper sunt ad eius voluntatem exequendam. Capite etiam 4. idem, & educet lapidem primarium, & exæquavit gratiam gratiæ eius. Ideò lapis primarius, quia Verbum Dei, quia primogenitus omnis creaturæ, Primogenitus mortuorum, & fundamentum, & caput Ecclesiæ. Lapis primarius, vel primus, quia in principio erat Verbum. Et exæquat gratiam legis, gratiæ Evangelij, vt æquale munus accipiant credentes ex Israel, & ex gentibus.

Dicitur etiam lapis adiutorij. 1. Reg. 7. *Tulit Samuel lapidem vnum, & vocavit nomen loci illius lapis adiutorij*. Vbi glossa. Ingravescente bello vitiorum, manus levandæ sunt ad lapidem adiutorij, hoc est ad Iesum. Et Apocal. 15. dicitur: *Exierunt septem Angeli vestiti lapide mundo, & candido*. In quo ex D. Thoma, omnes fideles vestiti Christo significantur. Gal. 3. Christum induistis, & dicitur Christus lapis mundus, quia sine peccato, & candidus, quia est candor lucis æternæ, & speculum sine macula. Et Apoc. 4. comparatur lapidi Iaspidi, & Sardonico. Iaspidi, quia est gemma viridis, & significat immarcescibilitatem vitæ æternæ. Sardonix, quia rubet, & dicit calorem æternæ damnationis. Vel Iaspidi propter virorem Deitatis, & Sardio propter ruborem passionis comparatur.

Placet audire Magistrum in historijs; refert quod in ædificatione Templi Salomonis, fuit quidam lapis, qui pluries reiectus fuit ab ædificantibus, vti ineptus ad structuram ædificij, quia nulli conveniebat loco cui applicabatur, sed optimè insidet in summitate ædificij, in angulo duos parietes coniungens. Hoc Christũ expressè designat, de quo Psal. 117. & ipse Christus Iudæis. Matt. 21. *Nunquam legistis in scriptura: lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* Et super quem ceciderit, cõteret eum. Hoc totum Iudæis, qui lapidem istum eiecerunt, & crucifixerunt: sed in secundo adventu super eos cadet, & dicet: discedite à me maledicti in ignem æternum.

In Sacra Scriptura, lapis pro perpendiculo, quod in virga geometrica perpendit accipitur, Isai. 34. Item Apostoli, & Sancti. Etiam Iudæi indurati, sicut & Pharao, Exod. 14. & cordis duritiam: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*. Item duritiam Dæmonum, & Antichristi, Iob 41. *Cor eius indurabitur quasi lapis*. Lapides significant homines, quibus vti ex vivius lapidibus Ecclesia constituenda. Apoc. 21. & Psal. 101. *Quoniam placuerũt servis tuis lapides eius*; hoc est; Angelis, Prophetis, & Doctoribus. Auferre cor lapideum, & dare cor carneum, est apud Ezech. 11. Duritiam cordis emolire, & in docilitatem convertere.

§. XV. *Vnus*.

Lapidem vnum Christum dici vidimus, ex Zachar. 3. quia licet in eo duæ naturæ, vna tamen reperitur Persona. Hoc ex fide adstruendum, de quo tractant Theologi, cum D. Thom. 3. p. q. 17. art. 1. Et ratio pro nunc (pluribus omissis) esse potest: quia ea quæ in vnum cõiuncta sunt, non possunt absolutè, & sine addito dici plura; ideò enim Petrus, aut album, non dicuntur absolutè plura, quia licet ex pluribus constent, tamen in vno coniuncta sunt; & ideò absolutè vnum dicuntur: sed in Christo licet sint duæ naturæ; sunt tamen coniunctæ in vnitate personæ; eo quod concurrunt ad compositionem vnius personæ humanæ, & divinæ, cum subsistat in illis, ergo non debet dici plura absolutè.

Vnde fatendum: Quod Christus est vnus masculinè; & vnum neutraliter. Primum habetur in pluribus Concilijs, & Patribus: quia adiectivum masculini generis,

ris, refertur ad personam; sicut neutrius ad naturam, & sic in divinis dicimus esse alium,& alium; non aliud, & aliud: & sic Filius est alius à Patre ob personæ alietatem, sed non aliud ob identitatem naturæ: ergo cum in Christo sit vnica persona, non debemus de illo dicere, quod sit alius & alius, ne pluritatem inducamus personarum. Secundum etiam constat: quia aliàs illum divideremus in duo, & sic in plura contra Decretum Concilij Alexandrini in epistola Cyrilli ibi approbata.

His pro veritate, & modo loquendi necessario prælibatis, vnus est (inquit sapiens Ecclesf.4.) & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius; nec recogitat dicens: Cui laboro,& fraudo animam meam bonis? benè Glossa. Vnus, quod solus, & absque comite ad mundum redimendum venerit. Et licet per adoptionem multi filij Dei sint: nullus tamen dignus qui in hoc ei opere iungeretur. Cuius laborum non est finis, quia pro nobis dolet: & oculus non satiatur divitijs, semper cupiens nostram salutẽ. Poscere autem dicimus secundum hoc Rom 8. *Spiritus postulat pro nobis gemitibus innenarrabilibus*, idest: postulare nos docet,& facit: ita Christus dolet, idest dolere nos de peccatis facit.

Vel aliter, vnus, hoc est Christus solus, & singularis Redemptor mundi. Vnus Deut.1. Timot.2. *Vnus est mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro nobis.* Isai.63. *Torcular calcavi solus.* Solus enim Sampson præcisis crinibus exponitur Philistæis. Non aliquis cœlestis spiritus, sed solus Christus pugnat, superat, solus redimit captivos. Nemo enim dignus inventus neque in Cœlo, neque in terra, neque subtus terram, aperire librum, nisi Leo de Tribu Iuda, idest Christus, quia Psal. 13. *Omnes declinaverunt simul inutiles facti sunt.*

Vnus etiam dicitur Christus sine pari, quia vnus Deus propter vnam naturam divinitatis, vnus Creator, propter infinitatem potestatis, vnus homo, propter singularem eminentiam sanctitatis, vnus Dominus, ob generalem rationem prælationis, vnus Magister, propter infusionem cognitionis, vnus Pater, propter productionem vniversitatis, vna Hostia, propter singulare pretium redemptionis humanæ. Christus etiam vnus dicitur, quia sicut ex vno numero constãt cæteri numeri, sic omnes fideles ex vno Christo. Et sicut vnus numerus sine alijs stat, & est in se ipso, omnes autem numeri sine vno nihil sunt nec stant, sic Deus sine creaturis est quod est non indigens illis; creaturæ vero sine Deo nihil sunt. Deus autem nec cum creatura est maior, nec sine creatura minor.

In Sacra autem Scriptura sicut vnum in numeris est minimum; ita modicum, vno explicatur. Genes.29. Et dies pauci, idest vni cap.27. Diebus paucis, idest vnis. Vnus, etiam idem ac primus. Genes.1. *Factum est vespere, & mane dies vnus,* idest primus. Quod in Evãgelio frequens est: vna enim Sabbati, primam Sabbati sonat, idest Hebdomadæ, & vna mensis, idest primam diem mensis. Et septem Sabbata apud Hebræos est Hebdomada, Exod.23. Vnde est, quod secunda Sabbati, idest Hebdomadæ intelligitur.

§. XVI. *Vnigenitus.*

VNigenitus etiam dicitur, de quo Ioan.1. *Vidimus gloriam eius quasi Vnigeniti à Patre.* Et ipse Ioan.3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret.* De quo Præcursor. Ioan.1. *Vnigenitus qui est in sinu Patris, &c.* Et 1.Ioan.4. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quia Filium suum Vnigenitum misit.* Dicitur Christus Vnigenitus, quia secundum divinitatem est vnicus Dei Patris, & secundũ humanitatem vnicus Virginis Matris. Sed apud Zachar.2. Et Vnigenitus, & Primogenitus appellatur. Et plangent eum planctu quasi super Vnigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte Primogeniti. Hoc in die iudicij, cum Iudæi cognoscent quod Christus fuit Messias in le-

ge

ge promissus, & quod est Vnigenitus Patris, & Primogenitus ante omnem creaturam,& Vnigenitum etiam,& Primogenitum Mariæ Virginis Matris secundum humanitatem. Cum ergo Iudæi in die iudicij videbunt Christum regnantem in sua & Patris claritate, dolebunt à se crucifixum,intelligentes fuisse Vnigenitum, & Primogenitum totius creaturæ.

Item Cyprianus vnus de vno nascitur, quia splendor vnus est lucis, & vnum est Verbum cordis. Nec in numerum pluralem defluit incorporea generatio, nec in divisionem cadit vbi qui nascitur nequaquam à generante separatur. Vnicus est vt menti sensus, vt sapientia sapienti, vt cordi Verbum,vt forti virtus. Nam sicut solus Pater sapiens dicitur; ita & solus Filius sapientia nominatur. Vnicus ergo Filius est, & omnia habet sed non sine Auctore sicut Pater; sed ex Patre tanquã Filius,sed nec Pater præcedit Filium, nec Filius sequitur Patrem in faciendo quasi adoptivum sicut nos. Plura alia dicit, videatur.

Si Sacram consulamus Scripturam, vnicus,vel Vnigenitus, etiam pretiosum significat, & dilectum super omnia. Genes.22. *Tolle Filium tuum Vnigenitum*, Græce *Agapeton*, vnice adamatũ scilicet Isaac. Luctus Vnigeniti, maximum dolorem, & planctum indicat. Amos 8. *Et ponam eam quasi Luctum Vnigeniti, & posteros eius quasi diem amaram.* Quia parentibus luctus magnus, cum moritur Vnigenitus. Et Ierem.6.Hierosolimitas vocat; Luctum Vnigeniti fac tibi. Et qui solum de suæ animæ student salute illam vocant vnicam. Psal.21. *Et de manu canis vnicam meam.* Et Psalm. 34. *A Leonibus vnicam meam.*

§. XVII. *Primogenitus.*

PRimogenitus etiam Christus nominatur, quia ineffabiliter ante sæcula, & omnem creaturam principium obtinet. Et quia solus propriè genitus, at cætera omnia creata dicuntur. Vel Primogenitus propter Primogenitos,qui scripti sunt in libro vitæ. Ad Hæbr.12. *Accessistis ad Ecclesiam Primitivã qui scripti sunt in Cælis.* De quo sub vtraque natura mentio sæpè fit. Psal.88. *Et ego Primogenitum ponam illum excelsum præ Regibus terræ.* Et Eccles. 36. *Miserere plebi, & Israel quem coæquasti Primogenito tuo.* Et alibi sæpè. Sed Apocal. 1. *Qui est testis fidelis Primogenitus mortuorum.* Et Collos. 1. *Primogenitus ex mortuis, vt sit ipse in omnibus primatum tenens.* Sed quomodò Primogenitus mortuorum,cum ante ipsum alij suscitati legantur? Respondetur, vel quia surrexerunt iterum moritur, non Christus. Rom.6. Vel quia ex fide, & virtute Christi venturi, de quo iam supra diximus.

Ad Hebr.1. Paulus: & cum iterum introducit Primogenitum in Orbem terrarum dicit; & adorent eum omnes Angeli Dei, ex Psal.96. Plura circa illud adverbium *iterum* dicta, aliqua, nunc breviter. Vel de Incarnatione Verbi, quæ dicitur introductio in mundum. Secundo, quia iam primo erat in mundo per potentiam divinitatis invisibiliter;& iterum introducit per præsentiam humanitatis visibiliter. Tertio,quia non sufficiebat dicere, quod introduceret, nisi modum explicaret, scilicet assumptum ad vnitatem personæ. Ita D. Thomas ibi lect.3. Videantur Expositores.

In Evangelio etiam de hoc Primogenito, dicitur secundum humanitatem. Ioseph, non cognovit eam donec peperit Filium suum Primogenitum. Dicitur Primogenitus, antequem nemo,& postquem nullus, quia vnicus est Patris secundum divinitatem, & vnicus est Matris secundũ humanitatem, vnde & Vnigenitus dicitur. Vel Primogenitus Mariæ dicitur Christus,non quod alios de se postea genuerit; sed iuxta morem Hebræorum pro vno sumere primum. Primogenitus ergo Mariæ dicitur Christus, hoc est vnus. Est etiam Vnigenitus,& sic non habet fratres; sed vt Primogenitus est,fratres vocare dignatus est omnes qui

per

per eius primatum in Dei gratia renascuntur.

In Sacris Litteris Primogenitus vocari solet principium doloris. Genes. 44. Quasi ille incipiat dolorem, vel laborem, & curam Patri afferre. Etiam propriè Primogenitus est principium liberorum. Deuter. cap. 21. Et etiam significat robur, & radicem sobolis. Ruben tu Primogenitus meus, tu robur meum. Et Vnigeniti, Primogenitique apud Hebræos erant hæredes, & Domini omnium. Solet etiam accipi pro primarijs, & optimis Isai. 14. *Pascentur Primogeniti pauperum*, idest optimi.

§. XVIII. *Sanctus*.

QVOD Christus Dominus futurus esset Sanctus, Angelus ipse qui Verbi divini Incarnationem Virgini annuntiavit expressè testatus est dicens: *Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Vbi Ambrosius. Solus enim per omnia ex natis de fœmina Sanctus Dominus Iesus, qui terrenæ contagia corruptellæ, immaculati partus novitate non senserit, & cœlesti maiestate depulerit. Prima ratio à posteriori: sed à priori secunda: vt enim docetur 3. par. q. 7. Christus Dominus, & gratia vnionis substantialiter, & habituali formaliter sanctificatus fuit. Cum quibus nec de potentia absoluta, peccatum, nec peccati fomes consistere, imò nec peccare potuisse tenendum.

Sanctus ergo dicitur Christus, quia Deus est, qui Patrem habet in Cœlis Deũ, & Matrem Virginem habet in terris, quem Pater sanctificavit, & misit in mundum. Diciturque Sanctus substantivè, & antonomasticè, quasi singulariter Sanctus; non extrinsecus, non per accidens; sed per naturam, & essentiam, qui facit Sanctos. Vnde nedum Sanctus, sed & Sanctus dicitur Sanctorum, sive iuxta Hebraicam veritatem, Sanctus sanctitatum, vel sanctitas sanctitatum in abstracto. Vnde & Levit. 19. dicitur: *Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum.* Et Ezech. 20. *Ego Dominus sanctificans eos.* Et Psal. 88. *Iuravit Dominus in Sancto suo*, idest in Filio, de quo Psal. 4. *Scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum.* Et Abac. 3. *Et Sanctus de monte Pharam.* Et Petrus Act. 3. *Vos autem Sanctum, & iustum negastis.*

Et quia salutem ex inimicis nostris accipiamus, Marc. 1. & Luc. 4. Homo habens dæmonium immundum exclamavit: *Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene, venisti perdere nos. Scio quia sis Sanctus Dei.* Nec hoc solum, sed etiam ipsa est sanctificatio. 1. Corint. 1. *Qui factus est nobis iustitia, sanctificatio, & redemptio* (abstracta enim vt diximus maximam rei perfectionem significant) vnde glossa in illud Thren. 2. *Repulit Dominus Altare suum, maledixit sanctificationi suæ*, sic disserit, idest Christo, qui cum peccatum non haberet, pro nobis peccatum, & maledictum fecit, vnde Moyses Deuter. 21. *Maledictus omnis qui pendet in ligno.*

Rectè etiam Salvator sanctificatio dicitur, quia in ipso omnis sanctitatis plenitudo, omnisq; sanctificatio efficaciter, excellenter, & essentialiter resplenduit. Vnde Pater Psalm. 131. *Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea*, hoc est potestas sanctificandi, quia solus Christus sanctificavit per sanguinem suum Ecclesiam & se ipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret. Vnde & ipse Ioan. 17. *Ego pro eis sanctifico me ipsum; vt sint & ipsi sanctificati in veritate.* Dicitur etiam sanctificator, Ezech. 17. Et etiam Sanctuarium, Psalm. 88. & 72. *Donec intrem in Sanctuarium Dei.* Et sic Levit. 29. *Sabbata mea custodite, & Sanctuarium meum metuite*, idest Christum, quem vt Deum timere debemus, Ephes. 5.

Exodi etiam 15. *Sanctuarium tuum Domine quod firmaverunt manus tuæ.* Vbi Origenes: quid est Sanctuarium non manu factum hominum, sed Dei manu præparatum? *Sapientia ædificavit sibi domum*, Proverb. 9. idest carnem Christi, non manu hominis, idest non opere humano templum carnis ædificatur in Virgine, sed lapis sine manibus excisus crevit,

vit, & factus est mons magnus. Hoc est: Sanctuarium carnis assumptæ, & sine manibus, & sine opere hominum, de mõte humanæ naturæ, & substantia carnis excisum. Dicitur etiam Christus Sancta Sanctorum, Levit. 7. *Hæc quoque lex est hostiæ pro delicto: Sancta Sanctorum est.* Origenes, quæ est hostia quæ pro peccatis offertur, & est Sancta Sanctorum, nisi Vnigenitus Dei Dominus meus Iesus Christus? Ipse est hostia pro peccatis, & Sancta Sanctorum.

Et vt iisdem verbis quibus initium, finem etiam auspicemur: Christus Sanctum dicitur in neutro genere, vt Luc. 1. *Quod ex te nascetur Sanctum*; quia non ex virili semine, sed mystico spiramine. Vel Sanctum ad differentiam aliorum, qui omnes nascuntur non Sancti, sed filij iræ. Vel quasi particulare quoddam Sanctum, tanquam à cæteris abstractum. Sanctum enim est, quod sacrum, & religiosum, & incorruptum, & prorsus intactũ, & inviolabile. Nunc audiamus D. Bernardum, sic profunde loquentem: Attende quam reverenter dixerit Angelus, quod nascetur ex te Sanctum. Vt quid ita simpliciter dixit Sanctum, absque additamento? Credo quod non habuit, quod propriè digneve nominaret illud eximium, illud magnificum, illud venerandum, quod de Purissima Virginis carne cum sua anima vnigenito Patris erat vniendum. Si diceret, Sancta caro, Sanctus homo, vel Sanctus infans, quicquid tale poneret, parum sibi dixisse videretur. Posuit ergo indefinite Sanctum: Quia quicquid illud sit, quod Virgo genuit, Sanctum proculdubio, ac singulare Sanctum fuit, & per Spiritus sanctificationem, & per Verbi Assumptionem, & per aliorum sanctificationem.

In Sacris reperiemus Scripturis, quod Sanctum dicitur, id quod Deo est consecratum, vt Templum, vasa, Sacerdotes. Et sanctum, pro sacro, firmo, & inviolato, aliquando sumitur, Isai. 52. *Deus Sanctus sublimis fit, & inviolatus.* Et sanctificetur nomen tuum, sit Sanctum, & venerandum: vel declaretur Sanctum, Sanctus Dei, & Sanctus Israel, propriè Christus dicitur, sicut & Christus Domini, nec alius qui ita vocetur, invenietur facilè. De quo Psalm. 15. *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Et Psal. 4. & Daniel. 9. *Donec vngatur Sanctus Sanctorum.* Et Psal. 70. *Et Sancti Israel Regis nostri*, idest sanctificator Israelis; hoc est sanctificans populum.

Dicuntur etiam Sancti, & sanctificati; recti corde, credentes adhuc in hac Ecclesia, sæpè, Psal. 148. *In Ecclesia Sanctorum.* Et Psal. 15. *Sanctis qui sunt in terra eius*, hoc est Domini. Et vniversaliter, omnes in Christo renati, & membra Christi effecti, Tabernaculum, Templũ, Civitatem, Vasa, & omnia in Dei cultum ordinata, sancta dicuntur, & Populus Israel, quia electus, & in Dei obsequium segregatus. Exod. 19. & Deuter. cap. 4. Tu autem in Sancto habitas, Psal. 21. Hoc est in Sanctis locis. Ac denique Sancta vocantur solemnitates præcipuæ, in quibus homines tenebantur convenire in Templum Domini. Sicut etiam aliæ solemnitates, in quibus à laboribus abstinere præcipiebantur.

§. XIX. *Emmanuel.*

DAndum fuisset in culpam, si Sacrosanctum Emmanuel nomen involverem silentio, non ita quidem præstandum. Dictio est vtrique testamento communis, scilicet Isai. 7. & 8. & Matt. cap. 1. & significat idem quod nobiscum Deus, nam ex dictis *El*, significat Dei fortitudinem, & sic septuaginta vertunt Ischiron. *Manu*; idem est quod nobiscũ. Sic Christus vocatus, quia huic natus mundo nobiscum fuit Deus, Baruch 3. & cum hominibus conversatus, Ioann. & habitavit in nobis. Et ex omnibus hominibus, solus Christus tali nomine insigniri potuit, quia nedum Deus, sed etiam homo fuit. Quicquid Alexander intenderit. De quo Lucianus in Dialogo mortuorum.

Irridendi Iudæi, qui ideo hoc nomen Christo convenire denegant, quia illo non fuit appellatus, sed Iesus. Sed nihil ad

rem: quia etiam Cant. 1. dicitur: *Oleum effusum nomen tuum*, & non significatur tali nomine insigniendum, quia in sacris literis nomen pro fama, & gloria vsurpari solet. Et sic Genes. 6. Viri famosi dicuntur, idest nominis, & famæ. Vocandum ergo Christum dicit Propheta Emanuel, quia in actu exercito, vt sic dicamus, cum illum Verbum caro factum viderent pleno ore dicturi erant, nobiscum Deus. Et quia in ipso nomine Emanuel, ostenditur divinæ, atque humanæ naturæ, in vno supposito vnio hypostatica.

Et quia apud Prophetas nomina ex effectibus, & actionibus vsurpari solent. Sicut sic puer dicitur, accelera, spolia, detrahe, non quia nomine tali vocatus; sed quia ita exequutus sit. Vnde Chrisostomus hom. 5. in Matth. ab effectu (inquit) appellatur Emanuel. Et D. Iustinus Dialogo cum Triphone docet, ista nomina; citò, prædare, & Emanuel, & Iesum, non esse diversa, sed eadem, cum eúdem Christum designent varijs nominibus, vel rationibus explicatum. Quia vt ait Plato in Cratylo; eadem sunt nomina, quæ eandē naturam significant, & si litteris, & syllabis discrepent. Ita hic.

Sed notandum venit: quod duplex est nomen alicuius scilicet impositionis, & naturæ. v.g. Socrates est nomen impositionis, homo autem, est nomen naturæ. Sic in Christo, Iesus fuit nomen impositum ipsi Christo, & est nomen personæ Emanuel vero, est nomen naturæ, vtramque naturam, divinam scilicet, & humanam declarans. Idem signasse videtur, Psal. 45. *Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob.* Et in Apocal. 2. *Vincenti dabo calculum candidum, & in calculo nomen scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Nomen novum, ex glossa, Emanuel, quia novum, & inauditum, Verbum caro factum est, quod nomen nemo scit, nisi qui accipit, idest, nisi qui credit; quia Isai. 7. Nisi credideritis non accepistis. Hoc nomen novum perfidus nescit Iudæus, stultus, Gentilis ignorat, & dicitur nomen novum, quia Ierem. 31. novum creavit Dominus super terram, quod non percipitur, nisi fide docente.

Verba autem Isai. cap. 7. Indagine digna censentur. *Propter hoc dabit Dominus ipse signum: ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius, Emanuel.* Si Hebraicum consulamus habetur *Karath*, idest vocabis, quod est secundæ Personæ fœmineæ, ac si diceret, tu fœmina (quasi ad Virginem alloquens) prægnans, & pariens Filium, vocabis Emanuel, idest Deum inter homines, vel cum hominibus inhabitantem. Nec obstat, quod D. Hieronymus transferat, vocabitur, & vulgata, Matt. 1. *Et vocabunt.* Quia cum Apostoli, & Evangelista, ex veteri testaméto aliquid referút, vel transferunt, non semper reddunt verbo ad verbum; sed sensum, vel sententiam curarút. Michææ cap. 5. dicitur: *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel.* At Matt. 2. sic: *Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda; ex te exiet Dux, qui regat populum meum Israel.* Videantur D. Hieronymus, & Ribera, & Benavides.

§. XX.

Alpha, & Omega.

ALiquibus iam, ex quam plurimis Christi Domini lustratis nominibus, provt tempus, manualisque angustia patiebantur, vltimam imponere manum cum primo & vltimo ipsius nomine, visum fuit conveniens. Apocal. 1. ipse Dominus de se loquens inquit: *Ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis.* Et cap. 22. *Ego sum Alpha, & Omega, primus, & novissimus.* Et Isai. 44. Ego primus, ego novissimus, & absque me non est Deus. Vbi D. Thomas: Ego sum, quantum ad divinam naturam, & introducit ipsum loquentem. Ego sum Alpha, & Omega. Alpha est primum elementum apud Græcos, & ponitur pro principio, Omega vltimum, & ponitur pro fine. Deinde sequitur expositio. Principium

ante

ante quem nullus: finis post quem nullus: principium à quo omnia. Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*: & finis ad quem omnia. Proverb. 16. *Vniversa propter semetipsum operatus est Dominus.* Et cap. 22. quasi dicat: re vera ego veniam, & iudicabo, & remunerabo, & non alius: quia ego creavi per potentiam cum sim primus, & principium omnium; ego discernam iudicando per iustitiam, cum sim novissimus, & finis creaturarum.

Christus itaque Deus noster, est Alpha ante quem nullus, & principium, à quo omnia esse cœperunt. Vnde illud in principio creavit Deus Cœlum, & terram. Idest in filio, qui Apocal. 3. principium creaturæ Dei dicitur. Est etiam Omega, hoc est finis, post quem nemo, & in quo omnes terminantur, & diriguntur. Christus enim Iesus, ex cap. 13. Hebræ. Heri, hodie, & ipse in sæcula. Heri idest in tempore præterito, quia ab æterno, & sine primordio. Hodie in præsenti videlicet tempore, quia Deus semper est. Vnde Exod. 3. Ego sum qui sum: & qui est missit me ad vos. Ipse, & in sæcula, hoc est sine fine. Dicitur etiam Christus principium, & finis omnis scripturæ: quia vt supra diximus, Deus humanandus est subiectum in toto fere testamento veteri. Potissimum in libris Prophetarum: & idem Deus humanatus, est subiectum in toto Testamento novo præcipuè in Evangelijs.

Denique dicitur primus secundum divinitatem, ante quem nullus; novissimus secundum carnem, quia qui primus erat, propter nos se novissimum fecit. Hinc Apostolus Colloss. 1. novissimum Adam illum vocat. Primus, quia per ipsum omnia; novissimus, quia per ipsum resurrectio, de ipso Isai. cap. 41. *Primus ad Sion dicet adsum: & Hierusalem Evangelistam dabo.* Primus ad Sion, idest Ecclesiæ dicet Ecce adsum in carne apparendo. Et Hierusalem idest Ecclesia, Evangelistam dabo. Quod propriè de Evangelistis, & Prædicatoribus intelligitur, qui à Christo dati fuerunt Ecclesiæ ad annuntiandũ bona spiritualia à Christo ei collata, & communicata.

Hucusque æterni Patris vnicè, mundi conditor, hominumque redemptor, sermo noster de tuis sacratis epithetis balbutiens per oravit. Opus equidem nedum hominum, sed & Angelorum etiam vires, & captum excedens. Humili tamen animo, manuque trementi inceptum, & complectum, tibi à quo bona cuncta procedunt sacratum. Pauperis ne despicias munusculum, sed affectum potius attendas, quæso, cum in tui tale quale elaboratum obsequium. Cum tuæ ergo benedictionis gratia da intelligendi acumen, retinendi capacitatem, addiscendi modũ & facilitatem, interpretãdi subtilitatem, loquendi gratiam copiosam. Ingressum instruas, progressum dirigas, egressum compleas, tu qui verus Deus, & homo cum Patre, & Spiritu Sãcto vivis, & regnas per sæcula.

SECTIO TERTIA.

DE SPIRITVS SANCTI NOMINIBVS.

QVIA Spiritu Sancto inspirante locuti sunt Sancti homines Dei: & ex Apost. 1 Corinth. 12. *Nemo potest dicere Dominus Iesus nisi in Spiritu Sancto*, vnde Ambrosius. Omne verum à quocumque dicatur ab Spiritu Sancto est (specialiter in illis quæ pertinent ad fidem) ideò vt tractatus iste completus evaderet; postquam de nominibus Dei, & Christi Domini, verba iuxta nostrum captum fecimus, de divinis pneumatis epithetis, sermo venit habendus, ad sit ipse, vt de illo vera & digna sapiam, vera & digna lo-

quar, vera & digna quæcumque sunt diligam.

CAPVT PRIMVM.

De Persona Spiritus Sancti.

PRæmittenda in præsenti capite aliqua pro dicendorum intelligentia, necessario se offerunt. Primum ex fide Catholica scilicet, Spiritum Sanctum esse verum Deum consubstantialem, & eiusdem essentiæ, naturæ, & æqualitatis cum Patre, & Filio. Ita ex Sacra Scriptura, Concilijs Symbolo Athanasij, & Theologis in materia de Trinitate. Et sic 1. Corinth. 3. dicitur: *Nescitis quod corpora vestra. Templum sunt Spiritus Sancti.* Templum autem habere, proprium est Dei. Et ex Athanasio Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus. Et D. Thomas 1. p. q. 27. art. 1. idem affirmat.

Secundo Supponendum circa nomen Spiritus Sancti, ex D. Thoma 1. p. q. 36. art. 1. Quod hoc nomen Spiritus Sanctus, est proprium tertiæ Personæ Trinitatis. Quia licet ex Hilario lib. 7. de Trinit. Hoc nomen Spiritus Sanctus sit commune tribus Personis, & aliquando significet Patrem, vt cum dicitur: Spiritus Domini super me; aliquando Filium, Vt si in Spiritu Dei eijcio dæmonia. Aliquando Spiritum Sanctum. Vt effundam de spiritu meo. At constat ex Scriptura 1. Ioan. vltimo. Quod iam est appropriatum tertiæ Personæ cum dicitur: *Tres sunt qui testimonium da in Cælo. Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.* Ita D. Thomas 4. contra Gent. cap. 18. Quia amatum in volũtate existit vt inclinans, & quasi impellens amantem in rem amatam, & impulsus rei viventis ab interiori ad spiritum pertinet: convenit Deo procedenti per modum amoris, vt spiritus dicatur, eius spiratione, quasi quadam aspiratione existente, ex Apost. Rom. 8. & 2. Corint. 5.

Et ratio convenientiæ est ex ipsa communitate eius, qui dicitur Spiritus Sanctus, ex Augustino lib. 15. de Trinit. Qui communis est ambobus, id vocatur ipse propriè, quod ambo communiter. Nam & Pater est Spiritus, & Filius est Spiritus, & Pater est Sanctus, & Filius est Sãctus. Secunda ratio est, ex propria significatione. Quia nomen Spiritus in rebus corporeis, impulsionem & motionem significare videtur, nam flatum, & ventum spiritum nominamus. Est autem proprium amoris, quod moveat, & impellat voluntatem amantis in amatum. Sanctitas verò illis rebus attribuitur, quæ in Deum ordinantur (de quo supra) quia igitur Persona divina procedit per modũ amoris, vt statim dicemus, quo Deus amatur, convenienter Spiritus Sanctus nominatur. Dicitur etiam Sanctus, quia suis Donis nos sanctificat, & sic duplicem accepimus Spiritum, vnum quo essemus, alterum quo Sancti essemus; & quia est sanctificator, & fons totius sanctitatis. Et sic D. Thom. in 1. d. 15. q. 5. ar. 1. Spiritum Sanctũ tripliciter nominat. Primo purũ, & mundum; & sic Spiritus Sãctus purificat per gratiam, animam. Secundo, deputatum Dei cultui, quia Deo nos applicat, & consecrat. Tertio firmum, quia nos in virtute confirmat.

Vnde si ly Spiritus Sanctus, accipiatur in virtute duarum dictionum est commune toti Trinitati, quia nomine Spiritus Sancti significatur immaterialitas divinæ substantiæ. (Spiritus enim in corporeus, invisibilis est, & parũ habet de materia,) vnde omnib⁹ substãtijs immaterialibus, & invisibilibus hoc nomen attribuimus. Per hoc verò quod dicitur Sanctus, significatur puritas divinæ bonitatis. Si autem accipiatur hoc quod dico Spiritus Sanctus in vi vnius dictionis, sic ex vsu Ecclesiæ est accomodatum ad significãdum vnam triũ personarum scilicet, quæ procedit per modum amoris, vt explicatum est.

§. I. *Amor.*

IAm ad nomina ipsa, & magis propria deveniendo. Primum, & communius est *amor.* Cum enim in trinitate, duæ tantum reperiantur processiones, altera per intellectum qua procedit Verbum, & Fi-

& Filius, vt similis in natura, & sic dicitur generatio, & cum sit infinita vnica tantum esse potest. Altera per voluntatem, quæ est processio amoris secundum quam Spiritus Sanctus procedit simul à Patre, & Filio, vt diffinitur pluribus Cōcilijs, & habetur in Symbolo Athanasij: Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens; ita vt si non procederet à Filio, ab illo non distingueretur: ab vtroque autem tanquam ab vno procedit principio. Et quia licet talis processio sit intra Trinitatem; quia tamen est per voluntatem, cuius non est assimilare, sicuti intellectus, sed esse impulsum, vel inclinationem in rem amatam, ideò non est generatio.

Procedens ergo Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, per voluntatem ideò procedit vt amor, & hoc nomine appellatur. Sicut enim ex hoc, quod aliquis rem aliquam intelligit, provenit quædam intellectualis conceptio rei intellectæ in ipso intelligente, quæ dicitur Verbum: ita ex hoc, quod aliquis rem aliquam amat, provenit quædam impressio, vel impulsus rei amatæ in affectum amantis, secundum quam amatum dicitur esse in amante, sicut & intellectū in intelligente: ita quod cum quis se ipsum intelligit, & amat, est in se ipso, non solum per identitatem rei; sed etiam vt intellectum in intelligente, & amatum in amante. Dicitur etiam Spiritus Sanctus amor, quia ratione suæ operationis nos reddit amantes, infundendo in nobis gratiam, & charitatē, per quam amici, & amatores Dei constituimur, ex cap. 5. Roma. & sicut Verbum, quo Deum cognoscimus, est repræsentativum Filij, ita amor quo Deum amamus, est repræsentativum Spiritus Sancti, & hac ratione charitas attribuitur Spiritui S. Rom. 5.

Sed est discrimen inter processiones intellectus, & voluntatis, quia ex parte illius sunt nomina explicantia respectū intelligentis ad rem intellectam, scilicet intelligere, & etiam vocabula adinventa ad declarandum processum intellectualis processionis, scilicet dicere, & Verbum. Et sic intelligere solum essentialiter dicitur, Verbum personaliter, & dicere notionaliter, quia importat principium Verbi ad Verbum ipsum. Ex parte verò voluntatis, nō ita ad invēta vocabula, sed vtimur vocabulis amoris, & dilectionis ad exprimendum habitudinem eius rei, quæ procedit per modum amoris ad suū principium, ita quod per amorem intelligatur amor procedens, & per diligere intelligatur spirare amorem procedentem, & sic amor est nomen personæ, & diligere, & amare, Verbum est notionale, sicut dicere, vel generare.

Hoc ergo præcipuum Spiritus Sancti nomen ei ex vi processionis conveniens; & licet velle, & amare (sicut, & intelligere) significentur per modum actionū transeuntiū in obiecta; sunt tamen actiones manentes in agentibus. Et sic amor etiā in nobis est aliquid manens in amante. Et cum in Deo nullum sit accidens, amor (sicut & verbum) est subsistens. Cū ergo dicitur, quod Spiritus Sanctus est amor Patris, & Filij, non significatur aliquid transiens in aliud, sed solum habitudo amoris ad rem amatam; sicut & in Verbo importatur habitudo Verbi ad rem Verbo expressam.

Hinc etiam provenit, quod cum Spiritus Sanctus sit nexus Patris, & Filij, vtrque dicitur, quod diligant se Spiritu Sancto. De quo D. Thomas 1. p. q. 37. art. 2. Cum distinctione, quia ly *diligere*, potest sumi essentialiter, & notionaliter; primò modo Pater, & Filius, non diligunt se Spiritu Sancto, sed essentia sua; si verò diligere notionaliter sumatur, sic nihil aliud est, quam spirare amorem, sicut dicere est producere Verbum, & florere est producere flores. Et sicut arbor dicitur florens floribus; ita Pater dicitur dicēs Verbo, vel Filio se, & creaturas. Et Pater, & Filius dicuntur dicentes Spiritu Sancto, & amore procedente, se & nos.

Ex his vltimis verbis infertur; quod Pater non solum Filium, sed etiam se, & nos diligit Spiritu Sancto. Quia diligere, vt notionaliter, non solum importat productionem divinæ Personæ; sed etiam Personam productam per modum amoris,

ris, quæ habet habitudinem ad rem dilectam. Vnde sicut Pater dicit se, & omnem creaturam Verbo, quod genuit, in quantum Verbum genitum sufficienter repræsentat Patrem, & omnem creaturam; ita diligit se, & omnem creaturam Spiritu Sancto, in quantum Spiritus Sãctus procedit, vt amor bonitatis primæ secundum quam Pater amat se, & omnem creaturam, quasi secundario, in quantum bonitas, & veritas divina est principium intelligendi, & amandi omnem creaturam.

§. II. *Donum.*

SEcundum, & principale Spiritus Sancti nomen est *Donum*. De quo Theologi cum D. Thoma 1. p. q. 38. Liberalis semper amor (humanum fugiamus, licet ita largientem, vt etiam nudus evadat) quid non divinus? Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, Ioan. 3. Cum ergo, & principium Spiritus Sancti sit amor, & ipse etiam personalis amor existat: hinc doni nomen sortitur, quod donari largirique possit. Sed hoc dupliciter intelligi valet. Primo, pro omni re quæ gratiose, & liberaliter alteri confertur, vel conferri possit ad vsum, & fruitionem, & sic est essentiale, & commune tribus Personis, quia quælibet Persona divina, imò, & ipsa essentia potest liberaliter communicari creaturæ rationali ad fruitionem.

Potest secundo modo accipi pro ipsa re, quæ liberaliter confertur, & est distincta realiter à donante, & sic est nomen personale in divinis, conveniens tantum Filio, & Spiritui Sancto. Ratio huius est: quia sola persona procedit in Deo est alicuius per originem, à quo distinguitur realiter, & aliàs est communicabilis creaturæ rationali ad vsum, vel fruitionem, ergo isto modo nomen doni est personale, & commune duabus personis procedentibus.

At verò si donum accipiatur pro re, quæ gratiosè confertur ab aliquo, cuius est per originem, & aliàs confertur, vt prima ratio donandi, & vt primum donum, sic est proprium nomen Spiritus Sancti. Quia solus Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis, procedit vt amor; amori autem convenit vt sit primum donum & ratio donandi alia. Ex quo pro Theologis infertur; quod donũ acceptum personaliter in diuinis dicit relationem ad donantem, illam nimirum quam habet ratione originis ad suum principium, & alteram relationem rationis ad creaturas rationales quibus donantur. Dices: quomodò Spiritus Sanctus potest dici Patris, & Filij donum, cum hoc videatur dicere subiectionem? Respondetur tripliciter posse donum esse alicuius. Primo per identitatem, & sic donum convenit essentiæ. Secundo, quasi danti subditum, & sic gratia, & charitas sunt dona Dei. Tertio, per modum originis, & sic Spiritui Sancto convenit, qui à Patre Filioque procedit, D. Thom. 1. 38. art. 1. ad. 3.

Hæc omnia clariora fient notando: quod donum propriè est datio irredibilis, idest quod non datur intentione retributionis, & sic importat gratuitam donationem: ratio autem gratuitæ donationis est amor. Ideò enim damus aliquid alicui gratis, quia volumus ei bonum. Vnde manifestum est, quod amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuito donantur, vnde cum Spiritus Sanctus procedat vt amor, procedit in ratione doni primi. Et sic Augustinus dixit lib. 15. de Trinit. quod per hoc donum, quod est Spiritus Sanctus, multa propria dona dividuntur membris Christi. Ita D. Thomas q. 38. art. 2.

§. III. *Missus.*

TErtio, Spiritus Sanctus dicitur *Missus*, Matth. 3. Spiritus Sanctus descendisse dicitur in specie colũbæ in Christum Dominum. Tractant de hoc Theologi cum D. Thoma 1. p. q. 43. inscripta de missione divinarum Personarum. Ad rem ergo breviter notandum: quod missio, alia est æterna, qua Filius à Patre, & Spiritus Sanctus ab vtroque procedit,

sed

sed non in ista loquimur significatione, sed de missione in ordine ad extra, in qua importatur ordo ad creaturas. Et sic in suo conceptu duo includit, scilicet processionem missi à mittente, & missum incipere esse in termino, vel quia in illo nullo modo antea erat: vel quia non erat illo modo quo incipit esse.

Sciendum insuper: quod processio missi à mittente, potest esse triplex; vel secundum imperium, sicut servus mittitur à domino; vel secundum Consilium, vt Consiliarij, vel Duces mitti dicuntur à Rege: aut secundum originem, sicut flores mittuntur ab arbore, & sagitta per vim impressam mittitur à proijciente. Ex quibus sola tertia non importat imperfectionem; ideò D. Thomas in art. primo dicit convenire Personis divinis tertio modo, idest secūdum originem vnius ab altero. Et quia effectus ratione, cuius mittuntur est temporalis, art. 2. resolvit, talem missionem esse temporalem. Et sic generatio & spiratio, sunt ab æterno: missio, & datio dicuntur temporaliter; processio autem, & exitus vtrumque important, & æternaliter, & temporaliter.

Missio autem vel est visibilis, idest quæ fit per aliquod signum, vel modum sensibilem, vt missio verbi in humanitate, & Spiritus Sancti in igne, nube, &c. vel est invisibilis per dona scilicet spiritualia. Supra modos ergo communes, quibus Deus est in omnibus per essentiā, præsentiam, & potentiam, datur alius specialis proprius naturæ rationalis, sicut cognitum est in cognoscente, & amatum in amante, qui modus perfectè solum fit per dona gratiæ, & virtutum infusarum. Probat ergo D. Thomas missionem ad creaturas rationales fieri solum per huiusmodi dona, secundum quæ Deus de novo incipit esse in illis. Et licet Patri non conveniat mitti; benè tamen Filio. Sap. 9. *Mitte illam de Cœlis Sanctis tuis, &c.*

Sed in articulo quinto resolvit simul cum missione Filij esse missionem Spiritus Sancti. Quia cum mittere Personam divinam ad aliquem per invisibilem gratiam, significet novum modum inhabitandi illius Personæ, & originem eius ab alia, cum tam Filio, quàm Spiritui Sancto conveniat esse ab alio, & inhabitare per gratiam, vtrique mitti convenit: licet tamen Patri conveniat habitare per gratiam, cum tota Trinitas veniat, & inhabitet, Ioann. 14. non tamen illi competit mitti, cum non sit, vel procedat ab alio. Sed sciendum: quod licet missio Filij, & Spiritus Sancti distinguantur quantum ad originem sicut generatio, & processio: at conveniunt in termino scilicet in gratia, sed cum discrimine effectus, qui sunt illuminatio intellectus, & inflamatio affectus.

Obijciet tamen quis: si missio fit secundum dona gratiæ, quod pertinet ad Spiritum Sanctum, ex 1. Corin. 12. *Omnia operatur vnus, atque idem spiritus dividens, &c.* Ergo solus Spiritus Sanctus mittitur. Respondetur, quod licet omnia dona in quantum dona tribuantur Spiritui Sancto, qui habet rationem primi doni, vt est amor; aliqua tamen dona secundum proprias rationes attribuuntur per quandam appropriationem Filio, illa scilicet quæ pertinent ad intellectum, & secundum illa dona attenditur missio Filij. Sed observandū valdè: quod ad hoc vt aliqua Persona divina mittatur ad aliquem per gratiam, oportet quod fiat assimilatio illius ad divinam Personam, quæ mittitur per aliquod donum gratiæ. Et quia Spiritus Sāctus est amor, per donū charitatis anima Spiritui Sancto assimilatur, & sic secundum modum charitatis, attenditur missio Spiritus Sancti. At missio Filij attenditur secundum perfectionem intellectus, non vtcumq; sed quo prorumpat in affectum amoris. Vt in Psal. 38. *In meditatione mea exardescet ignis.*

Vltra hanc invisibilem missionem Spiritus Sancti, datur etiam alia visibilis secundum effectus visibiles. Quia cum Deus vnicuiq; provideat secundum modum proprium ipsius naturæ, & per visibilia homo ducatur ad invisibilia cognoscenda; sicut processiones personarum æternas Deus per aliqua indicia homini-

bus

bus demonstravit; sic etiam conveniens fuit, vt invisibiles missiones divinarum, secundum aliquas visibiles creaturas manifestaret. Aliter in Filio, & in Spiritu Sancto: in isto quia procedit vt amor competit sanctificationis donum; at in Filio qui est Spiritus Sancti principium competit esse huius sanctificationis Author.

Cum ergo modus inhabitandi creaturas rationales per dona gratiæ sit invisibilis, & alias Filius, & Spiritus Sanctus visibilibus signis, & imaginibus venerint ad homines; cum discrimine tamen, quod Filius in humanitate assumpta, & vnita hypostaticè; at spiritus in quatuor rerum sensibilium speciebus, scilicet, columbæ, ignis, nubis, & flatus, de quo statim, non hypostaticè vnitis, quia non venit vt per illas sicut Filius nostram operaretur salutem; sed solum vt per illas invisibilem effectum gratiæ significaret. Et sic tales res vel signa, non solum fuerunt secundum visionem imaginariam vt visio prophetica; neque sicut petra ad Filium, quia illa iam antea erat creata, sed illæ res ad hæc tantum significandum tunc productæ fuerunt, & extiterunt, quo finito esse desierunt.

In quatuor rerum, vel signorum generibus Spiritum Sanctũ visibiliter apparuisse, & missum fuisse diximus, nec sine mysterio. In baptismo in specie columbæ, quod est animal fœcundum ad ostendendum in Christo auctoritatem donandi gratiam per spiritualem regenerationem (vnde & vox Patris intonuit hic est Filius meus dilectus) vt ad similitudinem vnigeniti alij regenerarentur. Dicitur etiam amor, quia propter puritatem, & munditiam, vt ait D. Basilius, & quia indicaretur agnum Dei venisse columba, & quia columbæ est summa simplicitas, mansuetudo, &c. Et vt significaretur, omnes qui Christi Baptismo debẽt baptizari, si non fictè accedant Spiritus Sancti gratiam recepturos. In Transfiguratione, sub specie nubis lucidæ ad ostendendam exuberantiam doctrinæ; & sic dictum est *ipsum audite* ad Apostolos, sub specie flatus, ad ostendendam potestatem ministerij in dispensatione Sacramentorum, vnde illis dictum est: *Quorũ remisseritis peccata remittuntur eis.* Et etiam quia procedit vt amor, qui est impulsus, & quia sicut ventus purgat aerem, Spiritus Sanctus noxia repellit, & sicut ventus nubes resolvit, ita Spiritus Sanctus corda dura resolvit. Ac denique vt spiritus, & ventus vehementissimus timorem illis incuterit, sine quo Spiritus Sanctus animas, non inhabitat, nec in illas venit. Sed sub linguis igneis, ad ostendendum officium doctrinæ, & sic dicitur, quod cœperunt loqui varijs linguis. Et quia si per linguarum confusionem totus mundus conturbatus: vt repararetur convenit, vt Spiritus Sanctus in igneis linguis appareret. Et quia omnes in quos venit loquentes, & ardentes pariter facit.

Circa nomen etiam Spiritus Sancti, sciendum: quod secundum diversitatem idiomatum, variatur genus, vt observavit D. Hieronymus cap. 4. Danielis dicens: In genere Seraphim diversitas est apud Interpretes. Septuaginta, Aquila, & Theodition Seraphim neutro genere transtulerunt, Simachus masculino. Nec putandum sexum esse in virtutibus Dei, cum etiam ipse Spiritus Sanctus secundũ proprietatem linguæ Hebrææ fœminæo genere proferatur *Rucha*. Græce neutro *Pneuma*. Latine masculino *Spiritus*. Ex quo intelligendum est, cum de superioribus disputatur, & masculinum aliquid, seu fœmeninum ponitur, non tam sexum significari, quam idioma sonare linguæ. Siquidem ipse Deus invisibilis, & incorruptibilis omnibus pene linguis profertur genere masculino, cum in Deum non cadat sexus.

Eiusdem etiam Hieronymi regula memoria retinenda venit. Qui in cap. 1. Micheæ ita fatur: Spiritus, tam in novo, quã in veteri testamento, vbicumque sine additamento ponitur, in bonam partem intelligitur; è contrario malus Spiritus semper cum additamento legitur, v. g. *Fructus autem Spiritus charitas, gaudium, pax,*

pax, & iterum; si spiritu vivimus, spiritu, & ambulemus. Et in veteri testamento; dans flatum populo, qui est in ea, & spiritũ his qui calcant eam. Qui enim calcant terram, & pedibus subijciunt, nõ malum, sed bonum spiritum merentur accipere. E contra, malus spiritus semper cum additamento. Luc. 11. *Cum immundus spiritus exierit ab homine.* Et 1. Reg. 18. *Et spiritus malus invasit Saul.* Et in alio Evangelij loco: *Increpavit spiritum immundum.*

CAPVT SECVNDVM.

De nominibus Paraclitus, Flatus, & Digitus Dei.

§. I. *Paraclitus.*

CElebri nomine, & vsitato valde Spiritus Sanctus Paraclitus dicitur; Dictio est propria novi testamenti Ioan. 14. & 15. Deducta à paracalio, & significat advocatum, consolatorem, defensorem, fautorem, patronum, & auxiliatorem. Vnde Paraclitus apud Demostenem est accersitus ac rogatus vt faveat alicui in iudicio. Significat etiam deprecationem, vel intercessionem, ex Philone in vita Moysis. Etiam consolatorem, & exhortatorem, apud Budæum. Quæ est frequentior acceptio, vt patet in Expositoribus ad cap. 14. & 15. Ioannis.

Circa ethimologiam verò notandum quod apud Latinos invaluit vsus proferendi Paraclitum: & hoc ex illo hymno: *Qui Paraclitus diceris*, & cum Spiritu Paraclito, quod illi præstitit accentum Græcum insequens, & sic tenendum, quia loquendum vt plures, sed sentiendum cum paucioribus si prudentes sint. Et iterum. Orator patriæ doctum ne spre vit vsum re tamen vera proferendum est Paraclitus per *e* longum. Quia verbum paracalio à quo deducitur, sic profertur. Et cum in Sacra Scriptura dicitur Spiritus Paracletus, ly Paracletus non est adiectivum. Occasione verborum Ioannis alium, &c. Quidam dixit Spiritum Sanctum post Christi Incarnationem, humanandũ ante diem iudicij, vt Spiritus Sanctus sit consumator redemptionis Christi, in hac vita statum iustitiæ originalis conferendo, & in alia homines in gloriam introducendo.

Hoc assertum ita inauditum, & singulare. Araujo in decis. p. 1. tract. 3. quæst. 22. Hæreticum, & plures errores continentem dicit, & antiquas hæreses suscitare; quod latè probat, ibi videndus, & ad loca scripturæ, quæ sinistre adducit scilicet, Matth. 11. *Tu es qui venturus est, an alium expectamus?* Quis iste alius nisi ille qui dixit Christus: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis Ioan. 14.*

Respondetur primo: Vnde ex his verbis Spiritus Sãcti humanationem colligi cũ sine illa Paraclitus esse possit, vt diximus. Secundo respondetur, cum Ioannes interrogavit, an alium expectamus, non aliam trinitatis personam humanandam, sed an ipse esset missus, & in infernum descensurus ex discipulorum persona interrogavit, ita communis expositio. Ac denique quia ex hac positione infertur, quod non esset proprium Christo esse consumatorem redemptionis nostræ; & quod non esset vnus tantum mediator, quod obstat Apostolo Hebr. 10. vna oblatione, &c. Et 1. ad Timot. 2. *Vnus mediator Dei, & hominum Christus Iesus.*

Visis iam huius nominis significationibus clare colligitur, quod duplex datur Paraclitus ex Ioann. 14. Vbi Christus dixit alium paraclitum dabo vobis; Christus ergo paraclitus, & etiam Spiritus Sanctus: vtrique enim munera requisita optimè congruunt. Restat tamen examinare, in quo differant. Cum ergo *Paracalio*, tria significet apud Latinos. Primũ consolari, 2 Corint. 1. *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Secundo, exhortari, ad Tit. 2. *Iuvenes exhortare, vt sobrij sint.* Et sub hac ratione videtur, quod sint communes toti Trinitati; ex Basil. lib. de Spiritu Sancto, & Hieronymo epistol. ad Heldiviam, q. 9. sed ex Athanasio lib. de communi essentia Patris, & Filij, tertiæ appropiantur Perso-

næ, vt Paraclitus nomen sit Spiritus Sanctus.

Sed Origenes lib. 2. Periar. & Nazianzenus lib. 4. Theol. diversitatem colligũt ex diversis officijs, & rationibus: quia præter duas iam supra recensitas significationes, tertiam adhibent; vt idem sit ac patrocinari, & alterius causam defendere, & sic propriũ Christo, de quo 1. Ioan. 2. *Advocatum habemus apud Patrem Christum Iesum.* Vbi Græce habetur nomen Paracliti, & sic proprium Christo Deo, & homini; non enim propriè Deus dicitur advocatus apud aliquem. At Spiritus Sanctus Paraclitus dicitur, quia cõsolatur nos, illuminat, & docet veram scientiam: vt ipse Christus dixit Ioan. 14. *Ille vos docebit omnem veritatem.* Et addit Didimus, quia expellit omnem tristitiam, & perturbationẽ, animamque gaudio, & lætitiam replet superabundanter. De quo plura Basilius lib. contra Eunomium.

§. II. *Flatus.*

QVia sub specie flatus cap. præced. Spiritum Sanctum datum fuisse iam vidimus, non incongrue quæstionem quam Hieronymus epistola ad Elbidium resolvit, in medium proponemus. Quomodo scilicet Salvator in Resurrectione insuflavit Spiritum Sanctum in discipulos: & secundum Lucam post Ascensionem se missurum repromittit? Cui ex Apostolo respondit, quod divisiones donorum, & gratiarum sunt, idem autem spiritus. Ergo secundum Ioannem die qua surrexerat dixit Apostolis: *Pax vobis.* Et postea: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* Tunc ergo acceperant gratiam Spiritus Sancti, vt peccata dimitterent, & baptizarent, & filios Dei facerent adoptivos. Secundum Lucam autem dixit: *Ego mittam promissionem Patris, & sedite donec induamini virtute ex alto.* Tunc amplius donatum, vt ipsi baptizarentur Spiritu Sancto, & induerentur virtute ex alto ad prædicandum, vt Psal. 66. *Dominus dabit Verbũ Evangelizantibus virtute multa.* Et in Ioel. 2. *Effundam de spiritu meo, &c.*

Non ergo Ioannes, & Lucas discordant, sed diversas gratias illis collatas expresse designant. Semper enim Apostoli ex quo Christo crediderunt, habuerunt Spiritum Sanctũ, sine quo nihil possent, sed pro modulo, atque mensura, quia nõdum spiritus erat datus (idest communicatus largiter) quia Iesus nondum fuerat glorificatus, Ioan. 7. & sic timent, fugiũt, negant: Postquam autem baptizantur in Spiritu Sancto in die Pentecostes, tunc libere loquuntur, mortuos suscitant, sanguinem fundunt pro Christo, & supplicijs suis coronantur (attendat Lector) gloria autem Salvatoris patibulum triumphantis, crucifigitur vt homo, glorificatur vt Deus. Sol fugit, Luna mutatur, saxa rumpuntur, mortui resurgunt, &c. De quo in Psalm. 56. *Exurge gloria mea.* Et ipsa de se respondet gloria, & dispensatio carnis assumptæ, *exurgam diluculo*, vt impleatur vigesimi primi Psalmi titulus pro assumptione matutina.

§. III. *Digitus Dei.*

DIgitum Dei Spiritum Sanctum appellari ipsa etiam Sacra attestatur Scriptura. Cum enim Christus Di Luc. 11. dixisset: *Si in Digito Dei eÿcio dæmonia.* Matth. 12. testatur dicens: *In Spiritu Dei eÿcio dæmonia.* Augustinus ergo lib. ad Ianuar. Dementia eorum erit manifesta omnibus, sicut & illorum fuit. Sicut enim per ipsam corruptionem mentis inquietissimi fuerunt, in signo tertio defecerunt fatentes sibi adversum esse Spiritum Sanctum, qui erat in Moyse. Nam deficientes dixerunt: Digitus Dei est hic. Et lib. ad Marcel. cap. 16. Hic Spiritus Sanctus, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ plenitudo legis est, etiam digitus Dei in Evangelio dicitur.

Vnde & quia illæ tabulæ digito Dei conscriptæ sunt, & digitus Dei est Spiritus Dei per quem sanctificamur, vt ex fide viventes, per dilectionem benè ope-

re-

remur. Dies enim quinquaginta computantur à celebratione Paschæ, quæ occasione figuratæ ovis per Moysen fieri præcepta est, in significatione vtique futuræ Dominicæ Passionis, vsque in diem quo Moyses accepit in tabulis digito Dei conscriptis. Similiter ab occisione, & resurrectione illius, qui sicut ovis ad immolandum ductus, quinquaginta diebus completis, congregatos in vnum fideles digitus Dei, hoc est Spiritus Sanctus implevit. Sed inter hæc fuit diversitas, quod ibi populus ad locum vbi lex datur prohibebatur accedere: hic autem, Spiritus Sanctus super venit in eos expectantes promissionem in vnum congregatos. Ibi lex extrinsecus, qua terrerentur, hic intrinsecus qua iustificarentur. Ibi in tabulis lapideis digitus Dei operatus est, hic in cordibus humanis. Ita Augustinus.

D. etiam Hieronymus Matt. 12. Si ego in Spiritu Dei eijcio dæmonia. Et Luc. 11. si in Digito Dei. Iste est digitus quem confitentur, & magi qui contra Moysen, & Aaron signa faciebant, dicentes: Digitus Dei est iste: quo tabulæ lapideæ scriptæ sunt in monte Sina. Si igitur manus, & brachium Filius est, & digitus eius Spiritus Sanctus; Patris, & Filij, & Spiritus Sancti vna substantia est. Non te scandalizet membrorum inæqualitas; cum ædificet vnitas corporis. Et D. Cyrillus lib. 10. de adorat. In lapideis quidem tabulis lex depingebatur digito Dei, vt scriptum est. Et erant ea quæ fiebant figura eorum, quæ credita sunt à nobis per Christum esse facta. Omnium enim Dominus Deus sui consilij scientiam quodamodo in nobis scribit, filio quasi calamo vtens in spiritu. Ita enim illum per David nominavit dicens, Psal. 44. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Patris enim calamus, hoc est Filius, omnium cordibus inscripsit omnis boni scientiam, quasi quodam digito Dei, spiritu tam suo, quam Patris vtens.

Et D. Ambrosius lib. 3. de Spirit. cap. 2. Spiritus Sanctus dictus est digitus Dei. Hoc digito, sicut legimus, tabulas illas lapideas inscripsit quas Moyses accepit. Non enim carnali digito Deus harum litterarum quas legimus, apices, & elementa formavit, sed spiritu suo dedit legem. Vnde Apost. 2. Cor. 2. *Lex enim spiritualis est, quæ vtique non atramento scripta est, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Nam si epistola Apostoli inscribitur in spiritu, cur non etiam lex Domini. Hoc etiam digito Iesus inclinatus in terra scribebat cum à Iudæis adultera esset oblata. Quod si quis hæreat, & vacillet corporalibus exemplis, consideret, quia non potest benè sentire de Filio, qui potest male sentire de spiritu. Nam si ideò portionem quandam putant, & exiguam esse Spiritum Dei, quia digitus Dei dicitur: ijdem vtique, & portionem exiguam dicunt esse in Filio Dei, quia dextera Dei dicitur, sed Filius, & dextera, & virtus dicitur Dei.

Sed iterum audiamus Augustinū Psal. 8. *Quoniam videbo Cœlos tuos opera digitorum tuorum.* Legitimus (inquit) digito Dei scriptam legem, & datam per Moysen; quem digitum Dei multi intelligunt Spiritum Sanctum: quapropter si ipsos digitos Dei, eosdem ipsos Ministros Spiritu Sancto repletos, propter ipsum spiritum, qui in eis operatur, rectè accipimus: quoniam per eosdem nobis omnis Divina Scriptura confecta est; convenienter intelligemus hoc loco Cœlos, ipsos libros vtriusque testamenti. Et magi etiam Pharaonis superati dixerunt: digitus Dei est iste. Per Cœlos ergo scripturæ quas operante Spiritu Sancto, per Ministros tuos conscripsisti.

In gratiam tamen legentium libet textum capitis 8. Exodi expendere, & elucidare, cum de Spiritu Sancto omnes intelligant, & aliquo sensu explicent. Igitur, *liberatus Pharao à ranarum plaga ingravatum est cor eius. Dixitque Dominus ad Moysen loquere ad Aaron, extende virgam tuam, & percute pulverem terræ, & sint scinifes in vniversa terra Ægypti, & ita factum est. Feceruntque similiter benefici incantationibus suis,*

vt educerent scinifes, & non potuerunt: erantque scinifes, tam in hominibus, quā in iumentis. Et dixerunt malefici ad Pharaonem, digitus Dei est hic.

Quam plura hic exagitari poterant, breviter illa attingemus, quæ nostrum concernunt institutum. In hac plaga quæ tertia fuit non præcessit ex parte Dei cōminato sicut in alijs, quia Pharao sic induratus, dignus erat percussione absque comminatione præcedenti. Si autem inquiratur cur hæc plaga gravior quā præcedens, si negetur quia ranæ erant maioris quantitatis quam scinifes. Sed affirmatur, quia Deus in harum plagarum impositione semper præcessit de minus gravi ad graviorem. Et quia semper, & vbique locorum semper affligebant Ægyptios, & eorum iumenta, sivè in domo, sivè extra domum essent. Iste autem scinifes, sivè sint muscæ parvæ, sivè pediculi, parum ad rem.

Quare autem magi non potuerunt educere scinifes, sicut alia priora signa? Lepra & alij, quod dæmones (quorum virtute vtuntur magi) non possunt producere corpus minus grano ordio. Sed hoc ridiculum. Alij quod Pharao in præcedenti plaga confessus fuerat Dominum, dicens, ad Moysen, & Aaron: orate pro me Dominum, quem ante se scire negaverat, ideò noluit eum Dominus ludificari à magis. Vel hoc fuit vt plenius confunderentur magi. Denique quia dæmones nihil possunt nisi in quantum permittit Deus. Cum potestas eorum subiecta sit divinæ potentiæ; & quia Moysi resistebant, essent magis confusi in hoc quod minimam rem facere non poterant.

Quid autem intenderent magi per illa verba: *Digitus Dei est hic?* Respondetur ex Augustino q. 26. in Exod. Senserunt Moysen potentiorem esse, suosque conatus fuisse frustratos per ipsum, ita vt non possent ipso præsente educere scinifes. Quid autem ipsi vellent dicere? Vel quod dæmon superior impediebat dæmones, cum quibus ipsi pacti fuerunt, sicut Luc. 11. dixerunt Christo: *In Beelzebub Principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Et sic Moysen facere illa signa artibus magicis. Vel quod sicut Cayphas prophetavit nesciens; ita ipsi divinam virtutem, & si non intelligentes pronuntiarunt, scilicet, Spiritum Sanctum. Et dato quod cognoverint divinam virtutem, non sunt conversi, quia indurati, & nemò potest corrigere quem Deus despexerit. Eccles. 7. Vel non sunt conversi ne perderent gratiam Pharaonis.

Sed restat examinare, cur magi potius defecerint in tertia plaga, quam in plaga prima, & secunda? Quis enim dementissimus (dicebat Augustinus) ita vt dicat digitum Dei in hoc signo potuisse conatus magorum impedire, & in superioribus non potuisse? Comendatur forte in hoc Trinitatis mysterium. Et quod verum est summi Philosophi gentium (quantum in eorum litteris indagatur) sine Spiritu Sancto Philosophati sunt, quamvis de Patre, & Filio nō tacuerunt. Quod etiam Didimus in libro de Spiritu Sancto meminit. De quo statim plura.

Quid autem digitus significet? Primo plagam quam Deus Ægyptios mulctabat ob eorum protervian. Et quia sicut decem sunt digiti ita decē plagæ Ægypti recensentur. Et sic Caldæus legit. A facie Dei plaga hæc est. Secundo ex Oleastro, Maluenda, à Lapide, & alijs est potentia, virt⁹, & operatio Dei, quæ licet vna in se sit, multiplex tamen apparet diversitate effectuum, & sic vocatur digitus vel digiti. Isai. 40. Tribus digitis appendit Orbem terræ. Et Psal. 8. *Videbo cœlos tuos opera digitorū tuorum.* Et in Græco to, Dei. Dicit magnam potentiam qua Moyses operabatur. Vel Spiritus Sanctus digitus, quia sicut iste à brachio, & manu procedit; ita Spiritus Sanctus à Patre, & Filio. Vel quia sicut sunt multi digiti, ita multa dona Spiritus Sancti. Vel quia sicut tot sunt digiti dexteræ ac sinistræ; ita æquali virtute indigemus ad tolleranda adversa, & prospera.

Rem ergo istam claudat D. Thomas, qui 1. p. q. 32. art. 1. Vbi inquirens an Trinitas Personarum possit per naturalem rationem cognosci? Pars affirmativa pro-

probabatur. Quia in multis libris Philosophorum aliqua de Trinitate dicta reperiuntur, & maxime in libris Platonicorum. Et glossa etiam Roman. 1. dicit quod magi Pharaonis, Exod. 8. Defecerunt in tertio signo, scilicet (quia scinifes educere non potuerunt) idest in notitia Spiritus Sancti, quæ est tertia Trinitatis Persona; ergo ad minus duas cognoverunt.

Respondet ex fide negativè (ibi videndus) & ad argumentum, dicit, quod Philosophi non cognoverunt mysteriū Personarum per propria, quæ sunt paternitas, filiatio, & procelsio. Ex Apost. 1. Corinth. 2. Loquimur sapientiam quam nemò Principum huius sæculi cognovit, idest Philosophorum. Cognoverunt tamen quædam essentialia attributa, quæ appropriantur Personis, sicut potentia Patri, sapientia Filio, & bonitas Spiritui Sancto. Et post multa. Et licet appropriata tribus Personis cognoscerent; dicuntur tamen in tertio signo defecisse, idest, in cognitione tertiæ Personæ, quia à bonitate quæ Spiritui Sancto appropriatur deviaverunt; dum cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, Roman. 1.

Vel quia ponebant Platonici vnum primum ens, quod etiam dicebant esse Patrem totius vniversitatis rerum, consequenter ponebant aliam substantiam sub eo, quam vocabant mentem, vel paternum intellectum. In qua erant rationes omnium rerum; nō autem ponebant aliquam substantiam tertiam separatam, quæ videretur Spiritui Sancto correspondere vel alij sic, licet potentiam, & sapientiam Filij cognoverint, sed ad benignitatem Spiritus Sancti, vt scilicet Filius Dei pro nobis Incarnaretur non pervenerunt. Licet ergo sub rationibus communibus habuerint notitiam personarum divinarum: tamen quia potissimū effectum bonitatis Dei ignoraverunt, scilicet Incarnationem Filij Dei, ideò dicuntur defecisse in tertio signo, idest non habuerunt notitiam tertiæ Personæ idest Spiritus Sancti, cui Incarnatio attribuitur.

A digitis iam abeamus, qui dicti censent aliqui, à digerendo, quasi natura dicenti ordine digitos digesserit. Existentes in pedibus breves, vt sic minus offendant; at manuum digiti maiores, quia illorum officium est capere, & premere. Hebraicè autē digiti, derivantur ab *esba*, idest à colorando sivè tingendo; eo quod in ipsos pingimus, & operamur. Et sic benè Spiritui Sancto aptantur, qui homines peccatores, pauperes, idiotas, timidos, in die Pentecostes, & postea semper, vivis coloribus, sed veris & efficacibus, Iustos, locupletes, sapientesque effecit, & reddidit. Et vt cecinit Bernardus virtute indutos ex alto. Cum ergo dicitur digitus Dei est hic, elegans est Synedoche, qua Hebræi virtutem Dei augent, & amplificant, quasi dicerent, tam potens est Deus, vt solo digito, omnium potentium huius mundi potentiam facilè superet, & confundat. 3. Reg. 12.

CAPVT TERTIVM.

De nominibus virtus, à suis donis aqua, & ignis.

§. I. *Virtus.*

VIrtus Dei, omnium vivificatrix, altrix, fotrix, & consumatrix dicitur Spiritus Sanctus, cuius solius afflatu, vt Deum cognoscamus, & amemus consequimur. Qui Spiritus est pignus gratiæ, & testimonium fert conscientiæ nostræ dum clamamus Abba Pater, quod Filij Dei sumus, Rom. 8. Sed animadversione dignum, quod virtutem Dei consumatricem dixerimus. Potuit quidem Deus vno eodemque instanti totam vniversi machinam condere, & creare septem tamen diebus cōsumavit illam. Ita & Christus opus redemptionis poterat quidem solus perficere, & ad vltimum perducere, sed cum iam ex eius miraculis, doctrina, Passione, & Resurrectione satis mundo potuerit innotescere, & cum perfecta beatitudo in trinitatis cognitione sita esse cognoscatur, locum dedit Spiritui San-

Sancto, vt mundi recreationem, & restaurationem perficeret, & consumaret, vt sic mundo illucesceret.

Optimè hoc expendit D. Bernardus serm. 1. Pentec. & de Patre quidem novi creationem clamantibus creaturis, ipse fecit nos, & non ipsi nos. De Filio autem magnum aliquid novi, eius gratia, scilicet Incarnationem. Iam de Spiritu Sancto, si non processionem, qua ex Patre, Filioque procedit, novi tamen aliquid, videlicet inspirationem. Sed hodie Spiritus Sanctus revelat nobis aliquid de se ipso, sicut ante de Patre, & Filio aliquid noveramus. Venit autem tunc super Discipulos in linguis igneis, vt verba ignea loquerentur: manifestum est autem indutos fuisse virtute ex alto, qui de tanta pusillanimitate ad tantam devenere cõstantiam; ecce consumatio, & complementum operum Christi per Spiritum Sanctum, qui virtus Dei dicitur.

§. II. *A suis donis.*

APpellatur etiam Spiritus Sanctus à suis donis. Spiritus enim aliquando naturam significat, vt Spiritus Domini requiescet, ipsius signatur natura spiritus. Interdum verò donum, & operationem eius, & sic dicitur Spiritus vitæ, Spiritus veritatis, Spiritus sanctificationis, promissionis, consilij, fortitudinis, quia adoptat, sanctificat, segregat, roborat. Vnde Spiritus Sancti opera sunt in Sanctorum cordibus, fides, spes, charitas. Sic dona Spiritus Sancti dicuntur, vt Spiritus Sapientiæ, consilij timoris, &c. Videatur D. Basil. contra Eunomium.

Hinc lustrandus venit locus difficilis Apost. 1. Thesal. 5. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querella, in Adventu Domini nostri Iesu Christi servetur.* Nunc attendamus Hieronymum. Famosa quæstio, sed brevi sermone tractanda. Supra dixerat spiritum nolite extinguere. Quod si hoc fuerit intellectum statim sciemus quis sit iste spiritus, qui cum anima, & corpore in die Adventus Domini conservandus. Certum quod non Spiritus Sanctus extinguatur, nec sustineat ab ditionem sui. Qui fuit quondam in Israel, & per Prophetas dicebat, hæc dicit Dominus. Hæc dicit Spiritus Sanctus. Divisiones donorum sunt, idem verò spiritus. Alij per spiritum datur sermo sapientiæ, &c. Omnia autem hæc operatur vnus ac idem spiritus. De quo David rogabat; Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me. Qui cum aufertur, non substantia sui, sed eius à quo aufertur extinguitur. Ego puto vnum atque idem significare, spiritum nobis extinguere: & illud spiritu ferventes; in quo enim fervor spiritus per iniquitatem non tepescit, in hoc spiritus nequaquam extinguitur.

Qui autem sanctificatur, & in omnibus perfectus est; in hoc spiritus, & anima, & corpus in die Domini conservatur. Corpus si singulorum membrorum vtatur officijs, & animæ integritas conservanda est, quæ dicere potest: Benedic anima mea Dominum. Spiritus quoque servatur integer quando non erramus in spiritualibus, sed vivimus spiritu, & opera carnis mortificamus spiritu, afferimusque omnes fructus eius. Charitatem gaudium, &c. Alij de resurrectione locum intelligunt, vt spiritus anima, & corpus in Adventu Domini integra conserventur. Nos autem in præsenti loco, spiritum qui cum anima, & corpore integer conservatur, non substantiam Spiritus Sancti, quæ non potest interire: sed gratias eius, donationesque eius accipimus, quæ nostra, vel virtute, vel vitio, & accenduntur, & extinguuntur in nobis.

§. III. *Aqua.*

IAm Sacra Scriptura eundem spiritum summi Patris afflatum, & vivificam auram, nunc aquam, nunc ignem per metaphoram vocat, vt hæc omnia non nisi translatitiè significamus. Aqua verò dicitur, quia lavat, recreat, rigat, & steriles alias mentes ad fructificandum pietate confirmat, & fœcundat. Sic Isai. 44.

Effun-

Effundam super sitientem aquam, & flumina super aridam, &c. Hunc eundem spiritum, & Christus Ioan. 7. aquas vocavit dicens: *Qui credit in me sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ.* Et cap. 4. *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Et alibi aquæ, & fluminis nomine Spiritus Sanctus significatur, vt Isai. 12. Ezech. 29. & Psalm. 146. Merito hoc nomen Spiritui Sancto attributum, quia cũ in columbæ specie apparuerit, ista aquæ valdè familiaris. Et sic Tertulianus: nunquam sine aqua Spiritus Sanctus, & per aquam adventũ, & gratiam in animas demonstravit. Ioann. 4. *Si scires, &c.* Et sic Cyril. aqua hæc gratia vivificans Spiritus Sancti est. Inde hoc dixit de spiritu, &c.

Et sicut aqua descendit ex montibus, & petris, ita Spiritus Sanctus ex Christo, qui est petra. Et sicut aqua ex montibus in valles, ita Spiritus Sanctus à monte divinitatis in humiles: *Super quem requiescet spiritus meus, &c.* Lavat, & mũdat à sordibus, Ezech. 25. *Mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris,* & extinguit desideria carnalia, qui biberit ex hac aqua, non sitiet in æternum.

Liceat tamen præsius investigare verba in hac parte ter in Sacra repetita Scriptura, scilicet Isai. 44. *Effundam enim aquas super sitientem, & fluenta super aridam. Effundam spiritum meũ super semen tuum, &c.* Deinde Ioelis 2. *Et erit post hæc effundam spiritum meũ super omnem carnem.* Ac denique Actu. 2. Petrus: *Non enim sicut vos æstimatis hi ebrij sunt: sed hæc est quod dictum est per Prophetam Ioel. Et erit in novissimis diebus dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnẽ, & Prophetabunt Filij vestri, &c.*

De Spiritu quidem Sancto communiter intelliguntur: sed discrimen stat in tempore, quando hæc fiunt, & spiritus operatur ista. D. Hieronymus ad locum Isai. refert illa ad Baptismi tempus dicẽs: noli timere Iacob, & Israel, quia effundam aquas super sitientem, & aridam, de qua sæpè dictum est. Et effundam sive ponam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam, quæ ex aqua, & Spiritu Sancto in baptismate renascitur. Comparat quoque in baptismate renascentes herbis virentibus, & salici quæ iuxta fluentes aquas oritur, & contra rerum naturam affert fructus, quæ prius sterilis erat.

Idem tamen Hieronymus in Ioelis verba sic fatur: hunc locum versans Apostolus Petrus expletum tempore Passionis Dominicæ exposuit. Cum descendit die Pentecostes Spiritus Sanctus super credentes. Et omnes loquebantur vt Spiritus Sanctus dabat eis, ita vt mirarentur omnes, & dicerent: *Nonne omnes isti Galilæi sunt, &c.* Et dicentibus musto plenos esse, obiecit Petrus locum Ioelis. Super quem multa D. Hieronymus, videatur, sed rectè ille præmit verbum *effundam.* Ostendit enim muneris largitatem, quod nequaquam in paucos Prophetas (vt olim fiebat) sed in omnes credentes in nomine Salvatoris, Spiritus Sancti dona descenderẽt, neque in hunc, vel illum, sed in omnem carnem. Non est distinctio Iudæi, & Græci servi, & liberi.

Sed dubitat, & merito Hieronymus. Cum Petrus illo tempore quo passus est Dominus prophetiam Ioel impletam esse commemoret. Quomodo superiora, & media, & quæ sequuntur vsque ad finem voluminis sibi valeant cohærere, ne sub vno textu consequentiaque sermonis, diversa, & dissonans inter se explanatio scatere videatur? Ipse omnia signa, & prodigia existimat in die Passionis impleta, cum tunc Sol obscuratus sit, cum pendentem Dominum suum videre, non ausus est, non quod ipse mutatus in tenebras, sed quod tenebras mundo induxerit, Luna in sanguinem. Quod iuxta historiam factum esse credamus, & ab Evangelistis silentio prætermissum. Neque enim omnia, quæ fecit Iesus scripta referuntur. Ioan. vltimo. Hæc omnia priusquam veniat dies Domini magnus, & horribilis futura describit. Qui dies (ait ipse) Resurrectionis intelligitur, vt ipse probat.

Sed etiam probabiliter (ob Hierony-

mi

qui reverentiam) dicendum, quod in illo loco pars illius scilicet. *Effundam de spiritu meo*, tunc adimpleta fuit. Reliqua verò propriè in diem iudicij referenda sunt. Nec ex hoc aliquod sequitur inconveniens. Primo, quia Petrus non omnia dixit figgilatim tunc adimplenda; sed vt verum dicat, sufficit aliqua adimpleri. Et quia frequens in Sacra Scriptura ex vno in aliud sermonem convertere, vt patet in Psal. 71. qui partim de Salomone, & partim de Christo intelligitur, ergo etiam in præsenti. Et quia ex sæpius dictis, plures sensus litterales, in eadem clausula, vel verbis reperiri possunt.

Vt ergo adnotat Ribera, verba ista ita explicanda veniunt. Prius Propheta sermonem instituit de Christi doctrina, deinde de Spiritus Sancti adventu, ac deinceps signa iudicij proponit; vt ostendat nullam legem post hanc esse expectandam, sed hanc esse ab omnibus, qui salvi futuri sunt, recipiendam, aut iudicium magnum, & maximè formidabile esse subeundum, quo iudicentur omnes qui non receperint. De quo D. Paulus Hebr. 10. voluntariè enim peccantibus post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quædam expectatio iudicij, &c.

Ex his colligitur quam audax, & Iudaica fuerit interpretatio Rufini, qui omnia Prophetæ verba trahit ad tempora Ezechiæ Regis. Sed mirum vnde hæc intelligentia. Quomodo tunc effusus Spiritus Sanctus super omnem carnem? vbi prophetiæ Filiorum? vbi somnia? visiones? &c. Nec minus absona explicatio eiusdem: quod prædicta verba non propriè vsurparit Apostolus, quasi prophetiam impletam. Quia Apostoli tunc receperunt linguarum scientiam miraculosè, & sic Spiritus Sancti effusionem, non prophetiam dicit esse, sed datam scientiam linguarum vocat. Sed immerito cũ etiam tunc prophetiæ donum acceperint. Videatur Ribera ibi.

Quid autem in Sacra Scriptura aqua significet, breviter attendamus, aquæ vivæ nomine, Spiritus Sanctus insinuatur; Apoc. 21. *Ostendit mihi fontem aquæ vivæ*. Et sicut sunt aquæ Evangelicæ quas dat Spiritus Sanctus; vnde spiritus, vel spirituales vocantur. Ita sunt, & aquæ turbidæ Ægypti, hoc est sæcularium disciplinarum, & humanæ traditionis, de quibus Isai. 19. est etiam aqua Baptismi munda, Ezech. 36. effundam super vos aquam mundam. Aquæ salutares Verbum Dei, doctrina Evangelica, & Christi promissiones, quibus animæ à cupiditatibus sæculi refrigerantur. De quibus Petrus: *Domine ad quem ibimus? verba enim vitæ habes.*

Significat etiam copiam, & abundantiam. Scientia Domini replebit terram sicut aquæ. Etiam populos adumbrat, Apocal. 17. *Aquæ quas vidisti, populi sunt, & gentes.* Aquæ furtivæ, Prover. 9. opera furtiva, & abscondita dicunt, sicut mendacium, & fornicatio: quia cum Deus aliud proposuerit, caro hoc arripit vt iucundum, non videns iudicium, nec Dei voluntatem. Aqua, persecutionis, & angustiæ, & negotia secularia. Psalm. 17. *Et assumpsit me de aquis multis. Salvũ me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ vsque ad animam meam.* Psal. 65. *Transivimus per ignem, & aquam.* Hinc aliæ aquæ suffocationis. Psalm. 32. *In diluvio aquarum multarum.* Aliæ refectionis, Psal. 22.

Aqua etiam pro luctu, & semine sumitur. Isai. 48. *Audite me domus Iacob, qui de aquis Iuda existis*; idest de stirpe. Aquarum inundatio infortunia, & pericula. De quo Psal. 69. Aquæ effusio, & decursus, interitum, vel rei vilitatem designat, Psal. 57. *Ad nihi devenient tanquam aqua decurrens.* Aqua fellis, tribulationem, & amaritudinem dicit, Ierem. 8. *Et potavit nos aqua fellis, quia peccavimus Domino.* Omnis enim potantur aqua fellis, quibus Evangelium non innotuit. Hinc aqua, & absynthium, Ierem. 9. Suplicium insinuat. Plura videbitur de aqua dixisse, sed caniculares dies id exposcebant.

§. IV.

§. IV. *Ignis.*

IGnis etiam dicitur Spiritus Sanctus propter vim, & vehementiam, totum namque hominem purgat, immutat, sordes peccatorum exurit, & in promovenda gloria Domini prorsus ardentem reddit, acendit, atque vigorem suppeditat, & invictum facit. Quod in Apostolis maximè apparuit, qui spiritu repleti ignita verba loquebantur, & invicta, vt vix in alijs æque declaratum sit illud, Ierem. 23. *Nunquid non verba sunt quasi ignis dicit Dominus.* Hoc per igneas illas linguas, quæ accepto Spiritu Sancto videbantur super Apostolos, Actu. 2. indicatum fuit. Sed cum aqua, & ignis sint contraria, cur sub illis Spiritus Sanctus? Respondetur primo, vt Dei potentia manifestaretur in contrariorum vnione. Secundo, quia mundus per aquam, & ignem est mundatus. Et quia ignis, simbolum est divinitatis: *Deus noster ignis consumens est.* Et quia est amor notionalis, & quia habet easdem proprietates ac ignis, scilicet vrere, purgare, illuminare, congregare homogenea; etherogenea disgregare liquefacere, & in cinerem redigere apud Gonet hæc omnia disp. 10. de Trin. digres. 5. §. 3. invenientur Spiritui Sancto adaptata.

Sed D. Gregor. hom. 8. super Ezech. audiamus velut aspectus arcus, quis arcus fuerit in nube in die pluviæ. Arcus signũ inter Deum, & homines fideles. Et in arcu color aquæ, & ignis simul ostenditur. Vir autem visus in throni alumbis, quasi ignis splendens erat. Quia enim per ignem ardor Spiritus Sancti designatur, quæ similitudo est arcus, & spiritus, vt ignis qui apparuit, quasi aspectus arcus apparuisse diceretur? Sed si ipsi quam prædiximus visionis arcus intendimus: quomodo arcus signet spiritum videmus. In arcu quippè, aqua, & ignis apparent. Et post mediatoris adventum, eo virtus Spiritus Sancti in humano genere claruit, quo electos Dei, & aqua Baptismi lavit, & igne divini amoris incendit. Iuxta illud. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto.*

Divus etiam Hieronymus ita scribit explicans propheticum Ioel. 2. *Et dabo prodigia in Cœlo, & in terra, sanguinẽ, & ignem, & vaporẽ fumi.* Ignis (inquit) Spiritus Sancti, qui descendit de Cœlo. Act. 2. *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis.* Hic est ignis quem venit Dominus mittere super terram, & antequam pateretur Discipulis suis optabat ardere. Ignis naturæ est duplicis, habet lumen credentibus; habet tenebras supliciaq; incredulis, qui dicuntur vapores fumi. Ignis ergo consumens appellatur Deus, vt quicquid in nobis vitiorum est, fœnum, ligna, stipulamque consumat, & spinas, idest solicitudines huius sæculi, quas pro bono semine terra attulit infœcunda. Hunc puto ignem sedisse supra linguas Apostolorum, omniumque credentium, cum linguis varijs loquebantur, & omnis erroris fugabat tenebras, & illuminabat corda eorum, qui recipiebant sermonem Domini.

Rursus autem magnus loquatur Gregorius homil. 5. in Ezechiel. Hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, & de igne splendor egrediens. Ignis enim nomine, Sanctus Spiritus significari solet, de quo in Evangelio Dominus dicit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur.* Cum enim carnalis mens Spiritum Sanctum accipit spirituali igne succensa, malum plangit quod fecerat. Sanctus ergo spiritus in medio animalium splendor ignis, & de igne fulgor egrediens discurrere dicitur, quia vniversam Ecclesiam replens in electorũ cordibus ex se ipso flammas amoris proijcit, vt corusci more, per terrorem feriat, & ad amorem suum corda torpentia accendat.

Sed curiosè quidem dubitat Gregorius: Cur divinus Spiritus, qui Patri, & Filio est coæternus discurrere dicatur: omnis enim qui discurrit ad locum accedit, & eum deserit in quo fuit? Sed respondet: quod stat, & movetur. Omnipotens ergo Spiritus, vt vbique præsentia

signaretur, simul mobilis, & stabilis dicitur. Stabilis, quia per naturam continet omnia: mobilis autem dicitur, quia vbiq; etiam nescientibus occurrit. Spiritus ergo Sanctus simul singulis, atque omnibus præsto fit, & incendit quos contigerit, & illuminat quos incendit, vt post frigus pristinum, accensi ardeant, & per ignem amoris quem acceperint, flammas reddant exemplorum, videatur D. Thomas 1.p.q.9.art.1.ad.2.

Agustinus etiam Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram*. Exarserunt homines credentes in eum; acceperunt flammam charitatis: propterea ipse Spiritus Sanctus, cum missus esset Apostolis, sic apparuit. Visæ sunt illis (inquit) linguæ divisæ velut ignis. Isto igne inflammati cœperunt ire per mundum, & inflammare, & incendere in circuitu inimicos eius, qui deserto Deo à quo facti erant, adorabant simulachra, quæ fecerant. Claudat Gregorius. Ignis quoque zelum significat. Spiritus Sanctus præsentiam suam hominibus, non in columba solum, sed etiam in igne patefecit. Per columbam quippè simplicitas; per ignem verò zelus indicatur. In columba ergo, & igne Spiritus Sanctus ostenditur; quia quicumque illo pleni sunt, sic mansuetudini simplicitatis inserviunt, vt contra culpas delinquentium, etiam zelo rectitudinis accendantur.

In Sacra autem Scriptura ignis sæpè tentationes, persecutiones, passiones, & peccatorum pericula designat, vt Psal. 16. *Igne nos examinasti*. Et Psal. 65. *Transivimus per ignem, & aquam*. Sic Moyses Ægyptiacam servitutem, fornacem appellat. Et Apost. 1. Corin. 3. Ignem nominat probationem auri, & argenti. Et 1. Petr. 1. & 4. fervorem dicit, in quo non peregrinandum, sed standum. Et ignis devorans, Isai. 33. non solum exercitum Assyriorum designat, sed & nostras adversitates, quæ propter Christũ, & Evangelium eius sustinendæ sunt. Ignis pro ira, plaga, & Dei iudicio accipitur, Psal. 82. *Vsquequo Domine exardescet sicut ignis ira tua*? Sic & carbones ignis magnam Dei iram exprimunt. Psal. 17. *Carbones incensi sunt ab eo*. Et ad Hebr. 10. Apostolus vehementiam ignis vocat iudicium, qui devoraturus est adversarios, & impios. Psalm. 56. Hinc ignis denotat iudicij symbolum. Plura iam supra.

CAPVT VLTIMVM.

Varia Spiritus Sancti nomina continens.

§. I. *Vnctio.*

SPiritus etiam significat Vnctionem: eo quod sicut per Vnctionem, olim Sacerdotes, & Reges ad officia sua deputabantur, & idonei omnino efficiebantur; ita ad vivendum, & glorificandum Deum, electi per Spiritum Dei instituuntur, & idonei non tam declarantur, quam efficiuntur. Hinc 1. Ioan. 2. & non necesse habetis, vt quisquam doceat vos, sed sicut ipsa vnctio docet vos. Et Psal. 44. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo letitiæ præ consortibus tuis*. Quod & Christus ex Isai. 4. retulit Luc. 4. Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me, & Discipuli, Act. 4. Iesum quem vnxisti.

Vnctus est autem Christus præ consortibus suis, idest cunctis in eum credentibus, quia omnes ipsi ad mensuram spiritum accipiunt, & quidem de plenitudine Christi, qui non ad mensuram accepit spiritum (de quo iam supra dictum est): nam sancti sumus, quia Vnctionem habemus de sancto. 1. Ioan. 2. Christus autem vnctus est Sanctus Sanctorũ Dei. Dani. 9. quod in vnguento Aaron obumbratum, descẽdit enim à capite Christi in barbam, idest in Prophetas olim, & nunc in Apostolos, & in omnes viros Spiritu Sancto plenos: à quibus in fimbriam vsque vestimenti huius Sacerdotis summi, & Regij, vsque ad infima membra Christi, vsque in finem mundi fluxit, & defluxit. De quo Exod. cap. 30.

Si receptui iam labor noster non caneret, nec iniucundum fore æstimarem, verba illa, Ioan. 1. cap. 2. *Non habetis necesse, vt quisquam doceat vos, sed ipsa*

Vn-

Vnctio docet vos. Contra hæreticos explicanda susciperem. Sed summum labijs degustanda veniunt. Autumant enim ex illis colligi ad Sacrarum Scripturam intelligentiam nullum Præceptorem necessarium, sed proprio quemque spiritu, vel interno adflatu ductum sufficere, vt percipiantur. Et per consequens, nec Ecclesiæ approbatione Sacram egere Scripturam, vt discernatur, quæ admittenda, vt canonica, & quæ reijcienda.

Sed in materia de fide, & qui controversias in hæreticos scripserunt, vt Bellarm. & Gravina latè hoc pertractant. Nobis satis sint responsiones quas M. Cano lib.2.cap.8. adducit. Prima, quod Ioannes loquitur cum Sapientibus, & Magistris Ecclesiæ, quibus Vnctio interior sufficit, ad ea quæ fidei refragantur, refutanda. Secus ignorantes, quibus opus est doctrina exteriori, maximè eorum qui in Ecclesia Doctores, & Magistri cōstituti sunt. Vnde quæ sunt in fide ad cōmunem Ecclesiæ vtilitatem pertinentia, non statim ab omnibus viris bonis cognoscūtur. Vt patet in simplici muliercula. Deinde, quia talis Vnctio non semper quemcumque docet de omnibus, sed de his quæ sunt ei propria, & necessaria. Et quia si talis Vnctio de omnibus doceret non opus externo Doctore, neque parentes instruere filios deberent, nec ad Ecclesias pro Evangelio audiendo ire, quod tamen præstitit Paulus. Hæc ille. Videantur Authores citati.

§. II. *Spiritum suscitare.*

Spiritum suscitare, apud Agæum, est confortare, & animare. Spiritum inquit Zorobabel suscitavit, hoc est, suo spiritu confortavit, & animavit eos, qui segniores erant, ac pusillanimes deditque eis intrepidos animos audendi, & aggrediendi magna alacritate, hoc est vt apud Apostolum: Spiritum non timoris, sed fortitudinis dedit. Vnde spiritus servitutis, est affectus servi captivi apud Dominum, non Filij erga Patrem; sicut qui habent Spiritum adoptionis, idest affectum Filiorum; faciunt enim servi metu pœnæ, quod faciunt, qui metus cuij causa est. Qui hunc spiritum servitutis accipiunt, illi dicuntur iterum esse sub lege, quia lex data fuit cum terrore, Exod. cap. 19.

Sed non parva insurgit ex modo dictis difficultas circa timorem servilem, an bonus, vel malus sit, cum enim timor servilis aliquid facit, non id ex amore, sed ex pœnæ timore exequitur vt patet; hoc autem malum videtur, cum vt sic non respiciat bonum, sed solum proprium refugiat malum. Ex alia parte nullum malum est à Spiritu Sancto, sed timor servilis est à Spiritu Sancto, quia ex glossa Rom. 8. non accepistis spiritum servitutis, &c. dicit: Vnus spiritus est qui facit duos timores, scilicet servilem, &c. & sic videtur, quod necessario sit bonus.

Huic difficultati respondet D. Thom. 2. 2. q. 19. art. 4. Quod timor servilis ex parte servilitatis habet, quod sit malus. Servitus enim opponitur libertati, quæ causa sui operatur; at servus quasi ab extrinseco. Vnde qui ex amore aliquid facit ex se, & sua inclinatione movetur ad operandum, & sic contra rationem servilitatis est, quod ex amore operetur. At servilitas non est de specie timoris servilis, sed sicut informitas respectu fidei. Cū ergo obiectum timoris servilis sit pœna, cui accidit, quod bonum cui contrariatur pœnæ, ametur vt vltimus finis, & sic pœna timeatur tanquam principale obiectum, vt in non habentibus charitatem; vel quod pœna ordinetur in Deum vti in finem, & sic non timeatur, vt obiectum principale pœna, sicut in habente charitatem. Et sic timor servilis secundum substantiam bonus est, licet eius servilitas sit mala.

Pro quo sciendum: quod timor servilis licet sit à Spiritu Sancto, vtpotè bonus, & honestus; sed non accedit ad illam rationem specialem quam habet timor filialis, vt ad rationem doni elevetur; & sic cum timor servilis sit simplex motus voluntatis circa malum pœnæ, vel amissionem boni divini, vt bonum proprium est, procedit à concupiscentia, vel spe. At ti-

timor filialis specialem dicit rationem reverentiæ erga Deum, & reddit hominem facilè mobilem à Spiritu Sancto. Vnde timor mundanus, si mundo innitatur vt fini, semper malus (secus alias) timor filialis semper bonus, & donum Spiritus Sancti: servilis in substantiam bonus, sed eius modus, vel servilitas si charitati contrarietur est malus.

Dicitur etiam Spiritus veritatis: mittam vobis spiritum veritatis, Ioann. 14. hinc elicitur causa quare D. Petrus dixit Ananiæ: *Cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto?* Et idem postea Saphiræ. Quia cum agrum vendidissent, & solum partem pretij attulissent ad pedes Apostolorum, & veritatem negassent, hoc dixit Petrus esse contra Spiritum Sanctum, qui spiritus est veritatis, & à quo omne verum procedit. Dicitur ergo Spiritus veritatis, quia veraces facit quos inhabitat, & possidet. Vnde Sapi. 1. dicitur. *Spiritus enim Sanctus disciplinæ fugiet fictum.*

§. III.

De Spiritu adoptionis.

Spiritum adoptionis recipere iuxta Sacram Scripturam est Filium Dei fieri: quæ filiatio non est semper aliquis, & splendidus titulus divinæ filiationis, sed est quædam divina participatio, & communicatio naturæ divinæ, & divinarum virtutum ipsius, quæ fidelibus contingit, cum in Sacramento renati, accipiunt Spiritum Sanctum, qui charitatem, & alias divinas virtutes diffundit in hominum cordibus, per quas facti sumus consortes divinæ naturæ, & adoptamur in filios Dei, & peccata remittuntur, 2. Petr. 1. vt per hæc efficiamur divinæ consortes naturæ. De quo 3. p. q. 23.

Sed hinc non leve dubium insurgere videtur, cum enim dixerimus, adoptionem Filiorum Dei esse ab Spiritu Sancto, & iste vt constat Ioan. 7. non fuerit datus vsque ad Christi glorificationem, sequitur antiquos Patres, & Iustos, non fuisse filios Dei adoptivos, quod absonum veritati omnino videtur. Et quia lex illa dicitur timoris, & servitutis, & ipsi servi nominatur. Sed oppositū certum de fide vt ostendūt Theologi, 3. p. q. cit. Quia habetur Exod. 1. vbi vocatur Filius meus primogenitus Israel. Isai. 1. Matt. 8. & Roman. 8. vocat Paulus, Iudæos filios adoptivos. Quorum est adoptio filiorum. Et alibi sæpe. Et quia cum gratia habituali eiusdem rationis cum nostra gauderent, de cuius ratione est filios adoptivos constituere (nisi obstet filiatio naturalis, vt in Christo) tales sine dubio censendi sunt antiqui.

Et ad locum Ioan. respondet D. Thomas, intelligendum esse de abundanti datione, & cum signis visibilibus sicut datus fuit post Resurrectionem, & Ascensionem die Pentecostes in linguis igneis. Lex autem vetus ex se non poterat constituere filios Dei, nisi per fidem, & gratiam datam illis ratione Christi venturi, quæ propterea dicitur esse propria legis gratiæ, & Evāgelicæ; vel quod erant Filij adoptivi, nō ita perfecta adoptione, qualis est in filijs legis gratiæ ob illius status imperfectionem; & quod servi dicerentur nihil obstat, cum servire Deo regnare sit.

§. IV. *Signum.*

Divum autem Paulum audiamus, qui si in suis epistolis 460. locis Sanctissimum Iesu nomen vsurpavit: vocem etiam spiritus 150. protulit, & adduxit. Igitur ad Colos. 1. sic fatur. *In quo credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto: qui est pignus hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius.* Quo in loco ex D. Thom. ibidem lect. 5. tria prædicat de Spiritu Sancto, scilicet quod est signum, & quod est Spiritus promissionis, & quod est pignus hæreditatis, quæ merito veniunt expendenda.

Dicitur quidem primo, Spiritus Sanctus signum, in quantum per eum infunditur charitas cordibus nostris: & imprimitur nobis signaculum per quod Filij Dei

Dei veluti oves Christi à peccatoribus, & præscitis discriminantur; sicut homines gregibus suis imprimunt caracteres, vt ab alijs secernantur: ita Christus populum Christianum spiritali signo consignat, quod est Spiritus Sanctus ex D. Thoma. Spiritus Sanctus est quo signamur, & quia hoc fit per charitatem, Ioann. 13. *In hoc cognoscent omnes, quia mei Discipuli estis si dilectionem habueritis ad invicem, & quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctū.* Ideò dicit Apostolus, *in quo credentes signati estis.*

Dicitur secundo, quod est Spiritus promissionis ob duo. Tum quia promissus per Prophetas Ezech. 36. *Spiritum meū ponam in medio vestri.* Et cap. 37. *Dabo vobis spiritum meum.* Et Ioel. 2. *Effundam de Spiritu meo.* Et quia datur cum quadam promissione: ex hoc enim ipso quod nobis datur, efficimur Filij Dei: quod significatur ad Galat. 4. *Quoniam estis Filij Dei, misit Deus Spiritum Filij sui clamantem Abba Pater.* Idest ideò vos Galatæ, & Gentiles estis Filij Dei per gratiam, quia misit Deus Spiritum Sanctum in vestras animas facientem vos clamare, Abba Pater. Idest invocare Deū tanquam Patrem Hebraici, & Latini, vel populi Gentilici.

Tertium, quod dicit Apostolus est, pignus hæreditatis nostræ, quia facit certitudinem de promissa hæreditate, sicut pignus apud homines; sic Spiritus Sanctus ob duo: tum quia fuit quasi pignus hominibus datum in lege veteri Christi venturi, & promissionis divinæ implendæ. Et quia dum nobis Viatoribus datur, est quoddam pignus futuræ hæreditatis, & gloriæ, pro qua obtinenda exhibemus nostra merita Deo in statu viæ, quasi anticipata solutione: & vt Deus nos redderet securos, & certos de gloria promissa consequenda, voluit dare nobis Spiritum Sanctum in suis donis in pignus solutionis adimplendæ. Plura alia lectu digna in D. Thom. Et in Paschasio in lib. de corp. & sang. Christi, vbi de Spiritu Sancto dicit, qui pignus totius Ecclesiæ est, interius mystica salutis nostræ ad immortalitatem operatur.

Nec vllum verbum Apostoli prætermittendum; prosequitur ergo dicens de Spiritu Sancto: *In redemptionem acquisitionis.* Vel vt legit Cayetanus, qui est pars pretij in redemptionem acquisitionis hæreditatis nostræ. Vel ex D. Thom. qui est arra ad plenè emendum adquisitam hæreditatem nostram. Vel vt sumus populus acquisitus Deo per redemptionem 1. Petri 2. gens sancta, populus acquisitionis, idest specialiter acquisitus per redemptionem, sive titulo emptionis. Vbi insinuare videtur, opera redemptionis etiam tribui Spiritui Sancto: non quidem vt Redemptori, quia solus Christus calcavit torcular, sed vt consumatori tribuendo Apostolis, vt essent abundantes in sermone, & ferventes in amore, vt totum possent in Deum convertere mundum.

Adhuc superest aliquid inquirendum dum dixit Apostolus, Spiritum Filij sui; etenim idem significat, ac, Spiritus Dei, Spiritus Christi, & Spiritus eius, qui Iesum suscitavit à mortuis. Et hoc vt denotaret Spiritum Sanctum, & Filium mutuis vicibus nomina sibi invicem mutuare. Spiritus enim Sanctus dicitur Spiritus Filij, secundum naturam divinam, & etiam Patris, à quibus procedit, & mittitur. Secundum naturam verò humanam, Filius, vel Christus, dicitur esse Spiritus Sancti, sicut mittentis, vel dantis: in quo sensu Christus dicitur conceptus de Spiritu Sancto. Ioan. 3. sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, quia missio, & donatio Divini Verbi secundum naturam assumptam fuit opus divini amoris, ac per consequens Spiritui Sancto attributum.

DIGRESSIO SVPER ILLA VERBA Genes. 1. Spiritus Domini ferebatur super aquas.

SI iam carbassa plicanda non venirent, nec portus pro fine tractatus tenendus se offerret, in animum obtulerat se illa

illa Genes. 1. verba; scilicet: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, elucidare ex professo. Sed pro totius operis colophone, vel summis labijs libanda proponimus, supponendo quod Spiritus Hebraice dicitur *Ruach*; & sic significat quendam impulsum, vehementiam, vel raptum. Sex tamen modis solet accipi in Sacra Scriptura vox illa, Spiritus, scilicet; Deus, quia Spiritus est Deus. Secundo, Angelus, secundum illud: Qui facit Angelos suos Spiritus. Tertio, Anima, vnde Christus dicitur: emisit spiritum, idest, animam. Quarto, vita brutorum animalium. Quinto, ventus, iuxta illud Ioann. Spiritus vbi vult, spirat. Sexto, tandem, aer.

In hac parte D. Hieronymus assignat istam regulam: Quando in Biblia ponitur Spiritus, sine additamento, intelligitur de Spiritu Sancto, quia spiritus malus nunquam ponitur sine additaméto. Huic tamen D. Hieronymi regulæ plures refragantur, & sic debere intelligi iuxta subiectam materiam, & capacitatem recipientis, secundum scripturæ qualitatem, & illa quæ antecedunt, & subsequuntur. Vtpotè quandoq; Spiritus absolutè positus non significat Spiritum Sanctum, sed humanum, vel aerem, seu impetum, vel vehementiam spiritus divini, iuxta illud factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis.

Et licet Augustinus lib. de Incarn. cap. 17. ad intelligentiam spiritualem inflectat, alibi tamen quartum dicendi modum complectitur, vt videbimus. Alij primo per spiritum intelligunt motum supremi Orbis cætera vivificantem, & moventem; quod Spiritus Dei dicitur ratione causæ, cuius ille motus est effectus per methonimiam. Ita Ægidius in 2. dist. 12. & Burgensis hic. Alij secundo spiritus, idest, aer validus. Ita Philo, Basilius, Theodoretus, Tostatus, Oleaster, & Istella. Qui ventus concitatus exicaret aquas, & in vnum cogeret locum. Exodi 14. 21. quia nullo alio nomine significatur aeris creatio. Contra hunc ventum, vel aerem obijciunt aliqui, quia ventus est mixtum; quorum nondum erat aliquid creatum. Sed efficatiæ Dei id potest attribui.

Tertio alij, nomine aquarum, intelligunt naturam Angelicam, quæ ferebatur super aquas. Ita Nilenus. Sed hic sensus, licet alias probabilis, non videtur ad rem nostram. Alij quarto, nomine spiritus, intelligunt vim quandam vitalem disponentem aquam ad fœtum. Solet Scriptura nomine Spiritus Dei vim quandam eximiam significare. Iudicum 14. *Spiritus Domini ruit in Sansonem.* Et 1. Reg. 11. *Insiluit Spiritus Domini in Saul.* Ita Chrisost. August. Procopius, & alij, cum Pererio hic. Sed contra. Vis illa, si supernaturalis, esset Spiritus Sanctus; si naturalis, sine speciali Spiritus Sancti assistentia, nihil poterit. Sed respondetur, illam vim, seu impulsum, vt Dei instrumentum hoc potuisse præstare. Quinto, Cayetanus intelligit Angelum primum Orbem moventem, ex Psal. 103. *Qui facis Angelos tuos spiritus*, idest, moventes primum mobile, & dicitur spiritum moveri per methonimiam causæ, & effectus.

Sed obijcit Pererius primo: quia Cœli motus absque luce nondum causata nihil in inferioribus prodesse poterit; quia eius motus solum fit ad lucem dispensandam. Respondetur, Cœlum moveri ad formandum tempus, quod est ex motu. Obijcit secundo, quia absurdè nomine aquarum intelliguntur Cœli. Respondetur, quod Cœli lingua Hebraica, Sckakim, quasi ex aquis facti dicuntur. Tertio, quia quod fertur, & movetur, non est Angelus, sed Cœlum. Respondetur, quod ex figura methonimia, sumitur effectus pro causa, & è converso.

Vltima sententia, verba intelligit de Spiritu Sancto, quam etiam vt probabilé multi ex relatis amplectuntur. D. Thomam audiamus 1. p. q. 74. art. 3. ad 4. Rabi Moyses per Spiritum Domini intelligit aerem, vel ventum, sicut & Plato, quia dicitur Spiritus Domini, secundum quod consuevit scriptura, vbique flatum ventorum Deo attribuere. Sed secundum SS. PP. per Spiritum Domini intelligi-

tur Spiritus Sanctus, qui dicitur superferri aquæ,idest,materiæ informi, secundum Augustin. & illud Ecclesiæ: Tu super aquas futurus eras,&c. ne facienda opera sua propter indigentiæ necessitatem putaretur Deus amare. At secundū Basilium superferebatur elemento aquæ, idest, fovebat, & vivificabat elementum aquæ ad similitudinem gallinæ cubantis vitalem virtutem ijs quæ foventur initens. Habent enim aquæ præcipuè vitalem virtutem,quia plurima animalia generantur in aqua: & omnia animalium semina sunt humida. Vita etiam spiritualis datur per aquam Baptismi. Ioan.3. nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto.

Sed abstineo nunc à Crisi circa has sententias, & quis ad hæc invenietur æqualis? Vt inter tot proceres,præsumat audax, proprium proferre iudicium? Si liceret dicerem,vltimam sententiam probabiliorem cum plausibile sit, apud omnes,Trinitatis mysterium in rerum creatione obumbrari, & de tertia Persona nihil expressius quam ista verba, & quia Ecclesia in fontis benedictione, ita pronuntiat. Tu super aquas fovens eas ferebaris, quod etiam antiqui Hebræi intellexerunt in libro Beresith Diabba. Sed non opposita censenda est sententiæ asserenti, etiam aerem intelligi cum duplex sensus litteralis compatiatur in eisdem verbis. Vnde cum Istella dicendum: quod aderat Spiritus Sanctus,sed cum externa aeris figura forte eo modo, quo in specie aeris, columbæ, & ignis advenisse legimus. Et sic Chrisostomus de vitali operatione,aquis insita, interpretatur. At hæc vitalis operatio, non Spiritus Domini, sed magis Spiritus Sancti fuerit effectus.

Hieronymus in tradit. ita affatur: Spiritus Domini ferebatur pro eo quod in nostris codicibus scriptū est, *ferebatur*, in Hebræo est, *Mera Beseth*, quod nos dicere possumus *incubabat*, sive confovebat,in similitudinem volucris, ova calore animantis,ex quo intelligimus, non de spiritu mundi dici, vt non nulli arbitrantur,sed de Spiritu Sancto,qui & ipse vivificator omnium à principio dicitur; si autem vivificator consequenter,& cōditor,quod si conditor,& Deus. Emmite spiritum tuum,& creabuntur. Videatur D.Thom. ad hæc verba. Et M. Ioannes à S.Thom. de oper. sex dierum,qui de Spiritu Sancto illa verba intelligit tripliciter, scilicet spiritu intelligentiæ, amoris, & fortitudinis,videatur etiam Sixtus Senensis lib.5.an.7.

§. Vlt.

Explicatur triplex nomen Spiritus, ex Psalm.50.

COronet opus (si tale dignum appareat honore)Regius Vates,qui Psal. 50.ter ita divinum expostulavit numen. *Spiritum rectum innova in visceribus meis. Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me,& spiritu principali, confirma me.* Scio his verbis sentire aliquos,totam insinuari Trinitatem,licet ordine inverso, qui vt ait Cayet. non servat ordinem rerum, & sic mirum non est, si dona hæc non ordinate scribantur. Vnde Spiritus rectus, ad Filium refertur,Spiritus bonus Sanctus, ad Spiritum Sanctum, & Spiritus principalis,ad Patrem,qui est principium principiorum.

Verum tertiæ Personæ communius ista tria adaptantur epitheta ex Cayet. ergo Spiritus rectus in visceribus, vel medio hominis, est donum quo homo, prōptus ad recta exercenda, & exequenda(hoc proprium Spiritus Sancti munus) petit etiam Spiritum sanctitatis, vt non solum promptus sit ad recta,& iusta; sed etiam ad divina. Et tertius Spiritus, non propriè tertius, sed forma amborum spirituum est dictus. Vnde aptissimè dicit: confirma me, vt firmitas animi sit à te Deo,per donum Spiritus principalis, vel spontanei, tam ad recta, quam ad divina exequenda, vt Spiritus sit promptus simul,& stabilis ad bonum.

Sed Hugo Cardinalis aliter hoc interpretatur: Spiritum rectum innova, idest Spiritum meum,inveteratum per peccatum,

tum, innova. Ezech. 11. *Dabo eis cor novum, & Spiritum rectum tribuam in visceribus eorũ*, qui novus dicitur, quia innovat, & rectificat. Et ex Augustino Spiritus rectus, quo fit, vt anima in veritate quærenda, deviare, atque errare non possit. Et sic Ecclesia canit in die Pentecostes: ductore sic te prævio, & Spiritum Sanctum tuum, ne auferas à me, scilicet, vel prophetiæ Spiritum, vel donum Spiritus Sancti, quo peccatum meum cognosco, confiteor, & pœniteo. In præsenti ergo versu, petit conservationem gratiarum, quas in præcedenti petierat, & obsecraverat.

Denique, Spiritu principali, idest: Spiritus Sancti gratia, confirma me, vt de cætero in peccatum non cadam, alia littera habet: potenti vt possit alios confirmare. Luc. 24. *Sedete in Civitate, quo ad vsque induamini virtute ex alto.* Et nota, quod in his tribus versibus, ponit sex verba, quæ Spiritui Sancto, propriè conveniunt, Crea, cum sis Creator, veni Creator. Innova, cum sis recreator, ne proijcias, cum sis attractor, ne auferas cum sis largitor, redde, cum sis promissor, confirma me, cum sis stabilitor. Sicut Petro Christus: *Ego rogavi pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu conversus, confirma fratres tuos*; in cuius die sacro ad Vincula eius auspicijs, præsens finitur opus.

PERORATIO AVTHORIS.

HÆc sunt amplectenda spiritus, quæ circa tua ineffabilia nomina (tam Sacram temerando Maiestatem) mihi scribenda, se obtulerunt; dignas pro tanto persolvere crimine pœnas debebam, sic fateor. Sed cum ex Bernardo noverim, quod suavissimum quid sis in Trinitate, imò & ipsa Dei benignitas: hinc non pro temeritate supplicium; sed pro humili reverentia, & obsequio, cum ipse sis peccatorum remissio, pro parvo hoc labore (à nullo alio hucvsque forte sub hac norma excogitato) culparum veniam flagito mearum. Adsis ergo septiformis munere, dono intellectus, vt illumines intellectum, ad penetrandas veritates, & misteria Fidei, cùm recta æstimatione de fine vltimo. Cum dono scientiæ, vt ex causis creatis feram iudicium circa supernaturalia discernendo credenda à non credendis. Cum dono sapientiæ, vt iudicem credenda esse divina Mysteria, & inhærendum eis, ex cognitione primæ, & altissimæ causæ. Donum consilij dirigat agenda per inquisitionem, ex rationibus divinis, ex affectu divinorum. Cum dono pietatis fiam prompte mobilis, vt filialem habeam affectum, ad Deum vt Patrem cũ fortitudinis dono, vincere possim omnia pericula vitæ, & mortis, supra vires naturæ, vt cum Apost. ad Philip. 4. dicam: Omnia possum in eo qui me confortat. Ac denique cum timoris dono, affectu filiali charitatis Deum revereri, & illi subijci, & inhærere valeam. Deducasque me in terram rectam, & propter nomen Iesu, vivifices me in æquate tua, qui Ezech. 37. ossa arida, te adflante, in vitam sunt revocata, sic per te ita vivam, vt te cum Patre, & Filio, in æterna vita semper laudare possim.

Si quid dissonum in hoc opere, contra Fidem, aut bonos mores inveniatur assertur, libenti animo retracto, meque & omnia mea Ecclesiæ emmendationi, & sapientium correctioni subijcio.

FINIS.

IN...

INDEX PRIMVS,
CONTINENS TRACTATVS, DVBIA, ET CAPITA HVIVS VOLVMINIS.

Dub.

§.2.

INDEX SECVNDVS, CONTINENS LOCA SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ ADDVCVNTVR IN HOC LIBRO.

Primus numerus exterior, Caput, interior paginam, littera a *primam columnam,* b *autem secundam indicant.*

6.

41. Ip-

Da-

Oſeas.

Fiat

Marcus.

Lucas.

4. Quid

Non

Nnn Non

INDEX TERTIVS;
RERVM NOTABILIVM QVÆ AFFERVNTVR IN HOC LIBRO.

P. vel pag. designat paginam, c. vel col. demonstrat columnam.

mi-

Chri-

gici

E

F

Fa-

Pæ-

ri-

Deo

Prop-

FINIS.